



PUB. OVIDII NASONIS OPERA

QUATUOR TOMIS COMPREHENSA.

ELENCHUS EORUM QUÆ IN QUATUOR
Tomis Operum Ovidii habentur.

IN PRIMO TOMO.

IN SECUNDO TOMO.

IN TERTIO TOMO.

IN QUARTO TOMO:

PUB. OVIDII NASONIS OPERUM

TOMUS PRIMUS.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

DANIEL CRISPINUS, HELVETIUS,

JUSSU

CHRISTIANISSIMI REGIS,

AD USUM

SERENISSIMI DELPHINI.

Editio Secunda Veneta emendatior.

In pagina versa indicantur ea quæ in hoc tomo continentur.







VENETIIS, MDCCLXXIX.

Typis Jo: Baptistæ Costantini.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

IN HOC PRIMO TOMO
Continentur.

40

AD SERENISSIMUM

GALLIARUM

DELPHINUM

DANIEL CRISPINUS,

HELVETIUS.

QUEM longissime a Patria, atque in ultimos Barbarorum Cæsaris ira submoverat, cum Mansuetudo tua in Urbem reducit, DELPHINE SERENISSIME; Ut non aliter cum ipso exulasse Musæ videantur, quam ut ex omnium luctu tua major gloria splendesceret. Is adeo, quando ita jussisti, meque ejus introductionis administrum, ex Illustrissimi, atque Sapientissimi Ducis Montauserii instinctu, voluisti, Tibi adest Venerum atque Deliciarum comes assiduus, qui beneficio tuo neque amplius Sarmaticam feritatem exhorreat, neque de Manibus & cineribus suis sit ultra sollicitus. Gratia tua jam diu Imperatoris offensiones omnes obliteravit. Verum jam aliud majus est, quod elegantissimi Poetæ mentem distineat. Majestatis videlicet nova quædam tua atque incredibilis species, quam vultu & omni corporis forma, mira cum suavitate conjunctam exhibes, ita accedentis mentem totam perstrinxit, ut vix cogitationum suarum sit ipse sibi conscius; nedum cogitata sua libere proferre possit. Roma illa veteri, in qua & ipse floruerat, nihil majus, nihil amabilius, ne fando quidem acceperat, quæ Augusto suo tanquam præsenti atque aspectabili numine quopiam gloriabatur. At, ne quid de sede dicam regia, cujus statum atque ordinem, decus, splendorem, aliaque nullibi conspicienda nemo quisquam non admiretur; postquam hic homines Diis suis superiores advertit Naso, Teque insuper vidit, Princeps Auguste, LUDOVICI MAGNI cura, quem per tam longam Regum seriem, tantoque rerum molimine Fata pro hujusce ævi gloria & faustitate in Orbem invexerunt, tunc vero, si non in totum sibi Barbarus visus est, mutum sane fieri stupor optimum esse persuasit. Ad nutum itaque tuum, Tibique in omnia paratissimus deinceps cum tuis permanebit: ut si quando a versando Orbe & componendo, aut ab Invicti Parentis labore animum revocare libuerit, seu jocis, quos amabiliter movere Thalia sua illum edocuit, seu fabellis, quas ab Apolline ipso videtur mutuasse, cogitationes tuas delinire aliquantisper gudeat. Si

ã 2 qui-

quidem & illum coeptare; atque in tuorum chorum accessere non dedignatus es haud ingratum erit, S E R E N I S S I M E P R I N C E P S, *quod illius dotem, qua maxime prodesse possit, aliquatenus verbis apud Te exornem. Ea licentia plurima habere etiam illum affirmare non dubitem, quæ regiæ dignitati, ad quam & Natales tui, & Gloria Regis, & Populorum vota Te ducunt nequaquam infeliciter respondeant: siquidem & summo artificio quæ hinc inde dispersa erant in unum corpus coegit, & ea, magis ad voluptatem parata, Politicis artibus ita consecravit, ut illam sub Virtutis signa redigere unice studuisse videatur. Scis ita esse jam diu, qui Transformationum libros non evolvisti modo alacritate eximia, sed acri insuper, quanquam judicio juvenili præcellentem moralibus observationibus tuis reddidisti. Sensim ergo & quasi per gradus a Poetæ lusibus ad ejus seria, tum ab ejus seriis, quæ Tibi quasi præludio fuerint ad ardua regni, ad quæ posceris, cum magno Parente assurgere poteris. Ita vero illum adornavi, Latinumque ejus sermonem, qua fieri potuit, ad Gallici vestri rationem sic revocavi, ut si minus directe Tibi,* D E L P H I N E S E R E N I S S I M E, *usui esse contendit, per alium saltem reverentiam suam, meamque cum utriusque officiosissimis obsequiis declarare aggrediatur. Nimirum ad oblectandam Pueri insignis Burgundiæ Ducis primam ætatem fuerit aptissimus; Cui, utpote Regis Spei secundæ, tuæque voluptati, gratum esse aliqua ex parte si liceat, tum denique neque famæ, neque fortunæ amplius pœniteat. At enim conatus me transversum agit, qui ubi sim, & quem compellem, sum pene oblitus, præ studio. Utcumque ignoscas, nam mitissimus es. Tempora sua sibi præripi non fama modo & gentes, sed & publica omnium lætitia queritur. Quandoquidem melius vox omnium quæ pectore habeo comprehensa, expediet, pluribus supersedeo, non sine votis tamen, ut Deus ter Opt. Maximus Te incolumem præstet animo pariter & corpore, Teque bonorum omnium servet usque Tutamen.*

Datum Lausanæ VII. Kal. Octob. 1685.

BENEVOLO LECTORI
SALUTEM.

VITAM suam tam accurate, tamque eleganter Naso ipse; Tristium lib. 4. Eleg. 10. posteris consignavit, ut voluptati tuæ invidere, minusque mihi consulere videar, si quæ ille scripsit aliter inculcare studuerim. Nonnulla adeoque tantum adjiciam, quæ aut leviora illi visa sunt, aut de se prædicare modestia non sivit, fata denique sua referre illum prohibuerunt: Deinde quid ex hac expectes nova editione paucis aperiam. Posito ergo, quod Elegiam illam perlegeris, ex qua non natales modo Poetæ, studia, plurimaque alia re ipsa magis quam oratione ejus modestissima perceperis, paucula hæc ex doctorum virorum monumentis hinc inde desumta; seu etiam ab ipso Nasone mutuata, ita accipe. Ingeniosissimum fuisse, atque incredibili quadam facilitate a natura instructum nullus non confitetur; siquidem vel illa ipsa quæ ex arte exquisitissima ab ipso proferuntur, tantam ubique habent simplicitatem, ut quivis idem, solo naturæ impulsu præstare posse sibi videatur. Lepos nativus in mira copia atque varietate nuspiam desideratur: minusque eo accersitas aut aliunde petitas ejus opes credideris; quod subinde luxuriantem potius & exultantem stilum reprimere, quam quicquam addere cupiveris. At enim tantopere illæ celebratæ Nasoniani ingenii dotes, utcumque maximæ, non tamen illud sunt quod maxime splendet, mihique adeo maxime probatur. Habent illæ etiam omnes, ni fallor, decus suum & suavitatem ex ingenua, quam vix suo nomine dixerim nescio qua sese semper alacrius & in melius effingente, lenitate atque urbanitate mirifica; qua efficitur, ut sublato omni verborum ornatu, imo & rerum ipsarum utilitate, supersit adhuc aliquid quod animum detineat, quod oblectet, quod insuper vel invitum sequacem & lubentem efficiat. Scilicet ille non fuit modo artibus omnis generis excultissimus, & omnium præcellenti disciplina morum ad contemplationem, ut solent, aut inanem loquacitatem ad ambitum usque imbutus: sed, caput quod fuit totius rei, paratas ita habuit, tamque alte bono a natura ingenio infixas rarissimas virtutes, candorem, integritatem, comitatem, benevolentiam, aliasque humanitatem quæ vere sapiunt, ut illæ ejus ore spirare, vocesque ejus effundere nunc etiam videantur. Cujus rei documentum insigne hoc quoque fuerit, quod ab infestissimis inimicis per maximam socordiam lacessitus, tempore exilii, non humane tantum illorum injurias tulit, sed nomina etiam eorumdem, vix aliunde cognoscenda, dissimulavit. Urbanissima itaque hæc, tamque amabilis dicendi & agendi ratio cum subtilissima & accuratissima singula exquirendi facilitate conjuncta laudem maximam illi fecere, & barbarorum etiam animos facile conciliavere: ut merito illum omne tulisse punctum asserere audeamus; qui cum bonus esset & dicendi peritus, monendo pariter, atque delectando, utile dulci; pro summorum in his artibus virorum sententia, tam præclare miscuerit. Neu vero temere quisquam negligentiam ex facilitate, aut fucum ex arte cavillatus sit; vel, quod iniquius foret, virtutes ejus, quod naturales, aut quod studio paratæ, sollicitaverit; tam apte inter se cohærent diligentia ejus & facilitas; opes acquisitæ ita aperte ex dotibus fluunt ingenii, ut non male sin-

gulis illis quod est omnium, & vice versa vix omnibus quod est singularum attribuere posse prima fronte quivis existimet. Nisi forte quispiam, quia insigniter Nasonis dissimulatus est labor & cura; atque ad laborem & curam, illam scilicet ingeniosam, de qua nunc agimus, unice factus videtur, illud quod maxime volumus, nolens etiam dixerit, omnia in ipso bona, artis quoque elegantiam, & peritam negligentiam a natura data esse. Quæ omnia melius multo ex cujuslibet loci inspectione, ubicumque librum aperueris tibi innotescant, LECTOR, quisquis hisce litteris faveris, quam prolixa aliqua oratione assequi valeamus. Neque vero promiscue, aut sine judicio bonis suis usum Poetam uspiam comperies. Materia sua & argumentum modum ubique fecit orationi & generi scribendi: &, quanquam nullibi non sedulus, accuratus, facilis, copiosus, varius, certentque ad amœnitatem in omnibus ejus operibus ingenii felicitas mira, cum eruditione politissima; nihilominus tamen, ubicumque opus fuit, character ille emicuit, quem rerum ipsarum natura postulavit, seu splendide, quo in genere primas tulit, seu lenius dicendum foret. Epistolas ab ipso, suo, vel aliorum nomine conscriptas inspexeris libellos Amorum, Metamorphosin, aut aliud quodcumque ejus opusculum, elegantem illum & amabilem esse qui scripserit statim intelliges. Cæterum, neque ingenium ejus, neque oratio sese ita in omnia induunt, quin ea perfectissime recognoscas. Singulis lumen ita fœneratur, ut ea magis id esse quod revera sunt videantur; tametsi ille super hæc omnia emineat, & propemodum ab ipso quicquid habent assumere credantur. Nugas agere elegantes cum puellis, aut levius incerta amoris tractare quis unquam juvenilius didicit? Metamorphosis tota omnis generis solidaque eruditione scatet, nulla parte eloquentiæ luminibus non illustrata. Namque de industria artificiosissimam fabulas diversissimi argumenti inter se connectendi rationem, quasi unica materia essent, non sine caussa prætereo, quam nullus satis admiretur, nisi ipse eam ipsa cognoverit. Quare & Græci ipsi, fabularum artifices, luculentum illud, numerisque suis absolutissimum opus Romanis non inviderunt modo, sed versibus suis suum fecerunt. Unde & nos, quo simul, & quasi uno obtutu mirum artificium totius operis posset comprehendi, ab initio statim fabularum omnium exhibuimus argumenta. In Fastis vero, quam prisca, & quam vasta eruditio! Dixerim facile ex omnibus veterum monumentis nullum superesse hodie, in quo plus doctrinæ, & reconditæ antiquitatis contineatur. In Tristibus quanta lenitas, quamque compositus mœror! Ea certe latet in ejus luctu jucunditas, ut & exulare, & mœrere suave habere aliquid non abs re conjicias. Denique, ne tibi voluptatis tuæ tempora præripiam, LECTOR, Natura ita instituerat Nasonem ad ea loquenda, quæ ipsa in singulis cuperet, quæque omnes expectarent; tam accurate, tantaque cum diligentia parentis illius benignissimæ instinctum excoluerat, ut non aliter quam perite & artificiose, neque ita, quam ut naturaliter & simpliciter, seu dicere, seu facere, quodque omnibus arrideret, posse videretur. Quibus rebus, aliisque, quas prudens omitto, in suo genere perfectum, atque inimitabilem Poetam quivis agnoscat, qui mellifluas ejus scripturas vel primis labiis degustarit; Mores deinde illius quales fuerint nihil opus exquirere. Quanquam enim aliunde non esset compertum, facile ex iis quæ memoravimus cognoscerentur. Candor scilicet & ingenii facilitas atque integritas in illos derivata summe amabiles necessario præstitisset; ut ne addam, quod humanioribus litteris usque & usque expoliverit. Amicorum observantia & cultus quis fuerit nunquam aliunde satis, quam ex ipsius Epistolis didiceris. Nævos tamen ejus si

quis

quis notaverit, quandoquidem homo fuit, idemque Ethnicus, haud quaquam illi admodum repugnem, modo ne ultra metas expatietur censura. Illud maxime culpaverim tamen, quod nequitiæ suæ, atque amoribus supra modum indulserit. Namque suam utcumque excusare videantur lasciviam & joci amabiles, & sermo verecundus, aut etiam factorum negatio; ipsis ejus maxime pudicis atque honestis verbis eo minus honesta atque pudica admixta intelliguntur, quo flagitia ea magis ex illo decoro obvolvit, & placitura propinavit.

Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum;
Postulat; Ignoscat verrucis illius. Æquum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus:
Ne temere in semet legem sanccit iniquam.
Nam vitiis sine nemo nascitur. Optimus ille est
Qui minimis urgetur.

Nimiam insuper felicissimæ indolis ubertatem, quæ sese minus juvenilibus annis præsertim contineret, laudatissimo Poetæ obtendunt. Verum quotusquisque ita est beatus, ut illi hujusmodi vitium obtrudatur? Quos debuit fructus illa ætas protulit: magisque naturæ quam Poetæ laudi obtrectaverit qui morosiorem se, hac in parte præbuerit. Voces denique nonnullas, quibus licenter nimis in carminibus usus sit, reprehenderunt olim etiam ejus amici. At cunctanter arguendum esse ex eo abunde constat, quod data opera vir in aliis non ingenii modo acutissimi, sed delicatissimi judicii ita faciendum crediderit. Quod quidem ex jocosa cum amicis contestatione quadam manifeste apparet. Rogatus enim aliquando ab his, ut tres, quos vellent, ex versuum ipsius numero tollerent; cum ille assentiretur, modo ut sibi pariter totidem excipere concederent, in quibus nihil illis liceret; iidem in utrisque codicillis sunt inventi, quos ipse retineret, illi vero damnarent. Dicebat interim, & aptissime, & festivissime, decentiorem eam faciem esse in qua nævus aliquis esset. Verum enimvero, cur in istis operam nostram frustra conterimus? Dolendum magis est quod præstantissima quædam opera ejus, fato iniquo, perierunt, Fastorum puta sex libri posteriores, Medea tragœdia, Fabio atque Tacito, aliisque plurimum commendata, Epigrammata etiam, de quibus Priscianus & Martialis. Libellum quoque de Phœnomenis scripserat, uti ex Fabio colligitur: nonnulla insuper Vaticinia, quæ libro uno erat complexus. Quin & lingua Getica triumphum Augusti Cæsaris, & de gestis Imperatoris ediderat. Plura alia adhuc deperdita, præter bellum Actiacum, quod ad Tiber. Cæsarem duobus libris inchoaverat: ex quibus omnibus,

Tum quoque cum fugeret, quædam placitura cremavit;
Iratus studio, carminibusque suis:

uti quidem illum ipsum confitentem habuimus. Illorum autem loco multa falsò attributa; in quibus *Carmen Panegyricum ad Pisonem*, *Philomela*, *Pulex*, Nugæ libris tribus. *De Vetula*, in quibus ineptissimus auctor, minus etiam Ovidium referens, quam simia hominem, non aliter illum inducit, quam si Evangelio credidisset. Cujus ridiculos versus referre piguit. Quæcumque genuina extant, & a viris doctissimis, quorum libentissime nos quidem facimus judicium, Ovidio sunt adscripta, habes, LECTOR AMICE, hac nova & accurata editione comprehensa, & Notis illustrata: ut pro adulterinis, fal-

fo-

ſoque illi attributis nos quoque duxiſſe cætera intelligas. Supereſt jam, ut tam bene de melioribus litteris pene a puero meriti doleas vices, qui Augusti iram, neque adeo Tiberii ſucceſſoris ſævitiam, nihil non expertus tamen, mollire unquam potuit. Qua cauſa tam aſpere illum læſerit, ut nullus veniæ fuerit locus relictus; multi conjiciendo aſſequi ſtuderunt; noſque etiam in Notis ea de re ſententiam noſtram diximus. At, ne plus æquo conjecturæ noſtræ faviſſe dicamur, libenter viris doctis aſſentimur, qui modum ponere curioſitati ſatius duxerunt in re, quam neſcire ſe quoque velle teſtatus eſt Naſo, ipſe prætεrea offenſus Imperator diſſimulavit, quam manes illius ſollicitare. Cujuſcumque ea fuerit generis, ideo exilio multatus eſt: quod fugæ nomine omnibuſque modis lenire conatus, Tomis impatientiſſime, utpote inter Scythas, homines maxime barbaros, ſub cœlo immitiſſimo, & longiſſime ab omnibus amicorum aliiſque deliciis remotas, toleraſſe teſtatur. Quanquam ne tam quidem malis ſuis, neque ægritudine animi confectum fuiſſe, quam velle videri crediderim; ut ſcilicet Auguſti clementiam, ſi qua eſſet, moveret, & reditum ſuum, vel ſaltem loci commutationem impetraret. Anno mundi 3957. poſt Chriſtum natum octavo, cum ipſe Naſo quinquageſimum ageret, ſiquidem Hirtio & Panſa Conſulibus, adeoque mundi 3907. natus, Urbe ejectus eſt; domum amplam, quam habuit ſecundum Capitolium, neque hortos amœniſſimos prope viam Flaminiam, nunquam viſurus. Tomis ad Ponti Euxini & Danubii oras quo ablegatus fuerat per novem annos circiter vixit; deinde ibidem fato functus eſt, Tib. Imp. S. Tomitanorum barbariem eo uſque molliiſſe nullus dubito, ut amiſſum lugerent, ejuſque funus quo maximo poſſent honore proſequerentur. Cæterum Epitaphium Latinum, quod tymbo, ſeu ſepulcro ipſius inſcriptum, atque anno 1508. repertum nonnulli teſtantur, neutiquam Auguſti vel Tiberii ævum ſapere, optime ſane viri docti cenſuerunt. Quin etiam quatuor verſus, quibus illud conſtat deſcribere tanti non eſt viſum: Generum reliquiſſe volunt Cornelium Fidum qui Perillam ſcilicet, filiam quam ſolam habuit, duxit uxorem. Nunc expectas, candide lector, ut quid ex hac nova operum ejus editione capere poſſis compendii, ingenue profiteamur: quod quidem ex pauculis ſequentibus lineis tibi conſtabit. Primum omnium admonendus es, non conſilio noſtro, eo quo tentavimus modo adornatum eſſe Ovidium ſed ſapientiſſimi, quantum ſors patitur humana, Ducis Montauſerii, juſſu: cujus quidem viri inclyti Prudentiam poſtquam in his, ſicuti in aliis maximis multo præſtantiſſimam LUDOVICUS MAGNUS in Sereniſſimi DELPHINI gratiam primo approbavit, deinde Europa tota laudavit, non eſt verbis ſupervacaneis ut extollamus. Siquidem illius votis ſatisfacere, aut, quod ſuadebat incredibilis ejus beneficentia, & qua dignatus eſt nos dulciſſima clientela, juſta ſaltem exequi nobis licuiſſet, ſpem tibi profecto ſplendidam faceremus. Namque ille tantus in maximis, poſtquam ad hæc levia, vera cauſſa animum demiſit, parva eſſe ſummum judicium ejus amplius non ſivit. Immo deſideriis, & conatibus noſtris nulla ſi obſtitiſſet ſortis perverſitas, quoquo pacto literaturæ noſtræ tenuitatem compenſaviſſemus. Neque vero aliter, aut Illuſtriſſimi Condomienſis Epiſcopi Jacobi Benigni Boſſuetii, utcumque in Principis inſtitutione olim aſſidui, defuiſſent monita, quibus in hoc genere literarum nos aliquando etiam juvit humaniſſime; aut Nobiliſſimi P. D. Huetii, in eaſdem curas cum illo adſciti eruditio exercitatiſſima deſtituiſſet, qua nos primo ſuſtentatos benigniſſime, nequaquam immemores confitemur. Quibus opibus, aliiſque, poſtquam nobis carendum fuit, leviſſima forte videbuntur quæcumque aggreſſi ſumus. Quantulacumque fuerit tamen opella noſtra, illud vero aſſe-

fequutos nos esse speramus, ut vel Interpretatione, in locis præsertim difficilioribus accurata, vel notis, qua fieri potuit festinata perspicuitate ad illa subjectis, non Poetæ sententia modo, sed ingenium arsque ejus patefecerent. Quibus enim & qualibus de caussis scriberemus nequaquam obliti, voluptati nobis labor fuit, quæ omnia supervaderet. Ne quis vero jure dereptam sibi laureolam queri possit, quod passim quæcumque ad scopum spectare credidimus, nostra fecerimus, tametsi, spero, & ex proprio censu nonnulla non contemnenda hauserimus, lubentissime tamen cuivis illud totum, atque alia omnia accepta habere dixerimus. Nicolai Heinsij, viri de litteris humanioribus optime meriti, cujusque recordatio bonis cara semper fuerit, sequuti sumus emendationes, quippe quas ex MSS. fide, summa diligentia confirmavit. Atque equidem illum, quia immutati textus vulgaris reddenda ratio fuit appellamus. Cæteris quam meruerunt, suamque præstant illorum bene scripta & facta, ego homuncio augere laudem non possum, quam maximam omnes faciant quibus innotescent ex animo vovemus. Quamobrem ita potius agere decretum fuerit dixi ad Sallustium: cumque ideo nullus conquestus sit, non sine caussa læsisse me neminem, ut numquam in animum induxi meum, ea ratione credidi. Si qua vero aut cogitare ipse commode, aut ex aliorum lucubrationibus fideliter admonere institui, maximum tibi videri debet, quod illa cujusmodi esse videantur, per editionem nitidam atque accuratam tibi statim & sine omni labore pateant. Illam namque procuravit atque emendavit Il. Anissonius, Bibliopola Lugdunensis, cujus eruditionem si pateretur ejus modestia, facile asseruerim; cuique adeo totum opus concredere non sine causa mihi volupe fuit. Cum notior sit, quam ut commendatione mea indigeat; tibi, LECTOR, non illi, quamquam & istud maxime cupiverim, ejus facta mentione prospectum volui. Vive vero lætus, & nostris conatibus fave.

P. OVI-

P. OVIDII NASONSI
V I T A

Ex vetuſto codice Pomponii Læti, cujus apographum exſtat in Vaticana Bibliotheca,

P. Ovidius Naſo a. d. XII. Kal. April. Sulmone in Pelignis natus eſt. quo anno bello Mutinenſi P. Hirtius & C. Panſa Coſſ. diem obiere. honoribus Romæ functus. fuit enim arbiter & triumvir, & judicium inter centum viros dixit. Sub Plotio Grippo literis eruditus. deinde apud Marcellum Fuſcum Rhetorem, cujus auditor fuit, optime declamavit. Admirator plurimum Porcii Latronis fuit, quem adeo ſtudioſe audivit, ut multas ejus ſententias in verſus ſuos tranſtulerit. Bonus declamator, & ingenioſus habitus eſt, & carmine proſa licenter ſcripſit, ingenii ſui adeo amator, ut ex iis quæ dixit, etiam precantibus amicis nihil mutaverit. In carminibus vitia ſua non ignoravit, ſed amavit. Militavit ſub M. Varrone. Julio Græcino Grammatico familiaris. Tandem cum veniſſet in ſuſpicionem Auguſti, creditus ſub nomine Corinnæ amaſſe Juliam, in exilium miſſus eſt. exulavit Tomis, ibique deceſſit annum agenus LX. noviſſimum.

ALIA

ALIA NASONIS
VITA
EX CODICE FARNESIANO.

P. Ovidius Naſo Pelignis natus eo anno, quo Hirtius & Panſa Coſſ. in Mutinenſi bello perierunt ſimul, quo cœpit triumviratus. fratrem habuit nomine Lucium natu majorem, defunctum tamen in minimis annis. Romæ ſub Plotio Grippo literis operam dedit. a Cornelio Gallo ditiſſimo & doctiſſimo cive, & a M. Varrone multa cepit. Familiariſſimus fuit Julii Hygini Grammatici. Paternis ſtimulis foro aliquandiu incubuit. unde plerumque judicium dixerit inter centum viros. poſt parentis mortem ad poeticem integer rediit, ſcripſitque libros duos Heroidum Epiſtolarum. inde cum M. Varrone Aſiam petiit. ſub quo militavit, neque prius huc ſe contulit, quam peritiſſimus literarum Græcarum foret Scripſit inde epiſtolas quaſdam ad Tiberii filiam ſub falſo nomine ac ficto Corinnæ inſcriptas, quæ propter crimen læſæ majeſtatis combuſtæ fuerunt. inde & exilium meruit.

AN-

ANGELI POLITIANI

ELEGIA
DE EXILIO ET MORTE OVIDII.

Et jacet Euxinis vates Romanus in oris:
Romanum vatem barbara terra tegit.
Terra tegit vatem, teneros qui lusit Amores,
Barbara; quam gelidis alluit Ister aquis.
Nec te, Roma, pudet; quæ, tanto immitis alumno,
Pectora habes ipsis barbariora Getis?
Ecquis, Io Musæ, Scythicis in finibus ægro
Tædia qui morbi demeret, ullus erat?
Ecquis frigidulos qui lecto imponeret artus,
Aut qui dulciloquo falleret ore diem?
Aut qui tentaret salientis tempora venæ,
Aut fomenta manu qui properata daret?
Conderet aut oculos media jam morte natantes,
Aut legeret summam qui pius ore animam?
Nullus erat; nullus. veteres, tu dura, sodales
Heu procul a Ponto, Martia Roma, tenes!
Nullus erat. procul ab conjux, parvique nepotes:
Nec fuerat profugum nata sequuta patrem.
Scilicet immanes Bessi, flavique Coralli,
Aut vos pelliti, saxea corda, Getæ,
Scilicet horribili dederit solamina vultu
Sarmata, ab epoto sæpe vehendus equo:
Sarmata, cui rigidam demisso in lumine frontem
Mota pruinoso tempora crine sonant.
Sed tamen & Bessi exstinctum, & flevere Coralli,
Sarmataque, & durus contudit ora Getes.
Extinctum & montes flebant, & sylva, feræque,
Et flesse in mediis dicitur Ister aquis.
Quin etiam pigro concretum frigore Pontum
Nereidum lacrymis intepuisse ferunt.
Accurrere leves Paphia cum matre volucres,
Arsuroque faces supposuere rogo.
Quem simul absumsit rapidæ violentia flammæ,
Reliquias tecto composuere cado.
Impositumque brevi signarunt carmine saxum;
QUI JACET HIC, TENERI DOCTOR AMORIS ERAT.
Ipsa locum late sancto Cytherea liquore
Irrorat nivea terque quaterque manu.
Vos quoque Pierides vati libastis adempto
Carmina, sed nostro non referenda sono.

DE

DE EODEM CARMEN
JUL. CÆSARIS SCALIGERI.

Loquitur ipse Ovidius ad Augustum.

A Me utinam inciperes ferus esse, Cruente, nec atras
Per cædes faceres ad mea fata gradum.
Si mea te movit tetricum lasciva juventus,
Te juvenem damnas perditus: exsul abi:
Impia flagitiis squalent penetralia diris:
Damnati superant nomina fœda rei.
Non te divinum ingenium, non candida tangunt
Pectora, non Clario lingua fecunda deo.
Lactea mollivit veteres mea vena Poetas;
Et verum docuit pondera certa novos.
Cum te laudarem, tunc sum mentitus: ob unum hoc
Exilij fuerat debita pœna mihi.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

Concediamo Licenza a *Gio: Battista Costantini* Stampator di Venezia di poter ristampare il Libro intitolato: *Publii Ovidii Nasonis Opera*, osservando gli ordini soliti in materia di Stampe e presentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 28. Febbraro 1776. Venezia.

(*Alvise Valaresso Rif.*
(*Andrea Tron Cav. Proc. Rif.*
(*Girolamo Ascanio Giustinian Cav. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 339. al N. 928.

Davide Marchesini Segr.

P. OVIDII NASONIS (a) HEROIDES.

EPISTOLA PRIMA.

ARGUMENTUM.

Orto Trojano bello ob raptam a Paride Helenam, habitoque a Græcis conventu, invitus cogitur Ulysses ad bellum proficisci: in qua expeditione multa adeo & designavit præclare & gessit, ut excisæ tandem Trojæ maxima illi laus adscriberetur. Peracta ultione, Trojaque funditus eversa, victores Græci in patriam redeuntes, spoliis hostium ditati, indignatione læsæ Minervæ, variis acti sunt procellis, adeo, ut multis obrutis, pauci post varios errores evaserint. Inter quos Ulysses (ad quem hæc epistola dirigitur) decem errans annos, peragravit varias orbis partes. Penelope igitur, ejus uxor, ignara quidem ubi hæreat, valde tamen solicita de ejusdem reditu, scribit ei hanc epistolam, qua cum primis ut redeat monet, maxime, cum & Troja jam excisa, aliisque reversis, solus nullam cunctandi causam habeat.

PENELOPE ULYSSI.

HANC tua (*b*) Penelope lento tibi mittit (*c*) Ulysse.
Nil mihi rescribas attamen: ipse veni.
(*d*) Troja jacet certe (*e*) Danais (*f*) invisa puellis.

INTERPRETATIO.

U*lysse, Penelope tua* uxor *scribit ad te sero redeuntem hanc* epistolam : *attamen nihil mihi respondeas*, sed *tu ipse venias. Troja odiosa Græcis Nuribus prostrata est equi-*

NOTÆ.

(a) HEROIDES) eo nomine Ovidio appellatæ fuot fuæ epistolæ, quod ab Heroibus, maxima ex parte, scriptæ fingantur.

(b) *Penelope*) Icarii Lacedæmonii filia, Penelope dicta, ut quibusdam placet, Pindari interpretem sequutis, ab ejusdem nominis avibus, quæ expositam a parentibus educaverunt; vel ut volunt alii, a tela, derivatione Græca, quod in ea texenda maximam laudem invenerit: cum prius *Arnæa*, id est abjecta, aut *Amyre*, appellaretur: Castitatis eximiæ fuisse plerique tradunt.

(c) *Ulysse*) Fuit Ulysses, seu Ulysseus, vel ut perspicue scriptum vidisse se testatur clarissimus Heinsius, Ulixus, Rex Ithacæ & Dulichii, filius Laertæ & Anticleæ, homo decantatæ calliditatis & versutiæ.

(d) *Troja*) Urbs fuit minoris Asiæ celeberrima in tractu Occidentali, ad Septentrionem, quæ a regione ipsa ita dicta est. Nomen ortum a Troe Rege; cum antea *Teucria* a Teucro, & *Dardania* a Dardano, *Ilium* insuper, & proprie nuncuparetur. Cæterum versum hunc per indignationem esse efferendum arbitror, quasi dixisset Penelope: *Quando ita voluistis, Troja diruta est: At certe operæ pretium non fuit, ut ea gratia, tanto cum molimine, tot heroes a nobis discederent.*

(e) *Danais*) Græci dicti sunt *Danai*, a Danao Argivorum rege, in Peloponneso.

(f) *Invisa*) Propter absentiam præsertim virorum suorum.

Vix (*g*) Priamus (*h*) tanti, totaque Troja, fuit.
O utinam tunc, cum (*i*) Lacedæmona classe petebat,
Obrutus (*k*) insanis esset (*l*) Adulter aquis!
(*m*) Non ego deserto jacuissem frigida lecto,
Nec quærerer (*n*) tardos ire relicta dies:
Nec mihi querenti spatiosam fallere noctem,
(*o*) Lassaret (*p*) viduas (*q*) pendula tela manus.
Quando ego non (*r*) timui graviora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
Nomine in (*s*) Hectoreo (*t*) pallida semper eram.
Sive quis (*u*) Antilochum narrabat ab Hectore victum;

INTERPRETATIO.

dem; at Priamus & Troja universa vix fuit tanti. O utinam mœchus fuisset submersus aquis profundis & procellosis tunc cum Spartam veniebat navibus! Ego non cubuissem gelida in stratis a te derelictis; nec ego deserta conquererer dies lente procedere; nec tela ex jugo pendens fatigaret manus destitutas mihi volenti decipere longas noctes. Quodnam fuit tempus cum ego non reformidaverim discrimina majora iis, in quibus reipsa versabaris? Amor est res plena metus anxii. Arbitrabar violentos Trojanos in te impetum facturos; expallescebam ad nomen Hectoris. Seu aliquis diceret Antilochum superatum ab Hectore.

NOTÆ.

(g) *Priamus*) Rex Trojæ, quo tempore a Græcis eversa est. Filius fuit Laomedontis.

(h) *Tanti*) Illud est quod Gallice dicimus, *Cela n'en valoit pas la peine.*

(i) *Lacedæmona*) Accusativus, inflexione græca. Lacedæmon vero Urbs est & Regio Peloponnesi celeberrima, a Lacedæmone, Jovis & Taygetes filio, sic nuncupata. Urbs, *Sparta* quoque dicta est; fuitque Regia Menelai.

(k) *Insanis*) Id est, *profundissimis*, seu *procellosis*.

(l) *Adulter*) Paris est, qui, Helena rapta, bello Trojano causam præbuit; cujus historiam prolixe apud omnes invenias. Dedignata autem est Penelope, nomine proprio eum Paridem, aut Alexandrum appellare; sed præ ira Adulterum vocat, per contumeliam.

(m) *Non ego*) Si scilicet, Paris aquis obrutus esset, neque Helenam rapuisset.

(n) *Tardos*) Illi longa dies videtur, qui aliquid expectat, quemve tædet.

(o) *Lassaret*) Non enim illa, ut tædium ex viri absentia minueret, procosve falleret, tam diu telam texuisset.

(p) *Viduas*) Synecdoche est partis pro toto. Manus viduæ positæ sunt pro Penelope vidua.

(q) *Pendula*) Tela enim ex jugo pendet *Elle est sur le metier.*

(r) *Timui*) Amorem suum a sollicitudine amplificat.

(s) *Hectoreo*) Hector Trojanorum fuit fortissimus, filius Priami, quem Achilles interfecit.

(t) *Pallida*) Id est, *maxime timebam*. Timore enim sanguis ad præcordia retrahitur, unde pallor.

(u) *Antilochum*) Fuit is filius Nestoris. Constat vero illum non ab Hectore, sed a Memnone fuisse confossum. Quare varie hunc locum ex Homero, aliisque emendare conantur. Ego vero cum viris doctissimis, nihil necesse habeo, contra librorum fidem quidquam mutare. De industria enim potuit a Poeta fœmina induci quarundam circumstantiarum ignara, quæ per belli rumores vix unquam satis certo cognoscuntur. Atque ex ignorantia Penelope fides concilietur, & ex perturbatione ejus amor describitur.

An-

Antilochus noſtri (*x*) cauſa timoris erat.
Sive (*y*) Menœtiaden (*z*) falſis cecidiſſe ſub armis,
Flebam ſucceſſu (*a*) poſſe carere dolos.
Sanguine (*b*) Tlepolemus (*c*) Lyciam (*d*) tepefecerat haſtam;
Tlepolemi leto cura novata mea eſt.
Denique, quiſquis erat caſtris jugulatus (*e*) Achivis,
(*f*) Frigidius glacie pectus amantis erat.
Sed bene conſuluit caſto (*g*) Deus æquus amori.
Verſa eſt in cinerem ſoſpite Troja viro.
(*h*) Argolici (*i*) rediere duces: altaria (*l*) fumant:
(*m*) Ponitur ad patrios (*n*) barbara præda Deos.
Grata (*o*) ferunt (*p*) Nymphæ pro ſalvis dona maritis;

INTERPRETATIO.

Antilochus erat cauſa metus noſtri; Seu quis memoraret *Patroclum tectum alienis armis occubuiſſe, querebar fraudes poſſe felici eventu deſtitui.* Si *Tlepolemus calefecerat haſtam* Sarpedonis *Lycii ſanguine ſuo, ſolicitudo mea redintegrata eſt morte Tlepolemi. Tandem quicunque erat trucidatus in caſtris Græcis, cor* mei *Amantis fiebat frigidius glacie. At Deus propitius bene proſpexit amori meo pudico; Troja redacta eſt in favillas marito* meo *incolumi. Duces Græci redierunt; aræ fumant; præda de barbaris appenditur Diis patriis, puellæ portant munera gratum animum teſtantia pro viris ſuis ſervatis;*

NOTÆ.

(x) *Cauſa*) Præ amoris impatientia & timore, ſcilicet. Solemus enim ex communi omnium metu, omnia in nos derivare. Quod quidem ut naturæ & finitæ noſtræ cognitionis & providentiæ, ita & infiniti erga nos ipſos amoris, eſt vitium.

(y) *Menœtiadem*) Patroclus fuit Menœtii filius, Achilli amicitia conjunctiſſimus.

(z) *Falſis*) Cum Achilles, præ ira, quod ſibi Agamemnon Briſeidem rapuiſſet, amplius pugnare nollet, Patroclus, ſeſe Trojanos putans territurum, ejus Herois arma induit: Verum cum in Hectorem incidiſſet, ab ipſo trucidatus eſt. Falſa itaque dicuntur Patrocli arma, quod ejus non eſſent.

(a) *Poſſe*) Scilicet timebat Penelope, ne aliquando Ulyſses, inſignis ille dolorum fabricator, in ſuis fraudibus interciperetur.

(b) *Tlepolemus*) Herculis ex Aſtyoche filius, quem Sarpedon Rex Lyciæ interfecit.

(c) *Lyciam*) Id eſt, *Sarpedonis Lycii*. Lycia vero ad mare mediterraneum, inter Pamphyliam & Cariam, jacet.

(d) *Tepefecerat* Senſus eſt, *Si quis Sarpedonis haſtam in Tlepolemi ſanguine calefactam narraret, metuebam ne Tu Ulyſſe, forte is eſſes quem ille mactaret.*

(e) *Achivis*) *Græcis*; ab Achaia regione ita dictis.

(f) *Frigidius*) Propter metum, qui ſanguinem ad interiora retrahit.

(g) *Deus*) Hymenæus; aut aliquis alius.

(h) *Argolici*) *Græci*, ab Argolide Peloponneſi regione ita dicti.

(i) *Rediere*) Ut Menelaus, Neſtor, ex quo omnia ſe, per filium Telemachum, didiciſse; poſtea agnoſcet Penelope. Cæterum notandum eſt, pleriſque ducibus Græcis fatale & luctuoſum bellum Trojanum fuiſſe, paucoſque incolumes domum revertiſse.

(l) *Fumant*) Ex ſacrificiis & victimis, quæ Diis pro gratiarum actione offeruntur.

(m) *Ponitur*) Solebant enim Veteres Ethnici arma, & hoſtium ſpolia præſertim Diis ſuis in templis appendere & conſecrare.

(n) *Barbara*) Id eſt, *de barbaris Trojanis*; omnes enim, præter ſe, Græci *barbaros* vocitabant.

(o) *Ferunt*) Hæc omnia memorat Penelope, ut Trojæ ruina comprobata, aliarumque Græcarum puellarum lætitia declarata, graviorem & æquiorem ſuam faciat querimoniam.

(p) *Nymphæ*) Id eſt, *novæ nuptæ*, vel potius *juniores*.

Illi victa suis Troia (*q*) fata canunt.
(*r*) Mirantur justique senes trepidæque puellæ:
Narrantis conjux (*s*) pendet ab ore viri.
Atque aliquis posita (*t*) monstrat fera prælia mensa;
Pingit & exiguo (*u*) Pergama tota mero.
Hac ibat (*x*) Simois; hic est (*y*) Sigeia tellus.
Hic steterat Priami regia celsa senis.
Illic (*z*) Æacides: illic tendebat Ulysses.
Hic (*a*) lacer admissos terruit Hector equos.
Omnia namque tuo (*b*) senior, te quærere (*c*) misso,
Rettulerat nato (*d*) Nestor: at ille mihi.

INTERPRETATIO.

ipsi viri *cantant fata Trojana superata a suis fatis. Æqui senes, & postea puellæ timidæ admirantur* ea quæ de bello dicuntur; *uxor affixa est labiis mariti* singula *referentis. Nonnullus etiam ostendit dura certamina super mensa admota, & describit guttula vini totam urbem Trojam.* *Hac*, inquit ille, *Simois fluebat; hic est terra Sigeia; hic erectum fuerat palatium sublime senis Priami. Illic Achilles, illic Ulysses explicabat sua tentoria; hic Hector dilaniatus perculit terrore equos concitatos. Nestor enim senex enarraverat omnia filio tuo jusso te quærere, & ille mihi* retulit,

NOTÆ.

(q) *Fata*) Cum omnia ex ordine fiant fatorum, id est decreti divini, nihil mirum si fata pro ipsis rebus fato præstitutis sumantur, prout fit istud, hoc in loco. At vero hic ordo fatorum, nescio quo, quarumvis rerum concursu, apud Ethnicos, colligabatur. Hæc fuisse dicuntur Trojanorum fata, quibus inexpletis Troja capi non posset. Vita Troili, Priami filii: hunc Achilles mactavit. Conservatio Palladii, id est Palladis simulacri, quod in urbe Trojani habebant, ab Ulysse & Diomede noctu urbem ingressis, cæsis arcis custodibus, exportatum est. Tertio loco fuerunt Rhesi equi, qui ante non caperentur, quam *pabula gustassent Trojæ, Xanthumque bibissent*, ut habet Virgilius: ab iisdem Ulysse & Diomede abducti sunt, ut videbitur postea. Ultimum fuit sepulcrum Laomedontis, quod erat in porta Scæa: atque illud violatum est, cum a Trojanis ipsis diruta est porta, ut equo ligneo via aperiretur.

(r) *Mirantur*) Ea, scilicet, quæ de bello referuntur.

(s) *Pendet*) Id est, *maximo cum studio, auscultat*.

(t) *Monstrat*) Id est, *quasi ad oculum ostendit*, diducta vini guttula, ad cujusque rei situm in tabula designandum.

(u) *Pergama*) Alii Trojam, alii Trojanas arces esse voluerunt. Proprie ut videtur de his dicitur, quanquam & urbs per arces sæpe intelligitur.

(x) *Simois*) Fluvius, vel potius rivulus Agri Trojani: in gen. *Simoentis*.

(y) *Sigeia*) *Campus Trojanus*; a Sigeo Promontorio, ubi sepultus Achilles.

(z) *Æacides*) *Achilles*, Æaci nepos.

(a) *Lacer*) Ita omnino legendum esse, cum doctis viris, censeo; non *alacer*, ut volunt alii. Atque intelligendum istud de Hectore ab Achille circum muros Iliacos raptato; prout refert Virgil.

(b) *Senior*) Quia tres vixit ætates.

(c) *Misso*) A Minerva, quæ formam Mentæ, Anchiali, Taphiorum regis, filii, induerat. Telemachus enim sola nutrice conscia, Pylum, ad Nestorem, & Spartam ad Menelaum, clam matre concessit; quod quidem nunc ab ipsa dissimulatur.

(d) *Nestor*) Pyliorum Rex, Nelei filius, vir summa prudentia clarus.

Ret-

Rettulit & ferro (*e*) Rhesumque (*f*) Dolonaque cæsos:
Utque sit (*g*) hic somno proditus, ille (*h*) dolo.
Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum,
(*i*) Thracia nocturno tangere castra dolo;
Totque simul (*l*) mactare viros, adjutus ab uno!
(*m*) At bene cautus eras, & memor ante mei!
Usque metu micuere sinus; dum victor amicum
Dictus es (*n*) Ismariis isse per agmen equis.
Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis
Ilion; &, (*o*) murus (*p*) quod fuit ante, solum:
Si maneo, qualis Troja durante manebam;
Virque mihi, demto fine carendus, abest?
Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama (*q*) restant;

INTERPRETATIO.

Renuntiavit quoque & Rhesum & Dolona ense percussos, & quomodo alter sopore, alter fraude interceptus fuerit. Non veritus es o nimis, atque nimis negligens tuorum, adire castra Thracia nocturna fraude, & uno sustentatus jugulare conjunctim tot viros. At enim egregie providus eras, & antea mei recordabare! Pectus meum *assidue trepidavit; donec dictus es transiisse victor per castra amica vectus equis Thraciis. Verum quid me juvat Troja diruta vestris brachiis, & terra quæ fuit murus antea, siquidem ego permaneo qualis eram Troja stante; & maritus* meus *absens est, quo nunquam frui liceat? Arces Iliacæ sublatæ sunt pro aliis, supersunt mihi soli.*

NOTÆ.

(e) *Rhesumque*) Rhesus Eionei fuit filius, Rex Thraciæ; qui cum noctu in Priami auxilium venisset, atque adeo extra urbem pernoctare coactus esset, custodibus suis ex itinere fatigatis & somno pressis, ab Ulysse & Diomede deprehensus, ab iisdem in tentoriis oppressus est. Ex quo ejus equi, candore nivali, præsertim vero pernicitate ventis comparandi, ad castra Græcorum abducti sunt.

(f) *Dolonaque*) Fuit. Dolon vir Trojanus, Eumedis filius, qui pactus cum civibus suis, ut sibi in remunerationem Achillis equi darentur, post victoriam, quam animo præsumebat, speculator in castra Græcorum advenit. Verum à Diomede & Ulysse deprehensus est, qui & ipsi speculatum venerant, eaque in parte vigilias curabant. Promissa fuerat ab illis impunitas, siquidem Trojanorum consilia aperiret; ex quo factum de Rheso præcipue, ut indicaverit. Verum digna mercede, quanquam improbe, omnibus ab Ulysse perceptis, jugulatus est.

(g) *Hic*) Rhesus in Tentoriis dormiens. *Hic* pro *alter* positum: Alias *hic* ad proximum refertur.

(h) *Dolo*) Quem Dolon adversus Græcos paraverat, neque enim verisimile est, Penelopen marito proditionem exprobaturam; quam ille admisit in se, cum fidem Doloni datam non servavit.

(i) *Thracia*) *Rhesi Thracii*. Thracia vero Europæ regio est ad maris Ægei Septentrionem: unde nomen adjectivum *Thracius*.

(l) *Mactare*) Non Ulysses, sed Diomedes cædem peregit Rhesi, & duodecim sociorum. Verum marito suo adblanditur Penelope.

(m) *At bene*) Ironia est.

(n) *Ismariis*) *Thraciis*, ab Ismaro monte Thraciæ.

(o) *Murus*) Id est, *Quid mihi prodest, quod muri Trojani solo æquati fuerint?*

(o) *Quod*) In quibusdam legitur, *quo*, in aliis, *qui* autore Heinsio.

(q) *Restant*) Id est; *Eodem sum loco ac si Troja staret, nam tu abes, quasi illa expugnanda sit.*

Incola captivo quæ bove victor (*r*) arat.
Jam seges est, ubi Troja fuit, resecandaque falce,
Luxuriat (*s*) Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virum curvis feriuntur aratris
Ossa: ruinosas occulit herba domos.
Victor abes; nec scire mihi, quæ causa morandi;
Aut in quo (*t*) lateas ferreus (*u*) orbe, licet.
(*x*) Quisquis ad (*y*) hæc (*z*) vertit peregrinam littora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit.
Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos (*a*) Pylon, antiqui (*b*) Neleia Nestoris arva,
Misimus: (*c*) incerta est fama remissa Pylo.
Misimus & (*d*) Sparten. Sparte quoque (*e*) nescia veri,
Quas habitas terras, aut ubi lentus (*f*) abes.
(*g*) Utilius starent etiam nunc mœnia (*h*) Phœbi.

INTERPRETATIO:

quas colonus victor subigit bove rapto. Jam fruges succreverunt ubi Troja stetit, & ex demetendæ falce messoria; solum fœcundatum sanguine Trojano ubertim producit lætas segetes; ossa semitecta virorum. Troum *pulsantur aratris incurvis; gramen tegit domos in ruinam pronas: Victor desideraris, nec possum cognoscere quæ* sit tibi *ratio moræ,* & cunctationis, *aut in qua mundi parte tu durus latites. Quicunque navem exteram admovet ad hæc littora, ille discedit plurima a me de te interrogatus, & tabellæ signatæ meis digitis illi dantur, quas tibi tradat, si saltem te alicubi conspexerit. Nos misimus Pylon, in agros Neleios Nestoris, fama incerta* de te *remissa est nobis* *Pylo. Misimus quoque Spartam; sed Sparta est etiam ignara veri, quæ arva incolis, aut* ubi *tu tardus moraris. Muri ab Apolline extru-*

NOTÆ.

(r) *Arat*) Maxime augetur affectus ista commemoratione.

(s) *Phrygio*) *Trojano*: In Phrygia enim minore, seu Troade stetit Troja.

(t) *Lateat*) Suspicionem & affectum habet vox ista; quasi Penelope undequaque maritum suum quæsierit, ille vero, forte alio amore irretitus, sese occultaverit.

(u) *Orbe*) *Orbis parte*, aut *regione*.

(x) *Quisquis*) Amoris anxietatem & impatientiam ulterius declarat.

(y) *Hæc*) *Nostra*, scilicet, *Ithacensia*.

(z) *Vertit*) Propele. Nautæ enim, cum ad portum perveniunt, puppim in littus convertunt.

(a) *Pylon*) Tres sunt in Peloponnesi parte occidua. Utra vero fuerit Nestoris quamvis ambigitur, plerique tamen, eam quæ jacet in medio aliarum, ad meridiem fluminis Alphæi, esse volunt.

(b) *Neleia*) *In quibus Neleus regnavit*. Voces vero istæ *Neleia arva*, per appositionem cum voce *Pylon* junguntur.

(c) *Incerta*) id est, *Nihil certi de Te ex Nestore didicimus*.

(d) *Sparten*) Sparta seu Lacedæmon Regia fuit Menelai, de qua jam supra.

(e) *Nescia*) *Nescit Menelaus ubinam tu sis*.

(f) *Abes*) Scripturam hanc minus Latinam dicit Heinsius. Quamobrem non video Pro *abes* mallet ille *agas*, quod in chartaceo esse dicit Scriverii; reposito tamen *habites*, pro *habitas*, ut in uno Mediceo extare idem testatur.

(g) *Utilius*) Propter id, quod addit postea, *scirem ubi pugnares*, &c.

(h) *Phœbi*) Fabula est Phœbum seu Apollinem & Neptunum, mercede promissa, Laomedonti Trojanorum Regi, muros ædificavisse. Troja itaque per Apollinis muros intelligenda.

Ira-

Irascor (i) votis heu levis ipsa meis!
(k) Scirem ubi pugnares; & tantum bella timerem;
Et mea cum multis (l) juncta querela foret.
Quid timeam (m) ignoro: timeo tamen omnia demens;
Et (n) patet in curas area lata meas.
Quæcunque æquor habet, quæcunque pericula tellus;
Tam longæ causas (o) suspicor esse moræ.
(p) Hæc ego dum stulte meditor, (quæ (q) vestra libido est)
Esse peregrino (r) captus amore potes.
(s) Forsitan & narres, quam sit tibi rustica conjux;
Quæ tantum lanas non sinat esse rudes.
(t) Fallar, & hoc crimen tenues (u) vanescat in auras;
Neve revertendi liber abesse velis.
Me Pater Icarius (x) viduo discedere lecto
(y) Cogit, & immensas increpat usque moras.

INTERPRETATIO.

Hi nunc adhuc commodius pro me essent ere. Hi s heu, ego incostans succenseo votis meis. Manifestum esset mihi quo in loco militares, si Troja staret: *& reformidarem tantum prælia; & querimonia mea esset communis cum multis.* Nunc, *nescio quid reformidare debeam; attamen insana cuncta reformido, & campus vastus apertus est meis sollicitudinibus. Conjicio omnia discrimina quæ mare, & terra habet, esse in culpa tam longæ cunctationis. Quando ego hæc incaute volvo animo (quæ vestra est protervia) tu potes esse irretitus amore extero. Fieri etiam potest ut fabuleris quam inculta sit tibi uxor, quæ modo non patiatur lanas rudes. Utinam decipiar, & hæc criminatio in auras subtiles discerpatur; neve cupias esse foris, data potestate redeundi. Icarius pater* meus *me urget deserere lectum marito destitutum, & indesinenter arguit immoderatas tuas moras,*

NOTÆ.

(i) *Votis*) Scilicet Penelope, priusquam Troja eversa esset, ut id brevi fieret, optabat; quo citius maritus suus domum reverteretur.

(k) *Scirem*) Si etiamnum Troja staret, scilicet.

(l) *Juncta*) Plurimis vero de causis magno est solatio miseriarum societas, mulierculis præsertim; plebique, non cordato viro.

(m) *Ignoro*) *Postquam deleta est Troja,* scilicet, *nec scire possum ubi tu sit.*

(n) *Patet*) Id est, *Innumera sunt quæ ego pro te timeo: quæque me sollicitam faciunt.*

(o) *Suspicor*) Id est, *Suspicor te in quodlibet discrimen incidisse.*

(p) *Hæc*) *Dum stulte ego de te sum maxime sollicita,*

(q) *Vestra*) Minus invidiosum est, quam si dixisset *tua*. Etiam credibilius est, quod multi factitant, ab Ulysse quoque factum fuisse.

(r) *Captus*) ad Ulyssis amores alludit; qui cum Circe & Calypso dicitur consuevisse.

(s) *Forsitan*) Affectus maxime movet hæc suspicio.

(t) *Fallar*) Id est, *Ne sit istud quod suspicata sum.*

(u) *Vanescat*) *Nihil sit.*

(x) *Viduo*) *A te derelicto.* Id est, *vult pater ut alteri nubam.*

(y) *Cogit*) Pro jure paterno; nam patris voluntas puellis, hac in parte præsertim, ubi eas non habent admodum reluctantes, pro lege habetur.

Increpet usque licet : tua sum ; tua dicar oportet :
Penelope conjux semper Ulyssis ero.
Ille tamen pietate mea precibusque pudicis
(z) Frangitur, & vires temperat ipse suas.
(a) Dulichii, (b) Samiique, & quos tulit alta (c) Zacynthos,
(d) Turba, ruunt in me, luxuriosa, proci :
Inque tua (e) regnant, nullis prohibentibus, aula.
(f) Viscera nostra, tuæ dilaniantur opes.
Quid tibi (g) Pisandrum, Polybumque, (h) Medontaque (i) dirum;
(k) Eurymachique avidas (l) Antinoique manus,
Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
Ipse tuo partis sanguine rebus alis?
(m) Irus egens, pecorisque (n) Melanthius actor edendi,

INTERPRETATIO.

Quamvis indesinenter arguat, sum tua; opus est ut ego vocer tua. Penelope semper ero uxor Ulyssis. Interim pater flectitur pietate mea, & precibus castis: & ipse minuit vim suam. Proci Dulichii, & Samii, & quos produxit Zacinthus eminens, agmen libidine excitum, cum impetu in me concurrunt, & imperium in tua regia obtinent, nemine impediente; divitiæ tuæ, præcordia nostra dilacerantur. Quorsum tibi nominem Pisandrum, & Polybum, & crudelem Medonta, & manus rapaces Eurymachi & Antinoi, atque alios, quos cunctos tu absens nutris, non sine tuo dedecore, bonis acquisitis sanguine tuo? Irus mendicus & Melanthius qui agit nostros *greges, ut comedantur,*

NOTÆ;

(z) *Frangitur*) *Flectitur; ita ut minus instet, minusque me ad aliud conjugium compellat.*

(a) *Dulichii*) Dulichium insula est una ex Echinadibus, Peloponneso ab occasu adjacens.

(b) *Samiique*) Samos vel Samus, nomen est plurium insularum. Hic vero de ea agitur quæ Ithacæ adjacet, Cephalenia communiori nomine appellata, ubi etiam urbs fuit Same.

(c) *Zacynthos*) Insula est juxta Cephaleniam, ad meridiem.

(d) *Turba*) *Proci turba*, Appositio est. Hinc vero 24. Inde plures procaciter Penelopen appetiverunt; nam nihil attinet ejusmodi nugas accurate recensere.

(e) *Regnant*) Valde est istud invidiosum, quodque Ulyssem possit male urere, domumque reducere.

(f) *Viscera*) *Opes viscera*, iterum appositio. Sunt certe equidem opes viscera, quando ex natura intelliguntur, siquidem per eas vita quotidie recreatur.

(g) *Pisandrum*) Nonnullos invidiosissime nominat, ad fidem etiam faciendam.

(h) *Medontaque*) Hic præco fuit.

(i) *Dirum*) Hunc locum nonnulli sollicitant, quod dirus non videatur, cui fere uni ob minora delicta Ulysses pepercit. Verum præterquam quod nihil necesse est *dirum* exponere *crudelem*, cum pro *magno* etiam a Virgilio usurpetur, fieri potest ut hic Medon, erga Penelopen, ex amore mansuetus, in alios dirus & crudelis fuerit. Vel forte etiam ex obscœno & truculento hominis vultu; ita eum Penelope vocitavit.

(k) *Eurymachique*) Hic erat quem Penelope iratius destinabat. Qui vero fuerint isti nebulones, quos vocat Horatius, parum interest cognoscere.

(l) *Antinoique*) Fuit hic cum Eurymacho procus ex primoribus.

(m) *Irus*) Ithacensis mendicus, corpore vastus, sed nullis viribus, utpote quem Ulysses pugno mactavit. Pathos vero est a personæ humilitate.

(n) *Melanthius*) Fuit hic Ulyssis ovium Magister, qui pinguissimas quasque in procorum epulas ad lanienam agere solebat.

Ulti.

Ultimus accedunt in tua damna (*o*) pudor.
Tres sumus imbelles numero; sine viribus uxor,
Laertesque senex, (*p*) Telemachusque puer.
Ille (*q*) per insidias pæne est mihi nuper ademtus;
Dum parat (*r*) invitis omnibus ire Pylon.
Di precor hoc jubeant, ut, euntibus (*s*) ordine fatis.
Ille meos oculos (*t*) comprimat, ille tuos.
Hoc faciunt custosque boum longævaque nutrix;
Tertius, immundæ (*u*) cura fidelis haræ.
(*x*) Sed neque Laertes, ut qui sit (*y*) inutilis armis,
(*z*) Hostibus in mediis regna tenere valet.
Telemacho (*a*) veniet (vivat modo) fortior ætas;
Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.

INTERPRETATIO.

postremum dedecus, accedunt in tua damna. Tres sumus numero, bello inepti, conjux destituta viribus, Laertes senex, & puer Telemachus. Atque *ille est propemodum mihi per dolum nuper ereptus, dum conatur ire Pylon, cunctis renitentibus. Precor ut Dii hoc velint, ut fatis secundum ordinem procedentibus, ille claudat meos oculos, ille claudat tuos. Bubulcus* noster, *& vivax nutrix* tua, *& tertius custos sedulus suilis, idem vovent: Sed neque Laertes, ut qui sit ineptus ad arma potest imperium tenere inter hostes medios. Ætas præstantior adeeit Telemacho, (si vivat) nunc illa erat adjuvanda tutela patris.*

NOTÆ.

(o) Pudor) *Irus & Melanthius pudor*, Appositio: Id est, *qui per fortis suæ ignobilitatem maximo sunt sibi decori*.

(p) *Telemachusque*) Filius Ulyssis.

(q) *Per insidias*) Quas molitus est Antinous: proci ad Nestorem eunti Telemacho paraverunt; quasque ille Palladis ope & numine effugit.

(r) *Invitis*) Fabula est Telemachum suasu Palladis, ivisse de Patre sciscitatum, atque id illum clam habuisse, nemine, præter nutricem, conscio. Igitur, vel Penelope mentita est supra, cum dixit, se misisse ad Nestorem, si de filio intellexerit: Vel si id minus per τὸ *omnibus* proci tantum erunt intelligendi, qui, ne ille aliquid adversus ipsos machinaretur, reformidarent. Quod si historiæ fidem servatam esse supponas per τὸ *invitis* nescientes interpretaberis, tum matrem, tum procos; quod quidem ex Telemachi voto & opinione dictum fuerit, utcumque postea proci discessum ejus suboluerint, deinde etiam eidem insidias struxerint. Verum, ut quod ego sentio, libere dicam, non necesse arbitror tam anxie ex Homero leges ponere Nasoni, multo minus Penelope, vel si id adeo, nihilominus de industria crediderim ita attemperatam fuisse a Poeta Penelopes orationem, ut cum eam rem, de qua loquimur, dubiam relinquat; utcumque vel gnati pietatem Ulysses, vel uxoris diligentiam laudet. Atque hinc, tum conjugales, tum paterni, in animi fluctuatione majores, moveantur affectus.

(s) *Ordine*) Ita ut majores natu priores e vivis tollantur.

(t) *Comprimat*) Qui erant genere proximi mortuorum claudebant oculos. Quanquam autor est Varro, apud Nonium, ne filii parentibus in obitu oculos sugillarent, id est clauderent, (ut Nonius exponit) lege Mævia cautum fuisse.

(u) *Cura*) Id est, *qui curat*. Metonymia est, quæ vim maxime auget orationis.

(x) *Sed neque*) Festinat ad conclusionem Penelope.

(y) *Inutilis*) Quia senex. Imo in quibusdam legitur, *Inutilis annis*.

(z) *Hostibus*) Procis scilicet. Hac voce autem Penelopes fidus amor commendatur.

(a) *Veniet*) Id est, *Non jam ille potest tot hostes depellere: adeoque necessarium est ut tu, Ulysse, venias.*

Noc

Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis.
Tu citius venias, (*b*) portus & ara tuis.
Est tibi, sitque precor, natus; qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.
(*c*) Respice Laerten, ut jam sua lumina (*d*) condas:
Extremum fati (*e*) sustinet ille diem.
Certe ego, quæ fueram te discedente puella,
(*f*) Protinus ut redeas, facta videbor anus.

INTERPRETATIO.

Nec vires adsunt: quibus arceam hostes a nostris ædibus; tu redeas celerius, quippe qui portus sis & altare tuis. Habes, precor ut habeas, filium, qui erat instituendus tenera ætate, in virtutes paternas. Vide Laerten, ut jam claudas suos oculos; ille trahit postremum diem fati. Ego quæ eram adolescentula, cum profectus es, tibi haud dubie videbor vetula, utcumque properes.

NOTÆ.

(b) *Portus*) Id est, *Qui nobis omnia tuta facias.*
(c) *Respice*) Vox est misericordiæ.
(d) *Condas*) *Oculos claudas*, de more, ut supra.
(e) *Sustinet*) Id est, *Vix animam retinet, ut te semel adhuc videat.*
(f) *Protinus*) Id est, *Indesinenter*. Gall. *Tout de suite, sans vous arrester nulle part.*

EPISTOLA SECUNDA

ARGUMENTUM.

Demophoon, Thesei & Phædræ filius, a bello Trojano in Patriam rediens, maris tempestatibus in Thraciam delatus, a Phyllide, Lycurgi & Crustumenæ filia (quæ tunc Thraciæ imperabat) hospitio & lecto benigne susceptus est, cum qua aliquandiu consuevit. Audita deinde morte Mnesthei, qui post ejectum Athenis patrem Thesea, imperium occupaverat, regni cupidine captus, Phyllidi fidem dat se intra mensem rediturum, confingens ad res componendas se suas ire. Mox refectis navibus Athenas petiit, nec redire cogitat. Quatuor igitur exactis mensibus, Phyllis ad eum hanc epistolam scripsit, qua suadet, uti beneficiorum memor, fidem datam non fallat: quod si aliter fecerit, violatum amorem crudeli se morte vindicaturam minatur.

PHYLLIS DEMOPHOONTI

HOspita, Demophoon, tua te (*a*) Rhodopeia Phyllis
Ultra promissum tempus abesse queror.
(*b*) Cornua cum Lunæ pleno semel orbe coissent,
Littoribus nostris anchora pacta tua est.

INTERPRETATIO.

DEmophoon; ego *Phyllis Thracia, tua hospita: conqueror te desiderari ultra tempus assignatum. Anchora tua promissa est a te nostris littoribus, postquam cornua Lunæ concurrissent semel pleno orbe;*

NOTÆ.

(a) RHodopeja) *Thracia*, a Rhodope monte Thraciæ.
(b) *Cornua*) Id est *post mensem*. Eo enim temporis spatio evenit, ut Lunæ utrumque cornu, tum decrescentis, tum crescentis, in novum orbem concurrat.

Lu-

Luna (*c*) quater latuit; toto quater orbe recrevit;
(*d*) Nec vehit (*e*) Actæas (*f*) Sithonis unda rates.
Tempora si numeres, bene quæ numeramus, amantes;
(*g*) Non venit ante suum nostra querela diem.
(*h*) Spes quoque lenta fui (*i*) tarde, quæ credita (*k*) lædunt,
(*l*) Credimus: (*m*) invita nunc & amante (*n*) nocent.
Sæpe (*o*) fui mendax pro te mihi: sæpe putavi
Alba procellosos vela referre (*p*) notos.
(*q*) Thesea devovi, quia te dimittere (*r*) nollet;
Nec tenuit (*s*) cursus forsitan ille tuos.
Interdum timui, ne, dum vada tendis ad (*t*) Hebri,
Mersa foret (*u*) cana naufraga puppis aqua.
Sæpe Deos supplex, ut tu, scelerate, valeres,
Sum prece thuricremis devenerata focis.

INTERPRETATIO.

Interim *Luna quater recessit, ea quater renovata est toto orbe; nec mare Thracium reducit naves* tuas *Athenienses. Si numeres dies quos nos amantes bene numeramus, nostra* de te *querimonia non exoritur ante suum tempus. Spes quoque* nostra *longior fuit; sero credimus* ea, *quę credita* nos *cruciant, & jam coactæ amanti officiunt. Sæpe mentita sum mihi pro te, sæpe credidi austros procellosos reducere* tua *vela candida. Male sum precata Theseo quod tibi redeundi potestatem non faceret, neque ille forsan reditum tuum prohibuit. Quandoque reformidavi, ne, dum pergis ad vada Hebri, navis* tua *naufragium passa, esset submersa aqua alba. Sæpe ego supplex adoravi Deos ad altaria, ubi thus crematur, & precibus petivi, ut tu sceleste prospera valetudine fruereris.*

NOTÆ.

(c) *Quater*) Id est, *Quartus est mensis.*

(d) *Nec vehit*) Id est, *Tu non redis.* Frequentiores sunt istæ figuræ, quam ut eas annotare opus sit.

(e) *Actæas*) Id est *Atticas, Athenienses* Demophoontis: A Græco ἀκτὴ, quod Attica Regio littoralis, & undis fracta sit.

(f) *Sithonis*) Thracia; a vetusto nomine *Sithon*, quo appellatam fuisse Thraciam refert Gellius.

(g) *Non venit*) Omnino; siquidem post exactum primum mensem poterat Phyllis Demophoonti promissa oggerere.

(h) *Spes* Idest, *Diu etiam speravi te, venturum.*

(i) *Tarde* Sero credidit Phyllis Demophoonta deceptorem esse, qui non rediret. Citius istud animo sedisset, ipsum hospitio & lecto non communicasset, vel saltem communicatum non dimisisset.

(k) *Lædunt*) Postquam se ludificatam esse non credit modo, sed certo sentit.

(l) *Credimus*) pessime istud exposuerunt *Te venturum speramus*: Imo contra *Credimus te non venturum, te deceptorem esse.*

(m) *Invita*) *Non libens queror, sed amor cogit* interpretantur. Nihil ad rem. Fatetur Phyllis se amare, quanquam potius deceptorem optaret odisse, & id tantum.

(n) *Nocent*) Nocet omnino amanti, huic homini credidisse quem amat, cum sese ab eo derelictam sentit.

(o) *Fui mendax*) *Multis mentita sum* exponunt; *adeoque mihi postea dicam.* Oscitanter. *Sibi* mentitam hoc ipso versu Phyllis ait. Scilicet ipsa quælibet excogitavit, quæ Demophoonta remorari sibi persuasit.

(p) *Notos*) Notus ventus a meridie spirans, iis secundus qui ex Attica in Thraciam navigant.

(q) *Thesea*) *Patrem tuum, quem ego credidi retinere te; cum nullus rediret.*

(r) *Nollet*) *Prout equidem tunc conjiciebam*, adde.

(s) *Cursus*) *Tuum iter, tuam navigationem*; optime.

(t) *Hebri*) Fluvius est Thraciæ.

(u) *Cana*) *Alba*; ex agitatione, & aeris permixtione.

Sæpe

Sæpe videns ventos cœlo pelagoque faventes,
Ipſa mihi dixi; *Si valet, ille venit*.
Denique fidus amor, quicquid properantibus obſtat,
(*x*) Finxit; & ad (*y*) cauſas ingenioſa fui.
(*z*) At tu lentus abes: nec te jurata (*a*) reducunt
Numina; nec noſtro motus amore redis.
(*b*) Demophoon, ventis & (*c*) verba & vela dediſti.
Vela queror reditu, verba carere fide.
Dic mihi quid feci; (*d*) niſi non ſapienter amavi?
(*e*) Crimine te potui demeruiſſe meo.
Unum in me ſcelus eſt; quod te, ſcelerate, recepi.
Sed ſcelus hoc meriti pondus & inſtar habet.
(*f*) Jura, fides, ubi nunc, commiſſaque (*g*) dextera dextræ?
Quique erat in falſo plurimus ore (*h*) Deus?
Promiſſus ſocios ubi nunc (*i*) Hymenæus in (*k*) annos,
Qui mihi conjugii ſponſor & obſes (*l*) erat?

INTERPRETATIO.

Sæpe cum cernerem ventos mari & cœlo propitios, ego mihi dixi, Si illi bene eſt, redit. *Denique fidelis* meus *amor excogitavit quicquid remoratur feſtinantes; & fui callida ad fingendum cauſas* tuæ retardationis. *At tu tardus abſens es; nec Dii per quos jurasti, te reducunt; nec reverteris impulſus amore noſtro. Demophoon, commiſiſti ventis dicta & vela: ego conqueror vela carere recurſu, dicta carere* fide. *Dic mihi quid admiſi, niſi quod incaute amavi? Potui te obſtrinxiſſe flagitio meo. Unum eſt in me flagitium, quod te excepi, ſcelerate: ſed ex genere flagitii te demeruiſſe debueram. Ubi ſunt nunc jura, ubi fides, & manus juncta manui, & multus deus qui erat in ore* tuo *perjuro? Ubi nunc Hymenæus pactus in annos* noſtros *conjunctos, qui erat mihi ſponſor & obſes connubii?*

NOTÆ.

(x) *Finxit*) *Ad tui excuſationem.*

(y) *Cauſas*) *Quibus iter tuum impeditum fuerit.*

(z) *At tu lentus*) Affectus maxime movet, hoc in loco poſita iſta accuſatio.

(a) *Reducunt*) Non de Diis, ſed de Demophoonte queritur, qui Deorum, quos perjurio violavit, iram contemnit.

(b) *Demophoon*) Si ego aliquid video, non tam ſtomachationem habet hæc denominatio, ut volunt, quam amoris intimum ſenſum & mollitiem exprimit.

(c) *Verba*) *Verba dare ventis*, eſt quidem *verba in vanum fundere*, uti exponunt: ſed ſimpliciter & ſine interpretatione, hoc in loco, hæc phraſis eſt intelligenda.

(d) *Niſi non*) Clariſſimus Heinſius vel invitis libris, *ſi non*, &c. reponit. Quamobrem non potui divinare; ſenſus enim optimus eſt, quem facit lectio recepta. Gallice diceres, *Qu'ay-je fait, ſi ce n'eſt de vous avoir aimé ſans aucune precaution?*

(e) *Crimine*) Id eſt *Ea re quod te amavi non ſapienter, & ſine diffidentia, tu ſimplicitate mea ad ſervandam fidem adduci debuiſſes.* Veriſſime. Nam bis quidem nequiter facit qui & fallit, & fidentem fallit.

(f) *Jura*) *Hoſpitii, Connubii.* Iſtud eſt quod Gallice per exprobrationem dicimus, *Où eſt le droit, Où eſt la foy*, &c.

(g) *Dextera*) Quæ hodieque fidei eſt ſymbolum.

(h) *Deus*) *Cupido*, ut volunt; vel potius, *plurimus Deus*, omnes Deos ſignificat per quos Demophoon jurabat; quos & poſtea Phyllis recenſet.

(i) *Hymenæus*) Nuptiarum Deus.

(k) *Annos*) Anni dicuntur ſocii qui a conjugibus in vita ſociali & conjuncta, prout decet, exiguntur.

(l) *Erat*) *Eſſe debuerat.* Vult tantum Phyllis ſanctiſſimas & inviolabiles matrimonii leges, adverſus Demophoonta proferre.

Per

Per mare, quod totum ventis agitatur & undis;
Per quod sæpe ieras, per quod iturus eras:
Perque tuum mihi jurasti (nisi (m) fictus & ille est)
Concita qui ventis æquora mulcet, (n) avum;
Per Venerem, nimiumque mihi facientia tela,
Altera tela arcus, altera tela (o) faces:
(p) Junonemque, toris quæ præsidet alma maritis,
Et per (q) tædiferæ (r) mystica sacra Deæ.
Si de tot (ſ) læsis sua (t) numina quisque Deorum
Vindicet; (u) in pœnas non satis unus eris.
(x) At laceras etiam puppes furiosa refeci:
Ut, qua desererer, (y) firma carina foret.
Remigiumque dedi, quo me (z) fugiturus (a) abires.
Heu patior telis vulnera facta (b) meis!

INTERPRETATIO.

Jurasti mihi per mare totum, quod movetur ventis & undis, per quod sæpe cucurreras, per quod volebas currere, & per tuum avum (nisi & ille est falsus) qui temperat maria turbata ventis. Jurasti *per Venerem; & tela nimis ad me spectantia, per arcus tela altera, per faces tela altera; & per Junonem quæ alma præest lectis maritalibus, & per sacra mystica Deæ tædiferæ. Si unusquisque Deorum de tot violatis ultum eat sua numina, tu solus non poteris ferre* omnes *pœnas. At ego insana etiam restitui naves fractas, ut carina, qua ego destituerer esset tuta. Atque ego dedi remigium quo a me discessurus proficisceeris: heu fero plagas impactas telis meis!*

NOTÆ.

(m) *Fictus*) Id est, *nisi tu falso, ut multa alia mentitus es, tuum esse avum aut proavum Neptunum dictitasti, vel falso te Theseo & Ægeo ortum prædicasti.*

(n) *Avum*) *Ægeum*; quem in deum marinum transmutatum fuisse Poetæ fabulantur, cum se in mare præcipitem dedisset: quo etiam alludere videtur Ovidius. Vel Avum, Ægei patrem, pro proavo, Neptuno scilicet, posuit, quod aliis placet.

(o) *Faces*) Sagittæ & faces tela sunt Cupidinis; Non enim tantum sagittis ferire, sed etiam face incendere dicitur. Ita Ovid. postea in Metamorph. sed & eadem Veneri tribuuntur.

(p) *Junonemque*) Juno Saturni filia, Jovis & soror & conjux, quæ nubentibus (unde pronuba) & parturientibus (unde Lucina) præsidere dicta est.

(q) *Tædiferæ*) Cereris Eleusiniæ, cujus sacra cum tædis fiebant; ad ejus rei memoriam quod ipsa Proserpinam filiam, a Plutone raptam, noctu etiam, accensis in Ætna monte tædis, toto orbe quæsiisset.

(r) *Mystica*) Nocturna & occulta, Sacerdotibus tantum cognita, quæque quam occultissimis cæremoniis peragerentur.

(ſ) *Læsis*) Perjurio: Vix enim eo major esse possit Dei contemtus.

(t) *Numina*) Per *Numina*, varias intellige Deorum potestates; siquidem ab Ethnicis huic & illi Deo, hæc & illa attributa sunt, quibus præessent; unde & quandoque varia nomina sortiebantur.

(u) *In pœnas*) *Ferendas* scil. Id est, *Tu pœnis obrutus nequaquam Deorum iræ sufficere poteris.*

(x) *At laceras*) Magnum habet dolorem hæc recordatio.

(y) *Firma*) Contra maris & ventorum impetum.

(z) *Fugiturus*) Invidiosa. Non fuit discessus sed fuga.

(a) *Abires*) Quanto cum dolore & affectu verbum istud extulit.

(b) *Meis*) Quia laceras naves refecerat, quibus Demophoon fugeret. Metaph. ab armis, quæ aliquando adversus nos ipsos præbemus.

(c) *Cre-*

(c) Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis:
Credidimus (d) generi, nominibusque tuis:
Credidimus lacrymis, (e) an & hæ simulare docentur?
Hæ quoque habent (f) artes, quaque (g) jubentur, eunt?
Dis quoque (h) credidimus. (i) quo jam tot pignora nobis?
Parte satis potui qualibet inde capi.
Nec (k) moveor, quod te juvi portuque locoque.
(l) Debuit hoc meriti summa fuisse mei.
Turpiter hospitium lecto cumulasse jugali
Pœnitet, & lateri conseruisse latus.
Quæ fuit ante (m) illam, mallem suprema fuisset
Nox mihi; dum potui Phyllis honesta mori.
Speravi (n) melius, quia me meruisse putavi.
Quæcumque ex merito spes venit, (o) æqua venit.
Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria, simplicitas digna favore fuit.

INTERPRETATIO.

fidem habuimus illecebrosis sermonibus, quibus abundas; credidimus stemmatibus tuis, *& tuis nominibus: credidimus lacbrymis; an & hæ instituuntur ad fraudem? an hæ quoque habent dolos, & fiunnt quæ imperantur? Credidimus etiam Diis. Quorsum* vero *jam nobis tot pignora? Potui satis qualibet parte intercipi. Nec curo, quod tibi profui & portu & loco; hoc debuit esse omne meum officium. Pœnitet me adjecisse hospitio lectum maritalem, & junxisse latus lateri. Mallem noctem, quæ fuit ante illam, fuisse mihi ultimam, dum potui mori Phyllis pudica. Speravi melius, quia credidi me meruisse; quæcumque spes oritur ex merito, justa est. Non est difficilis gloria decipere puellam fidentem; simplicitas* mea *fuit digna favore.*

NOTÆ.

(c) *Credidimus*) Maximo est solatio malum pati, quod nos culpa nostra non arcessivimus. In eo est Phyllis, ut consilia sua approbet, illudque excuset quod simplicitate peccavit, in Demophoontis perfidiam culpa rejecta.

(d) *Generi*) Id est, *Cum tu Diis satus esses, ex te tantam ortum iri perfidiam non suspicabar.*

(e) *An & hæ*) Id est, *An aliquis etiam potest animum ad lacbrymas fictas instituere?* Vult ea re Phyllis se se & suam credulitatem maxime excusare.

(f) *Artes*) Prope idem est quod ante dixit. Gallice diceremus, *L' artifice peut il bien aller jusques à feindre des larmes.*

(g) *Jubentur*) *Ita ut de causa qualibet lacbrymas quisquam possit effundere.*

(h) *Credidimus*) Istud optime, nam sicuti numinis sui vindices, ita & videntur Dii earum rerum sponsores quæ, ipsis citatis, promittuntur. Quin suo modo suum & istud locum habet, ubi de vero Deo ter opt. max. agitur.

(i) *Quo*) Innuit se plura, quam sit opus, congerere, ut Demophoontis perfidiam, causam faciat suorum, si quæ sint, delictorum; illumque ultra quam sit satis dedisse veri amoris quibus fidendum esset testimoniorum.

(k) *Moveor*) Id est, *Non illud me urit: Non ejus rei pœnitet.* Nimirum potuit ex humanitatis affectu Phyllis extorrem patria Demophoontem hospitio excipere.

(l) *Debuit*) Jam ex eventu se ipsam quodammodo accusat, atque istud tantum ut pœnitentiæ dolorem exacuat. Neque vero Phyllidis mens est suam culpam facere.

(m) *Illam*) *Qua latus lateri conserui.* Sed multus est in ista reticentia & impetus & lepos.

(n) *Melius*) *Demophoontem* scilicet *sponsum fore firmum.*

(o) *Æqua*) Adeoque nec ipsa stulte aut sine ratione speravit.

Sunt

Sum decepta tuis & *(p)* amans & fœmina verbis.
Di faciant, laudis *(q)* summa sit ista tuæ.
Inter & *(r)* Ægidas media *(ſ)* statuaris in urbe:
Magnificus *(t)* titulis *(u)* stet pater ante suis.
Cum fuerit *(x)* Scyron *(y)* lectus, torvusque *(z)* Procrustes,
Et *(a)* Sinis, & tauri mistaque *(b)* forma viri;
Et domitæ bello *(c)* Thebæ, fusique *(d)* bimembres.
Et pulsata nigri *(e)* regia cæca Dei;
Hoc tua post *(f)* illum titulo signetur Imago:
HIC EST, cujus AMANS *(g)* HOSPITA CAPTA DOLO EST.

INTERPRETATIO.

Et amanti, & fœmina imposuerunt tua verba; Dii faciant ut sit ista omnis laus tua: Et collocerit inter Ægei posteros in urbe media; Statua patris tui *titulis magnifici stet coram. Cum Scyron fuerit lectus, & crudelis Procrustes, & Sinis, & forma confusa viri* simul *& tauri, & Thebæ bello subactæ, & Centauri fugati, & regia atri Dei per vim intrata; post illum imago tua notetur hoc elogio;* HIC EST cujus FRAUDE HOSPITA AMANS DECEPTA EST.

NOTÆ.

(p) *Amans*) *Credula res amor est*, ut postea dicet Ovid.

(q) *Summa*) Id est, *In eo posita sit omnis laus tua*, quæ nulla est.

(r) *Ægidas*) *Ægei posteros*.

(ſ) *Statuaris*) *Ex statua repræsenteris*.

(t) *Titulis*) *Nominibus magnificis, & rerum gestarum inscriptione*.

(u) *Stet*) *Statua patris posita sit juxta tuam*.

(x) *Scyron*) Latro fuit insignis, circa Megaram latrocinia sua exercens, quem Theseus interfecit.

(y) *Lectus*) In Thesei titulis, propter egregii facti memoriam.

(z) *Procrustes*) Alius latro, quem Theseus in Attica viatoribus insidiantem, fortiter superavit. Hunc volunt obvios quosque lectum quendam conscendere coegisse, longiores amputare solitum, breviores trahere, donec cum lecto æquarentur.

(a) *Sinis*) Hic in Isthmo Corinthiaco alligatos curvatis arboribus homines, in diversa trahebat, & discerpebat.

(b) *Forma*) Subtilis est Minotauri circumscriptio, quem labyrintho inclusum Theseus sustulit. Forma vero ejus mixta dicitur, quod partim hominis, partim tauri membris eum produxisset mater Pasiphae Minois uxor, postquam Dædali ope cum tauro concubuisset. Prolixe fabulam istam apud Mythologos, & ejus explicationem invenies, dum alii ad Taurum Minois ducem, alii ad navem, alii ad alia referunt.

(c) *Thebæ*) Plures fuerunt eo nomine urbes. Hic vero de Bœoticis agitur; in quibus subruendis Thesei virtus maxime emicuit.

(d) *Bimembres*) Centauri, Junonis, vel potius nubis & Ixionis filii; quos Theseus & Lapithæ, quod illi in Pirithoi nuptiis, tum Hippodamiæ sponsæ, tum aliis fœminis vim facere vellent, partim interfecerunt, partim fugaverunt. *Bimembres* vero dicti sunt quod superne homines, inferne equi essent. Quarum & id genus fabularum explicationem vide apud Mythologos, quorum verba huc frustra transcriberemus.

(e) *Regia*) Plutonis aula nigra, quam in Pirithoi gratiam, ut ei in conjugem Proserpinam raperet, intravit. Quanquam istud in amici gratiam ausum fuisse Theseo audaciæ tantum apponendum: namque ille in inferis, Pirithoo a Cerbero cane intercepto, male multatus est, donec ab Hercule liberatus fuit.

(f) *Illum*) *Patrem tuum Theseum*. Gall. *Qu' après qu' on aura vu vostre pere, & tout ses eloges*, &c.

(g) *Hospita*) In quinque libris *hospite* scriptum esse testatur clar. Heinsius; ut hic idem, quod in Helenes epistola, innuat,

Certus in hospitibus non est amor.

Verum potior est lectio altera.

(h) De

(*h*) De tanta rerum turba, factisque parentis,
(*i*) Sedit in ingenio (*k*) Cressa relicta tuo.
Quod solum excusat, solum (*l*) miraris in illo.
Heredem patriæ, perfide, fraudis (*m*) agis.
Illa (nec invideo) fruitur meliore marito;
Inque capistratis (*n*) tigribus alta sedet.
At mea despecti fugiunt connubia Thraces,
Quod (*o*) ferar externum præposuisse meis.
Atque aliquis, *Doctas jam nunc eat*, (*p*) inquit, (*q*) *Athenas:*
Armiferam Thracen, qui regat, alter erit.
(*r*) *Exitus acta probat.* (*ſ*) careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta (*t*) notanda putat.
(*u*) At si nostra tuo spumescant æquora remo,
Jam mihi, jam dicar consuluisse meis.
(*x*) Sed neque consului: nec te mea regia (*y*) tangit,
Fessaque (*z*) Bistonia membra (*a*) lavabis aqua.

INTERPRETATIO.

Cretensis Ariadne deserta mansit in animo tuo, de tanta copia rerum & gestis patris. Suspicis in illo illud unum, quod unum excusat. Perfide, te facis hæredem doli paterni. Illa (nec liveo) gaudet meliore marito, & sublimis sedet in tigribus frenatis. At Thraces contemti aversantur meum conjugium quia ego dicor prætulisse peregrinum meis. Atque aliquis dicit: Proficiscatur jam nunc doctas Athenas; alter erit, qui imperet Thraciæ bellicosæ, Eventus probat facta. *Cupio careas læto exitu, quicumque putat acta vituperanda ab eventu. At si maria nostra albicent tuo remo, tum dicar prospexisse mihi & meis. Sed neque prospexi, neque mea aula te movet, neque lavabis lassos artus aqua Thraciæ.*

NOTÆ.

(h) *De tanta*) Multum habet affectum hæc criminatio; sed cuivis proficere cupienti facile erit imaginari quæ longum esset scribere.

(i) *Sedit*) *Tibi tantum placuit, & tibi imitandum sumsisti quod ille perfidiose fecit.*

(k) *Cressa*) *Ariadne*, Minois filia, de qua plenius in sequentibus.

(l) *Miraris*) Id est, *Probas, imitaris, quod in se reprehendendum pater agnovit.*

(m) *Agis*) Gall. *Vous vous portez pour heritier.*

(n) *Tigribus*) Illis enim currus Bacchi trahitur, in quo Ariadne a Libero patre in conjugem assumta, magnifice sedet, quoque vehitur.

(o) *Ferar*) Ita meliores libri, Autore Heinsio: quanquam non minus placeat *feror*.

(p) *Inquit*) Id est. *Quilibet ex meis possit dicere.*

(q) *Athenas*) *Ad suum Demophoonta*, scilicet, *egregium illum, quem nobis omnibus Thracibus præposuit.*

(r) *Exitus*) Verba sunt Thracum ab eventu Phyllida damnantium.

(ſ) *Careat*) Responsio est Phyllidis, ad pravum Thracum suorum judicium, per imprecationem in eos & indirecte proposita. Atque equidem perverse profecto ex eventu rationes nostræ dijudicantur.

(t) *Notanda*) *Judicanda & vituperanda.*

(u) *At si*) Purgationem suam a contrario eventu confirmat. *Dicar*, inquit, *bene fecisse, si tu rediveris.* Phyllidis autem verba cum spe aliqua & voto conjuncta videntur.

(x) *Sed neque*) Jam disjectus est qui modo affulserat spei radius.

(y) *Tangit*) Placuerat Heinsio *tanget*; sed quod ante legebatur, meo quidem judicio convenientius *tangit* reposui.

(z) *Bistonia*) *Thracia nostra.* Lacus est Bistonius in Thracia.

(a) *Lavabis*) Pro veteri consuetudine; quæ etiam ex Evangelio cognoscitur. *Non lavabis: Ergo neque venies.*

(b) Illa

(b) Illa meis oculis ſpecies abeuntis inhæret,
Cum premeret portus claſſis itura meos.
(c) Auſus es amplecti; colloque infuſus amantis
Oſcula per longas jungere preſſa moras:
Cumque tuis lacrymis, lacrymas (d) confundere noſtras;
Quodque foret velis aura ſecunda, (e) queri:
Et mihi diſcedens ſuprema dicere voce;
Philli, face (f) expectes Demophoonta tuum.
(g) Expectem, qui me nunquam viſurus abiſti?
Expectem pelago vela negata meo?
(h) Et tamen expecto: redeas modo (i) ſerus amanti:
Ut tua ſit ſolo (k) tempore lapſa fides.
Quid (l) precor infelix? jam te tenet (m) altera conjux
Forſitan, & nobis qui male favit, amor.

INTERPRETATIO.

Imago illa tui *diſcedentis infixa eſt meis oculis, cum claſſis diſceſſura eſſet in meis portubus. Non veritus es* me *amplecti, & projectus in collum* mei *amantis dare oſcula arcta per prolixas moras, & miſcere lacrymas noſtras cum tuis lacrymis, & queri quod ventus eſſet favens velis, & mihi dicere ultima voce, cum proficiſcereris.* Phylli vide ut opperiaris tuum Demophoonta. *Opperiar, qui diſceſſiſti nunquam viſurus me, opperiar vela prohibita a mari meo? Et tamen præſtolor: modo revertaris tardus mihi amanti; ut fides tua defecerit ſolo tempore. Miſera, quid voves? Jam alia uxor te capit forſan, & amor, qui minus fuit nobis propitius.*

NOTÆ.

(b) *Illa*) Se nihil amaſſe unquam fateatur, qui iſta commemoratione non commovebitur.

(c) *Auſus es*) Ex Demophoontis perfidiæ contemplatione, tum blanditiarum, quibus diſcedentem perfidum demulſeras, recordatione, vehemens hæc increpatio Phyllidis naſcitur. Quantum vero imaginandi facultate valuerit Poeta, videbunt qui proficiendi ſtudio, phantaſiam ſuam illi committent: vel etiam qui ejus leporibus ducti, iis ſeſe oblectare voluerint.

(d) *Confundere*) Nequiter fecit Demophoon: qui ſinceras & ex amoris mollitie fluentes Phyllidis lacrymas, fictis ſuis & per dolum expreſſis fletibus compenſaverit.

(e) *Queri*) Quaſi ille moræ cauſam ventorum vim adverſam habere maluiſſet. Phyllidis hæc eſt querela, *An potuiſti inter tot amoris mei teſtimonia ejuſque illecebras, me ſimulatione tua deludere. Vel, quomodo ad nimiam & incredibilem fictionem pectus perfidia ſua conſcium potuiſti adigere?*

(f) *Expectes*) Sicuti eſt iſta Demophoontis vox ſuprema, & ultimus amoris conatus, ita & eſt ultimus perfidiæ gradus. Non enim tantum torquetur animus, quando adempta ſpes eſt, & ille ſtupet, quam cum inter ſpem & timorem attentus, undiquaque diſtrahitur, & cura conficitur.

(g) *Expectem*) Cum dolore & increpatione. *Que j' attende?*

(h) *Et tamen*) Vide mihi, quæſo, qui conatus, qui impetus, quæ lucta, priuſquàm deſperet!

(i) *Serus*) Non ut ſero redeat petit, ſed, quando ita neceſſe eſt, ut ſero redeat, redeat ſaltem.

(k) *Tempore*) Proverbiali forma dicimus; *Que je ne perde que l'attente.*

(l) *Precor*) Votorum fervorem indicat; eademque vox iſta corripit. Ita enim ſeſe habent cordis noſtri cogitationes & vices. Cum maxime fervent affectus, tum facillime placantur; ubi maximus eorum impetus, ibidem & finis. Extrema quæque ſcilicet recurrunt & ſeſe tangunt, nec metas ultra licet erumpere.

(m) *Altera*) Puellis ſuſpicio familiaris Ita & ſupra Penelope. Sed prudentiam nota Poetæ; quomodo affectus gradatim flectat; & ex iis ſingula quæque moveat.

Utque tibi (*n*) excidimus, nullam, puto, Phyllida nosti:
Hei mihi! (*o*) si quæ sim Phyllis, & unde, rogas.
Quæ tibi, Demophoon, longis (*p*) erroribus acto
Threicios portus, hospitiumque dedi.
Cujus (*q*) opes auxere meæ: cui dives egenti
Munera multa dedi, multa datura fui.
Quæ tibi subjeci latissima regna (*r*) Lycurgi,
Nomine fœmineo (*s*) vix satis apta regi:
Qua patet umbrosum Rhodope glacialis ad (*t*) Hæmum,
Et (*u*) sacer admissas exigit Hebrus aquas.
Cui mea virginitas avibus (*x*) libata (*y*) sinistris,
Castaque fallaci (*z*) zona recincta manu.
(*a*) Pronuba (*b*) Tisiphone thalamis (*c*) ululavit in illis,
Et cecinit mœstum (*d*) devia carmen avis.

INTERPRETATIO.

& postquam ex conspectu to sublata sum, nullam reor Phyllida cognovisti. Hei mihi si quaris qua sim Phyllis, & cujas, Ego, Demophoon, qua prabui tibi longis itineribus jactato portus Thracios, & hospitium: Cujus divitias mea majores fecerunt, cui dives egò multa dona contuli, & volui multa conferre: qua tibi subdidi late patens imperium Lycurgi, qua vix possunt guberṅari nomine fœmineo: Qua Rhodope gelu rigens extenditur, usque ad Hamum umbrosum, & qua sacer Hebrus volvit aquas concitatas. A quo mea virginitas primo decerpta est, alitibus infaustis, & zona pudica detracta est manu fraudulenta. Tisiphone pronuba ululavit in illis nostris nuptiis; & avis devia cantavit carmen lugubre.

NOTÆ.

Majores fecerit progressus qui unam epistolam cum cura & diligentia in indaganda arte meditatus fuerit, quam qui totum librum, ut mos est, legerit.

(n) *Excidimus*) Illud est quod Gall. dicimus, *Aussi-tost que vous m' eutes. perdue de veve.*

(o) *Si qua sim*) Non major esse potest oblivio.

(p) *Erroribus*) Vere dicuntur errores, quæ per mare perficiuntur itinera.

(q) *Opes*) Quæ statu in quo erat, exiguæ erant.

(r) *Lycurgi*) Pater fuit Phillidis, de quo Poetæ, quod Bacchum contemsisset, multa fabulantur.

(s) Quia feroces & bellicosi.

(t) *Hæmum*) Mons est Thraciæ; sicut & Rhodope, per quos regni sui amplitudinem Phillis describit.

(u) *Sacer*) Quia omnes fluvii sacri propter incolas & præsidentes Deos & Nymphas.

(x) *Libata*) *Primum violata*. Matrimonii est circumscriptio.

(y) *Sinistris*) id est, *Auspiciis & Diis adversis*. Nihil enim veteres illi inauspicato, vel sine Diis, suscipiebant.

(z) *Zona*) Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana ovis; ut sicut illa in glomos sublata, conjuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus vinctusque esset. Festus.

(a) *Pronuba*) *Loco Junonis nostris nuptiis præfuit.*

(b) *Tisiphone*) Furiarum una: Altera est Alecto, tertia Megæra, filiæ Noctis & Acherontis.

(c) *Ululavit*) Quanquam vocem hanc mediam esse docet Servius, satis constat tamen hic lugubrem & feralem, pro nuptiali, cantum significare.

(d) *Devia*) Bubo, vel quælibet avis devia nocturna & latebris gaudens, cujus vox querula mali ominis esse censebatur.

Ad-

Adfuit (*e*) Alecto (*f*) brevibus torquata colubris,
Suntque (*g*) sepulcrali lumina mota face.
Mœsta (*h*) tamen scopulos (*i*) fruticosaque littora calco,
Quaque patent oculis æquora lata meis.
Sive die (*k*) laxatur humus, seu (*l*) frigida lucent
Sidera; prospicio quis freta (*m*) ventus agat.
Et quæcumque procul venientia lintea vidi,
Protinus illa (*n*) meos auguror esse Deos.
In freta procurro, vix me retinentibus undis,
Mobile qua primas porrigit æquor aquas.
Quo magis accedunt, minus & minus (*o*) utilis asto.
(*p*) Linquor, & ancillis excipienda cado.
(*q*) Est sinus adductos modice falcatus (*r*) in arcus,
Ultima prærupta cornua mole (*s*) rigent.
Hinc mihi suppositas immittere corpus in undas
Mens fuit; &, quoniam fallere pergis, erit.
Ad tua me fluctus projectam littora (*t*) portent,
Occurramque oculis (*u*) intumulata tuis.

INTERPRETATIO.

Alecto comta brevibus serpentibus adstitit; & lumina admota sunt ex tæda funerea. Nihilominus tristis premo scopulos & littora fruticibus plena, & loca unde vasta maria aperta sunt meis oculis. Sive terra solvitur per diem, seu astra gelida lucent, observo quis ventus agitet maria; & quæcumque vidi procul vela accedentia statim conjicio illa esse meos Deos. Accurro ad mare aquis me ægre cohibentibus, qua mare fluidum extendit primas aquas. Quo magis accedunt minus & minus firma sum, deficio, & cado sustentanda ab ancillis. Est sinus paululum curvatus in modum arcus contenti, ultima cornua ejus prærupta sunt rupe ardua. Hinc animus fuit corpus præcipitare in mare subjectum, &, quoniam pergis decipere, idem erit. Unde me ferant præcipitatam ad tua littora; & insepulta incidam in tuos oculos.

NOTÆ.

(e) *Alecto*) Altera ex furiis, ut ante diximus.

(f) *Brevibus*) Ideoq. ut volunt, sævioribus.

(g) *Sepulcrali*) Id est, *Pro facibus quinque ex spina alba aut pinu in nuptiis adhiberi solitis, ferales admota sunt ex rogo accensæ, vel funeri destinatæ.*

(h) *Tamen*) Id est, *Quanquam omnia sint mihi adversa, tamen amoris mei tantus est ardor, ut contra spem animi mei te semper & maximo cum labore, non sine furore quæram.*

(i) *Fruticosaque*) Ubi difficile est admodum suos gradus firmare. Sed operæ pretium est hæc omnia sibi phantasiæ opera, oculis repræsentare.

(k) *Laxatur*) *Solis calore.*

(l) *Frigida*) Id est, *Per noctem.* Amorisful anxietatem commendat, quæ diu noctuque ipsam sollicitat.

(m) *Ventus*) Optime amoris sollicitudinem declarant istiusmodi cogitationes.

(n) *Meos*) Id est. *Qui me exaudiverunt, & mihi propitii facti sunt.*

(o) *Utilis*) *Quia te non esse video, vix possum niti pedibus.*

(p) *Linquor*) *Animi deliquium patior.*

(q) *Est sinus*) Sese tandem ad desperationem coactam esse Phyllis declarat: quod loci descriptione, unde se in mare daturam dicit, cognoscitur.

(r) *In Arcus*) Id est, *Ad tensi arcus modum curvatus.* Curvatur enim arcus, cum nervo extrema ejus simul in sese adducuntur.

(s) *Rigent*) *Alta, prærupta, dura & salebrosa sunt ad horrorem & stuporem.*

(t) *Portent*) Votum est.

(u) *Intumulata*) Absque sepulturæ honore: quod Ethnicis præsertim horrendum, siquidem & istud ad Manes placandos, vel torquendos momentum haberet.

Duritia ferrum ut superes, adamantaque, (*x*) teque;
Non (y) tibi (z) sic, dites, Phylli, sequendus eram.
Sæpe venenorum sitis est mihi: sæpe cruenta
Trajectam gladio morte perire juvat.
Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis
(*a*) Præbuerunt, laqueis implicuisse libet.
Stat nece (*b*) matura tenerum pensare (*c*) pudorem:
In necis (*d*) electu parva futura mora est.
Inscribere meo causa (*e*) invidiosa sepulcro:
Aut, hoc ut simili carmine notus eris.
PHYLLIDA DEMOPHOON LETO DEDIT, (*f*) HOSPES AMANTEM:
ILLE NECI (*g*) CAUSAM PRÆBUIT, IPSA MANUM.

INTERPRETATIO.

Quamvis durior sis ferro, & adamante, & te ipso; dices, Phylli, non ita me debebas sequi. *Sæpe cupio bibere toxicum; sæpe placet transfixam ense perire morte sanguinolenta. Etiam, quia* mea *colla se præbuerunt implicanda brachiis perfidis, fune volo* ea *premere. Decrevi satisfacere nece accelerata tenero pudori, non diu cunctabor in electione mortis. Signaberis causa odiosa meo sepulcro, notus eris; aut hoc, aut ejusmodi titulo..* DEMOPHOON HOSPES TRADIDIT MORTI PHYLLIDA AMANTEM LE DEDIT CAUSAM MORTI, IPSA MANUM.

NOTÆ.

(x) *Teque*) Gradatione ista vide Demophoonta ut Phyllis durissimum faciat.

(y) *Tibi*) Pro *a te.*

(z) *Sic*) *Mortua, intumulata, undis jactata & erosa.*

(a) *Prebuerunt*) Nonnulli habent *præbuerint*, quod non minus, imo amplius placeret.

(b) *Matura*) *Decoro & magnanimo leto* exponunt. Esto decorum, sed *maturum* mihi idem est quod *promptum, acceleratum & opportunum.*

(c) *Pudorem*) *Violatam a te meam pudicitiam.*

(d) *Electu*) Inter tot mortis genera fluctuans, tandem sese ex amygdalo suspendisse dicitur; quæ arbor cum exaruisset, Demophoontis adventu reviruit.

(e) *Invidiosa*) Id est, *Quę legentium invidiam & odium in te derivet.*

(f) *Hospes*) *Hospitio a Phillide acceptus.* Passive.

(g) *Causam*) Perfidia sua.

EPISTOLA TERTIA.

ARGUMENTUM.

Postquam Græci Phrygiam attigerunt, urbes Trojæ finitimas, præcipue Lesbo oppositas, hostiliter aggressi populari cœperunt: inter quos Achilles, Pelei & Thetidis filius, utramque Ciliciam, & Thebanam, & Lyrnesiam invasit. Expugnato inde Chrynesio oppido, duas egregia forma virgines abduxit, Astynomen, Chrysæ sacerdotis Smynthei Apollinis filiam, & Hippodamiam, Brisæ natam, quæ postea a paternis nominibus cognominatæ fuerunt. Chrysen Achilles Agamemnoni concessit, Briseide sibi reservata. Cum deinde vero Agamemnon Deorum jussu Patri restitueret suo Chrysen, ipse Achilli Briseida per vim & summam contentionem abstulit. Quamobrem effervescens Achilles abstinuit sese aliquandiu a pugnando: adeo ut nullius precibus ad arma contra Trojanos sumenda moveri potuerit: nec postea Briseida recipere suam voluerit, quamvis eam maximis cum donis Agamemnon esset remissurus. Briseis ergo hanc, ad eum epistolam mittit, qua nimiam

ejus

ejus iracundiam accusat, rogitans, ut adversus Trojanos arma capiat dum sese prius ab Agamemnone ultro oblatam receperit.

BRISEIS ACHILLI.

QUam legis, a (*a*) rapta (*b*) Briseide littera venit,
Vix bene (*c*) barbarica Græca notata manu.
Quascumque aspicies, lacrymæ fecere lituras;
Sed tamen & lacrymæ (*d*) pondera vocis habent.
(*e*) Si mihi pauca queri de te dominoque viroque
Fas est; de domino pauca viroque querar.
Non, ego poscenti quod sum cito tradita (*f*) Regi,
Culpa tua est: quamvis (*g*) hoc quoque culpa tua est.
Nam simul (*h*) Eurybates me Talthybiusque vocarunt:
Eurybati data sum Talthybiuque comes.
Alter in alterius jactantes lumina vultum,
(*i*) Quærebant taciti, (*k*) noster ubi esset amor.
Differri potui (*l*) pœnæ mora grata fuisset.
Hei mihi! discedens oscula nulla dedi.
At lacrymas sine fine dedi, rupique capillos.
Infelix iterum sum mihi visa (*m*) rapi.

INTERPRETATIO.

EPistola quam legit, vix bene Græce scripta manu barbara est a rapta Hippodamia. Lacrymæ fecerunt omnes lituras quas videbis, sed tamen etiam lacrymę vim vocis habent. Si mihi licet conqueri pauca de te, & domino, & marito, conquerar pauca de domino & marito. Non est culpa tua, quod ego sum statim data regi petenti, quamvis hoc quoque est culpa tua. Nam statim atque Euribates & Talthybius me petiverunt, data sum comes Eurybati & Talthybio. Illi vertentes oculos, alter in vultum alterius sciscitabantur taciti, ubi noster amor esset. Potui in tempus aliud remitti; mora fuisset accepta meo dolori. Hei mihi! abiens nulla tibi obtuli suavia. At effudi lacrymas sine fine. & discerpsi comam. Misera visa sum mihi iterum rapi.

NOTÆ.

(a) *Rapta*) *A te* scilicet, *ex Lyrnesso*. Prima est commiseratio a fortuna. Querimonias quidem non habet tam acres hæc epistola; neqs tamen eo minor orationis apparatus.

(b) *Briseide*) Seu Hippodamia, Brisæ filia.

(c) *Barbarica*) Lyrnessiæ puellæ, quæ cum sit barbara Græcas litteras non recte novit. Tacite imperitiam, ne inepta videatur, excusat.

(d) *Pondera*) Id est, *Non minus ex lituris quam ex verbis meis amorē meum cognosces.*

(e) *Si mihi*) Orationis præmunitio, sine qua servæ, bello captæ, cuique erga dominum nullum jus erat, honesta querimonia non videbatur.

(f) *Regi*) *Agamemnoni*.

(g) *Hoc quoque*) Idem affirmare videtur quod modo negavit: sed diversus est respectus. Fatetur Achillis culpam non esse quod tradita sit Regi, quia ex ipso ortum istud non fuit; At in eo culpam esse dicit, quod tam cito tradiderit, cum potuisset ipsa differri.

(h) *Eurybates*) Agamemnonis cum Talthybio minister.

(i) *Quærebant*) Achillem arguit ex eo; quod etiam ejus in tradenda Hippodamia celeritatem ipsi Agamemnonis ministri mirati sint.

(k) *Noster*) *Vester*, vel invitis libris quamobrem reponendum censuerit Heinsius, demiror.

(l) *Pęnę*) *Dolori, quem ex discessu caperem.*

(m) *Rapi*) Quæ fuit antea, quamque Heinsius deturbaverat vocem, restitui, non alia causa, quam quia, sine bona ratione, nihil in libris mutandum esse censeo. Nulla autem videtur ea quam reddit, *Briseidem ante raptam fuisse se non legisse*; cum, quæ ex Lyrnesso expugnata capta est, eadem & rapta dici possit: Quanquam & *capi*, quod ex plurimis codicibus arripuisse se testatur idem, bonum est.

Sæpe ego decepto volui custode (*n*) reverti;
Sed, me qui timidam prenderet, hostis (*o*) erat.
Si progressa forem, caperer ne forte timebam,
(*p*) Quamlibet ad Priami munus itura nurum.
(*q*) Sed data sim, quia danda fui, tot noctibus absum,
Nec repetor, cessas, (*r*) iraque lenta tua est.
Ipse (*s*) Menœtiades, tunc, cum tradebar, in aurem,
Quid fles? hic parvo tempore, dixit, *eris*.
(*t*) Nec repetisse parum est: pugnas, ne reddar, Achille,
(*u*) I nunc, & cupidi nomen amantis habe.
(*x*) Venerunt ad te (*y*) Telamone & (*z*) Amyntore nati;
(*a*) Ille gradu propior sanguinis, ille comes:
(*b*) Laertaque satus: per quos comitata redim redirem.
Auxerunt blandæ grandia (*c*) dona preces:
Viginti fulvos (*d*) operoso ex ære lebetas;
Et tripodas septem, (*e*) pondere & arte pares.
Addita sunt illis auri bis quinque (*f*) talenta:
Bis (*g*) sex assueti vincere semper equi.

INTERPRETATIO.

Sæpe ego volui redire, custode deluso; sed hostis erat qui me pavidam retinere. Metuebam ne, si discessissem forsan abriperer, itura in domum ad quamlibet nurum Priami. Sed fuerim redditam, quia debui reddi. absum per tot noctes, nec repetor; hæres, & ira tua tarda est. Ipse Patroclus mihi *reposuit in aurem tunc cum dabar*, Quamobrem ploras? non diu hic manebis. *Parum est non repetiisse, certas, Achille, ne restituar. Ito nunc, & retine nomen amantis desiderio flagrantis. Ad te profecti sunt geniti ex Telamone & Amyntore, ille conjunctior gradu sanguinis, ille comes, & natus ex Laerta, quibus stipata reverterer. Mites preces cumularunt magna munera, viginti scilicet rufos cacabos ex ære elaborato, & septem tripodas æquales pondere, & arte. Adjuncta sunt illis decem talenta auri; duodecim equi soliti semper victoria potiri.*

NOTÆ.

(n) *Reverti*) *Ad te*, scil.

(o) *Erat*) *Qui me prendere posset*, supple: Quod & postea dicit.

(p) *Quamlibet*) Etiam indignissimam.

(q) *Sed data sim*) Quasi dicat, *Quanquam peccatum fuit quod me tradideris, tam cito etiam; tamen istud mitto, ut graviora attingam*. Accusationem itaque habet hæc loquendi formula.

(r) *Iraque*) *Ex eo quod per vim me tibi Agamemnon præripuerit.*

(s) *Menœtiades*) *Patroclus, Menœtii filius.*

(t) *Nec repetisse*) Achillem arguit, quod se non modo non repetierit, sed quod insuper, cum redderetur, restiterit. In quibusdam legitur *Non repetisse*.

(u) *I nunc*) Ironia est. Gall. diceremus, *Vraiment le voilà l' Amant passionné.*

(x) *Venerunt*) *Ut me tibi restituerent.*

(y) *Telamone*) *Ajax.*

(z) *Amyntores*) *Phœnix*, qui etiam a Peleo Achylli comes & moderator datus fuerat.

(a) *Ille*) Ajax. fuit enim Telamon frater Pelei; adeoque Achilles & Ajax patrueles.

(b) *Laertaque*) *Ulysses*: prout jam sæpe vidimus.

(c) *Dona*) Ea sequentibus versibus ex Homero recenset.

(d) *Operoso*) Id est *opera & arte multa fabricato.*

(e) *Pondere*) Id est, *In quibus ars, materia pretium exæquabat.*

(f) *Talenta*) Multiplex fuit apud varias gentes, de quo multi tractaverunt, quos, si voles adibis. Usitatum fuit præsertim Atticum. sexaginta minarum seu librarum pondere.

(g) *Sex*) Ita melius ex Homero, quam, ut habent alii, *bis septem*.

Quod

Quodque (*b*) supervacuum, forma præstante puellæ
(*i*) Lesbides, (*k*) eversa corpora capta domo.
Cumque tot his (sed (*l*) non opus est tibi coniuge) conjux
Ex Agamemnonis una puella (*m*) tribus.
Si tibi ab (*n*) Atrida pretio redimenda fuissem,
Quæ dare (*o*) debueras, accipere illa negas.
Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?
(*p*) Quo levis a nobis tam cito fugit amor?
An miseros tristis fortuna (*q*) tenaciter urget?
Nec venit inceptis mollior aura meis?
Diruta Marte tuo (*r*) Lyrnesia mœnia vidi:
Et fueram patriæ pars ego (*s*) magna meæ.
Vidi (*t*) consortes pariter generisque necisque
Tres cecidisse: tribus, quæ mihi, mater erat.
Vidi, quantus erat, fusum tellure cruenta,
Pectora jactantem sanguinolenta, (*u*) virum.
Tot tamen amissis te compensavimus unum.
Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras.
Tu mihi, (*x*) juratus per numina (*y*) matris aquosæ,
(*z*) Utile dicebas ipse fuisse capi.

INTERPRETATIO.

Et, quod superfluum, puella ex Lesbo pulcritudinis eximiæ, corpora capta domo diruta, & cum tot his, (sed non opus habes uxore) una ex tribus puellis Agamemnoniis, in uxorem. Recusas ea sumere, quæ exhibere debueras, si tibi redimenda fuissem pretio ab Agamemnone. Quo delicto merui fieri tibi contemta Achille? Quo inconstans amor abiit tam cito a nobis? An sors maligna premit indesinenter infelices, nec aura lenior afflat meis ausibus? Vidi Lyrnesum urbem eversam bello, quod gessisti; & ego fueram magna pars patriæ meæ. Vidi tres consortes pariter sanguinis & mortis occubuisse, & matrem tribus, quæ erat mihi mater. Vidi super terra stratum, quantus erat, maritum meum agitantem corpus suum cruentum. Exæquavimus te unum tamen tot perditis: tu eras mihi Dominus, tu maritus, tu frater. Tu ipse, juratus per numina genitricis tuæ aquosæ, dicebas mihi utile fuisse capi.

NOTÆ.

(b) *Super vacuum*) Istud est ex prœmatura Briseidis Zelotypia.

(i) *Leisbides*) E Lesbos Insula, non longe a Troja, abreptæ.

(k) *Eversa*) A Græcis, Achille præsertim, quo Tempore Trojæ bellum indixerunt.

(l) *Non opus*) Quia se eam intendit esse.

(m) *Tribus*) Chrysothemis, Iphianassa, sive Iphigenia & Laodice, tres illæ fuerunt.

(n) *Atrida*) *Agamemnone*, Atri filio.

(o) *Debueras*) *Si pretio ab Agamemnone redimi debuissem, aut potuissem.*

(p) *Quo*) Se eam esse innuit quæ amantis constantiam mereatur.

(q) *Tenaciter*) Ex calamitatis commemoratione quam primus Achilles immiserat, quæq; inde ipsam affligeret, commiserationem studet movere. Sumtum vero est istud ex eo quod vulgo alia deinde alia mala illâ inferre credatur, quem semel iniqua fortuna afflavit.

(r) *Lyrnesia*) Non fuit hæc Lyrnessus Ciliciæ, ut male annotavit Antonius, & descripsit ejus Excerptor, sed majoris Misiæ; contra Lesbon Insulam, in ora Troja posita.

(s) *Magna*) Omnino, siquidem conjux esset Minetis Lyrnessi principis, aut reguli.

(t) *Consortes*) Fratres suos circumscribit, quos Achilles mactavit.

(u) *Virum*) *Meum*, scil. *Minetem*.

(x) *Juratus*) Significatione activa.

(y) *Matris*) *Tuæ* scil. Thetidis.

((z) *Utile*) Quia potior apud te fore mea esset, quam cum meis.

(*a*) Scilicet ut, quamvis veniam (*b*) dotata, repellas;
Et mecum fugias, quæ tibi (*c*) dantur, opes.
Quin etiam fama est, cum crastina fulserit (*d*) Eos,
Te dare nubiferis (*e*) linea vela (*f*) notis.
Quod (*g*) scelus ut pavidas miseræ mihi contigit aures,
(*h*) Sanguinis atque animi pectus inane fuit.
Ibis: & o miseram (*i*) cui me, violente, relinques?
Quis mihi desertæ mite levamen erit?
Devorer ante precor subito telluris hiatu,
Aut rutilo missi fulminis igne cremer:
Quam sine me (*k*) Phthiis (*l*) canescant æquora remis,
Et videam puppes ire relicta tuas.
Si tibi jam reditusque placet, patriique penates;
Non ego sum classi sarcina magna tuæ.
Victorem (*m*) captiva sequar, non nupta maritum:
(*n*) Est mihi, quæ lanas molliat, apta manus.
Inter (*o*) Achaiadas longe pulcherrima matres
In thalamos conjux ibit (eatque) tuos.

INTERPRETATIO.

Nimirum ut me rejicias, quamvis accedam dotata, & mecum recuses divitias, quæ tibi offeruntur. Quin etiam ferunt te linea vela traditurum austris nubiferis, cum dies crastinus luxerit. Quod facinus postquam ad timidas aures delatum est, mihi infelici pectus fuit sine sanguine atque animo. Discedes, & o infelicem, apud quem me deseres violente? Quis erit dulce solatium mihi destitutæ? Precor ut ante absorbear celeri hiatu terræ, aut adurar igne rutilo vibrati fulminis, quam maria albescant remis Achilleis sine me, & destituta videam naves tuas discedere. Si recursus, & domus patria nunc te juvant, ego non sum grave onus tuæ classi. Ego captiva sequar victorem, non nupta maritum: habeo manum idoneam ad nendum lanam. Uxor longe formosissima inter matres Achaiadas ibit (& eat) in toros tuos.

NOTÆ.

(a) *Scilicet*) Ironice suas cum Achille commoditates proponit, ut ejus vana promissa arguat, eumque commoveat.

(b) *Dotata*) Sibi dotem assumit eaque secum ad Achillis placandam iram Agamemnon mittebat.

(c) *Dantur*) Quamobrem eam vocem pro *dentur* Heinsius deturbaverit nunquam videre potui; adeoque eam restituit.

(d) *Eos*) *Aurora*. Id est, *crastino die*.

(e) *Linea*) In aliis *lintea*, item *lintea vella*, unde *velle* postea procusum, quod nonnuliis placet.

(f) *Notis*) Id est. *Fama est, te usque adeo iratum esse, ut etiam ventis maxime adversis, velis abire*. Flantes enim a meridie Noti iis prorsus reflant, qui ex Troade in Græciam navigant.

(g) *Scelus*) *Ut ante captam Trojam discedas*, sicut etiam Antonius exponit? Nequaquam. Per respectum ad Briseidis desiderium & amorem, vox ista intelligenda est, & id tantum.

(h) *Sanguinis*) Uno verbo, *defeci*.

(i) *Cui*) Istud ex amore Briseis quæ nunquam Agamemnonis, utcumque ei sit tradita, sese fuisse, sed soli Achillii amorem suum reservasse, innuit. Atque ex hoc loco maxime moveri potuit Achillis misericordia.

(k) *Phthiie*) *Achilleis*. Nam Achillis Phthii fuerunt.

(l) *Canescant*) Id est, *quam Tu, sine me, abeas*. Metonymia.

(m) *Captiva*) Id est, *tanquam captiva, non tanquam uxor*.

(n) *Est*) Id est, *Victum lanificio quæritabo*.

(o) *Achaiadas*) Achaia Achillis patria; unde Achaiades puellæ, & matres.

Digna

Digna nurus (*p*) socero, Jovis Æginæque (*q*) nepote;
Cuique senex (*r*) Nereus (*ſ*) prosocer esse velit.
Nos humiles famulæque tuæ data pensa trahemus:
Et minuent plenas stamina nostra colos.
Exagitet ne me tantum tua deprecor uxor,
Quæ mihi (*t*) nescio quo non erit æqua modo.
Neve meos coram scindi patiare capillos:
Et leviter dicas, *Hæc quoque nostra fuit.*
Vel patiare licet; dum ne contemta (*u*) relinquar.
Hic mihi væ miseræ concutit ossa (*x*) metus.
Quid tamen (*y*) exspectas? Agamemnona pœnitet iræ,
Et jacet ante tuos Græcia (*z*) mœsta pedes.
Vince animos iramque tuam, qui cætera vincis.
(*a*) Quid lacerat Danaas impiger Hector opes?
Arma cape, Æacida, sed me tamen ante recepta:
Et preme turbatos Marte favente (*b*) viros.
Propter me mota est, propter me desinat ira:
Simque ego tristitiæ causa modusque tuæ.
Nec tibi turpe puta precibus succumbere nostris:
Conjugis (*c*) Oenides versus in arma prece est.

INTERPRETATIO.

Eat *nurus digna socero, & nepote Jovi, & Æginæ, & cui senex Nereus velit esse prosocer. Nos abjecta & serva tua trahemus data pensa, & fila quæ nebimus minuent plenas colos. Deprecor tantum ne tua conjux, quæ mihi non erit nescio quomodo propitia, me vexet, neve patiaris meam comam lacerari in tuo conspectu: Et dicas obiter,* Hæc quoque fuit nostra. *Vel sinas, si voles, modo ne deserar despecta. Væ, hic timor quassat ossa mihi miseræ. Quid tamen cupis? Agamemnona piget iræ & Græcia tristis prostrata est ante tuos pedes. Doma mentem, & iram tuam, tu qui domas alia omnia. Quamobrem strenuus Hector frangit vires Græcas? Indue arma, Æaco sate, sed tamen me ante recepta; & urge Marte secundo viros fractos. Ira est excita propter me, sedetur propter me; & ego sim causa & finis tui doloris: Nec crede tibi esse inhonestum cedere precibus: Meleager ad arma compulsus est prece uxoris.*

NOTÆ.

(p) *Socero*) *Peleo.*

(q) *Nepote*) Jupiter ex Ægina, Asopi Bœotiæ regis filia, Æacum suscepit, ex quo Peleus, Achillis pater.

(r) *Nereus*) Thetidis pater, Achillis avus maternus; Deus marinus.

(ſ) *Prosocer*) Quia pater fuit Thetidis, Pelei conjugis, quæ Thetis socrus ei fuisset, quam Achilles uxorem duxisset.

(t) *Nescio quo*) plus dicit ista suspicio, quam si prolixe multa cumulasset.

(u) *Relinquar*) *Hic* scil. *cum Agamemnone, procul a te.*

(x) *Metus*) *Ne relinquar.*

(y) *Expectas*) *Quid tibi vis? Quid quæris? quorsum spectat ista tua ira implacabilis?*

(z) *Mœsta*) *Quas ex quo tempore arma posuisti, maxima damna ab hostibus Trojanis accepit.*

(a) *Qui lacerat*) Achillem ut moveat, ei blanditur; quasi ille solus Hectorem, Trojanorum fortissimum (cujus præsertim meminit ad æmulationem) totumque adeo hostilem exercitum, posset profligare.

(b) *Viros*) *Trojanos, quos facile in fugam verteris.*

(c) *Oenides*) *Meleager*, Oenei filius, qui, bello, inter Curetes & Calydonios, ob pellem apri ab ipso Atalantæ traditam, conflato, cum propter conceptam, ex matris imprecationibus, iram, hostes mœnibus depellere, nec, laboranti patriæ opem ferre, vellet, tandem a Cleopatra uxore ad arma capienda compulsus est.

(d) Res

(d) Res audita mihi, nota est tibi, (e) fratribus orba
(f) Devovit nati spemque caputque parens.
Bellum erat: ille (g) ferox positis secessit ab armis,
Et patriæ rigida mente negavit opem.
Sola virum conjux flexit: (h) felicior illa!
At mea (i) pro nullo pondere verba cadunt.
Nec tamen indignor: (k) nec me pro conjuge gessi,
Sæpius in domini serva (l) vocata torum.
Me quædam (memini) dominam captiva vocabat:
Servitio, dixi, (m) *nominis addis onus*.
Per tamen ossa (n) viri subito male tecta sepulcro,
Semper judiciis ossa verenda meis:
Perque trium fortes animas, mea numina, fratrum,
Qui bene pro patria cum patriaque jacent.
Perque tuum nostrumque caput, quæ (o) junximus una;
Perque tuos enses, (p) cognita tela meis;
Nulla (q) Mycenæum sociasse cubilia mecum
Juro; fallentem deseruisse velis.
Si tibi nunc dicam: *Fortissime, tu quoque jura,*
Nulla tibi sine me gaudia facta: (r) neges.

INTERPRETATIO.

Rem illam *audivi, tu novisti. Mater destituta fratribus devovit spem & caput filii sui. Bellum erat, ille strenuus reliquit arma deposita, & denegavit auxilium Patriæ obstinato animo. Uxor sola movit maritum. Illa beatior! At mea verba cadunt sine ullis viribus. Nec tamen moleste fero; nec serva arcessita sæpius in lectum Domini me uxorem jactavi. Quædam captiva (memini) appellabat me dominam:* Servitium, *dixi,* aggravas nomine. *Tamen juro per ossa mariti male sepulta sepulcro properato*, per *ossa semper mihi veneranda: & per strenuas animas trium fratrum, mea numina, qui bene mortui sunt pro patria, & cum patria; & per caput tuum & nostrum, quæ conformimus, & per tuos gladios, tela cognita meis, Agamemnonem nullos lectos jugales mecum habuisse: velis* me *illudentem destituisse. Si jam dicam tibi*, fortissime, jura tu quoque, nullam voluptatem tibi evenisse sine me, *recuses*.

NOTÆ.

(d) *Res*) *Historia Meleagri*.

(e) *Fratribus*) Thestii filiis, quos, cum apri caput, aut pellem, Atalantæ surripere voluissent, Meleager interfecit.

(f) *Devovit*) Multis imprecationibus Meleagrum filium, quod fratres suos obtruncasset, Althæa devovit. Notiora vero sunt quæ de fatali Meleagri stipite fabulati sunt Poetæ, quam ut eorum decantatas fictiones huc opus sit transcribere.

(g) *Ferox*) *Bello erat strenuus*. Omnino; nam Thestii filios omnes interfecit.

(h) *Felicior*) *Quam ego sum*, supple. Cleopatræ felicitatem miratur.

(i) *Pro nullo pondere*) Id est, *frustra*.

(k) *Nec me*) Vim orationis perinde accipe, ac si dixisset, *Nam neque*, &c.

(l) *Vocata*) Id est, *quanquam fuerim vocata*.

(m) *Nominis addis onus*) *Servitutem aggravas*. Difficilius est enim eam in majori fortuna tolerare.

(n) *Viri*) *Mei Minetis, cujus sepeliendi in patria excidio non est data opportunitas*.

(o) *Junximus*) Inter oscula venerea. Ita & apud Petronium.

(p) *Cognita*) Nam per ea perierunt.

(q) *Mycenæum*) *Agamemnonem*, qui Mycenis in Peloponneso regnavit.

(r) *Neges*) Id est, *Tu nolles jurare*.

At

At Danai mœrere putant, tibi (ʃ) plectra moventur:
Te tenet in tepido mollis (t) amica ſinu.
Et ſi quis quærat, quare pugnare recuſes:
(u) Pugna nocet: citharæ noxque Venuſque juvant.
Tutius eſt jacuiſſe toro, tenuiſſe puellam,
(x) Threiciam digitis increpuiſſe lyram:
Quam manibus clypeos, & acutæ cuſpidis haſtam,
Et galeam preſsa ſuſtinuiſse coma.
Sed tibi pro tutis inſignia facta placebant:
Partaque bellando gloria dulcis erat.
An tantum, dum me caperes, fera bella probabas?
Cumque mea patria laus tua victa jacet?
Di melius: validoque, precor, vibrata lacerto
Tranſeat Hectoreum (y) Pelias haſta latus.
(z) Mittite me, Danai; dominum legata rogabo:
Multaque (a) mandatis oſcula miſta feram.
Plus ego quam Phœnix, plus quam facundus Ulyſſes,
Plus ego quam (b) Teucri (credite) frater agam.

INTERPRETATIO.

At Græci arbitrantur te lugere. Tibi cithara pulſantur. Tenera amica fovet te in calido gremio. Et ſi quis p'tat, quare nolis pugnare; certamen nocet; cithara, & nox, & Venus placent. Tutius eſt ſtratum eſſe lecto, foviſſe puellam, pulſaſſe lyram Thraciam digitis, quam geſtaſſe clypeos manibus, & baſtam mucrone acuto, & caſſidem capillos urgentem. At pro ſecuris præclara facinora tibi grata erant, & gloria acquiſita bellum gerendo erat ſuavis. An tantum tibi placebant bella atrocia, dum me caperes, & gloria tua proſtrata eſt ſuperata cum mea Patria? Di melius dent, *& precor ut haſta Pelias intorta forti* tuo *brachio transfigat latus Hectoreum. O Græci, mittite me; miſſa precabor Dominum, & dabo multa oſcula miſta mandatis. Ego plus faciam quam Phœnix, plus quam Ulyſſes diſertus (credite) plus quam frater Teucri.*

NOTÆ.

(ʃ) *Plectra*) Quibus pulſatur cithara. *Te te muſica cum amica oblectas.*

(t) *Amica*) Diomedam Phorbantis filiam intelligit, qua cum adempta Hippodamia, Achilles dormire conſueverat.

(u) *Pugna*) Pro Achille reſpondet Briſeis, ut eadem opera ipſum accuſet.

(x) *Threiciam*) Propter Orpheum, qui in Thracia tantum lyra ab Apolline patre, ſeu Mercurio accepta valuiſſe traditur, ut etiam cantus ſuavitate ſylvas & ſaxa moverit.

(y) *Pelias*) Nomen Achillis haſtæ proprium, a Pelio Theſſaliæ monte, unde excisa ea dicitur; vel, ut aliis placet, a Peleo Achillis patre, qui ea potiſſimum valuit. Tantæ vero fuit magnitudinis ut Patroclus, cum cætera arma ſumeret, haſtam reliquerit.

(z) *Mittite me*) Jam Danaos Hippodamia, ut ſe ad Achillem delegent compellat: quæ quidem confidentia non leve eſt amoris ſui teſtimonium.

(a) *Mandatis*) *A vobis Danais acceptis, quæ ad Achillem perferam.*

(b) *Teucri frater*) Ajax eſt, qui unus fuit ex legatis ad Achillem.

(c) Eſt

(c) Est aliquid collum solitis tetigisse lacertis,
(d) Præsentisque oculos admonuisse sui.
Iis licet immitis, matrisque ferocior (e) undis;
Ut taceam, lacrymis comminuere meis.
Nunc (f) quoque ((g) sic omnes Peleus pater impleat annos
Sic eat auspiciis (h) Pyrrhus (i) in arma tuis)
Respice sollicitam Briseida, fortis Achille;
Nec miseram lenta ferreus ure mora:
Aut, si versus amor tuus est in tædia nostri;
Quam sine te cogis vivere, coge mori.
Utque facis, coges, abiit (k) corpusque colorque.
Sustinet hoc animæ spes tamen una tui.
Qua si destituor, (l) repetam fratresque virumque;
Nec tibi magnificum fœmina jussa mori.
(m) Cur autem jubeas? stricto pete corpora ferro.
Est mihi, qui fosso pectore sanguis eat.
Me petat ille tuus, qui, si (n) Dea passa fuisset,
Ensis in (o) Atridæ pectus iturus erat.

INTERPRETATIO.

Est aliquid tetigisse collum brachiis assuetis, & admonuisse oculos sui præsentis. Quamvis sis asper, & truculentior undis matris tuæ, tametsi sileam flecteris meis lacrymis. Nunc quoque (sic Peleus pater cumulet omnes annos, sic Pyrrhus arma induat tuis auspiciis) respice anxiam Hippodamiam, fortis Achille; nec durus torque miseram longa mora. Vel, si amor tuus mutatus est in tædia nostri, coge mori quam cogis vivere sine te. Atque prout facis, coges; corpus & color mihi *periit. Spes tamen una tui tuetur hoc vita: qua si spolior revisam & fratres, & maritum: nec erit tibi gloriosum fœmina coacta mori. Cur vero cogas? Percute corpus* meum *nudato gladio. Habeo sanguinem, qui fluat pectore transfixo. Ille tuus gladius, qui perfodisset Agamemnonis pectus, si Pallas non prohibuisset, in me convertatur.*

NOTÆ.

(c) *Est aliquid*) Imo magnam habere vim fatebitur quicumque semel amaverit.

(d) *Præsentisque*) Alii habent *præsentesque* oculos, deinde *sinum*, & *sinu*: & *suis*. Unus Vaticanus *præsentisque sinus*: Tres alii *præsentisque sinu*. Prior Scriverianus facie antiquus.

præsentisque oculis admonuisse sinus.

Ubi minima mutatione Heinsius pro *sinus*, *sui* legit: quamquam nihil ille repugnat, ut eam, quam etiam retinuimus, & plures habent codices, lectionem approbemus, dum vulgatam, quæ certe, ut ille ait, inurbana est, rejiciamus.

(e) *Undis*) Quæ nullius audiunt vota.

(f) *Quoque*) Id est, *Postquam tibi & ira tua consulueris, tibique ab Agamemnone satisfactum fuerit; consule etiam mihi miseræ.*

(g) *Sic omnes*) Obtestandi modus veteribus familiaris.

(h) *Pyrrhus*) Achillis ex Deidamia filius, qui etiam Neoptolemus dictus est.

(i) *In*) melius quam *ad*, quod in vulgata lectione Heinsius notavit; majorem quia habet emphasim, animique ferocitatem probat.

(k) *Corpusque*) Id est, *ejus habitudo*, Gall. *l'embonpoint*.

(l) *Repetam*) Mortis beneficio scil.

(m) *Cur autem Jubeat.*) *Cum tu*, scilicet, *istud efficere possis*.

(n) *Dea*) *Pallas*, quæ, ut Homerus scribit, Achilli, cum stricto ense in Agamemnonem ferretur, obstitit.

(o) *Atridæ*) Agamemnonis, Atrei filii.

Ah

Ah! potius serves nostram tua (*p*) munera vitam;
Quod dederas hosti victor, amica rogo.
Perdere quos melius possis, (*q*) Neptunia præbent
Pergama. (*r*) materiam cædis ab hoste pete.
Me modo, sive paras (*ſ*) impellere remige classem;
Sive manes, domini jure venire jube.

INTERPRETATIO.

Ah! potius tuearis nostram vitam tua dona: Peto a te amica, quod tu victor dederas mihi *inimica. Troja Neptunia exhibet quos justius queas interimere: Quare materiam necis ab hoste. Tantummodo, sive cupias reducere classem remigibus, sive commoreris, impera pro jure Domini me accedere.*

NOTÆ.

(p) *Munera*) Quia victor illi eam adimere poterat. *Victam munera*, Appositio.

(q) *Neptunia*) A Neptuno cum Appolline ædificata; quam fabulam jam supra vidimus.

(r) *Materiam*) Id est, *Quos interficiat*

(ſ) *Impellere*) *In Patriam tuam redire*.

EPISTOLA QUARTA.

ARGUMENTUM;

Theseus Ægei filius, interemto Minotauro; Ariadnem Minois & Pasiphaes filiam, quam ob latam sibi opem, se ducturum uxorem domum promiserat, eamque simul cum Phoedra sorore ejus, navi impositam abduxit. Verum enim Bacchi admonitu in Naxo, sive, ut alii volunt, in Chio, Ariadne relicta; Phædram duxit: quæ deinde, absente Theseo, in Hyppoliti privigni, quem ex Hyppolyte Amazone susceperat, amorem exarsit. Qui, cum cœlibem amans vitam se se venando oblectaret, nec in ejus consuetudinem aduci posset, hac epistola amorem ei suum profitetur.

PHÆDRA HIPPOLYTO.

Qua, nisi tu dederis, caritura est ipsa; salutem
Mittit (*a*) Amazonio (*b*) Cressa puella viro.
Perlege (*c*) quodcumque est, quid epistola lecta nocebit?
Te quoque, in hac aliquid, quod juvet, esse (*d*) potest:

INTERPRETATIO.

Phœdra; *puella Cretensis mittit* Hippolito, *viro Amazonio salutem qua ipsa non fruetur, nisi tu obtuleris. Perlege quodcumque est. Quid epistola lecta oberit? Potest esse aliquid in hac, quod prosit quoque tibi.*

NOTÆ.

(a) *Amazonio*) *Hippolyto*, Hippolytes Amazonis filio.

(b) *Cressa*) *Phædra*; Minois Cretensium regis filia.

(c) *Quodcumque est*) Quia Hippolyti ingenium noverat, quem frustra alias illexerat, cujusque fastidia experta erat, cavet Phædra ne etiam epistolam suam legere ille dignetur, cum primum quid sibi ea vellit senserit. Neque vero immerito maximam adhibuit cautionem in scribenda epistola mulier impurissima: namque; etiam satius fuerit cuivis eam non legisse, nisi alia omnia in ea quærat quam quæ per eam quæsivit Phædra.

(d) *Potest*) Curiositatem acuit Hippolyti, ut inter legendum suppositis dolis capiatur.

His

His arcana (e) notis terra pelagoque feruntur:
(f) Inspicit acceptas hostis ab hoste notas.
(g) Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit
Lingua, ter in primo (h) destitit ore sonus.
(i) Qua licet & (k) sequitur, pudor est miscendus amori:
Dicere quæ puduit, scribere jussit! Amor.
Quidquid Amor jussit, (m) non est contemnere tutum.
Regnat, & in dominos jus habet ille (n) Deos.
Ille mihi primo dubitanti scribere, dixit,
Scribe; dabit victas ferreus (o) ille manus.
(p) Adsit, &, ut nostras avido (q) fovet igne medullas,
(r) Figat sic animos in mea vota tuos.
Non ego (s) nequitia sociali (t) fœdera rumpam.
Fama (velim quæras) crimine nostra (u) vacat.
Venit Amor gravius, quo (x) serius; urimur intus,
Urimur; & (y) cœcum pectora vulnus habent.
Scilicet ut teneros lædunt juga prima juvencos,
Frœnaque vix patitur de grege (z) captus equus.

INTERPRETATIO.

Quæ secreta sunt portantur terra & mari bis signis: Hostis legit litteras acceptas ab hoste. Lingua mea *ter conata tecum verba facere, ter constitit inutilis, ter vox restitit in extremis labiis. Quatenus fieri potest, & juvat, pudor est jungendus amori: Amor imperavit scribere quæ puduit me loqui. Non est cautum spernere quicquid amor imperavit: Imperat, & ille jus habet in Dominos Deos. Ille dixit mihi incerta, primo an scriberem:* Scribe; ille durus porriget manus victas. *Utinam faveat, & quemadmodum ille incubat medullis nostris igne fervido, sic vertat mentem tuam in mea desideria. Ego non solvam levitate fœdera socialia: fama nostra (opto ut inquiras) est intacta. Amor fit vehementior, quo tardior. Ardemus intus, ardemus; & cor habet profundum vulnus. Nimirum ut prima juga vulnerant juvencos teneros; & equus de grege prehensus, ægre tolerat frœna:*

NOTÆ.

(e) *Notis*) *Litteris.*

(f) *Inspicit*) *Ergo nulla potest esse ratio, cur ab epistola mea lectione abstineas.*

(g) *Ter tecum*) Habet iam primum istud commiserationem, & ad favorem conciliandum aptum est.

(h) *Destitit*) Alii *restitit*, & *constitit*. Sed bene Heinsius nihil mutandum esse censuit, & exemplis probavit.

(i) *Qua licet*) Id est, *quatenus licet, & amoris violentia patitur, cum eo verecundia jungenda est.*

(k) *Sequitur*) *Conveniens est.* Ita & Cicero. Optima vero ratione suum in scribendo consilium, hoc versu approbat.

(l) *Amor*) In alium, Amorem scilicet, culpam suam rejicit.

(m) *Non est*) A necessitate amorem suum excusat, sed vide mihi quæso, qua arte illud ante conetur, quam ipsum revelet. Ea plane methodo noxios servos Terentius noster in Scenam inducit.

(n) *Deos*) Qui Cupidinis etiam sentiunt sagittas.

(o) *Ille*) *Hippolytus. Succumbet; & quæ imperabis faciet.*

(p) *Adsit*) Votum est, ut Amor sibi in demulcendo Hippolyto opem ferat.

(q) *Fovet*) Id est, *Quemadmodum me amoris igne consumit Cupido, teque perdite amo.*

(r) *Figat*) *Sagittis tuis vulneratum voluntati meæ subjiciat.*

(s) *Nequitia*) Id est; *libidinosa levitate.*

(t) *Fœdera*) Quæ tu mecum inieris, suppl.

(u) *Vacat*) *Impudicitia nota nullus me hactenus infamavit.*

(x) *Serius*) Id est *ætate provectiori.*

(y) *Cæcum*) *Occultum*; adeoque grave.

(z) *Captus*) Id est, *Cum primum est captus e grege.*

Sic

Sic male vixque ſubit primos (*a*) rude pectus amores;
Sarcinaque hæc animo non (*b*) ſedet apta meo.
(*c*) Ars fit, ubi a teneris (*d*) crimen condiſcitur annis.
(*e*) Quæ venit exacto tempore, pejus amat.
Tu (*f*) nova ſervatæ capies (*g*) libamina famæ?
Et pariter noſtrum fiet uterque (*h*) nocens.
(*i*) Eſt aliquid, plenis pomaria (*k*) carpere ramis.
Et tenui primam deligere ungue roſam.
(*l*) Si tamen ille prior, quo me ſine crimine geſſi,
Candor ab (*m*) inſolita labe notandus erat;
At bene ſucceſſit, (*n*) digno quod adurimur igni:
(*o*) Pejus adulterio turpis adulter abeſt.
Si mihi concedat Juno (*p*) fratremque virumque;
Hippolytum (*q*) videor præpoſitura Jovi.

INTERPRETATIO.

Ita cor inaſſuetum male & ægre patitur primos amores; & hoc onus non convenit animo meo. Ars ſuccedit, cum crimen diſcitur a primis annis. Quæ amat cum tempus prateriit, amat iniquius. Tu decerpes prima libamina famæ ſervatæ; & uterque noſtrum fiet pariter conſcius. Aliquatenus juvat carpere pomaria plenis ramis, & colligere primam roſam ungue acuto. Si tamen illa innocentia prior, qua vixi ſine crimine, erat maculanda culpa inſueta. At bene cecidit, quod ardemus præclaro amore: Mœchus ſordidus, qui eſt *quid turpius adulterio, abeſt. Si Juno mihi daret & fratrem, & maritum* ſuum, *videor antepoſitura Hippolytum Jovi.*

NOTÆ.

(a) *Rude*) *Quod antea amoris ſtimulos nullos ſenſerat*. Senſui eſt, ſe nimium & efflictim amare.

(b) *Sedet*) Metaphora ab illis petita qui onus grave portantes illud modo in hunc, modo in illum humerum rejiciunt.

(c) *Ars fit*) Ex qua facilitas naſcitur ad operandum, laborque minuitur.

(d) *Crimen*) *Amandi* ſcil.

(e) *Quæ venit*) *Quæ mulier ſero in amorem incidit, violentius, & graviori cum pœna amat.*

(f) *Nova*) *Prima*.

(g) *Libamina*) Id eſt, *quod primum ex fama mea, huc uſque tum egregie ſervata, & hactenus inviolata, decerptum fuerit, habebis*. Vel, *Tu primus caſtitatis & pudicitiæ famam (quam maritus non aufert) delibabis*.

(h) *Nocens*) *Cum neque ego, præter maritum, hactenus quemquam amavero) neque tu puellam ullam attigeris, uterque, ſi me redamare velis, amoris crimine pariter tenebimur.*

(i) *Eſt aliquid*) *Ad voluptatem confert.*

(k) *Carpere*) Id eſt, *pomaria intrare ex quibus nullum adhuc pomum collectum ſit, & ex ramis, fructibus plenis, primum florem & fructum auferre*: Ad pudicitiam iſtud referendum. Verum caveſis iſtæ te capiant nequitiæ & improvidum a mentis puritate ſeducant. Iis enim vivimus quæ cum voluptate cogitamus.

(l) *Si tamen*) Secum communicat Phædra, & de eo quod antea teigit, crimine, amore ſcilicet, ratiocinatur: Cumque ſeipſam conſolatur, quod e re nata haud melius fieri potuerit; tum inde laudando Hippolyto locum facit.

(m) *Inſolita*) Jam antea caſtitatis laude ſeſe commendavit.

(n) *Digno*) Id eſt, *Quod juvenem amore dignum amamus*.

(o) *Pejus*) Hic eſt ſenſus, *Quandoquidem neceſſe mihi fuit amare, & adulterium committere, bene eſt quod non dignum hominem non amavi, quod pejus eſſet ipſo adulterio*.

(p) *Fratremque*) *Jovem*, qui Junonis eſt & frater & vir.

(q) *Videor*) Id eſt, *Credo quod præponerem Hippolytum Jovi*.

Jam

Jam quoque (vix credas) *(r)* ignotas *(ſ)* mutor in artes;
(t) Eſt mihi *(u)* per ſævas impetus ire feras.
Jam mihi *(x)* prima Dea eſt, arcu *(y)* præſignis *(z)* adunco
(a) Delia; *(b)* judicium ſubſequor ipſa tuum.
In nemus ire libet, *(c)* preſſiſque in retia cervis,
Hortari celeres per juga ſumma canes:
Aut tremulum *(d)* excuſſo jaculum vibrare lacerto;
Aut in graminea ponere corpus humo.
Sæpe juvat *(e)* verſare leves in pulvere currus,
Torquentem frænis ora *(f)* fugacis equi.
Nunc *(g)* feror, ut Bacchi *(h)* furiis *(i)* Eleleides actæ:
(k) Quæque ſub *(l)* Idæo *(m)* tympana colle movent.

INTERPRETATIO.

Jam quoque (vix poſſis fidem adhibere) ſum propenſa ad artes ignotas antea: *Percupio inſequi feras crudeles. Jam Dea Delia conſpicua arcu recurvo eſt mihi potiſſima: Ego probo judicium tuum. Cupio in ſylvas progredi, & cervis in caſſes concitatis, inſtigare canes veloces per ultima montium cacumina: Aut jacere tremulum jaculum brachio fortiter moto: aut ſpernere artus in terra herboſa. Sæpe libet* mihi *flectenti frænis ora equi fugacis agitare leves currus in pulvere. Nunc incedo ut Bacchi miniſtra agitata ejus furiis*, & ut illæ *quæ pulſant tympana ſub monte Idæo*;

NOTÆ.

(r) *Ignotas*) De Venatura loquitur, cui dedita antea non fuerat.

(ſ) *Mutor in artes*) Venuſtiſſime, pro *vehementer amo*.

(t) *Eſt mihi*) Quia artis eſt amatoriæ, ſeſe ei quem amamus, facilem & indulgentem commodare, noſtroſque ex ejus moribus mores inſtituere, ideo Phædra ſibi ad venationem, quam Hippolytus unice amabat, propenſum animum eſſe dicit.

(u) *Per Sævas*) Plus eſt quam ſi dixiſſet *in feras*.

(x) *Prima*) Quia venationem, cui & indulget Hippolytus meus, ipſa amat.

(y) *Præſignis*) Nam etiam arcu inſtructa pingitur.

(z) *Adunco*) Enimvero in arcus extremitate ubi nervus alligatur, cornua apponuntur recurva, ne is inter tendendum, per ejuſdem extremitates exeat.

(a) *Delia*) *Diana*, a Delo Inſula, ubi, cum Apolline fratre, nata dicitur.

(b) *Judicium*) Id eſt, *Quandoquidem Dianam præſertim colendam tibi ſumpſiſti, eandem quoque in venatione ſequar*.

(c) *Preſſiſque*) *In retia abactis*.

(d) *Excuſſo*) Inter vibrandum de more;

(e) *Verſare*) *Currum & equos agitare & regere*.

(f) *Fugacis*) Hanc vocem; quam pro *ſequacis* poſuerat Heinſius, revocavi.

(g) *Feror*) *Amoris impatientia, huc illuc, Bacchantium more, non ſine furore, diſcurro*.

(h) *Furiis*) Paſſim ex Poetarum ſcriptis quis fuerit Baccharum furor facile eſtediſcere. Ejus rei Pentheum & Lycurgum teſtes facit Horatius Carminum l. 2. Od. 19.

(i) *Eleleides*) *Baccha, Bacchi miniſtra*. Bacchus enim *Eleleus* a vociferatione, etymologia Græca, dictus eſt; quod cum ſtrepitu & clamoribus, ejus orgya, ſeu furialia ſacra celebrarent.

(k) *Quæque*) Mulieres intellige, Cybeles, ſeu Deum matris, ſacra, cum Gallis ſeu Corybantibus, ejus miniſtris, celebrantes.

(l) *Idæo*) Ida mons fuit Phrygiæ, Cretæ etiam, ubi maximus fuit Cybeles cultus.

(m) *Tympana*) Incondito tympanorum & fiſtularum ſono, ac furiali ululatu, ut Bacchi, ita & Cybeles ſacra peragebantur.

Aut

Aut quas semideæ (n) Dryades, (o) Faunique bicornes,
Numine contactas (p) attonuere suo.
Namque mihi (q) referunt, cum se furor ille remisit,
Omnia, me tacitam (r) conscius urit Amor.
Forsitan hunc (ſ) generis fato reddamus amorem;
Et (t) Venus e tota gente tributa petat.
Jupiter (u) Europen ((x) prima est ea gentis origo)
Dilexit, tauro (y) dissimulante Deum.
(z) Pasiphæ mater (a) decepto subdita tauro
Enixa est utero (b) crimen onusque suo.
(c) Perfidus (d) Ægides, ducentia (e) fila secutus,
(f) Curva meæ fugit tecta (g) sororis ope.

INTERPRETATIO.

aut quas semideæ Dryades, & Fauni bicornes attonitas reddiderunt, afflatas suo numine. Namque mihi omnia dicuntur. postquam furor ille sedatus est. Amor conscius consumit me tacitam: Forte hoc amore tenemur fato stirpis; & Venus petit tributa e tota nostra *progenie. Jupiter amavit Europen (ea est prima origo gentis,) tauro velante Deum. Pasiphae, mea mater subjecta tauro deluso emisit crimen & farcinam ex ventre suo. Infidus Theseus secutus fila* illum *regentia se extricavit domo implicita auxilio meæ sororis.*

NOTÆ.

(n) *Dryades*) Nymphæ sylvarum præsides; eo nomine a quercu originatione Græca, sic dictæ.

(o) *Faunique*) Faunos, Satyros; Sylvanos & Silenos sæpe confundunt, Eosque cornutos & caprinis pedibus, agrorum & sylvarum Deos fecerunt Ethnici.

(p) *Attonuere*) *Attonitas & lymphaticas, seu furiosas fecere*. Creditum est enim ab antiquis, furore corripi eos qui Nympham aliquam vidissent.

(q) *Referunt*) *Qui me ita furentem conspexerunt*, supple.

(r) *Conscius*) *Cujus ego sum conscia*.

(ſ) *Generis fato*) *Gentis meæ fortunæ*. Gall. *Peut-estre est-ce par quelque fatalité attachée a nostre maison, que*

(t) *Venus*) Fabula est Venerem, cum Solis indicio, in adulterio cum Marte esset deprehensa, quo eam injuriam ulcisceretur, tantam in omne genus Solis immisisse amoris impatientiam, ut nulla ex eo orta mulier castitatem servare potuerit.

(u) *Europen*) Fuit Europe filia Agenoris, quam Jupiter, Rex Cretæ, navi, cujus insigne taurus erat, ex Phœnicia abreptam, avexit. Unde datus est locus fabulæ. Refertur vero istud ad id quod de sui generis fato dixit Phædra.

(x) *Prima*) Ex Europa enim natus est Minos Phædræ pater.

(y) *Dissimulante*) Notior est de Jove in Taurum mutato fabula, quam ut hic de ea quicquam dicatur.

(z) *Pasiphae*) Solis filia, Minois Uxor, Phædræ mater, quæ Pasiphæ Tauri amore capta: ut eo potiretur, arte Dædali, vaccæ ligneæ inclusa est. Ex quo Minotaurum peperit, monstrum media corporis parte hominem, reliqua Taurum referens.

(a) *Decepto*) Dædali artificio, qui ei vaccam ligneam & Pasiphaem, pro vera vacca subjecit.

(b) *Crimen*) *Minotaurum*, criminis effectum & indicium.

(c) *Perfidus*) Quia fidem Ariadnæ datam non servavit; sed eam in Naxo insula reliquit.

(d) *Ægides.*) *Theseus*, Ægei filius.

(e) *Fila*) Quomodo Theseus sese ex Labyrinto extricaverit, fili ope, quod ex Ariadna acceperat, omnes Mythologi explicant.

(f) *Curva*) Inextricabiles & irremediabiles Labyrinthi errores, & vias periphrastice describit.

(g) *Sororis*) *Ariadnes*, quæ filum Theseo dedit. Scopus vero Phædræ est sororis exemplo, quæ ob Thesei amorem, patrem etiam prodidit, illud quod supra de Veneris in sua gentem vindicta proposuit, confirmare.

En ego nunc, ne forte (*h*) parum Minoia credar;
In (*i*) focias leges (*k*) ultima gentis eo.
Hoc quoque fatale est: placuit domus (*l*) una duabus.
Me tua forma capit, capta (*m*) parente (*n*) foror.
(*o*) Tesides Theseusque duas rapuere forores.
Ponite de nostra bina (*p*) tropæa domo.
Tempore, quo vobis inita est (*q*) Cerealis (*r*) Eleusin,
(*ſ*) Gnosia me (*t*) vellem detinuisset humus.
(*u*) Tunc mihi præcipue, (nec non tamen ante placebas)
Acer in (*x*) extremis offibus hæsit amor.
Candida vestis erat, præcincti (*y*) flore capilli:
(*z*) Flava (*a*) verecundus tinxerat ora rubor.
(*b*) Quemque vocant (*c*) aliæ vultum (*d*) rigidumque trucemque;
Pro rigido, Phædra judice, fortis erat.
(*e*) Sint procul a nobis juvenes, ut fœmina, comti,
(*f*) Fine coli modico forma virilis amat.

INTERPRETATIO.

En ego nunc, ne forte dicar parum Minoia, venio postrema in leges socias mei *generis. Hoc quoque est fato constitutum: Una domus arrisit duabus: Pulcritudo tua me tenet, foror* mea *correpta est patre tuo. Thesides & Theseus ceperunt duas forores. Erigite bina trophæa de nostra domo. Vellem Creta me habuisset tempore quo Cerealis Eleusis intrata est vobis. Tunc (& tamen ante* mihi *placebas) vehemens amor sedit in* meis *offibus intimis. Vestis* tua *erat alba, coma sertis redimita; rubor pudicus pinxerat ora flava. Et species* tua *quam aliæ appellant agrestem & truculentam, pro agresti erat strenua, ex sententia Phædra. Juvenes ornati fœminarum more sint procul a nobis. Elegantia virilis vult ornari modice*

NOTÆ.

(h) *Parum Minoja*) Id est, *Ex alia, quam ex Minois gente, quæ fato, amori dedita est.*

(i) *Socias*) *Nobis omnibus communes, ut amore teneamur.*

(k) *Ultima*) De Europa loquens dixit, *prima*. Ergo a prima ad ultimam, omnes ex Minois gente amori deditæ, ut ex amore procreatæ, fuerunt.

(l) *Una*) *Tua*, fcilicet, *Hippolyte*.

(m) *Parente*) *Tuo, Theseo*.

(n) *Soror*) *Mea, Ariadne*.

(o) *Thesides*) *Hippolytus*, Thesei filius.

(p) *Trophæa*) *Monumenta victoriæ*.

(q) *Cerealis*) *Ubi Cereris mystica sacra primum instituta sunt*.

(r) *Eleusin*) Eleusin, five Eleusis, urbs est Atticæ; non procul ab urbe Athenis, ad occasum: ex qua Ceres etiam cognominata.

(ſ) *Gnosia*) *Creta Insula*, ubi urbs Gnosus vel Gnossus celeberrima, Minois Regia.

(t) *Vellem detinuisset*) Quia te non vidissem, nec amore flagrarem.

(u) *Tunc*) *Cum te in Cereris sacris vidi*.

(x) *Extremis*) *Intimis*.

(y) *Flore*) *Corona ex floribus*. Habitum describit Phædra, quo fibi tantopere placuerat Hippolytus.

(z) *Flava*) *Quæ naturaliter flava sunt; seu alba cum minimo rubore*.

(a) *Verecundus*) *Verecundiam & pudorem indicans*.

(b) *Quemque*) *Tuum*, fcilicet.

(c) *Aliæ*) *Puellæ, quæ mecum in te oculos convertunt*.

(d) *Rigidum*) *Rude, inhumain & sauvage*.

(e) *Sint procul*) Id est, *Non amo*.

(f) *Fine modico*) Illud est quod Galli dicimus. *A certain degré: A certaine mesure*.

(g) Te

(g) Te tuus iste rigor, positique sine arte capilli,
Et (h) levis egregio pulvis in ore decet.
Sive ferocis equi luctantia colla (i) recurvas;
Exiguo flexos miror (k) in orbe pedes.
Seu (m) lentum valido torques hastile lacerto.
(n) Ora ferox in se versa (o) lacertus habet.
Sive tenes (p) lato venabula (q) cornea ferro.
Denique, nostra juvat lumina, quicquid agas.
Tu modo (r) duritiem silvis depone jugosis;
Non sum (ſ) materia digna perire tua.
Quid juvat (t) incinctæ (u) studia exercere Dianæ;
Et Veneri (x) numeros eripuisse suos?
Quod caret (y) alterna requie, durabile non est.
(z) Hæc reparat vires, fessaque membra novat.
Arcus (& arma tuæ tibi sunt (a) imitanda Dianæ,)
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

INTERPRETATIO.

Tua ista severitas vultus, & coma comta sine arte, & pauculus pulvis in ore pulcherrimo te decet. Sive flectis colla repugnantia equi indomiti; miror pedes reductos in parvo circulo. Sive vibras gravem hastam potenti brachio; brachium validum habet vultum meum conversum in se: Sive tractas venabula cornea ample ferro. Denique quicquid facias, illud *placet nostris oculis*, *Tu omitte tantum duritiem in sylvis montosis: non sum digna mori causa tua. Quid prodest incumbere studiis Dianæ succinctæ, & sustulisse Veneri vices suas? Quod destituitur quiete alterna non est durabile. Hæc reficit vires, & restituit artus lassos. Arcus (tuque debes imitari arma tuæ Dianæ) fiet laxus, si numquam desinas intendere.*

NOTÆ.

(g) *Te tuus iste rigor*) Mitius exponendus est hic *rigor*, cum dicit Phœdra, *Tuus iste rigor*, quam supra *rigidus*; Gall. diceremus. *Cet air de fierté que vous avez.*

(h) *Levis*) Qualis est qui per corporis exercitium ex terra excitatur, deinde in vestes vultumque residit: Quem molles & delicatuli adolescentes, ut fœminæ curiose vitant, viri sine affectatione abstergunt.

(i) *Recurvas*) Fræno, scil. non sine peritia. Dicit Phædra sibi Hippolytum quocumque fuerit statu habitu placere.

(k) *In Orbe*) In parvo terræ spatio; Est vero periti sessoris eo modo equum in gyrum dextrorsum & sinistrorsum versare.

(l) *Pedes*) *Equi*, scilicet, *quem tu maxima arte flectis*.

(m) *Lentum*) *Ponderosum* interpretor, *quodque* ideo *curvatur*.

(n) *Ora* (*Mea* scil. *nam me in admirationem rapit, quidquid agas.*

(o) *Lacertus*) *Tuus dum tu hastile torques.*

(p) *Lato*) Id est, *Latum ferrum habentia.*

(q) *Cornea*) *Ex Corno arbore dura, & ad venabula aptissima.*

(r) *Duritiem*) Id est, *Fac ut ex sylvis redeas mei amoris plenus.*

(ſ) *Materia*) *Causa*,

(t) *Incinctæ*) Id est, *Quæ vestis sinus habet collectos, ut ad venationem sit expeditior.*

(u) *Studia*) *Venationem*: Nam Diana Venationis Dea, ejus fuit maxime studiosa.

(x) *Numerus*) Id est, *Ea quæ Veneri suo loco & ordine conveniunt*. Frequens est Gallice hæc locutio.

(y) *Alterna*) Eo nomine appellantur quæ sibi invicem succedunt.

(z) *Hæc*) *Requies*, scilicet, *membra reficit*.

(a) *Imitanda*) Id est, *Oportet ut corpus & animum relaxes, sicut & arcus relaxantur ne vis cornus assidua contentione infringatur.*

Clarus erat silvis (*b*) Cephalus; multæque per herbam
Conciderant, illo percutiente, feræ.
Nec tamen Auroræ male se (*c*) præbebat amandum
Ibat ad hunc (*d*) sapiens a sene (*e*) Diva (*f*) viro.
Sæpe sub illicibus Venerem, (*g*) Cinyraque creatum,
Sustinuit positos quælibet (*h*) herba duos.
Arsit & (*i*) OEnides in (*k*) Mænalia Atalanta.
Illa (*l*) feræ spolium (*m*) pignus amoris habet.
(*n*) Nos quoque jam primum (*o*) turba (*p*) numeremur in ista,
Si Venerem tollas, (*q*) rustica silva tua est:
Ipsa comes (*r*) veniam: nec me salebrosa (*s*) movebunt
Saxa, nec (*t*) obliquo dente timendus aper.
(*u*) Æquora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon,
Et (*x*) tenuis tellus (*y*) audit utrumque mare.

INTERPRETATIO.

Cephalus erat celebris silvis, & multæ feræ procubuerunt in herbam, illo feriente: Neque tamen exhibebat se male amandum Auroræ. Diva sapiens ibat a sene marito ad hunc. Sæpe quodvis gramen duos habuit Venerem & filium Cyniræ stratos sub quercubus. Etiam Meleager perdite amavit Atalantam Arcadicam: Illa habet exuvias apri in pignus amoris. Nos quoque recenseamur jam primum in ista copia amantium. *Si removeas Venerem, silva tua est agrestis. Ego te comitabor: nec cautes asperæ me retinebunt, nec aper metuendus dente obliquo. Duo maria obstrepunt Isthmo suis undis; & terra parva audit bina maria.*

NOTÆ,

(b) *Cephalus*) Celeberrimus ille Procris maritus, ab Aurora adamatus; qui etiam venator fuit.

(c) *Præbebat*) Non eum dicit Auroram amasse, quod esset contra historiam; sed tantum ab iis omnibus non fuisse aversum, quæ amorem spectant. Atque hic locus ad Phædram Auroræ exemplo excusandam, erat maxime idoneus.

(d) *Sapiens*) Quæ maritum [illegible] Cephalo juveni & eleganti postposuit.

(e) *Diva*) *Aurora*.

(f) *Viro*) *Tithono*, scilicet, Laomedontis filio, & Priami fratre.

(g) *Cinyraque*) Adonis est, Cinyra Cypriorum rege & Myrrha ejus filia genitus. quem præsertim Venus amavit.

(h) *Herba*) Id est, *super herba suis amoribus indulserunt*.

(i) *Oenides*) *Meleager*, de quo supra; in Briseidis Epistola.

(k) *Mænalia*) *Arcadica*, a Mænalo, altissimo Arcadiæ monte.

(l) *Feræ*) *Apri Calidonii*, de quo etiam epistola tertia.

(m) *Pignus.*) Quia eo Meleagri amor comprobatus est.

(n) *Nos*) *Tu & ego*.

(o) *Turba*) Ne tam quidem turba: sed ubi rerum testimonia desunt, verbis opes est sententiam suam saltem fulcire.

(p) *Numeremur*) *Mutuo amore teneamur, sicut* [illegible] *qui venatione sunt delectati*.

(q) *Rustica*) *Quæ nihil habeat pulchri aut jucundi*.

(r) *Veniam*) *Si*, scilicet, *velis amare me*.

(s) *Movebunt*) *A proposito tecum venandi abducent*.

(t) *Obliquo*) Vel quia curvus est, vel quia oblique ab apro impingitur.

(u) *Æquora*) Isthmum Corinthiacum describit.

(x) *Tenuis*) Omnino siquidem Isthmus nihil aliud est quam terræ exiguum, ita inter duo maria coarctatum, ut vix impediat ne Chersonesus insula fiat.

(y) *Audit*) Id est, *sita est inter utrumque mare*. Audacia est tropi, qua rei inanimatæ, quod animatorum est, tribuit.

(x Hic

(z) Hic tecum (a) Trœzena colam (b) Pittheia regna.
  Jam nunc est patria gratior illa mea.
(c) Tempore abest, aberitque diu, (d) Neptunius heros.
  Illum (e) Pirithoi detinet (f) ora sui.
(g) Præposuit Theseus (nisi si manifesta negamus
  Pirithoum Phædræ, Pirithoumque tibi.
Sola nec hæc nobis injuria venit ab illo.
  In magnis læsi rebus uterque sumus.
Ossa mei (h) fratris (i) clava perfracta trinodi
  Sparsit humi: soror est præda (k) relicta feris.
(l) Prima (m) securigeras inter virtute puellas
  Te peperit, nati digna vigore (n) parens.
Si quæras, ubi sit; (o) Theseus (p) latus ense peregit:
  Nec (q) tanto mater pignore tuta fuit.

INTERPRETATIO.

Celebrabo hic tecum Trœzena, regna Pittheia: Jam nunc illa jucundior est patria mea. Theseus abest ab aliquo tempore, & aberit diu; Regio Pirithoi sui illum retinet. Theseus (nisi negare velimus ea quæ aperta sunt) pluris fecit Pirithoum, quam Phedram & te. Nec illa una injuria nobis est orta ab illo: uterque sumus offensi in magnis rebus. Per terram disjecit ossa mei fratris perfracta clava trinodi: Soror est deserta in prædam feris. Mater te genuit virtute præcipua inter Amazonas, digna virtute filii. Si petas ubi sit: Theseus transfodit latus gladio: nec mater secura fuit tanto filio.

NOTÆ.

(z) *Hic*) *Ubi tu esse; & venari amas.*

(a) *Trœzena*) Trœze seu Trœzena urbs est Argolidis in Peloponneso, ab Isthmo Corinthiaco, ad ortum.

(b) *Pittheia*(*Ubi Pittheus pater Æthræ*, quam Theseus matrem habuit, *regnavit.*

(c) *Tempore*) *Jam ab aliquo tempore*: nisi mavis *opportune*, ut aliis placuit.

(d) *Neptunius*) *Theseus*, cujus pater Ægeus, Ægei Neptunus.

(e) *Pirithoi*) Quem jam supra Theseo amicitia conjunctissimum fuisse vidimus.

(f) *Ora*) *Regio quam Pirithous incoluit*, *Thessalia*, scil. circa Peneum amnem; ubi potentatum Ixionem Pirithoi patrem tenuisse, scribit Diodorus. Ora vero, seu regio, posita est, Pirithoo Incola.

(g) *Præposuit*) *Quandoquidem nos hic reliquit, & ad Pirithoum suum non modo ivit, sed & ibi semper commoratur.* Thesei vero, quam caussatur negligentia, & injuriis, Hippolytum ad patris contemtum Phædra & sui amorem conatur perducere,

(h) *Fratris*) *Minotauri.*

(i) *Clava*) Qua sicut & Hercules, in memoriam victoriæ, quam de latrone quodam reportavit, tali loco Theseus usus est.

(k) *Relicta*) Jam supra diximus Ariadnen in insula Naxo, a Theseo relictam.

(l) *Prima*) Nunc ad Injurias descendit a Theseo Hippolyto illatas; Et ut major prima videatur, quæ ejus matrem afflixit, eam ante omnia laudat.

(m) *Securigeras*) *Amazones*, quibus arma fuerunt præcipue secures.

(n) *Parens*) *Hippolyte, mater tua.*

(o) *Theseus*) Alii contra scribunt ab Amazone quadam eam Interfectam fuisse, cum a Thesei partibus staret, bello quod ille adversus Amazonas gessit.

(p) *Latus*) Invidiose vox ista posita est, & facti atrocitatem auget.

(q) *Tanto*) *Te*, scilicet. Multa autem solent uxoribus condonare mariti, liberorum causa.

At (r) nec nupta quidem, (ſ) tædaque accepta jugali;
(t) Cur, niſi ne caperes regna paterna nothus?
Addidit & (u) fratres ex me tibi, quos tamen omnes
Non ego (x) tollendi cauſa, ſed ille fuit.
O utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum,
In medio niſu (y) viſcera rupta forent!
(z) I nunc, i, (a) meriti lectum reverere parentis;
(b) Quem fugit, & factis abdicat ille ſuis.
Nec, quia (c) privigno videar coitura noverca,
Terruerint animos (d) nomina vana tuos.
(e) Iſta (f) vetus pietas, ævo moritura futuro,
(g) Ruſtica (h) Saturno regna tenente, fuit.
(i) Jupiter eſſe pium ſtatuit quodcumque juvaret:
Et fas omne facit (k) fratre marita ſoror,

INTERPRETATIO.

At nec fuit quidem desponſata, nec admiſſa face jugali: Quamobrem niſi, ne ſpurius regna paterna conſequereris. Adjunxit etiam tibi fratres ex me; quos tamen omnes ego non fui cauſa educandi, ſed ille. O utinam, pulcherrime rerum, præcordia tibi obfutura fracta eſſent in medio partu? Ito nunc, ito & reverere torum patris meriti. Tu quem fugit & rejicit actis ſuis. Nec nomina vana metum incuſſerint tuæ menti. Quoniam videar noverca ventura ad privignum. Fuit iſta antiqua pietas dum Saturnus potiretur regno rudi: quæ periret ſeculo futuro. Jupiter ſanxit pium eſſe quodcumque prodeſſet, & Juno *ſoror conjux Jovi fratri facit omne fas* eſſe,

NOTÆ.

(r) *Nec nupta*) Altera eſt Theſei injuria, quod Hippolyti matrem uxorem non duxerit, ut is nothus eſſet, nec hæreditarium regnum adiret.

(ſ) *Tædaque*) Antea, in Phyllidis epiſtola, quædam ea de re annotavimus.

(t) *Cur*) *Non duxit* ſcil. *Hippolyten uxorem?*

(u) *Fratres*) Unum antea, Demophoonta nempe, vidimus. Qui vero patres liberos ſuos valde amant, neque illis novercas, neque, ex iis, alios fratres quærunt.

(x) *Tollendi*) *Educandi* Quæ vero fuerit priſcorum temporum in infantibus crudelitas; quibus quidem temporibus, patres, pro libitu, recens natos, vel humo tollendos, deinde & nutriendos, vel mactandos, aut exponendos jubebant, fabulæ & Hiſtoriæ prædicant.

(y) *Viſcera*) Hubertinus, qui certe maximam & imprimis laudabilem operam in Ovidio explanando collocavit, Phædram ſibi ipſi hoc in loco male precatam eſſe, & mortem optaſſe, putavit. Nihilominus tamen crederem potius per *viſcera* intelligendos eſſe pueros, quos in ipſo partu mallet ſuffocaſſe, quam ut Hippolyto nocerent.

(z) *I nunc*) Irriſio eſt. Arbitratur Phædra ſe plura quam ſit opus congeſſiſſe, ut omnem patris reverentiam ex Hippolyti pectore eradicaret.

(a) *Meriti*) Immeritum contra intelligit.

(b) *Quem*) Hippolytum intellige, quem fugiſſe & factis exhæredaſſe Theſeum patrem Phedra contendit.

(c) *Privigno*) *Tibi* ſcil. Gall. *Beau fils*,

(d) *Nomina*) *Privignus* & *Noverca*.

(e) *Iſta*) Contemtum habet iſtud pronomen.

(f) *Vetus*) Adeoque contemnenda & deponenda.

(g) *Ruſtica*) *In quibus neque cognitio, neque virtus, ſed craſſa modo ruſticitas locum habuit.*

(h) *Saturno*) Saturnus Cœli & Terræ filius, Jovis pater.

(i) *Jupiter*) Qui nunc patre de ſolio deturbato, mundi tenet moderamina.

(k) *Fratre*) Pro *fratri*, *Jovi* ſcilicet, qui Junonis frater eſt. Dicit, Jovem omnia in amore licita feciſſe, qui Junonem ſororem in uxorem acceperit.

(l) Illa

(*l*) Illa coit (*m*) firma generis junctura catena,
Imposuit nodos cui Venus ipsa suos.
Nec labor est (*n*) celare, (*o*) licet, pete (*p*) munus (*q*) ab illa,
(*r*) Cognato poterit nomine (*ſ*) culpa tegi.
Viderit amplexos aliquis? laudabimur ambo.
(*t*) Dicar privigno fida noverca meo.
(*u*) Non tibi per tenebras duri reseranda mariti
Janua, non custos decipiendus erit.
(*x*) Ut tenuit domus una duos, domus una (*y*) tenebit.
Oscula aperta dabas, oscula (*z*) aperta dabis.
(*a*) Tutus eris mecum, (*b*) laudemque merebere culpa;
Tu licet in lecto conspiciare meo.
Tolle moras tantum, properataque (*c*) fœdera (*d*) junge.
Qui mihi nunc sævit, (*e*) sic tibi parcat Amor.

INTERPRETATIO.

Illa fit conjunctio generis firma catena, cui Venus ipsa addidit nodos suos. Nec difficile est tegere, conceditur; posce munus ab illa: crimen poterit velari nomine affini. Aspexerit nos conjunctos aliquis? ambo laudabimur: vocabor noverca indulgens privigno meo. Ostium mariti ferocis non erit tibi aperiendum de nocte; custos non erit fallendus. Quemadmodum domus una nos duos habuit, domus una habebit: Ferebas oscula coram omnibus, feres coram omnibus. Eris securus mecum, & facies laudem tuam crimine, quamvis videaris in lecto meo. Remove tantum moras, & necte accelerata fœdera. Sic amor, qui mihi est crudelis, tibi sit propitius.

NOTÆ.

(l) *Illa*) Scopus est, omnem consanguinitatis proximitatem, præ Veneris necessitudine aspernari; quasi hæc sola conjunctio dici mereatur. Atque id facit Phædra, ut omnem scrupulum ex Hippolyti animo, circa violandum paternum lectum, amoveat. Quod quidem cujus sit generis nemo non videbit.

(m) *Coit*) Est vera & firma, non ut imaginariæ & simulatæ illæ sanguinis juncturæ. *Il faut appeller alliance.*

(n) *Celare*) *Amores nostros*, scilicet.

(o) *Licet*) *Facile est.*

(p) *Munus*) *Celandi amores nostros*, scil.

(q) *Illa*) *Venere*, quæ amorem alium; pro alio ostendat. Clarius istud postmodum dicetur.

(r) *Cognato*) *Nomine quo cognati appellantur.* Tota res manifesta fiet, duobus versibus proxime sequentibus.

(ſ) *Culpa*) *Amor noster.*

(t) *Dicar*) *Qui nos viderit amplexos, dicet istud ex charitate & pietate, non amore impuro, procedere.*

(u) *Non tibi*) A facilitate Hippolytum nititur in sententiam suam adducere.

(x) *Ut tenuit*) Quando alias mecum fuisti in domo patris tui.

(y) *Tenebit*) Nec quicquam in eo erit suspectum.

(z) *Aperta*) *Coram omnibus.*

(a) *Tutus*) *Ab omni infamia*, scil.

(b) *Laudemque*) *Quia omnes qui te videbunt, ex legitimo filii erga matrem affectu suas blanditias venire arbitrabuntur.*

(c) *Fœdera*) *Amoris improba*, scil. de quibus locuta est.

(d) *Junge*) *Veni cito & properanter ut Amoris jungamus fœdera.*

(e) *Sic tibi parcat*) Id est. *Ita tibi parcat ut tu cito venies*; vel potius, *Ne tibi parcat, ut nec mihi pepercit Amor.: sævitia sua te horsum adigat.*

Non *(f)* ego dedignor supplex humilisque precari!
  Heu! *(g)* ubi nunc fastus; altaque verba jacent?
Et pugnare diu, nec me summittere culpæ
  (h) Certa fui: certi si quid haberet Amor.
Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
  Brachia, quid deceat, non videt ullus amans.
(i) Depuduit; profugusque pudor sua signa *(k)* relinquit.
  Da veniam *(l)* fassæ, *(m)* duraque corda doma,
(n) Quo mihi, quod *(o)* genitor, qui possidet *(p)* æquora, Minos?
  Quod veniant *(q)* proavi fulmina torta manu?
Quod sit avus, radiis frontem *(r)* vallatus acutis,
  Purpureo tepidum qui movet axe diem?
(s) Nobilitas sub Amore jacet, miserere *(t)* priorum,
  Et, mihi si non vis parcere, parce meis.
(u) Est mihi dotalis tellus *(x)* Jovis insula *(y)* Crete.
  Serviat Hippolyto regia tota meo.

INTERPRETATIO.

Ego non refugio orare supplex & humilis! Heu! ubi nunc superbia! Ne dum ulla adsunt verba magnifica? Et diu constitui resistere, nec me tradere crimini; si Amor haberet aliquid constituti. Victa oro, & porrigo brachia regalia ad tua genua. Nullus amans cernit quid deceat. Depuduit; & pudor exul deseruit sua signa. Ignosce confitenti, & vince cor tuum durum. Quid mihi prodest quod pater sit Minos qui obtinet maria? Quod fulmina vibrata torqueantur manu proavi? Quod avus, qui curru purpureo diem calidum reducit, habeat frontem circumdatam radiis acutis? Nobilitas sub amore prostrata est. Miserere majorum, & ignosce meis, si nolis mihi ignoscere. Creta insula Jovis terra est mihi in dotem. Regia tota pareat meo Hippolito.

NOTÆ.

(f) *Ego*) Nunc in se ipsam reflectitur; dumque videtur sola secum agere eo maxime Cupidinis arcus contra Hippolytum intendit, Amoremque non contemnendum suadet. *Ego* vero, pronomen, magnam habet emphasim, quasi diceret, *Ego Jovis & Solis Neptis, quæ antea quoslibet solebam spernere, jam supplex*, &c.

(g) *Ubi nunc*) Conqueritur quod omnia Amor in ipsa depresserit & proculcaverit.

(h) *Certa fui*) *Prorsus decreveram Amori resistere.*

(i) *Depuduit*) *Pudorem omnem abjeci.*

(k) *Relinquit*) *Virtutem & honestatem, cujus est custos quandoque, deserit.* Metaphora sumpta a Militibus.

(l) *Fassæ*) *Mihi, quæ amorem meum sum tibi confessa, parce.*

(m) *Dura*) *Tua*, scil. atque *ad amorem flecte.*

(n) *Quo mihi*) *Quid mihi prodest.*

(o) *Genitor*) *Sit mihi*; supple.

(p) *Æquora*) Quia Rex Cretæ cujus late imperium per mare valuit.

(q) *Proavi*) *Jovis*, scil. qui Phedræ ex parte Matris proavus fuit, quandoquidem ipsa filia fuit Phasiphaes, Pasiphae Solis, Jovem vero patrem Sol habuit. Sed ex parte patris Minois Jupiter Phedræ tantum avus fuit.

(r) *Vallatus.*) Pingitur & Sol idem eo modo radiis circumdatus.

(s) *Nobilitas*) *Mea* scil.

(t) *Priorum*) *Majorum meorum, ne coacta duritie tua turpi amoris exitu Gentis decus violem.*

(u) *Est mihi*) Oratorie istud dicitur. Quo enim jure sola paternum regnum obtinuisset?

(x) *Jovis*) Ubi & ille natus & educatus est.

(y) *Crete*) Nobilissima Mediterranei insula. *Candie*;

Fle-

Flecte (z) feros animos, potuit (a) corrumpere (b) taurum
Mater. eris tauro sævior ipse truci?
Per Venerem parcas oro, quæ (c) plurima mecum est:
(d) Sic nunquam, quæ te spernere possit, ames.
Sic tibi (e) secretis agilis (f) Dea saltibus adsit,
Silvaque (g) perdendas præbeat alta feras.
Sic faveant (h) Satyri, montanaque numina Panes:
Et cadat adversa cuspide fossus aper.
Sic tibi dent (i) Nymphæ (quamvis odisse puellas
Diceris) arentem quæ levet unda sitim.
Addimus his lacrymas precibus quoque: verba precantis
Perlegis, & lacrymas (k) finge videre meas.

INTERPRETATIO.

Frange ferociam animi. Mater potuit movere taurum: Erisne ipse crudelior tauro feroci? Per Venerem quæ est plurima mecum, precor te ut mihi ignoscas. Sic nunquam diligas quæ possit te contemnere. Sic tibi Diana faveat in saltibus remotis: & silva excelsa exhibeat feras interficiendas. Sic adsint Satyri, & Panes Dii montani: & aper transverberatus cadat venabulo suo opposito. Sic Nymphæ (quamvis diceris odisse puellas) tibi aquam exhibeant quæ sedet sitim siccam. Adjungimus quoque lacrymas his precibus: absolvis verba orantis, cogita etiam cernere lacrymas meas.

NOTÆ.

(z) *Feros*) *Amori resistentes.*

(a) *Corrumpere*) *Ad amorem sui perducere.*

(b) *Taurum*) Quando ipsa in Pasiphae sese in vacca lignea a Dædalo fabbricata, occultavit.

(c) *Plurima*) Quia multum amabat Phædra. Sed vide quomodo ex verbis fecit argumentum.

(d) *Sic*) Obtestandi particula; id est *perinde eveniat ut tu ames vel non ames puellam quæ te amet aut spernat, ut tu mihi peperceris.*

(e) *Secretis*) *Ab hominum cœtibus remotis.*

(f) *Dea*) *Diana.*

(g) *Perdendas*) *Interficiendas.*

(h) *Satyri*) Jam antea Satyros, Faunos, Panesque, Deos esse agrestes & sylvaticos diximus.

(i) *Nymphæ*) *Aquarum Deæ.* Hippolyto Phædra ea omnia adprecatur quæ a Venatore possunt desiderari.

(k) *Finge*) Optime istud ultimum addidit; nam nihil magis animum movet; quam istud quod phantasia repræsentatur. Frustra tamen Phædra castissimum pectus ad nequitiam conata est perducere. Quamobrem illum ad patrem accusavit quasi de stupro eam appellasset; ex quo factum ut correpta fuga, atque exterritis equis qui ejus currum trahebant a Phocis quos Neptunus Thesei voto immisit per scopulos & saxa distractus, male perierit.

EPISTOLA QUINTA.

ARGUMENTUM.

Cum Hecuba, Cissei filia, & Priami uxor, gravida esset, ardentem se parere facem, qua omnis inflammaretur Troja, somniavit. Territus itaque Priamus oraculum consuluit: a quo cum responsum accepisset, filium ipsi fore, qui Patriæ exitium afferret, partum, quam primum ederetur, interfici jussit. Hecuba vero, cum puerum, qui postea Paris dictus est, peperisset, materna pietate mota, pastoribus regiis eundem clam alendum mandavit. Qui, cum jam convaluisset, Oenonen Nympham adamavit, eamque, ut

non-

nonnullis placet, uxorem duxit. Sed cum Juno, Pallas, & Venus de pulchritudine contenderent, propter aureum pomum, in quo scriptum legebatur, Detur pulcriori, *a Jove ad Paridem arbitrum remissa sunt: qui, cum Juno regnum, Pallas sapientiam, Venus mulierum pulcherrimam obtulisset, pro Venere sententiam tulit. Postea a Patre cognitus Paris, & receptus, Sparten navigavit, Helenamque, Menelai uxorem raptam abduxit Trojam. Quo intellecto,* (a) *Oenone conqueritur hac epistola de ejus perfidia, Helenamque Græcis reddat, suadet.*

OENONE PARIDI.

PErlegis? an conjux prohibet (*b*) nova? perlege, non est
  Ista (*c*) Mycenæa (*d*) littera facta manu.
(*e*) Pegasis Oenone, (*f*) Phrygiis celeberrima silvis,
  (*g*) Læsa queror de te, si sinis ipse meo.
Quis Deus opposuit nostris sua numina votis?
  Ne tua permaneam, quod mihi crimen obest?
Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum est:
  Quæ venit indignæ pœna, dolenda venit,
Nondum (*h*) tantus eras, cum te contenta marito,
  Edita de magno flumine Nympha fui.
Qui nunc (*i*) Priamides, (*k*) adsit reverentia vero)
  Servus eras, servo nubere Nympha (*l*) tuli.
Sæpe (*m*) greges inter requievimus arbore tecti;
  Mistaque cum foliis præbuit herba torum.
Sæpe super stramen fœnoque jacentibus (*n*) alto
  Defensa est humili cana (*o*) pruina casa.

INTERPRETATIO.

P*Erlegisne? an recens nupta impedit? Perlege: Ista epistola non est scripta manu Mycenæa.* Ego *Oenone Pegasis laudatissima in silvis Phrygiis, offensa conqueror de te, qui meus es, si tu ipse concedis. Quis Deus objecit suam potestatem nostris desideriis? Quænam culpa obicem ponit, ne semper sim tua? Tolerandum est æquo animo quicquid patiaris ex merito. Pœna quæ offertur immerenti offertur ægre ferenda. Non tam magnificus eras, cum ego Nympha nata ex magno flumine, fui contenta te marito.* Tu, *qui nunc filius es Priami, (concedatur honor veritati) eras servus.* Ego *Nymphæ sustinui nubere servo. Cubuimus sæpe inter greges, obvelati arboribus; & herba mista cum foliis fuit* noster *lectus. Sæpe alba pruina depulsa est a nobis prostratis super stramento & fœni meta, depresso tugurio.*

NOTÆ.

(a) *Oenone*) Nympha Cebrenis, Troadis fluvii, filia, ut placet Apollodoro; vel Xanthi, ut alii volunt.

(b) *Nova*) *Helena*, scil. *quam nuper rapuisti.* Invidiose.

(c) *Mycenæa*) Menelai aut Agamemnonis; quorum Patria Mycenæ Peloponnesi Civitas.

(d) *Littera*) *Qua Helena a te repetatur: quamque adeo non libenter legas.*

(e) *Pegasis*) *Fontana*, Græca Etymologia; & una ex Naiadibus, cum sit fluvii filia,

(f) *Phrygiis*) Jam antea diximus hanc Phrygiam, quæ minor est, Troadem esse, in qua mons Ida; ubi Paris educatus fuit.

(g) *Læsa*) *Quandoquidem aliam conjugem, Helenam*, scil. *tibi delegisti.*

(h) *Tantus*) *Tanto nomine & potentia.* Credebatur enim Paris pastoris regii servus, non regis filius.

(i) *Priamides*) *Priami filius.*

(k) *Adsit reverentia*) Id est, *Ignoscas, si vera narro.*

(l) *Tuli*) *Passa sum.*

(m) *Greges*) Pergit in retundenda Paridis superbia, qua se rejectam credit.

(n) *Alto*) *Super fœni acervo in fœnili.*

(o) *Pruina*) *Gelée blanche.*

(p) Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos,
Et tegeret catulos qua fera rupe suos?
Retia sæpe comes (q) maculis distincta tetendi;
Sæpe citos egi per juga longa canes.
Incisæ (r) servant a te mea nomina fagi:
Et legor Oenone falce notata tua.
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt:
Crescite, & in titulos surgite recta meos.
Populus est (memini) fluviali consita ripa.
Est in qua (s) nostri littera scripta memor.
Popule, vive precor, quæ consita margine ripæ,
Hoc in rugoso cortice carmen habes:
CUM PARIS OENONE POTERIT SPIRARE RELICTA,
AD FONTEM (t) XANTHI VERSA RECURRET AQUA.
Xanthe, retro propera; versæque recurrite lymphæ,
(u) Sustinet Oenonen deseruisse Paris.
(x) Illa dies (y) fatum miseræ mihi dixit: ab illa
Pessima (z) mutati cœpit amoris (a) hyems;

INTERPRETATIO.

Quis ostendebat tibi saltus commodos ad venandum, & qua caute fera occultaret suos catulos? Sæpe comes posui plagas maculis effictas. Sæpe agitavi canes celeres per extensa montium cacumina: fagi a te sculpta retinent mea nomina: & legor Oenone signata tuo scalpro. Et mea nomina tantum augentur, quantum trunci. Crescite & in sublime nitimini recta in meam laudem. Est populus (recordor) posita ad amnis ripam; in qua est littera exarata memor nostri. Popule vitam ducito, quæso, quæ posita es in extrema ripa; habes hoc distichon in corrugato & aspero cortice: CUM PARIS POTERIT VIVERE OENONE DESERTA, AQUA REFLEXA FERETUR AD FONTEM XANTHI. *Xanthe, retrorsum curre, & aqua conversa recurrite: Paridem non pudet reliquisse Oenonen. Illa dies fatalis fuit mihi misera, ab illa cœperunt gravissima mala amoris mutati.*

NOTÆ.

(p) *Quis*) Jam beneficia exprobrat.

(q) *Maculis*) Sunt maculæ retis foramina, *les Mailles*. Hic somniavit quidam Interpres: quod quidem ideo tantum admoneo; ut sibi quisque caveat ne alienis erroribus ducatur.

(r) *Servant*) Mos est adolescentibus eo modo corticibus arborum puellarum, quas amant, nomina insculpere. Quanquam vero leves & nullius ponderis videantur hæ exprobrationes; attamen cum præteritos amores & anteactam vitam quasi ob oculos ponant, non possunt non esse magni momenti ad commovendum; ut hic etiam trunci quos compellat Oenone vocati respondeant.

(s) *Nostri memor*) *Propter scripturam quam in ea de me Paris signavit.*

(t) *Xanthi.*) Fuit Xanthus fluvius agri Trojani.

(u) *Sustinet*) Vim habet occultam vox ista, quasi dicat, *quod incredibile est, illud fecit.*

(x) *Illa dies*) *Qua Venus & Juno.* Lege ea quæ sequuntur.

(y) *Fatum dixit*) *Fuit fatalis.*

(z) *Mutati*) *Qui mihi non amplius favit*: nam postea Paris alio amores suos transtulit.

(a) *Hyems*) Frigus illud quod durum & molestum est, significat vulgo vox ista. Sæpe etiam pro re adversa ponitur.

Qua Venus & Juno, ſumtiſque (*b*) decentior armis
  Venit in (*c*) arbitrium nuda Minerva tuum.
Attoniti (*d*) micuere ſinus, gelidusque cucurrit,
  Ut mihi (*e*) narraſti, dura per oſſa tremor.
Conſului (neque enim modice terrebar) (*f*) anuſque,
  (*g*) Longævoſque ſenes: (*h*) conſtitit eſſe neſas:
(*i*) Cæſa abies, (*k*) ſectæque trabes, &, claſse parata,
  (*l*) Cærula (*m*) ceratas accipit unda rates.
Fleſti diſcedens: hoc ſaltem parce negare.
  (*n*) Præterito magis eſt (*o*) iſte pudendus amor.
Et fleſti, & noſtros vidiſti (*p*) flentis ocellos.
  Miſcuimus lacrymas mœſtus uterque ſuas
Non ſic appoſitis vincitur vitibus (*q*) ulmus,
  Ut tua ſunt collo brachia (*r*) nexa meo.

INTERPRETATIO.

qua Venus & Juno, & Pallas magis decora armis aptatis, venit nuda ad judicium tuum. Pectus perculſum trepidavit, & horror gelidus cucurrit per oſſa dura, ut mihi illud *dixiſti. Conſului (neque enim parum percellebar) & anus, & ſenes longævos. Certum fuit eſſe nefas. Pinus ſunt exciſæ, & trabes dolatæ; &, claſſe excitata, mare cæruleum excipit naves, cera obductas. Abiens lacrymas dediſti: noli ſaltem hoc diffiteri: Iſte amor eſt magis erubeſcendus quam prior. Et lacrymaſti, & intuitus es ocellos noſtros lacrymantes: Uterque triſtis confudimus lacrymas ſuas. Ulmus non ſic conſtringitur vitibus juxta ſe poſitis, ut brachia tua connexa ſunt collo meo.*

NOTÆ.

(b) *Decentior*) Spectabilior eſt Pallas; Dea belli, armata, qualem deſcribit Homerus, quam nuda.

(c) *Arbitrium*) Ut judicaret Paris quænam pulcrior cui pomum daretur.

(d) *Micuere*) Gall. diceremus, *J' eus de grands battemens de cœur.*

(e) *Narraſti*) *Tres Deas ad judicium veniſſe; promiſſamque tibi a Venere pulcherrimam puellam.* Sed quæ moleſta ſunt non exprimit.

(f) *Anus*) *Sortilegas & fatidicas*, ſcil.

(g) *Longævos*) *Senes qui diu vixerunt*: quos vulgus olim ſortilegos, hodie veneficos ſtatim credit.

(h) *Conſtitit eſſe nefas*) *Pro certo cognovi nefas eſſe.* Gall. *Il ſe trouva qu' il y avoit de la diablerie.*

(i) *Cæſa*) *Ex monte Ida, qua naves conſtruerentur, ut in Græciam ad Helenam navigares.*

(k) *Sectæque*) *ad naves ædificandas dolatæ.*

(l) *Cærula unda*) *Mare*, cujus aquæ cæruleæ videntur.

(m) *Ceratas*) *Cera & pice oblitas.*

(n) *Præterito*) *Quando me amabas.*

(o) *Iſte*) *Novus quo in Helenam duceris.* Per contemtum loquitur, cum dicit *iſte*.

(p) *Flentis*) *Mei flentis*; in genitivo caſu; nam Accuſativus ſi eſſet, longa fieret ſyllaba, ut annotavimus ad Salluſtium. Nec conſtructio videri debet extraordinaria; namque eo plane modo Horatius lib. 1. ſat. 4.

---- cum mea nemo.
ſcripta legat, vulgo recitare timentis.

Atque ita & Virgilius, & Cicero loquuti ſunt, ut optime annotavit Clariſſimus Heinſius.

(q) *Ulmus*) Qua arbore utebantur, præſertim in Italia ad fulciendas vites.

(r) *Nexa*) *Cum diſcederes in Græciam iter facturus.*

Ah

Ah quoties, cum te vento (*f*) quererere teneri,
(*t*) Riserunt comites! ille secundus erat.
Oscula (*u*) dimissæ quoties repetita dedisti!
Quam vix sustinuit dicere lingua, *Vale!*
(*x*) Aura levis (*y*) rigido pendentia lintea malo
(*z*) Suscitat; & remis (*a*) eruta canet aqua.
Prosequor infelix oculis abeuntia vela,
Qua licet; & lacrymis humet arena meis.
Utque celer venias (*b*) virides (*c*) Nereidas oro.
(*d*) Scilicet ut venias in mea damna celer.
(*e*) Votis ergo meis (*f*) alii rediture redisti?
Hei mihi, pro dira (*g*) pellice (*h*) blanda fui!
Aspicit immensum (*i*) moles nativa (*k*) profundum;
Mons fuit: æquoreis illa resistit aquis.
Hinc ego vela tuæ cognovi (*l*) prima carinæ:
Et mihi per fluctus impetus (*m*) ire fuit.

INTERPRETATIO.

Ah! quoties comites riserunt, cum querereris te retineri vento? Illa erat favens. Quoties obtulisti oscula iterata mihi relicta, Quam ægre lingua tua potuit dicere. Vale! *Ventus secundus inflat vela pendentia ex malo erecto & aqua pulsata remis albescit; Misera oculis comitor navem tuam fugientem quantum possum; & sabulum fit madidum meis lacrymis. Atque precor Glaucas Nereidas ut cito redeas. Scilicet ut cito redeas in meam calamitatem. Tu ergo qui rediturus eras beneficio precum mearum, redidisti ad alterius utilitatem! Hei mihi supplex fui pro crudeli pellice! Moles a natura facta spectat mare vastissimum, Mons fuit: Illa stat adversus aquas marinas. Hinc ego cognovi prima lintea tuæ navis; & conata sum ad te venire, per undas.*

NOTÆ.

(f) *Quererere*) Indicat Oenone Paridem quanquam ventus esset secundus, quod esset adversus, conquestum esse, ut saltem aliqua esset excusatio aut prætextus, quo amor suus erga Oenonen, qui eum retinebat, quoquomodo dissimularetur.

(t) *Riserunt*) *De futili quam obtendebat, excusatione; cum scirent se amore nostro teneri.*

(u) *Dimissa*) Postquam discessisset, redibat, ut iterum oscula repeteret, quod amoris mollitiem prodit.

(x) *Aura*) Paridis discessum exponit.

(y) *Rigido*) scilicet malus, seu navis arbor, *le mast*; stare & erectus esse debet.

(z) *Suscitat*) *Inflat*,

(a) *Eruta*) Remis aqua propemodum ex profundo erui, seu trahi videtur.

(b) *Virides*) Quia inter herbas habitant, & aquas quæ ex riparum repercussu virides & glaucæ conspiciuntur.

(c) *Nereidas*) *Nymphas*, *Nerei filias*.

(d) *Scilicet*) Est quasi irrisio sui ipsius, cum jam Paridem sciat alio amore implicitum.

(e) *Votis*) Perinde loquitur ac si vota causa fuissent reditus; ut inde majus Paridi crimen objiciat. Argute profecto.

(f) *Alii*) In Helenæ, scilicet, utilitatem, & commodum.

(g) *Pellice*(Pellex est quæ legitimæ uxoris locum nequiter occupat. Helena hic intelligitur.

(h) *Blanda*) *Apud Deos supplex, quos votis meis pro te sollicitavi.*

(i) *Moles nativa*) Sigæum promontorium, aut quodvis aliud describit; unde Paridem Græcia redeunte primum conspicata est.

(k) *Profundum*) *Mare*.

(l) *Prima*) Quod affectum declarat, quo, primi, quod alii etiam sentire possunt, cognoscimus.

(m) *Ire*) *Ut te citius complecterer.*

Dum

Dum moror, in fumma fulfit mihi purpura prora.
Pertimui: *(n)* cultus non erat ille tuus.
Fit propior, terrafque *(o)* cita ratis attigit aura:
Fœmineas vidi corde tremente genas.
Non fatis *(p)* id fuerat: *(q)* (quid enim furiofa morabar?)
Hærebat gremio turpis amica tuo.
Tunc vero rupique finus, & pectora *(r)* planxi,
Et fecui madidas ungue *(f)* rigente genas:
Implevique *(t)* facram querulis ululatibus Iden,
Illinc has lacrymas *(u)* in mea faxa tuli.
(x) Sic Helene doleat, defertaque conjuge ploret;
(y) Quæque prior nobis intulit, ipfa ferat.
Nunc *(z)* tibi conveniunt, quæ te per *(a)* aperta fequantur
Æquora, *(b)* legitimos deftituantque viros.
At cum pauper eras, *(c)* armentaque paftor agebas,
Nulla, nifi Oenone, *(d)* pauperis uxor erat.

INTERPRETATIO.

Dum maneo purpura mihi fplenduit in extrema prora. Valde timui; ille ornatus non erat tuus. Navis appropinquat, & attigit terras veloci vento: vidi vultus fœmineos corde attonito. Id non fuerat fatis: (Quid enim infana ibi ftabam?) Infamis amica fedebat in tuo finu. Tum vero veftes difcerpfi, & pectus percuffi, & laceravi genas madidas duris unguibus. Et implevi facram Idam lacrymofis quæftibus. Illinc tuli meas lacrymas in meas rupes. Sic Helena lugeat, & fleat derelicta a marito; & ipfa patiatur quæ prior nobis importavit. Nunc ad te veniunt, quæ fequantur te per vafta maria, & deferant maritos fuos. At cum eras inops, & paftor pafcebas boves, nulla præter Oenonen erat uxor inopis.

NOTÆ.

(n) *Cultus*) *Pertimui, quod in prora fedentem aliquem confpicarer, cujus cultus, feu veftes, te non effe referebant.*

(o) *Cita*) Quæ etiam cito navem ad portum perpulit.

(p) *Id*) *Vidiffe fœminam purpura ornatam; ex quo ftatim crimen tuum perfpicere debui.*

(q) *Quid enim*) Quam fuftulerat Heinfius parenthefim, ad commodiorem fenfum, repofui.

(r) *Planxi*) *Defperantium more percuffi.*

(f) *Rigente*) *Duro.*

(t) *Sacram*) Propter Cybelem præfertim ejufque ceremonias.

(u) *In mea faxa*) *Ut ibi fola & mœfta jacerem.* Hæc eft omnino dolentium & plangentium confuetudo. Primo querimoniis fuis obvios quofque obtundunt: dein, ubi folatii nihil eft, laffi in aliquod latibulum fefe conjiciunt.

(x) *Sic*) *Ut ego doleo.* Quam perite naturam fequitur Ovidius!

(y) *Quæque*) *Et omnia eadem mala, quæ ipfa prior nobis intulit.*

(z) *Tibi conveniunt*) Pro *tecum veniunt*; quod in aliis legitur codicibus. Ita vero locutum effe Ovidium exemplis probavit Heinfius, quæ poftea videbimus. Invidiofe vero plurali numero utitur; ut fignificet Oenone nullam in Helena laudem, nullumque amorem effe; fed eam commodis fuis fervire; quod mille aliæ pariter facerent.

(a) *Aperta*) *Quæ non dubitent alto & procellofo mari fefe committere.* Scopus eft Oenones, Helenæ fucatum amorem animumque titulis, non perfonæ fervientem, infectari. Verum infuper ex Zelotypia eam in tranfcurfu perftringit; omniaque in ipfa damnat. Gall. diceret, *Vous avez a prefent des Coureufes, qui*, &c.

(b) *Legitimos*) De Helena tantum loquitur, quæ maritum Menelaum reliquit; fed, ut modo innuimus, eam Oenone in meretricularum globum rejecit.

(c) *Armentaque*) Armentum. Gall. *Haras, troupeau de groffes beftes.*

(d) *Pauperis*) *Tui: Adeoque non te Helena, fed fortunam tuam fequitur.*

Non

Non ego miror opes, nec me tua regia (*e*) tangit:
Nec (*f*) de tot Priami dicar ut una nurus.
Non tamen (*g*) ut Priamus Nymphæ socer esse recuset;
Aut (*h*) Hecubæ fuerim dissimulanda nurus.
Dignaque sum, & cupio fieri (*i*) matrona potentis.
Sunt mihi, quas possint sceptra (*k*) decere, manus.
Nec me, faginea quod tecum fronde jacebam,
Despice: (*l*) purpureo sum magis apta toro.
Denique, (*m*) tutus amor meus est tibi: nulla parantur
Bella, nec (*n*) ultrices advehit unda rates.
(*o*) Tyndaris infestis (*p*) fugitiva reposcitur armis,
(*q*) Hac venit in thalamos dote superba tuos.
Quæ (*r*) si sit Danais reddenda, vel Hectora fratrem,
Vel cum (*ſ*) Deiphobo (*t*) Polydamanta roga:

INTERPRETATIO.

Ego non opto divitias, nec regia tua me movet, nec ut dicar una nurus de tot Priami nuribus. *Non tamen ut Priamus nolit esse socer Nympha, aut fuerim nurus non agnoscenda Hecuba, Et sum digna, & cupio fieri matrona regis; habeo manus quas sceptra possint decere. Nec me contemnas quod tecum cubabam super ramis fagineis sum magis apta lecto purpureo. Denique meus amor est tibi securus; nulla bella a me adornantur, nec mare apportat naves ultrices. Helena fugitiva repetitur armis infestis: Hac dote* illa *fastosa it in geniale tuum cubiculum. Quæ an sit restituenda Græcis, interroga vel fratrem Hectorem, vel Polydamanta cum Deiphobo.*

NOTÆ.

(e) *Tangit*) *Non ideò te amo quod in patris regia magnificus agas.*

(f) *De tot*) Plurimæ enim fuerunt Priamo, cui 44. filii ab Apollodoro numerantur; unde Virgilius 2. Æneid.

Vidi Hecubam, centumque nurus.

(g) *Ut*) vim particulæ ex paraphrasi intellige. Sensus est enim, *Quod ego non moveor regia tua, nec magnificis titulis, causam non debet præbere, ut Priamus nolit mihi esse socer, nam Nympha sum.* At restricta & coarctata est oratio. Gallice eodem propemodum modo diceremus, *Ce n'est pas qu'estant Nymphe, comme je suis, Priam put refuser de m'estre beau pere.* Istud vero addidit Oenone, ne rustica, & quæ aulica & regalia ignoraret, forte videretur.

(h) *Hecuba*) *Priami uxori.* Gall. *Ny que j'aye esté une personne qu'Hecube put desavover pour sa bru.*

(i) *Matrona*) *Quæ cum viro in matrimonium convenit.* Gall. *la Dame d'une maison.*

(k) *Decere*) Id est, *Quæ sceptrum decenter tractavero.*

(l) *Purpureo*) *Purpura ornato*; quales sunt regum lecti.

(m) *Tutus*) *Ex quo nihil tibi mali veniat, cum ex Helena grave bellum immineat.*

(n) *Ultrices.*) *Quomodo propter Helenæ raptum, tota Græcia navibus ad ulciscendam eam injuriam mare cooperit.*

(o) *Tyndaris*) *Helena*; Tyndari ex Leda filia credita, revera Jovis, si fabulæ credimus.

(p) *Fugitiva*) Illa enim clam Menelao marito, ut credere est, discessit.

(q) *Hac*) *Bello*, scil. Cum stomacho irridet.

(r) *Si sit*) *An sit reddenda necne.*

(ſ) *Deiphobo*) Fuit Deiphobus unus ex Priami filiis, idemque strenuus; qui tamen a Paride fratre in certamine superatus, cum hic pastoris adhuc servus, non Priami filius crederetur. Helenam, mortuo fratre, in uxorem accepit, quæ ipsum postea prodidit.

(t) *Polydamanta*) Fuit Polydamas unus ex Trojanis primoribus.

Quid

Quid gravis *(u)* Antenor, Priamus quid suadeat ipse;
Consule; queis ætas *(x)* longa magistra fuit.
Turpe *(y)* rudimentum, *(z)* patriæ præponere raptam,
(a) Causa pudenda tua est; justa *(b)* vir arma movet.
Nec tibi, si sapias, fidam promitte *(c)* Lacænam,
Quæ sit in amplexus *(d)* tam cito versa tuos.
Ut minor *(e)* Atrides *(f)* temerati fœdera lecti
(g) Clamat, & *(h)* externo læsus amore dolet;
Tu quoque *(i)* clamabis. Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est: deperit illa *(k)* semel.
(l) Ardet amore tui? *(m)* sic & Menelaon amavit.
Nunc jacet in *(n)* viduo *(o)* credulus ille toro.

INTERPRETATIO.

Pete quid severus Antenor, quid ipse Priamus censeat: pete quid censeant, *quibus vita longa fuit magistra. Fœdum initium præferre raptam Patriæ. Causa tua est erubescenda: maritus infert justum bellum, neque, si sapias, confide Helenam tibi* fore *fidelem, quæ sit flexa tam cito in complexus tuos. Quemadmodum junior Atrides queritur jura lecti violati, & offensus amore externo indignatur: tu quoque quereris. Pudicitia temerata nulla arte sarciri potest: illa semel deperditur. Flagrat* Helena *amore tui? sic etiam dilexit Menelaum: Nunc ille simplex cubat in lecto viduo.*

NOTÆ.

(u) *Antenor*) Unus etiam ex principibus Trojanis, quem reddendæ Helenæ autorem fuisse ipse Ovidius alicubi testatur: de quo etiam sic Horatius,

Antenor censet belli præcidere causam.

(x) *Longa*) Quæ etiam imperitissimos experientia sapientes facit.

(y) *Rudimentum*) *Initium.* Paridem dicit Oenone, ex quo greges & sylvas, seque reliquerit, & in patris regiam pervenerit, pessime vitam suam instituere. Hic enim est, meo judicio verus sensus.

(z) *Patriæ*) *Cui propter turpem meretriculam, grave bellum imminet.*

(a) *Causa*) *Lis, quæ armis tibi cum Græcis erit contestanda.*

(b) *Vir*) *Quicumque ad obtinendam suam conjugem arma movet. Adeoque & Menelaus jure tibi bellum indicit.*

(c) *Lacænam*) *Helenam*, cujus maritus Menelaus Laconiam tenuit, & Lacedæmone regnavit. A Masculino *Lacon* fit fœmininum *Lacæna*, & adjectivum, *Laconicus*, *a, um.*

(d) *Tam cito*) *Quia pari celeritate te deseret, aliumque amabit.*

(e) *Atrides*) *Menelaus Atrei filius, Agamemnone fratre natu minor.*

(f) *Temerati*) *A sua conjuge Helena vitiati.*

(g) *Clamat*) *Graviter conqueritur.*

(h) *Externo*) *Amore quo sua uxor erga te externum flagravit.*

(i) *Clamabis*) *Si Helenam retineas, cum ejus levitatem expertus fueris.*

(k) *Semel*) Innuit Helenam semper fore impudicam. Certe vero meditari dignum est quod dicit Oenone.

(l) *Ardet*) Occurrit Paridis cogitationibus; ne ille sibi blandiatur, quod Helena jam ipsum amet.

(m) *Sic &*) Responsio est Oenones: quasi dicat *perpetuum credis forte Helenæ amorem futurum, quia ardet tui amore. Falleris: nam sic etiam Menelaum antea amavit; quem tamen deseruit.*

(n) *Viduo*) *Quem Helena destituit.*

(o) *Credulus*) *Qui Helenæ amorem perpetuum fore credidit.*

Felix (*p*) Andromache, certo bene nupta marito!
(*q*) Uxor ad exemplum fratris habenda fui.
Tu levior follis, tunc cum, ſine pondere ſucci,
Mobilibus ventis arida facta (*r*) cadunt.
Et (*ſ*) minus eſt in te, quam ſumma pondus ariſta,
Quæ (*t*) levis aſſiduis ſolibus uſta (*u*) riget.
(*x*) Hoc (*y*) tua (nam recolo) quondam germana canebat,
Sic mihi (*z*) diffuſis vaticinata comis.
(*a*) *Quid facis, Oenone? quid* (*b*) *arenæ ſemina mandas?*
(*c*) *Non profecturis littora bubus aras.*
Graja (*d*) *juvenca venit, quæ te, patriamque domumque*
Perdat. (*e*) *Jo* (*f*) *probibe*; (*g*) *Graja juvenca venit.*
Dum licet, (*h*) *obſcœnam ponto, Di, mergite puppim.*
Heu quantum Phrygii ſanguinis illa (*i*) *vebit!*

INTERPRETATIO.

Beata Andromache, feliciter nupta fideli viro! Fui uxor retinenda ad exemplum fratris tui. *Tu es mobilior foliis, tunc cum ſicca decidunt ſine pondere humoris, a ventis fluidis. Et pondus levius eſt in te quam in extrema ariſta, quæ levis riget uſta continuis caloribus. Soror tua (nam recordor) vaticinabatur hoc quondam, ſic mihi canens capillis ſparſis*; Quid agis Oenone? Quamobrem ſemina ſpargis in ſabulum? Proſcindis littora bubus non proceſſuris. Græca junix accedit quæ ſubvertat te, & patriam, & domum. Jo depelle; Græca junix venit. Dii ſubmergite mari turpem navim dum datur. Heu quantum illa trahit ſanguinis Trojani!

NOTÆ.

(p) *Andromache*) *Ætionis filia, Hectoris uxor.* Confunduntur vero ab Oenone argumenta, hoc in loco ad Paridem retrahendum: Exemplum enim fratris Hectoris exhibetur, qui, ut fortiſſimus, fuit etiam uxori fidiſſimus. Fœlicitas deinde ex fido amore proponitur. Laus eſt in voce *bene*. Affectus inſuper maximus in figuris, exclamatione, proſopopeja, &c.

(q) *Uxor*) Paridem alloquitur, cui fratris exemplum imitandum fuiſſe dicit.

(r) *Cadunt*) Meliores Codices habent *volant*, teſte Heinſio: quomodo & locutus eſt Virgilius.

(ſ) *Minus*) Quia ille in amore ſuo non ſteterat, ſed levitate & inconſtantia ad Helenam animum adjecerat, iſtud obiicit Oenone.

(t) *Levis aſſiduis*). Vide quomodo ſingula verba leviſſimæ ariſtæ ponderi, ſi quod fuerit, detrahant.

(u) *Riget*) Hinc vides quam male vulgo; generatim hanc vocem per frigus explicent. Primo ſignificat ſtare, erectum, ſiccum & inflexibile eſſe.

(x) *Hoc*) *Calamitatem quacum nunc conflictor.*

(y) *Tua*) *Caſſandra*, Paridis ſoror, quæ vaticinandi artem ab Apolline, cui ſe obſecuturam pollicita erat, accepit: quique ab ea irriſus, cum munus datum eripere non poſſet, effecit ut ejus vaticiniis nulla fides haberetur.

(z) *Diffuſis*) *Sparſis*, vaticinantium more.

(a) *Quid facis*) Verba ſunt Caſſandræ, Oenonen, quod Alexandrum fratrem amaret, increpantis.

(b) *Arena*) *Quæ ſterilis eſt.* Indicat Oenonen fruſtra amare.

(c) *Non profecturis*) *Quorum labor eſt inutilis.*

(d) *Juvenca*) *Helena.*

(e) *Io*) Furentis & dolentis vatis exclamatio eſt.

(f) *Probibe*) Divinitatem compellat, qua correpta vaticinatur; ut quæ ipſa videt mala avertat.

(g) *Graia*) Quam bene Sibyllam, ſeu vatem redolet hic ſtylus!

(h) *Obſcœnam*) *Quæ turpem meretricem vebit.*

(i) *Vebit*) Obſcuro & prophetico ſtylo utitur. *Vebit* id eſt, *ſanguinem Helenam vebit, cujus cauſa multus ſanguis Trojanus profundetur.*

Dixerat. (*k*) in cursu famulæ (*l*) rapuere (*m*) furentem.
At mihi flaventes (*n*) diriguere comæ:
Ah nimium vates miseræ mihi vera fuisti!
Possidet en (*o*) saltus illa juvenca meos.
Sit facie quamvis (*p*) insignis, adultera certe est.
Deseruit (*q*) socios (*r*) hospite capta Deos.
Illam de patria Theseus, (*ſ*) nisi nomine fallor)
Nescio quis Theseus, abstulit ante sua.
A juvene & cupido (*t*) credatur reddita virgo.
Unde (*u*) hoc compererim tam bene, quæris? (*x*) amo.
(*y*) Vim licet appelles, & culpam nomine veles;
Quæ (*z*) toties rapta est, præbuit ipsa rapi.
At manet Oenone fallenti casta marito:
Et poteras falli (*a*) legibus ipse tuis.

INTERPRETATIO:

Sinierat. In fluxu verborum *ancillæ abduxerunt eam Deo attonitam: At flavi mei capilli fleterunt. Ah! fuisti vates nimis certa mihi miseræ. En illa junix habet meos saltus. Quamvis sit vultu præsignis, certe est adultera; incensa hospitis amore destituit Deos nuptiales. Antea Theseus (nisi nomen imponit) nescio quis Theseus rapuit eam ex Patria sua. Putetur restituta virgo ab adolescente & desiderio flagrante. Petis unde tam bene istud cognoverim? Amo. Poteris vocare violentiam, & tegere crimen nomine; ipsa dedit locum raptui, quæ toties rapta est. At Oenone perstat proba marito fraudanti: Et poteras ipse decipi tuis sanctionibus.*

NOTÆ.

(k) *In Cursu*) Hoc est, *antequam vaticinationem suam absolvisset: dum adhuc loqueretur*. *Cursum* vero dixit, ut vim spiritus abripientis exprimeret.

(l) *Rapuere*) Ne, scilicet, nimium, cum maximo corporis periculo, commoveretur & agitaretur. Nam quod de Priami jussu scribunt, non placet.

(m) *Furentem*) *Vaticinantem*. Furere enim videntur qui spiritu alieno abripiuntur, aut certe furunt.

(n) *Diriguere*) *Ex horrore & metu futurorum steterunt*.

(o) *Saltus*) Vide, quæso, quam lepide alludit, & vaticinationem explicat Oenone. *Saltus*, id est, *Paridem*.

(p) *Insignis*) Alii *præsignis*, quomodo & alibi loquitur ipse Ovidius. Conatur novis rationibus Oenone, Paridem ab Helenæ amore retrahere.

(q) *Socios*) *Conjugales, seu Nuptiales*, Jupiter adultus, Juno perfecta, Venus, Suada, Diana, aliique.

(r) *Hospite*) *Paride*.

(ſ) *Nisi*) Ex personæ decoro titubantem facit & incertam Oenonen Poeta. Quanquam non fallitur tamen: Nam Theseus, Apollodoro & Hygino testibus, Helenam virgunculam adhuc rapuit; utcumque Castori & Polluci fratribus, integram restituerit, si fabulis credimus.

(t) *Credatur*) Vitiatam a Theseo fuisse, innuit, & invicta prope rationibus evincit.

(u) *Hoc*) *Quod de Helena dico*.

(x) *Amo*) Nullus itaque Nasoni litem moveat, quasi non potuerit Oenone omnia quæ dicit rescivisse; nam ut habet Virgilius:

Quis fallere possit amantem?

(y) *Vim*) *Quod a Theseo per vim rapta fuerit, licet dicere, & culpam verbis tegere. Ipsa voluit rapi, quandoquidem toties rapta fuit.* Cæterum de fano Dianæ, a Theseo, sublata est Helena, cum sacrum faceret.

(z) *Toties*) Invidiose, siquidem bis tantum rapta dicatur Helena, a Theseo primum, deinde Alexandro.

(a) *Legibus tuis*) *Quibus uteris; qui non modo conjugium nostrum violas, sed alteri conjugem rapis.*

Me

Me Satyri celeres ((*b*) silvis ego tecta latebam)
  Quæsierunt rapido turba (*c*) proterva pede:
Cornigerumque caput pinu præcinctus acuta
  Faunus, in (*d*) immensis qua tumet Ida jugis.
Me (*e*) fide conspicuus Trojæ (*f*) munitor amavit.
  Ille meæ spolium virginitatis habet.
Id quoque (*g*) luctando, rupi tamen ungue (*h*) capillos;
  Oraque sunt digitis (*i*) aspera facta meis.
Nec pretium stupri gemmas aurumque poposci.
  (*k*) Turpiter ingenuum munera corpus emunt.
Ipse, (*l*) ratus dignam, medicas mihi (*m*) tradidit artes;
  Admisitque meas ad sua (*n*) dona (*o*) manus.
Quæcumque herba potens ad opem, radixque medendi
  Utilis in toto nascitur orbe, (*p*) mea est.
Me miseram, quod amor non est medicabilis herbis?
  Deficior prudens artis ab arte mea.

INTERPRETATIO.

Citi Satyri, grex luxuriosus pede velocissimo, quæsiverunt me (ego delitescebam silvis occulta) & Faunus vinctus caput pinu acuta me quæsivit *per vasta cacumina quacumque Ida assurgit, & porrigitur. Trojæ ædificator cithara insignis amavit me; ille habet spolium meæ virginitatis. Id quoque pugnando. Scidi tamen ante* ejus *comam, & facies* ejus *facta est scabra meis digitis. Nec petivi gemmas vel aurum in pretium vitii. Dona emunt fordide corpus ingenuum. Ipse existimans* me *dignam* esse *dedit mihi artes medicas; & admisit meas manus ad sua munera. Quacumque herba vim habet ad auxilium* ferendum*, & radix apta ad medendum crescit in toto mundo,* illa est *mihi cognita. Me infelicem, quod amor non est sanabilis graminibus! Perita artis, destituor ab arte mea.*

NOTÆ.

(b) *Sylvis*) Quam venuste, statim post nominatos Satyros, ne scrupulus incideret, hanc parenthesim subjecit!

(c) *Proterva*) Quia maxime libidinosi finguntur.

(d) *Immensis*) Ergo maxima pudicitiæ cura fugitaverat & latitaverat Oenone, quam undiquaque frustra quæsivit velocissimum & salacissimum genus.

(e) *Fide*) *Cithara*. Qua quidem valuisse illum præsertim dicere nihil attinet. Hic vero Synecdoche est.

(f) *Munitor*) *Apollo*; quem cum Neptuno Trojæ ædificatorem antea vidimus.

(g) *Luctando*) *Non voluntate mea.*

(h) *Capillos*) Phœbi, scilicet.

(i) *Aspera*) Quia ipsum ungulbus dilaniavit: siquidem tamen illi credendum esse videtur.

(k) *Turpiter*) Adeoque, si Diis placet, non erit meretrix, quæ non quæstus causa, corpus suum prostituit.

(l) *Ratum dignam*) Sese Apollinis judicio commendat.

(m) *Tradidit*) Nam ille etiam medicus, & medicæ artis Deus.

(n) *Dona*) *Artis medicæ peritiam, quam ille cuicumque vult infundit.*

(o) *Manus*) *Adeoque, quod pauci Medici sciunt, usum etiam didici.* Gall. *J'ay la science & la pratique.*

(p) *Mea*) *Mihi cognita; ut ad sanandæ corpora uti possim.*

Ipse repertor (*q*) opis vaccas pavisse (*r*) Pheræas
Fertur, & e nostro saucius igne fuit.
Quod neque (*ſ*) graminibus tellus fœcunda creandis:
Nec Deus auxilium, tu mihi ferre potes.
Et potes, & merui, dignæ miserere puellæ:
(*t*) Non ego cum Danais arma cruenta fero.
Sed tua sum, tecumque fui puerilibus annis:
Et tua, quod superest temporis, esse (*u*) precor.

INTERPRETATIO.

Ipse medicinæ inventor dicitur pavisse vaccas Pheræas & fuit vulneratus nostro amore. Tu potes mihi opem præstare *quam neque terra fertilis herbis producendis, nec Deus* potest afferre. *Et potes & digna sum: misereat te puellæ merita. Ego non infero arma sanguinolenta cum Græcis: sed sum tua: & tecum vixi annis juvenilibus: & precor esse tua quod reliquum est vitæ.*

NOTÆ.

(q) *Opis*) *Medicinæ*. Exemplo ostendit nulla arte amorem medicabilem esse; cum ipse Artis inventor Apollo nequidem sibi opem afferre potuerit.

(r) *Pheræas*) *Admeti qui Pheris in Thessalia regnavit*. Cæterum ad suum scopum fabulam detorquet Oenone; non enim propter amorem, quod ea innuit magis, sed propter Jovis iram, de Cœlo deturbatus, quod Cyclopas Jovis fulminum fabricatores transfixisset, Admeti vaccas aut equas pascere coactus est.

(ſ) *Graminibus*) Quod neque herba, neque Deus ullus adferre posset, auxilium, id sibi Paridem præstare posse dicit,

(t) *Non ego*) *Quod facit Helena*.

(u) *Precor*) Exitum Calaber Poeta, ut vulgo appellatur, aperit. Dixit enim Paridem a Philoctete sagitta vulneratum ad Oenonem confugisse, ab eaque auxilium rogasse: quod cum illa negasset, inter redeundum in Ida monte expirasse, ubi cum a Pastoribus de more cremaretur, Oenonen eodem secutam, in eundem rogum se ipsam quoque præcipitasse. Dictys vero Cretensis, Paridis interemti cadaver ad Oenonen fuisse relatum, refert, ut sepulturæ mandaretur: illam autem pristini amoris recordatione, ad primum statim cadaveris conspectum mortuam concidisse, eodemque cum illo funere sepultam fuisse.

EPISTOLA SEXTA.

ARGUMENTUM.

Monitus Oraculo Pelias Neptuni filius, mortem sibi portendi, cum quis patri sacrificanti superveniret nudo pede. Cui deinde annua sacra peragenti, Jason Æsonis filius, una cum nepote, relicto in limo Anauri fluvii calceo occurrit. Pelias igitur, oraculi memor, Jasoni suadet, ut in Colchos proficiscatur, ad aureum illud vellus refigendum, sperans eum nunquam reversurum incolumem, quod audivisset opus illud humanis esse viribus majus. Jason magnanimus, expeditionem illam lubens suscipit: ideoque compluribus Græciæ nobilibus evocatis, Argo navem ex Pegaso, Thessaliæ sinu, solvit, in Lemnon delatus: ubi, cum mulieres communi consensu viros omnes una nocte trucidassent: Hypsipyle, Thoantis filia, quæ patrem, cædis simulatione, servaverat, imperium exercebat, Jasonem & hospitio & lecto familiarissime excepit. Verum enim duobus jam exactis annis, sociis orantibus, ut promissam expeditionem perficiat Jason, gravidam Hypsipylem relinquit, Colchosque petit: Ubi Medea artibus dracone sopito; taurisque superatis, aureum illud vellus adeptus est: ipsamque Medeam abduxit volentem. Quamobrem Hypsipyle, præ-

prælatam sibi Medeam indigne ferens, hac epistola Jasonis reditum gratulatur, per contemtum scilicet; animoque abalienato, & postremo ambos diris devovet.

HYPSIPYLE JASONI.

Littora (*a*) Thessaliæ reduci (*b*) tetigisse carina
 Diceris, (*c*) auratæ vellere dives ovis.
Gratulor incolumis, (*d*) quantum sinis. (*e*) hoc tamen ipsa
 Debueram scripto certior esse tuo.
Nam, ne pacta tibi (*f*) præter mea regna redires,
 Cum cuperes, ventos non habuisse potes.
Quamlibet adverso (*g*) signetur epistola vento.
 Hypsipyle missa digna salute fui.
(*h*) Cur mihi fama prior, quam nuncia littera, venit,
 (*i*) Isse sacros Marti sub juga panda (*k*) boves?
(*l*) Seminibus jactis (*m*) segetes adolesse virorum.
 Inque necem dextra (*n*) non eguisse tua?

INTERPRETATIO.

TU appulisse diceris navi reduci ad littora Thessaliæ, dives ex vellere arietis aurei. Gratulor tibi salvo quantum per te licet. De ea re tamen ego debueram esse certior epistola tua. Nam potes non habuisse ventos secundos, ne redires, tametsi optares ad mea regna tibi promissa. Quantumvis vento contrario scribatur epistola. Ego fui digna salute missa. Quamobrem fama velocior quam epistola nuncia mihi advenit; Tauros Marti dicatos, sub jugum curvum missos fuisse? Seminibus sparsis segetes virorum crevisse, & non opus habuisse manu tua ad suam cædem?

NOTÆ.

(a) *Thessaliæ*) *Patria tua.*

(b) *Tetigisse*) Id est, *rediisse incolumis.*

(c) *Auratæ*) Decantatissimam velleris aurei fabulam postea in Metamorphosi videbimus.

(d) *Quantum sinis*) Non poterat gaudere Hypsipyle, nec ex animo Jasoni, quod rediisset, gratulari, quandiu ab ipso se spretam non sine causa, crederet.

(e) *Hoc*) *Quod redieris.*

(f) *Præter*) *Juxta.* Gall. *Auprès, par devant.* Vide Interpretationem. Deinde perpende an non sit sensus commodior, si intelligatur, non tam ab Hypsipyle Jasonem excusari, quod alii volunt, quam subiracunde, quod ille caussari posset, concedi.

(g) *Signetur*) Vide jam irata Hypsipylen, quæ Jasonem non dignatur alioqui, sed tertia persona utitur. Ita & loquitur Sostrata apud Terentium, quæ præsentem virum sub eadem tertia persona arguit. Gall. diceres eodem caractere, *Le vent tant contraire que l'on voudra, on a bien-tost mis son nom au bas d'une lettre.*

(h) *Cur*) Et iracundiam indicat hæc interrogatio. *Cur prius fama quam epistola tua didici.*

(i) *Isse sub juga*) *A te domita fuisse.* Pharmacum a Medea, quæ ipsum Jasonem amabat, ea causa acceperat, Apollodoro auctore. Quanquam alii aliter.

(k) *Boves*) *Tauros Marti sacros, Æripedes, & naribus ignem afflantes: quibus indomitis vellus aureum tolli non poterat.*

(l) *Seminibus*) Serpentis dentes intelligit; quos seminare Jasonem Æetes imperaverat; ex quibus homines armati nati sunt.

(m) *Segetes*) Id est, *Multitudinem virorum.* Ita etiam dixit Virgilius, *Seges telorum.*

(n) *Non eguisse*) Cum Medeæ monitu, lapidem, aut lapides, ut alii volunt, inter eos armatos Jason projecisset, fabula est eos in sese arma convertisse, & mutuis vulneribus concidisse: tametsi Apollodorus scribit a Jasone etiam, cum inter se dissiderent, mactatos fuisse.

(o) Pervigilem (p) spolium pecudis servasse draconem;
Rapta tamen forti vellera (q) fulva manu?
(r) O, ego si possem (ſ) timide credentibus, *Ista*
Ipse mihi scripsit, dicere, (t) quanta forem!
(u) Quid queror officium lenti cessasse mariti?
(x) Obsequium, maneo si tua, grande tuli.
Barbara narratur venisse (y) venefica tecum,
In mihi promissi parte recepta tori.
Credula res amor est. utinam temeraria dicar
Criminibus falsis insimulasse virum!
Nuper ab (z) Hæmoniis hospes mihi Thessalus oris
Venerat; & tactum vix bene limen erat:
(a) *Æsonides*, dixi, *quid agit meus?* (b) Ille (c) pudore
(d) Hæsit in opposita lumina fixus humo;
Protinus exilui; tunicisque a pectore (e) ruptis,
(f) *Vivit? an, exclamo, me quoque fata* (g) *trahunt?*

INTERPRETATIO.

Draconem insomnem custodivisse ovis exuvias; Vellera tamen aurea ablata forti tua manu? O, si mihi diceret dicere iis qui ægre ista credunt, Ipse mihi scripsit ista; *quanta essem? Quamobrem queror officium segnis mariti retardatum esse? Magno fruor officio, si sum tua. Veneficam barbaram tecum ferunt advectam esse, admissam in partem lecti mihi promissi. Amor est res quæ facile credit. Utinam levis dicar maritum arguisse fictis criminibus. Nuper mihi advena accesserat e regione Thessalica, & vix bene domum ingressus erat.* Quid agit meus Jason, *dixi? Ille habens oculos in terram adversam defixos, pudore conticuit. Continuo me proripui, & vestibus a pectore discerptis, exclamo.* Vivitne? an fata me quoque vocant?

NOTÆ.

(o) *Pervigilem*) Præter Tauros æripedas, fuit etiam draco immensæ magnitudinis, qui vellus aureum servaret, nec unquam dormiret.

(p) *Spolium*) *Pellem arietis.*

(q) *Fulva*) Auri color est fulvus; adeoque velleris aurei.

(r) *O ego*) In melioribus scriptis *Hoc ego*, legitur; in aliis *hac*: Quod placuit Heinsio, *O, ego* retinuimus.

(ſ) *Timide*) Id est, *vix ea credentibus quæ de vellere aureo a te sublato referuntur.*

(t) *Quanta*) *Quam magna & felix.*

(u) *Quid queror*) Corrigit quod conquesta est de officii negligentia; cum majora habeat quibus dolendum sit.

(x) *Obsequium*) Si rem ipsam spectes, Gall. diceres, *Je seray trop heureuse, si vous me voulez encore pour vostre femme.* Quasi dicat, non eum esse maritum Jasonem, a quo multa officia sint expetenda, satis esse si in capitalibus qualemcumque præstet obsequii speciem.

(y) *Venefica*) Medeam intelligit; cujus veneficia notiora sunt, quam ut iis opus sit chartam inficere.

(z) *Hæmoniis*) *Thessalis.* Ab Æmo monte, quod Servio placuit; vel potius, ut volunt illi qui Servium refellunt, ab Æmone Rege Thessaliæ, *Æmonia* dicta.

(a) *Æsonides*) *Jason Æsonis filius.*

(b) *Ille*) *Hospes*, scilicet.

(c) *Pudore*) *Quia ea mihi dicere reformidabat quæ tu fecisti.*

(d) *Hæsit*) *Tacuit.*

(e) *Ruptis*) Alii raptis iidemque meliores, teste Heinsio.

(f) *Vivit?*) Verba sunt Hypsipyles, hospitem de Jasone interrogantis.

(g) *Trahunt*) Perinde loquitur ac si dolenti sibi moriendum esset, extincto marito suo.

Vivit, ait. (*h*) timidumque mihi jurare coegi.
Vix mihi, (*i*) teste Deo, credita vita tua est.
(*k*) Ut rediit animus, tua facta requirere cœpi.
(*l*) Narrat ahenipedes Martis (*m*) arasse boves:
(*n*) Vipereos dentes in humum pro semine jactos,
Et subito natos arma tulisse viros:
(*o*) Terrigenas populos, (*p*) civili Marte peremptos,
Implesse ætatis fata (*q*) diurna suæ.
Devicto serpente, (*r*) iterum, si vivat Jason,
Quærimus. (*s*) alternant spesque timorque fidem.
Singula dum narrat; (*t*) studio (*u*) cursuque loquendi:
Detegit ingenio (*x*) vulnera facta tuo.

INTERPRETATIO.

Vivit, *respondit ille*, & *coegi illum paventem mihi illud sacramento confirmare. Vix credidi te vivere, Deo teste. Ut rediit mihi animus, cœpi de tuis factis quærere. Narrat ille Tauros Martis ahenipedes terram subvertisse: Dentes Draconis in terram missos pro semine: & statim ortos viros arma gestasse: gentem terra genitam interfectam bello intestino, perfunctam fatis diurnis vitæ suæ. Quærimus denuo, num Jason vita fruatur, dracone superato. Spes & timor vicissim occupant fidem. Dum narrat hospes singula; affectu, & fluxu sermonis aperit vulnera impacta tuo animo.*

NOTÆ.

(h) *Timidumque*) Cum ideo hospitem veteri crederet Hypsipyle, quod Jason mortuus esset, neque tamen id dicere vellet, ipsa eum hospitem sacramento dicta confirmare coegit.

(i) *Teste Deo*) Idest, *quamvis Deum in testimonii fidem sacramento hospes citasset.* Vide vero quam eleganter, & ad scopum apposite hæc omnia a Poeta inflectantur; & in majus effingantur.

(k) *Ut rediit*) Vulgati Codices, *Utque animus rediit*, quem locum quondam librorum fide nitori suo restituit Heinsius: qui etiam plurimos locos profert, ubi ultima syllaba producitur in *rediit*; sicut & in *adiit*, *abiit*, *iniit*, rediit, &c.

(l) *Narrat* & *ahenipedes*) Vetusta exemplaria, *Narrat* & *aripedes*, alii, *narrat aripedes*, pro quibus interpolasse correctores credit Heinsius *Rettulit aripedes*. Ille vero quam retinuimus lectionem restituit *Ahenipedes*, id est, *pedes ex ære habentes*: quomodo Horatius *murum aheneum* dixit: Virgilius *lucem aheneam*.

(m) *Arasse*) Postquam a Jasone domiti essent.

(n) *Vipereos*) Fabulantur nonnulli partem fuisse dentium ejus draconis, quem Cadmus interfecit.

(o) *Terrigenas*) Natos ex serpentis satis dentibus armatos viros intelligit, qui ex terra fuerunt geniti.

(p) *Civili*) Quia, ut ante diximus, isti in sese arma sua converterunt.

(q) *Diurna*) Quia eodem quo nati, eodem sunt die interemti.

(r) *Iterum*) Refertur ad *quærimus*. Dicit Hypsipyle, se audita Jasonis, de vellere aureo, historia, de novo ab hospite petivisse, num idem ille Jason viveret.

(s) *Alternant*) Dicit se Jasonis causa modo bene sperasse, modo male timuisse, quandiu hospes ejus historiam persequeretur.

(t) *Studio*) Id est, *dum hospes sigillatim* & *suo ordine mirabilia de te studet enarrare, detegit*, &c.

(u) *Cursuque*) Quasi non data opera hospes, sed orationis æstu abreptus, Jasonis erga Medeam amorem propalaverit.

(x) *Vulnera*) *Medeæ amorem.*

Heu! (y) ubi pacta fides? ubi connubialia jura?
Faxque (z) sub arsuros dignior ire rogos?
Non ego sum (a) furtim tibi cognita, pronuba (b) Juno
Adfuit; & sertis (c) tempora vinctus Hymen.
(d) At mihi nec Juno, nec Hymen, sed tristis (e) Erinnys
Prætulit infaustas sanguinolenta faces.
Quid mihi cum (f) Minyis? quid cum (g) Tritonide pinu?
Quid tibi cum patria, navita (h) Tiphy, mea?
(i) Non erat hic aries villo spectabilis aureo.
Nec senis (k) Æetæ regia (l) Lemnos erat.
Certa fui primo (sed me mala fata trahebant)
(m) Hospita (n) fœminea pellere castra manu.

INTERPRETATIO.

Heu! ubi fides promissa? ubi jura conjugalia; & fax dignior venire sub pyras flagraturas. Ego non sum tibi juncta clanculum. Juno pronuba adfuit, & Hymen redimitus caput coronis. At neque Juno, neque Hymen, sed luctuosa Erinnys sanguine infecta prætulit mihi tristes tædas. Quod mihi negotium cum Argonautis? Quodnam cum Argo navi? Quid tibi cum patria mea, nauta Tiphy? Non erat hic ovis conspicua vellere aureo. Nec Lemnos erat aula senis Æetæ. Primo decrevi (sed mala fata me cogebant) exturbare castra hospita manu muliebri.

NOTÆ.

(y) *Ubi pacta fides*) Postquam apertius; quæ de Jasonis immutato amore noverat, Hypsipyle declaravit, gravius in eum invehitur.

(z) *Sub arsuros*) Id est, *quæ potius in funeribus adhibenda fuisset, quam in nuptiis*. Mos vero fuit in illis, ut qui necessitudine proximus esset; aversus, rogo, accensa face, ignem supponeret.

(a) *Furtim cognita*) Honestissime quæ turpissima sunt explicat. Id est, non tibi conjuncta fui per adulterium, aut fornicationem, sed per justum matrimonium.

(b) *Juno adfuit*) Adeoque legitimum fuit matrimonium.

(c) *Tempora vinctus*) Phrasis Græca Horatio familiaris, pro *vincta tempora habens*.

(d) *At mihi*) Dixerat Junonem nuptiis suis adfuisse, ut justum matrimonium suum faceret. Jam loquendi formulam corrigit, vultque matrimonium equidem legitimum fuisse, sed in eo Junonem non visam fuisse.

(e) *Erinnys*) *Furia*. Tres fuerunt, quæ etiam *Diræ* & *Eumenides* dictæ.

(f) *Minyis*) *Argonautis*. Fuerunt illi populi Thessaliæ, qui Jasonem in expeditionem Colchicam sequuti sunt: quamvis aliter Hyginus.

(g) *Tritonide*) Id est, *Argo navi*, a Pallade, quæ, a Tritone palude, ubi nata creditur, *Tritonia* dicta est. Navis vero ideo a Pallade denominata, quod ejus consilio a Jasone, administro Argo contexta fuerit.

(h) *Tiphy*) Fuit Tiphys navis gubernator. Quod vero ita animatis & inanimatis irascitur Hypsipyle, id totum in Jasonem redundat.

(i) *Non erat*) Quasi dicat, *quamobrem huc venisti?* Cum quo vero potissimum rixetur, nec qua de causa, nescit Hypsipyle; quod maximum indicat dolorem.

(k) *Æeta*) Fuit Æetes, sive Æeta, Solis filius, Medeæ pater, Rex Colchorum.

(l) *Lemnon*) Maris Ægæi Insula, propemodum ultima ad Septentrionem, ubi Hypsipyle regnavit.

(m) *Hospita*) *Hospitum Argonautarum.*

(n) *Fœminea*) Viros suos interfecisse Lemniades in argumento vidimus. Quod quidem factum, quia ob fœtorem a Venere iratâ immissum, ab iis spernerentur.

Lemniadesque viros, (*o*) nimium quoque, vincere norunt
(*p*) Milite tam forti (*q*) vita tuenda fuit.
Urbe (*r*) virum (*ſ*) vidi, tectoque animoque recepi:
Hic tibi bisque æstas, bisque cucurrit hiems.
Tertia messis erat: cum tu, dare vela (*t*) coactus.
(*u*) Implesti lacrymis talia verba tuis:
(*x*) Abstrahor, Hypsipyle: sed (dent modo fata recursum)
Vir tuus hinc abeo: vir tibi semper ero.
Quod (*y*) tamen e nobis gravida celatur in alvo,
(*z*) Vivat; & ejusdem (*a*) simus uterque parens.
(*b*) Hactenus: &, lacrymis in (*c*) falsa cadentibus ora,
(*d*) Cætera te memini non potuisse loqui.
Ultimus e sociis (*e*) sacram conscendis in Argo.
Illa volat: ventus (*f*) concava vela tenet.

INTERPRETATIO.

Lemniades sciunt etiam optime viros quoque superare. Vita fuit defendenda tam strenuo milite. Vidi virum in urbe, & excepi in ædes & in cor: hic æstas bis tibi præteriit, & bis hiems. Tertia messis venerat, cum tu coactus committere vela ventis, cumulasti talia verba lacrymis tuis: Abripior Hypsipyle: (sed, fata concedunt tantum reditum) hinc maritus tuus discedo; semper ero tibi maritus. Interim quod absconditur e nobis in utero tuo tumido tollatur; & simus uterque parens ejusdem. Hactenus: & lacrymis fluentibus per simulatos vultus, memini te non potuisse cætera proferre. Postremus ex sociis ascendis in sacram Argo. Illa velocissime fugit: ventus occupat vela concava.

NOTÆ.

(o) *Nimium*) Pro *valde*, *maxime*: sic Terentius, in Eunuc.

Os tuum impudens videre nimium vellem.

(p) *Milite*) *Lemniadibus*, scilicet, *mulieribus*.

(q) *Vita*) Quies, & vitæ jucunditas intelligenda est; ut sæpe ea vox apud Terentium usurpatur. Neque enim Hypsiples vitæ struxit insidias. Sed monet Heinsius in uno Codice Vossiano pro diversa lectione *ripa* esse; quod tametsi non ob easdem rationes, ut quidem illi, mihi quoque placeret.

(r) *Virum*) *Te*, scilicet.

(ſ) *Vidi*) Heinsio vehementer friget vox ista, proque ea scribit *vidua*: quod certe, si paterentur membranæ elegantissimum videretur, fuerit enim maximum beneficium, quod mœnibus receptus sit Jason, unde omnes viri deturbati fuissent.

(t) *Coactus*) Ab Hercule & aliis.

(u) *Implesti*) Significat sine lacrymis eum non potuisse loqui.

(x) *Abstrahor*) Id est, *per vim & contra voluntatem meam abducor*.

(y) *Tamen*) Quamvis discedam.

(z) *Vivat*) *Ne interficiatur*. Jam alicubi, ni fallor de barbara pueros perdendi consuetudine, apud veteres Ethnicos recepta, admonuimus. Sed Hypsipylem opus fuit insuper hortari, ut partum tolleret; ne si masculum enixa esset, more patrio interficeretur.

(a) *Simus*) *Sitque pariter idem tuus fœtus amoris nostri pignus*: nam istud est intelligendum. Videntur reipsa uterque parens unum fieri in liberis.

(b) *Hactenus*) Id est, *Eousque pervenit oratio tua; Hæc locutus es: Non ultra progressus es.*

(c) *Falsa*) Fictus fuisse lacrymas, & verba, & vultum, contendit Hypsipyle.

(d) *Cætera*) *Quæ velle te pronuntiare gestus & conatus indicabat.*

(e) *Sacram*) Quia Palladis cura fabricata fuerat; deinde etiam propter malum, aut tabulam vocalem & fatidicam ex Dodonæa sylva, indicante Minerva, decisam.

(f) *Concava*) Cum ventis inflantur.

Cæru-

Cærula propulsæ *(g)* subducitur unda carinæ :
(h) Terra tibi, nobis aspiciunt aquæ.
(i) In latus omne patens turris circumspicitur undas:
Huc *(k)* feror; & lacrymis osque sinusque madent.
Per lacrymas specto; cupidæque faventia menti
Longius assueto lumina nostra vident.
(l) Adde preces castas, immistaque vota *(m)* timori.
Nunc quoque te salvo persoluenda mihi.
Vota ego *(n)* persolvam? votis Medea *(o)* fruetur?
Cor dolet; atque ira mistus *(p)* abundat amor.
Dona feram templis, *(q)* vivum quod Jasona perdo?
Hostia pro damnis concidat icta meis?
Non equidem *(r)* secura fui; semperque verebar,
Ne pater *(ſ)* Argolica sumeret urbe nurum.
Argolidas timui: nocuit mihi *(t)* barbara pellex.
Non expectata vulnus ab hoste tuli.

INTERPRETATIO.

Cærulei fluxus subtrahuntur agitata navi: Versus terram respicis, nos versus aquam. Turris ex omni parte conspicua imminet mari: Huc eo, & facies & sinus hument lacrymis. Per lacrymas aspicio; & oculi nostri faventes animo avido prospiciunt longius quam soliti erant. Adde preces pudicas & vota cum metu conjuncta, quæ etiam nunc debeo exsolvere, te salvo. Ego exsolvam vota? Medea gaudebit vatis? Cordi ægre est, atque amor mistus ira affluit. Feram munera in templa, quia amitto Jasona vivum? Hostia percussa cadat pro damnis meis? Non equidem vixi sine cura; & semper timebam, ne pater tuus diligeret nurum ex urbe Thessalica. Reformidavi Thessalicas: offecit mihi pellex barbara. Illata est plaga ab hoste improvisa.

NOTÆ.

(g) *Subducitur*) Quando ventis & remis navis impellitur, & velociter currit, non modo terræ, sed maris etiam undæ; adeoque mare fugere & subtrahi videtur.

(h) *Terra*) Sic solent qui abeunt & qui remanent in sese mutuo ora convertere, donec extremum *vale* dicere cogantur, quando per locorum distantiam omnino separantur.

(i) *In latus*) Quæ ergo editissima erat. Locum describit, unde discedentem Jasonem spectasse dicit.

(k) *Feror*) Certe istud est ex intimo amoris sinu depromptum: & quam lepidum est, tam est & tenerum.

(l) *Adde*) Pro *adde*, seu *addidi*. Ita & ex affectu majore, vel etiam variandi causa, loqui amamus.

(m) *Timori*) Timebat Jasoni suo Hypsipyle, quem magis periculis sese objectare videbat.

(n) *Persolvam*) Cum maxima indignatione istud est pronuntiandum, quia dolori maximo versibus præcedentibus causa substrata est, itaque usque ad extremum repressa. Attente, qui volet perficere, Poetæ artem indagabitur: nec vero pœnitebit.

(o) *Fruetur*) *Eorum utilitate & fructu gaudebit.*

(p) *Abundat*) Istud quoque ex natura; nam ira spiritus animales irritantur; & ad id quod agimus promtiores redduntur. Itaque ne irascatur qui amat, nisi ametur.

(q) *Vivum perdo*) In vocibus & in re est repugnantia. Atque hæc omnia ironice & per indignationem sunt proferenda.

(r) *Secura*) *De matrimonio nostro*, scilicet.

(ſ) *Angelica*) *Thessalica*: nam etiam Thessalia *Argos Pelasgicum* dicta est.

(t) *Barbara*) *Medea.*

Nec

Nec facie meritisve placet; sed carmine (u) movit:
Diraque cantata pabula (x) falce metit.
Illa reluctantem curru (y) deducere Lunam
Nititur, & tenebris (z) abdere Solis equos.
Illa refrænat aquas, (a) obliquaque flumina sistit:
Illa loco silvas, (b) vivaque saxa movet.
Per (c) tumulos errat passis (d) discincta capillis,
Certaque de tepidis colligit ossa rogis.
Devovet absentes; simulacraque cerea (e) figit,
Et miserum tenues in (f) jecur urget acus.
Et quæ nescierim (g) melius. male quæritur herbis,
Moribus & forma conciliandus, amor.
Hanc potes amplecti? thalamoque relictus in uno
Impavidus somno nocte (h) silente frui?
(i) Scilicet ut (k) taurus, ita te juga ferre coegit:
Quaque feros angues, te quoque mulcet ope.

INTERPRETATIO.

Nec illa tibi grata est forma vel beneficiis, sed te incantamentis pellexit. Et vellit herbas noxias falce incantata. Illa conatur deturbare curru Lunam resistentem, & abscondere tenebris equos Solis. Illa retinet undas, & coercet flumina sinuosa: Illa deturbat silvas & vivas rupes loco suo. Discincta vagatur per sepulcra coma sparsa, & legit quædam ossa de rogis calidis. Male precatur absentibus, & transverberat imagines cereas: & desigit in miserum jecur acus exiles: Et quæ melius ignoraverim, Amor male captatur herbis qui debet allici moribus & pulcritudine. Hanc non metuit fovere? & in eodem lecto destitutus potesne dormire sine metu per noctis silentium? Nimirum coegit te jugum pati, ut coegit tauros: Et mollit te quoque eadem opera qua mollit furor serpentes.

NOTÆ

(u) *Movit*) *Te ad sui amorem incantamentis perpulit.*

(x) *Falce*) Ex magica arte, quasdam herbas pro diverso usu velli, aut incidi oportebat. Atqui istud postetius falce ænea ad Lunam factitatum esse ex Virgilio discimus:

(y) *Deducere*) Id est, *prorsus venifica est Medea.* Sic etiam dixit Tibullus
Cantus & e curru Lunam deducere tentat.

(z) *Abdere*) Id est, *Solem ipsum luminis suo privare.*

(a) *Obliqua*) Epitheton fluminum, quorum cursus obliquus est.

(b) *Vivaque*) Id est, *ibi nata & magna*, quæ terræ implantata videntur. *Des Rochers.*

(c) *Tumulos*) *Sepulcra.*

(d) *Discincta*) Ex disciplina magica hæc omnia transcripta sunt. Sed vide quam apposite & ad scopum convenienter, quam bene & jucunde variata oratio.

(e) *Figit*) Ut, quemadmodum imago cerea hoc & illud vulnus acceperit, ita & ille quem repræsentat hoc aut illo affectu tangatur, &c. In his luserunt etiam Virgilius & Horatius; quos si cum illis videre voles, videbis.

(f) *Jecur*) Quod sedem dicunt amoris; ut ita percutiatur ille cujus est illa imago.

(g) *Melius*) Multa alia pessima arte docuit Medeam facere, quæ a se melius ignorentur quam cognoscantur.

(h) *Silente*) *Per noctis silentium*; quod ad pavorem incutiendum etiam aptum est.

(i) *Scilicet*) Vide mihi, quæso, quale sit Poetæ ingenium, in quas se induat formas; & quomodo ex quolibet efficiat quidlibet. Hypsipylen versibus proxime præcedentibus, Jasonem a Medeæ amore retrahentem, induxit: nunc cum videtur illa rationum suarum vim infringere velle, illis pondus addit, seu potius ex iis novum argumentum ad Medeam alienandam colligit.

(k) *Tauros*) Quos Medeæ ope, Jason perdomuit.

Ad-

Adde, quod adscribi factis *(l)* procerumque tuisque
(m) Se favet; & *(n)* titulo conjugis uxor obest.
Atque aliquis *(o)* Peliæ de partibus acta venenis
(p) Imputat, & populum, qui sibi credat, habet,
(q) Non hæc Æsonides, sed *(r)* Phasias *(ſ)* Æetine
Aurea *(t)* Phryxeæ terga *(u)* revellit ovis.
Non *(x)* probat Alcimede mater tua; consule matrem;
Non pater, a *(y)* gelido cui venit axe nurus.
Illa sibi *(z)* Tanai, *(a)* Scythiæque paludibus udæ
Quærat, & *(b)* a patria *(c)* Phasidos usque, virum,

INTERPRETATIO.

Adjice quod illa *se gaudet Auctorem celebrari factorum tuorum, & Principem Argonautarum, & conjux nocet laudibus mariti. Atque aliquis ex factione Peliæ adscribit facta* tua *venenis, & habet plebem, quæ sibi fidem adhibeat. Non Jason, sed Medea abstulit pellem auream arietis Phryxei. Alcimede mater tua non laudat; Consilium pete a matre: Non laudat pater, cui advehitur nurus a polo glaciali. Illa exquirat sibi maritum ex Tanai & paludibus Scythiæ humida, & usque ex patria Phasi.*

NOTÆ.

(l) *Procerum*) Castoris, Pollucis, Herculis, &c.

(m) *Se favet*) Venuste; Alii *se facit* Gall. *Elle prend plaisir, elle se vante.* Hactenus vero in odium, nunc in invidiam Hypsipyle Medeam ideo conatur adducere, quod in se tot Heroum gloriam derivaret.

(n) *Titulo*) *Laudibus tuis detrahit.*

(o) *Peliæ de partibus*) Id est, *Ex iis qui Peliæ partes sequuntur, ipsi favent, tibique sunt infensi.*

(p) *Imputat*) *Dicit, non virtute tua, sed Medeæ venenis, omnia facta fuisse quæ in expeditione Colchica facta sunt.*

(q) *Non hæc*) Intellige hæc verba esse cujuspiam Peliæ fautoris, quibus Jasonis gloriam minuerat.

(r) *Phasias*) *Medea*, a Phaside Colchorum fluvio.

(ſ) *Æetine*) *Æetæ filia*; quemadmodum Neptunine, Nereine, Oceanine, aliaque patronymica formantur. Sequutus vero sum Heinsii correctionem, quam ex veteri erasa lectione, utcumque tamen apparente, deinde etiam Salmasij approbatione confirmavit.

(t) *Phryxeæ*) A Phryxo, Athamantis & Nepheles filio, qui Jovi, vel ut alii volunt, Marti, apud Colchos arietem, quo Hellespontum transfretaverat, immolavit.

(u) *Revellit*) Bene *revellit*; nam arietis pellem, seu vellus aureum in templo Martis Phryxus affixit.

(x) *Probat*) *Ea omnia*, scilicet, *quæ de te & Medea prædicantur; aut ab hostibus tuis in te jactantur.*

(y) *Gelido*) Colchide, scilicet, quæ respectu Græciæ gelida est, utpote magis ad Septentrionem inclinans. Cæterum invidiose istud auxit, quomodo Gallice diceremus, *du fonds du Septentrion*, vel, *des glaces du Pole*: nam ab axe, seu Polo multum distat Colchis.

(z) *Tanai*) Tanais fluvius est novissimus, Asiam ab Europa disterminans.

(a) *Scythiæque*) Scythia regio est, cujus pars, una Asiæ, altera Europæ adscribitur. Iracunde vero ad barbaros, & magis ad Septentrionem, Medeam, quæ sibi maritum quærat, remittit Hypsipyle.

(b) *A patria*) Id est, *Ex Colchidis*, vel *Armeniæ montibus*; unde ortum suum ducere volunt fluvium Phasidem.

(c) *Phasidos*) Phasis fluvius est profundissimus idemque rapidissimus, per quem Argonautæ in Colchos navigarunt. *Phasidos* vero genitivus Græcus est: Latine habet *Phasis*, vel *Phasidis*.

Me-

Mobilis Æſonide, vernaque incertior aura.
Cur tua (d) polliciti pondere (e) verba carent?
Vir meus hinc ieras, vir non meus inde rediſti.
Sim reducis conjux, ſicut euntis eram.
Si te nobilitas, generoſaque nomina tangunt;
En ego (f) Minoo nata Thoante feror.
(g) Bacchus avus, Bacchi conjux (h) redimita corona,
Præradiat ſtellis (i) ſigna minora ſuis.
Dos tibi (k) Lemnos erit, terra (l) ingenioſa colenti;
Me quoque res tales inter habere potes.
(m) Nunc etiam peperi. gratare (n) ambobus, Jaſon:
(o) Dulce mihi gravidæ fecerat (p) auctor onus.
Felix in (q) numero quoque ſum; prolemque gemellam
(r) Pignora (ſ) Lucina bina favente dedi.
Si quæris, cui ſint ſimiles; (t) cognoſceris illis.
(u) Fallere non norunt: cætera patris habent.

INTERPRETATIO.

Inconſtans Jaſon; & levior vento verno, quamobrem promiſſa tua non habent fidem? Abieras hinc maritus meus, rediiſti maritus non meus. Sim uxor reducis, ſicut eram proficiſcentis. Si movearis nobilitate & magnificis titulis; En ego dicor genita Thoante Minoo. Bacchus eſt mihi *avus.* Ariadne *Bacchi conjux circumdata corona prælucet ſignis minoribus ſtellis ſuis. Dos erit tibi Lemnos, terra fœcunda cultori: potes quoque habere me inter res tam præclaras. Nunc etiam ſum enixa, gratulare nobis duobus Jaſon: Auctor reddiderat pondus gratum mihi gravidæ. Sum quoque fortunata in numero; & emiſi binos liberos progeniem geminam, Lucina adjuvante. Si petis cui ſint ſimiles: cognoſceris per illos. Neſciunt fraudare; habent alia omnia patris.*

NOTÆ.

(d) *Polliciti*) Alii habent *pollicito*, quod Heinſio magis arriſit.

(e) *Verba polliciti*) Pro promiſſis. Notane hanc in loquendo rationem & ſolertiam. Quanti uſus eſſe poteſt? Sed pauci iſtud intelligent, niſi aliquando operi manum admoverint.

(f) *Minoo*) Thoas enim, pater Hypſipyles, filius fuit Ariadnæ, Ariadna vero Minoem patrem habuit.

(g) *Bacchus avus*) Omnino, ſiquidem ille Ariadnen uxorem habuit, ex qua Thoantem ſuſcepit, patrem Hypſipyles.

(h) *Redimita*) Hanc fabulam ſupra vidimus in Phyllidis epiſtola; ſed nota quam appoſite & ex muliérculæ ingenio Poeta Hypſipylen, gloriam ex obviis quibuſque captantem, inducat.

(i) *Signa*) *Alia ſidera, minora & minus lucida.* Gall. *Les etoiles de moindre grandeur: Les Conſtellations moins remarquables.*

(k) *Lemnos*) *Inſula Lemnos, quæ dos eſt mea, tua erit, cum me uxorem duxeris.*

(l) *Ingenioſa*) Id eſt, *fœcunda, fertilis*: nam ingenium terræ etiam tribuitur.

(m) *Nunc etiam*) Laudat ſe a fœcunditate, quæ ſolet eſſe maritis grata.

(n) *Ambobus*) *Mihi*, ſcilicet, *& tibi*.

(o) *Dulce*) *Minus mihi grave fuit, quod gravida eſſem, quia ex te eram.*

(p) *Auctor*) *Jaſon, ſcilicet.*

(q) *Numero*) Thoantem enim, & Eunæum uno partu edidit.

(r) *Pignora*) Id eſt, *liberos*: quia ſunt illi amoris conjugalis vincula & quaſi pignora.

(ſ) *Lucina*) Juno Lucina, quæ parturientibus aderat.

(t) *Cognoſceris*) Adeoque Jaſoni erant ſimillimi. Atque & iſtud, ad eum in fide & amore retinendum, conferebat.

(u) *Fallere*) *Sicut Jaſon eorum pater, qui matrem fefellit.*

Le-

Legatos quos pæne dedi (x) pro matre ferendos;
Sed tenuit cœptas fæva (y) noverca vias.
Medeam timui: (z) plus eſt Medea noverca.
Medeæ faciunt ad ſcelus omne manus.
(a) Spargere quæ fratris potuit laniata per agros
Corpora, pignoribus parceret illa meis?
Hanc tamen, o demens Colchiſque (b) ablate venenis,
Diceris Hypſipyles præpoſuiſſe toro;
Turpiter illa (c) virum cognovit adultera virgo,
Me tibi, teque mihi (d) tæda pudica dedit.
Prodidit (e) illa patrem: rapui (f) de cæde Thoanta.
(g) Deſeruit Colchos: me mea Lemnos habet.
Quid refert, ſcelerata piam ſi vincis, & ipſo
(h) Crimine dotata eſt, emeruitque virum?
Lemniadum facinus culpo, (i) non miror, Jaſon.
(k) Quælibet iratis ipſe dat arma dolor.
Dic age, ſi ventis (ut (l) oportuit), actus iniquis
Intraſſes portus tuque, (m) comeſque meos;

NOTÆ.

Quos fere tradidi portandos legatos pro matre: Sed crudelis noverca impedivit inceptum iter. Reformidavi Medeam: plus eſt Medea quam noverca. Manus Medea apta ſunt ad omnem nequitiam. Quæ potuit diſſeminare per campos membra lacerata fratris: illa ignoſceret meis liberis? Tamen, o inſane, & incantate venenis Colchicis, diceris prætuliſſe huic lecto Hypſipyles. Illa juvenis adultera cognovit fœde meum maritum: fax caſta dedit me tibi, & te mihi. Illa prodidit patrem: ego ſubtraxi Thoanta neci. Illa reliquit Colchos: Lemnos mea tenet me. Quid intereſt, ſi ſcelesta ſuperat piam, & dotem habet crimen ipſum, & eo ſibi conciliavit maritum. Damno flagitium Lemniadum puellarum, non miror Jaſon. Dolor ipſe ingerit qualibet arma infenſis. Dic, quæſo, ſi pulſus ventis adverſis (ut decuit) tu & comes introiſſes meos portas.

NOTÆ.

(x) *Pro matre*) Id eſt, *ut te mihi conciliarent.*

(y) *Noverca*) *Medea*, ſcilicet.

(z) *Plus eſt*) Id eſt, *Major eſt adhuc in Medea ſævitia, quam in Noverca.* Gall. *Qui dit Medée, dit bien plus que maratre.*

(a) *Spargere*) Fabula eſt, Medeam, ut inſequentem patrem moraretur, cum Jaſonis fugam comitata eſſet, Abſyrti, fratris ſui, membra dilaceraſſe, iiſque viam ſtraviſſe.

(b) *Ablate*) Jaſonem innuit per veneficia mente alienatum a Medea fuiſſe.

(c) *Virum*) *Te*, ſcilicet, *qui meus es.*

(d) *Tæda pudica*) *Legitimum conjugium*; ad cujus celebrationem tædas adhibitas fuiſſe ſupra vidimus, Metonym. eſt.

(e) *Illa*) *Medea*, cujus ope vellus aureum a Jaſone ſublatum.

(f) *De cæde*) Sola enim ex omnibus Lemniadibus patrem ſuum ſervavit, cum aliæ viros omnes trucidaſſent.

(g) *Deſeruit*) *Ut impudica ſoleat.*

(h) *Crimine dotata*) Medeam Jaſon abduxit, quod ſui cauſa patrem prodidiſſet. Quam lepide vero & appoſite iſtud arguit Hypſipyle.

(i) *Non miror*) Quod viros ſuos Lemniades interfecerint, ſe equidem dicit non approbare: Verumtamen in eo nihil eſſe quod dolor contemtæ uxori facile non ſuggerat.

(k) *Qualibet*) Clariſſimus Heinſius malebat *quamlibet*: ſed non ita videtur ad ſcopum ſpectare.

(l) *Oportuit*) *Dignus fuiſti, cui iſtud eveniret.*

(m) *Comeſque*) *Medea*; quam præ dolore & ira non nominat.

Ob-

Obviaque exiſſem fœtu comitata gemello:
((n) Hiſcere nempe tibi terra roganda fuit.)
Quo vultu natos, quo me, ſcelerate, videres?
Perfidiæ pretio qua nece dignus eras?
Ipſe quidem per me tutus ſoſpeſque fuiſſes:
Non quia tu dignus, ſed quia mitis ego.
(o) Pellicis ipſa meos impleſſem ſanguine vultus,
(p) Quoſque veneficiis (q) abſtulit illa ſuis.
Medeæ (r) Medea forem. quod (ſ) ſi quid ab alto
Juſtus adeſt votis Jupiter ipſe meis;
Quod gemit Hypſipyle, lecti quoque (t) ſubnuba noſtri
Mœreat, & leges (u) ſanciat ipſa ſuas.
Utque ego deſtituor conjux materque duorum;
(x) A totidem natis orba ſit, atque viro.
Nec male parta diu teneat; pejuſque relinquat.
Exulet; & toto quærat in orbe fugam.
Quam fratri germana fuit, miſeroque parenti
Filia; tam natis, tam ſit acerba (y) viro.

INTERPRETATIO.

& proceſſiſſem obviam cum duobus liberis: (ſcilicet tibi opus fuiſſet precari terram, ut biaret.) Quo ore potuiſſes intueri filios, quo me, ſceleſte? Qua morte dignus eras pro mercede perfidiæ tuæ? Tu equidem fuiſſes tutus & incolumis per me, non quia tu es dignus, ſed quia ego ſum lenis. Ego cooperuiſſem meos oculos ſanguine pellicis; & tuos quos illa abripuit veneficiis ſuis. Eſſem Medea Medea. Quod ſi Jupiter ipſe adeſt æquus aliqua parte ex cœlo meis precibus; Pellex mei lecti fleat quod Hypſipyle queritur, & ipſa firmet leges ſuas: Et quemadmodum ego uxor, & mater duorum relinquor, illa ſit privata totidem liberis, atque marito. Nec diu poſſideat quæ male acquiſivit, & graviori modo deſerat. Exul vivat; & quærat fugam in toto mundo. Quam ſæva fuit ſoror fratri, & filia ſæva patri; tam ſit ſæva liberis, tam ſit ſæva marito.

NOTÆ

(n) *Hiſcere*) Id eſt, *Tanti ſceleris pudore uſque adeo ſuffuſus fuiſſes & perturbatus, ut terra biatu abſorptum quam in meum conſpectum datum te praoptaſſes.*

(o) *Pellicis*) *Medea.*

(p) *Quoſque*) *Jaſonis.*

(q) *Abſtulit*) *A me Avertit.*

(r) *Medea*) Id eſt, *ſæviſſima,*

(ſ) *Si quid*) Alii *ſi quis*. Optime vero & venuſte *ſi quid* plurimi; quod repoſuit Heinſius: qui idem vere, eleganter redundare τὸ *quid* aſſerit. Ita & Virgilius.

—— Si quid pietas antiqua labores
Reſpicit humanos.

(t) *Subnuba*) *Medea concubina*. Alii habent *Succuba*; quam vocem vix latinam dicit Heinſius.

(u) *Sanciat*) *Firmet, & ratas efficiat.* Id eſt, *Cum ipſa ſibi licitum crediderit uxores de conjugali toro deturbare, & ea de re quaſi legem exemplo in me edito poſuerit, opto ut etiam damno ſuo legem iſtam ſanciat.*

(x) *A totidem*) Voto ſuo non excidit Hypſipyles. Jaſon enim cum Creuſam Creontis Corinthiorum regis filiam uxorem duceret, Medeam expulit; quæ duos, quos ex Jaſone habuerat, filios crudeliter mactavit. Nota vero phraſim; *orbum eſſe a re aliqua*: Ita & Cicero dixit in Oratione pro Flacco, *orba ab Optimatibus concio.*

(y) *Viro*) Cum Creuſa conflagraſſe Jaſonem, incendio quod Medea in Creontis regia excitavit, ſcribit Hyginus. Quanquam alii aliter.

Cum

Cum mare, cum terras (*z*) consumserit (*a*) aera tentet,
Erret inops, exspes, cæde cruenta sua.
Hæc ego conjugio fraudata (*b*) Thoantias horo.
Vivit (*c*) Devoto nuptaque virque toro.

INTERPRETATIO.

Cum peragraverit mare & terras, experiatur aera. Vagetur egena, sine spe, sanguinolenta sua nece. Ego Thoantis filia expulsa conjugio hac imprecor. Vivito vir & uxor lecto diris damnato.

NOTÆ.

(z) *Consumserit*) *Frustraque in iit asylum quæsierit.* Corintho vero Medea pulsa est, postquam Jasoni Creusa nupsisset: Deinde etiam Athenis, ab Ægeo, cui nupserat, repudiata.

(b) *Aera*) Quomodo draconibus vecta Corintho, Athenisque aufugerit Medea, passim reperies: illudque sæpius Autor memorat.

(b) *Thoantias*) *Hypsipyle Thoantis filia.*

(c) *Devoto*) *Execrationibus, & infelicitatibus per meas imprecationes referto.*

EPISTOLA SEPTIMA.

ARGUMENTUM.

Troja a Græcis eversa, Æneas, Anchisæ & Veneris filius, postquam incendio penates eripuisset, viginti navibus mare ingreditur. Tempestate autem jactatus, diuque circum multa littora errans, in Lybiam est delatus: ubi tunc Dido, ut fingit Virgilius, Beli filia, & Sichæi, Herculis sacerdotis uxor, Tyro profecta, fratris Pigmalionis sævitiam & avaritiam fugiens, novam urbem, Carthaginem moliebatur, a qua Æneas una cum sociis liberaliter susceptus, amatus, in ejusdem se interiorem consuetudinem demisit. Cum autem Mercurii monitu, in Italiam, fatis sibi promissam, navigare pararet, Dido (ut quæ cum maxime amans & ardens omnia momenta expenderet) animum ejus præsentiens, a navigandi proposito eum revocare studet, quo non impetrato, ut saltem differat præceps iter, orat. Multis autem frustra admotis precibus, tandem moritura ad eum scribit, ut mortis causam præbuisse intelligat.

DIDO ÆNEÆ.

(*a*) SIc, (*b*) fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad (*c*) vada (*d*) Meandri (*e*) concinit albus olor.

INTERPRETATIO.

Sic candidus Cygnus jacens super herba canit ad vada Mæandri, cum mors vocat.

NOTÆ.

(a) *Sic concinit*) *Uti ego nunc cano*, supple: quod, de industria, a Poeta non expressum, majoris affectus declarandi causa. Cæterum in quibusdam codicibus, hujus epistolæ initium faciunt, versus duo sequentes.

Accipe, Dardanide, moritura carmen Elissæ.
Quæ legis, a nobis ultima verba legis.

At illi, tametsi non ita male cohærent, marito tamen, cum in optimis præsertim editionibus non appareant, tanquam adulterini rejecti sunt. Epistola vero fere tota est ex Virgilio desumta.

(b) *Fata vocant*) Id est, *cum mors instat.* Inde tracta phrasi quod nihil sine fatorum ordine fiat.

(c) *Vada*) Vadum, locus est aquosus, per quem tamen pedibus licet vadere. Sumitur etiam pro aquis simpliciter.

(d) *Meandri*) Meander, seu, ut alii scribunt Meandrus, fluvius est minoris Asiæ, in Ægeum mare influens, adeo sinuosus, ut sæpe videatur reverti.

(e) *Concinit*) Morti vicinum Cygnum cantare voluerunt fabularum artifices Poetæ.

Nec

Nec, quia te nostra sperem prece posse moveri,
Alloquor: adverso (*f*) vovimus (*g*) ista Deo.
Sed (*h*) merita & (*i*) famam, (*k*) corpusque, animumque pudicum
Cum male perdiderim; perdere verba leve est.
(*l*) Certus es ire tamen, miseramque relinquere Dido:
Atque iidem venti vela (*m*) fidemque ferent.
Certus es, Ænea, cum fœdere (*n*) solvere naves;
Quæque ubi sint nescis, Itala regna sequi.
Nec (*o*) nova Carthago, nec te crescentia tangunt
Mœnia; nec sceptro tradita (*p*) summa tuo.
(*q*) Facta fugis; (*r*) facienda petis. quærenda per orbem
Altera, quæsita est (*s*) altera terra tibi.
Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?
(*t*) Quis sua non notis arva tenenda dabit?
(*u*) Alter habendus amor tibi restat, & altera Dido:
Quamque (*x*) iterum (*y*) fallas, altera danda fides.

INTERPRETATIO.

Neque compello te, quod credam te posse flecti precatione nostra: Optavimus ista Deo averso. Sed cum male profuderim beneficia & famam, & corpus, & animum castum, parum est profundere verba. Decrevisti tamen abire & deserere infelicem Didonem: Atque iidem venti rapient vela & fidem tuam: Decrevisti, Ænea, solvere naves cum pacto: & regna Itala petere, quæ ignoras ubi sint. Nec nova Carthago, nec muri sur gentes te movent; nec summa rerum concessa tuo sceptro. Fugis quæ facta sunt, sequeris quæ facienda sunt. Altera tellus investiganda est tibi per orbem, altera est inventa. Quanquam solum reperias, quisnam id tibi præbebit possidendum? Quis dabit agros suos possidendos hominibus incognitis? Superest tibi alter Amor habendus, & altera Dido. Et fides altera danda, quam frangas denuo.

NOTÆ.

(f) *Vovimus*) Alii Codices habent *movimus*: quod quidem cur improbaverit Heinsius non video; (*movere* enim sæpe pro suscipere ponitur) nisi quia jam ea voce, versu proxime præcedenti, usus est Poeta. *Vovimus* vero ex hac Basileensis Codicis Scriptura $\overline{\text{vois}}$ effecit Heinsius.

(g) *Ista*) *Ut te in mei amore retinerem.*

(h) *Merita*) Æneam hospitio perbenigne acceperat, &c.

(i) *Famam*) Quia ante visum Æneam castissima habebatur.

(k) *Corpusque*) Ab Ænea violatum.

(l) *Certus ire*) *Certus eundi*. Virgil. 4. Cæterum hæc omnia, cum aliqua admiratione proferenda sunt.

(m) *Fidemque ferent*) Id est, *Perfidus eris*. Proverbialis locutio, nostris etiam familiaris, dum nullius momenti rem aliquam exagitant. Dicunt enim; *Autant en emporte le vent*: & similia.

(n) *Solvere*) Iterum in diversa vocem significatione ludit Poeta. *Solvere fœdus*, est *fœdus frangere*. *Solvere naves*, est, *eas ex portu deducere*. Id est, *decrevisti simul & pariter matrimonium nostrum dissolvere, &, abeundi causa, naves portu solvere*.

(o) *Nova*) Quam tunc temporis Dido ædificabat.

(p) *Summa*) Id est, *Quicquid erat penes me divitiarum & potestatis*.

(q) *Facta*) *Carthaginem conditam*.

(r) *Facienda*) *Urbem, quam, fatis admonitus, in italia conditurum se Æneas prædicabat*.

(s) *Altera*) *Hac, scilicet, quam tibi dedi*.

(t) *Quis*) Quasi dicat, *nullus*.

(u) *Alter*) *quem fortasse nunquam invenies*.

(x) *Iterum*) *Sicuti datam mihi fefellisti*.

(y) *Fallas*) *Fallere fidem*, pro, *fidem violare*, etiam apud Ciceronem.

E (z) Quar-

(z) Quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem;
Et videas populos altus ab arce tuos?
Omnia ut eveniant, nec te tua vota (a) morentur;
Unde tibi, quæ te (b) sic amet, uxor erit?
Uror, ut inducto ceratæ sulfure (c) tædæ:
Ut (d) pia fumosis addita thura focis.
Æneas oculis semper vigilantis inhæret:
Ænean animo noxque diesque refert.
Ille quidem male gratus, & ad mea munera (e) surdus;
Et quo, si non sim (f) stulta, carere velim:
Non tamen Ænean, quamvis male cogitat, odi:
Sed queror infidum, questaque pejus amo.
Parce Venus (g) nurui, durumque (h) amplectere fratrem
(i) Frater Amor: castris (k) militet ille tuis.
Aut ego (l) quæ cœpi (neque enim dedignor) amare,
(m) Materiam (n) curæ præbeat ille meæ.

INTERPRETATIO.

Quando eveniet ut ædifices urbem instar Carthaginis: & sublimis prospicias populos tuos ab arce? Quantumvis omnia accidant, nec tua desideria te retardent: unde conjux tibi aderit, qua te amet ut ego te amo? Ardeo, ut tæda oblita sulphure; ut pia thura injecta altaribus fumosis. Semper Æneas obversatur oculis mei experrecta. Nox & dies repræsentat Æneam animo meo. *Ille quidem ingratus, & durus ad mea dona; & quo, si non sim insana, cupiam carere: Non tamen odio habeo Ænean, quamvis male animo sentit: Sed querimoniam habeo de perfido, & postquam habui, magis amo. Venus ignosce nurui, tuque, o Amor frater complectere crudelem fratrem: Ille sequatur castra tua: Aut ego sequar qua cœpi amare; (neque enim abnuo) ille det materiam amori meo.*

NOTÆ.

(z) *Quando*) Quasi dicat, *nunquam*, aut *tardissime*.

(a) *Morentur*) Id est, *Quanquam nulla sit mora, quin omnia quæ optaveris, eveniant.*

(b) *Sic*) *Ut ego te amo.*

(c) *Tædæ*) Tæda, arbor est ex resinosis; flammis luminibusque sacrorum grata, autore Plinio.

(d) *Pia*) *Quibus erga Deos pietatem testamur.*

(e) *Surdus*) Quia illis neque movebatur; neque ab instituto itinere deterrebatur.

(f) *Stulta*) Stultus vero est qui eo carere non vult, quem neque beneficiis, neque amore retinere potest.

(g) *Nurui*) Id est, *mihi*. Æneas matrem habuit Venerem: Adeoque Veneris nurus fuerit, quæ illum maritum vocitaverit.

(h) *Amplectere*) *Et ad mei amorem perduce.*

(i) *Frater*) Æneæ frater fuerit Amor, siquidem uterque Venere genitus.

(k) *Militet*) *Amet, & amet me*: Militia enim Amoris amor est.

(l) *Quæ*) *Quem*, ex melioribus codicibus correxerat Heinsius. *Quæ* vero, quod in aliis reperitur reposui, quia clariorem sensum & meliorem efficit: nam & idem ille Heinsius hanc, ut videtur sibi legem in correctionibus suis posuit.

(m) *Materiam*) *Nutrimentum & causam Amet.* Quam acute istud inflexerit, vide. Dicit Amori, se sponte ejus militiæ nomen dedisse, & ejus castra sequi: Tantummodo ille materia vota sua non destituat. Quæ magis honesta esse potest Oratio ad Imperatorem? At Dido tamen quod maxime cupit, conficit; nam Amoris materia Æneæ amor est reciprocus.

(n) *Curæ*) *Amori*. Sic Virgil. de hac ipsa Dido loqueas:

At Regina gravi jamdudum saucia cura.

(o) Fal-

(o) Fallor; & (p) ista mihi falso jactatur imago.
Matris ab ingenio (q) dissidet ille suæ.
(r) Te lapis, & montes, innataque rupibus altis
(s) Robora, te sævæ progenuere feræ:
Aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis:
(t) Quo tamen adversis fluctibus ire paras.
Quo (u) fugis) obstat (x) hiems: (y) hiemis mihi gratia prosit:
Aspice, ut (z) eversas concitet (a) Eurus aquas.
Quod tibi maluerim, sine me debere procellis.
(b) Justior est animo ventus & unda tuo.
Non ego sum tanti ((c) quamvis merearis, inique,)
Ut pereas, dum me per freta longa fugis.
Exerces (d) pretiosa odia, & constantia magno;
Si, dum me careas, est tibi vile mori.
Jam venti ponent, (e) strataque æqualiter unda,
(f) Cæruleis (g) Triton per mare (h) curret equis.

INTERPRETATIO.

Decipior: & ista cogitatio ostentatur mihi falso: Ille non vivit ex indole matris suæ. Saxum & montes, & robora ingenita rupibus altis, feræ crudeles produxerunt te: Aut mare, quale cernis commoveri nunc quoque ventis; quo tamen ire cupis undis contrariis. Quo fugis? tempestas impedit: tempestatis gratia mihi serviat. Vide ut Eurus eruat aquas concitat: fac ut debeam procellis, quod maluerim debere tibi. Ventus & fluctus est æquior tuo ingenio. Ego non sum tanti, ut pereas. (quam vis dignus sis, injuste) dum fugis me per vasta maria. Odiis carissimis indulges & magno venientibus: si modo me careas, leve est tibi mori: Venti brevi quiescent, & fluctibus æqualiter diffusis, Triton feretur per mare equis glaucis.

NOTÆ.

(o) *Fallor*) *Qua Ænean ad mei amorem perduci posse cogito.*

(p) *Ista*) *Qua, dies, noctes mentem obambulat; cum Ænean facilem & amore victum, mihi fingo.*

(q) *Dissidet*) *Quia ille durus; Venus mollis*, &c.

(r) *Te*) Ænean tanquam præsentem alloquitur. Quod quidem convenientissime fecit, quo tempore eum phantasiæ oberrantem induxit.

(s) *Robora*) Robur, arbor est glandifera, durissima.

(t) *Quo*) Alii habent *qua*; quod Heinsio propter ejusdem *quo*, versu proxime sequenti, concursum, placuit.

(u) *Fugis*) Invidiose.

(x) *Hiems*) *Tempestas.* Ita & Horatius.

(y) *Hiemis gratia*) *Cujus vix ulla est.* Ovidium vide, ut ubique ingeniosus est.

(z) *Eversas*) Pro *evertat* & *concitet*.

(a) *Eurus*) Ventus ab ortu spirans, procellosus, & in Italiam ex Africa navigaturis maxime contrarius.

(b) *Justior*) *Quia mihi bene merenti gratiam refert, cum te apud me retinet, quam tu, qui beneficium accepisti, non vis reddere.*

(c) *Quamvis merearis*) *Perire* scilicet. Sed multum hic variant codices. Quidam habent *quod non meditaris*: quod quidem non improbandum.

(d) *Pretiosa*) *Quandoquidem, ob ea; Tu ipse in periculum venis.*

(e) *Strata*) Cum nullis ventis agitatur aqua, inter ripas suas æquabilis continetur.

(f) *Cæruleis*) Propter aquæ præsertim, in qua vivunt, colorem.

(g) *Triton*) Deus marinus, Neptuni filius, ejusdemque tubicen.

(h) *Curret*) Id est, *placabitur æstus maris*. Lubentius enim quiescente unda, super aquas Dii maris exeunt.

Tu quoque cum ventis utinam mutabilis esses!
Et, nisi duritia robora vincis, eris.
Quid? si (i) nescieris, insana quid æquora possint?
(k) Expertæ toties tam (l) male credis aquæ?
Ut pelago (m) suadente etiam (n) retinacula solvas,
Multa tamen latus tristia pontus habet.
Nec (o) violasse fidem tentantibus æquora prodest.
Perfidiæ pœnas exigit ille locus.
Præcipue cum læsus Amor: quia mater Amoris.
Nuda (p) Citheriacis edita fertur aquis.
Perdita ne (q) perdam timeo, noceamve nocenti;
Neu bibat æquoreas naufragus hostis aquas.
Vive, precor: sic te (r) melius, quam funere, perdam.
Tu potius leti causa (s) ferare mei.
Finge, age, te (t) rapido (nullum sit in omine pondus)
Turbine deprendi; quid tibi mentis erit?
Protinus occurrent falsæ perjuria linguæ,
Et (u) Phrygia Dido fraude (x) coacta mori.

INTERPRETATIO:

Utinam tu esses quoque mobilis cum ventis: Et eris, nisi durior es roboribus. Quid? si ignorasses quid procellosa maria possent? Confidis mari quod toties tam male sensisti? Tametsi etiam mari consulente moveas anchoram, tamen vastum mare habet multa luctuosa. Neque juvat eos qui se mari committunt læsisse fidem: Ille locus repetit pœnas perfidiæ: præsertim cum Amor violatus; quia mater Amoris dicitur genita nuda aquis Cytheriacis. Ego quæ occidi, metuo ne sim exitio, vel obsim nocenti; Neve hostis naufragium passus sorbeat aquas marinas. Vive quæso: libentius amittam te sic, quam morte. Tu potius dicaris causa mortis meæ. Age, pone te corripi turbine furente: (nulla sit vis in omine) quid erit tibi animi? Statim mentem subibunt perjuria perfidæ linguæ, & Elissa ad mortem impulsa fraude Trojana.

NOTÆ.

(i) *Nescieris*) Sic habent nonnulli Codices, referente Heinsio. Nec te movere debet ultima syllaba producta; nam plurima alia exempla idem Heinsius congerit, ubi eadem producitur.

(k) *Experta*) *Passive: Nota.*

(l) *Male*) *Experta male*; id est, *cum tuo periculo*: vel *credis male*.

(m) *Suadente*) *Tranquillo*: quod ad navigationem invitare videtur.

(n) *Retinacula solvas*) *Solvas anchoram: discedas.*

(o) *Violasse*) Navigationem pergit dissuadere Dido.

(p) *Cytheriacis*) Citheræ insula est in sinu Laconico, quo, cum primum nata esset, Concha Venus devecta dicitur.

(q) *Perdam*) *Eum naufragio timeo perdere quem sua voluntas perdidit, quique adeo me perdidit:*

(r) *Melius*) *Minori cum dolore.*

(s) *Ferare*) *Quam ego tui*, supple, *sim dum fugeres, perires;*

(t) *Rapido*) Quam artificiose quasi in periculo ipso conscientiam Æneæ sollicitat.

(u) *Phrygio*) *Ænea Phrygii; Tur.*

(x) *Coacta*) Quæcumque de Didonis & Æneæ dicuntur amoribus, fabulam esse meram, a Virgilio artificiose intextam constat ex eo præsertim, quod Carthago 132. anno tantum ante Romam a Didone sit condita; Roma vero 432. post Trojæ excidium, quo excidii tempore Æneas vixit: Ut sic 300. annos circiter Æneæ munifice Poeta condonaverit.

Cor-

Conjugis ante oculos deceptæ ſtabit imago
Triſtis, & effuſis (y) ſanguinolenta comis.
Quicquid (z) id eſt, *totum merui*, (a) *concedite* (b) dicas:
Quæque cadent, (c) in te fulmina miſſa putes.
(d) Da breve ſævitiæ ſpatium pelagique tuæque:
Grande moræ pretium tuta futura via eſt.
Nec mihi parcatur; puero parcatur Julo.
(e) Te ſatis eſt titulum mortis habere meæ.
Quid puer (f) Aſcanius, quid Di (g) meruere (h) Penates?
(i) Ignibus ereptos obruet unda Deos.
Sed neque fers tecum: nec, quæ mihi, perfide, jactas,
(k) Preſſerunt humeros ſacra paterque tuos.
Omnia mentiris, nec enim tua fallere lingua
Incipit a nobis; primaque plector ego.
Si (l) quæras, ubi ſit formoſi mater Juli:
Occidit a duro ſola relicta viro.

INTERPRETATIO

Species uxoris deluſa ſtabit ante ocalos mæſta, & ſanguine reſperſa, capillis ſparſis. Quicquid id eſt, omne merui, *dices*, diſcedite: *& credes fulmina quæ cadent eſſe intorta in te. Concede breve tempus furori maris, & tuo: Via tuta futura eſt magna merces cunctationis. Nec mihi ignoſcatur: ignoſcatur puero Julo: Satis eſt te dici cauſam mortis meæ. Quid puer Aſcanius, quid Dii Penates meruerunt? Aqua opprimet Deos ſubtractos ignibus. Sed neque* Deos *tecum portas; neque, perfide, pater & ſacra, quæ mihi prædicas, tetigerunt humeros tuos. Profers omnia falſa, neque vero lingua tua me primam decipit, neque ego prima crucior. Si quis petat, ubi ſit mater pulcri Juli: Periit deſerta ſola a crudeli marito.*

NOTÆ.

(y) *Sanguinolenta*) *Quæ tui cauſa ſibi violentas manus injecerit.*

(z) *Id*) *Quod patieris mali. Quantacunque fuerint mala quæ patieris.*

(a) *Concedite*) Conſcientiæ ſtimulis & periculi magnitudine conturbatum Ænean fingit Dido ſui ſanguinolentam imaginem ſpectraque alloqui, & a ſe depellere.

(b) *Dicas*) Plurimi codices habent *dices*: quod quidem non improbaverim: quanquam illud alterum requirere verſum ſequentem Heinſius crediderit.

(c) *In te*) Ita vero noxios ſolet timida conſcientia agitare: Hinc Juvenalis;

Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat, exanimes primo quoque murmure Cœli:
Non quaſi fortuitus, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras, & vindices ignis.

(d) *Da breve*) Id eſt, *diſceſſum tuum differ.*

(e) *Te ſatis*) Id eſt, *ſatis eſt quod meæ mortis autorem te facias: nec ei filium tuum debes objicere, &c.*

(f) *Aſcanius*) Æneæ filius; qui & Julus dictus eſt.

(g) *Meruere*) *Quamobrem eos tempeſtati objicias.*

(h) *Penates*) Quos dicitur Ænea Trojas in Italiam portaſſe.

(i) *Ignibus*) *Trojæ deflagrantis.*

(k) *Preſſerunt*) Pius ideo a Virgilio Æneas cognominatur, quod patrem & Deos Penates flammis eripuerit, & humeris bajulaverit. Quomodo eum pictores etiam ex Virgilio celebraverunt.

(l) *Quæras*) *Aliquis quærat.* Ænean dicit Creuſam uxorem, Priami filiam, matrem Aſcanii ante reliquiſſe, & decepiſſe. Quæ quidem ex quorundam ſententia. Imo ab ipſo interfectam nonnulli tradunt.

(m) Hæc

(*m*) Hæc mihi narraras: (*n*) at me movere merentem;
(*o*) Inde minor culpa pœna futura mea eſt.
(*p*) Nec mihi mens dubia eſt, quin te tua numina damnent.
Per mare, per terras (*q*) ſeptima (*r*) jactat (ſ) hiems,
Fluctibus ejectum tuta (*t*) ſtatione recepi,
Vixque bene audito nomine, regna dedi.
His tamen officiis utinam contenta fuiſſem;
Et mihi concubitus fama (*u*) ſepulta foret!
Illa dies (*x*) nocuit, qua non declive ſub antrum
(*y*) Cæruleus ſubitis compulit imber aquis.

INTERPRETATIO.

Hæc mihi retulerat: ſed tetigerunt me flentem. Inde pœna tua *futura eſt levior culpa mea. Nec dubito quin tui Dii te exagitent. Septima tempeſtas jactat* illum *per mare, per terras. Recepi tuto portu* illum *expulſum undis; & regna tradidi, vix bene cognito* ejus *nomine. Utinam tamen ſatis mihi fuiſſet his beneficiis; & nulla eſſet mihi fama concubitus! Illa dies me perdidit, qua imber cæruleus detruſit nos ſub ſpeluncam curvam, repentinis aquis.*

NOTÆ.

(m) *Hæc*) *Quomodo Creuſam amiſiſſet*: Iſtud vero 2. Æneidos, ſub finem, Didoni Æneas narrat.

(n) *At me movere*) Alii *novere*: unde ſenſum extorquere conatus eſt Hubertinus. Sed fruſtra, meo quidem judicio. Quid vero dicam vix reperio: niſi forte hæc fuerit mens Didonis, & ita Ænean alloqui voluerit, *Narraveras mihi equidem quomodo Creuſam uxorem tuam reliquiſſet, unde perfidum tuum ingenium cognoſcere debuiſſem, teque adeo longe a me propellere: At ſecus evenit, nam, cum in animo meo id unum inſediſſet, qua ratione tibi poſſem prodeſſe & placere, etiam me movit, & ad miſericordiam perduxit ille, ut referebat, tuus & uxoris caſus.* Si quis accerſitam explicationem credat, pergratum fecerit meliorem proponere. Ceterum, ſine manuſcriptorum fide, niſi ſumma cautione, nolim quicqoam mutare.

(o) *Inde* Hanc lectionem retinuerunt ſeptem libri, Autore Heinſio, quam quidem arripui, eo præſertim inductus, quod alii *unde*, alii *atque*, eodem prope ſenſu habeant. Heinſius vulgata *illa* non mutavit, teſtatur *ipſa* in uno codice legi: neque aliud niſi quod aliquid latere dicit. Hunc vero locum ſic expono, *Inde*, id eſt, *ex eo quod vices tuas dolui; te deinde hoſpitio & lecto meo recepi, oratione tua decepta, ex eo, inquam, culpa mea evenit; ut minorem perfidiæ pœnam lueris.*

(p) *Nec mihi*) Confirmatio eſt, ſeu ejus quod dixit, ulterior declaratio, Ænean perfidiæ erga uxorem, pœnam luere.

(q) *Septima*) Cum Virgilio facit. Dionyſius vero, anno ab incenſa Troja, altero Ænean in Italiam veniſſe ſcribit.

(r) *Jactat*) Ænean, ſcilicet. Hæ vero Ellipticæ locutiones fere cum indignatione, aut aliquo majore affectu, ſunt conjunctæ,

(ſ) *Hiems*) Pro anno.

(t) *Statione*) Portu ſcilicet, Carthaginienſi.

(u) *Sepulta*). *Nullus ſciret*. De hac vero fama multa Virgil. 4. Æneid.

(x) *Nocuit*) Quia eo, Junonis, Veneriſque artificio, ſubire ſpeluncam Æneas & Dido, imbribus immiſſis, coacti, tum primum concubuerunt; ut ſcribit Virgil. Æn. 4. Is vero quam nunc exponimus verſum, ſic reddit;

Ille dies primus leti, primuſque malorum
Cauſa fuit.

(y) *Cæruleus*) Pro nigricante. Utroque epitheto promiſcue utitur Virgilius.

Au-

Audieram (*z*) voces; Nymphas (*a*) ululasse putavi.
(*b*) Eumenides fatis (*c*) signa dedere meis.
Exige læse pudor pœnas, (*d*) violate Sichæo:
Ad quas (me miseram!) plena pudoris eo.
Est mihi marmorea sacratus in æde (*e*) Sichæus:
Appositæ frondes velleraque alba tegunt.
Hinc ego me sensi (*f*) noto quater ore citari;
(*g*) Ipse sono tenui dixit, (*h*) *Elissa, veni.*
(*i*) Nulla mora est; venio. venio tibi debita conjux:
Sed tamen (*k*) admissi (*l*) tarda pudore mei.
(*m*) Da veniam culpæ; decepit (*n*) idoneus auctor.
Invidiam noxæ detrahit ille meæ.
(*o*) Diva parens, seniorque (*p*) pater pia sarcina nati,
Spem mihi mansuri rite (*q*) dedere viri.
Si fuit errandum, causas habet error honestas.
Adde (*r*) fidem; nulla parte (*s*) pigendus erit.

INTERPRETATIO.

Exceperam sonos; credidi Nymphas clamasse. Furiæ indicium fecerunt fatis meis. Pudor offense, violate Sichæo, repete pœnas, ad quas, (me infelicem!) me dedo suffusa pudore. Est mihi Sichæus sacratus in templo marmoreo; rami admoti, & lana candida operiunt. Ego audivi me hinc vocari quater voce cognita; Ipse Sichæus *dixit voce gracili,* Adesto Elissa. *Non moror: adsum. En uxor tibi debita: sed tamen lenta pudore criminis mei. Concede veniam delicto meo: Dignus auctor me fraudavit: ille minuit invidiam culpæ meæ. Mater Dea, & pater senior, pium onus filii: fecerunt mihi spem mariti firmi ut par est. Si fuit peccandum, error præbet causas honestas. Adjice* illi *fidem; nullo modo erit pigendus.*

NOTÆ.

(z) *Voces*) Pluralem numerum ex vulgata editione reposui; quamvis singularem habere meliores codices Heinsius testetur. Ratio est, quod sicut apud Virgilium plures etiam hic Nymphas Dido ipsa memorat.

(a) *Ululasse*) Vox est mediæ significationis, quam, in bonam partem accipi, dubitare non sinit Lucanus, cum dicit,

lætis ululare triumphis.

(b) *Eumenides*) *Furiæ*; eo nomine per antiphrasim Græce dictæ; id est, *malevolæ*.

(c) *Signa*) Quæ ab illis non possunt esse nisi atra, & mortis præsagia.

(d) *Violate*) Quoniam Sichæi cineribus castitatem promiserat.

(e) *Sichæus*) Didonis maritus, Herculis Tyri Sacerdos, quem Pygmalion, ob divitiarum famam, interfecit. Hic vero per Sichæum, ejus statua, quam, summa veneratione, Dido colebat, intelligenda est.

(f) *Noto*) *Sichæi*, scilicet.

(g) *Ipse*) *Sichæus*.

(h) *Elissa*) Nomen fuit alterum Didus. Eo vero illam convenientissime Sichæus appellat, siquidem, ea *Dido*, seu virago lingua Punica, per gloriosam mortem dicta tantum fuerit; quanquam aliter alii.

(i) *Nulla mora*) Sese dicit mori paratam esse, ut sit cum Sichæo.

(k) *Admissi*) *Impudicitiæ criminis.*

(l) *Tarda*) Tarde dicit se venire; quandoquidem non id ante violatam pudicitiam præstiterit.

(m) *Da veniam*) Sichæum alloquitur.

(n) *Idoneus*) *Cuique nullus non consideratum esse dixisset.*

(o) *Diva*) Ea obiter enumerat quæ facti sui invidiam possunt minuere: primo quidem Æneæ matrem, Venerem scilicet, divam esse.

(p) *Pater Anchises*, scilicet: quem humeris suis gestasse pius ille Æneas prædicabat. Unde eum probum esse Dido, conjiciebat.

(q) *Dedere*) Non hoc dixit Dido, ut se omnino expurget; sed tantum ut minorem culpam fuisse ostendat.

(r) *Fidem*) *Quam mihi dederat Æneas.*

(s) *Pigendus*) Æneas, an error? Posterius malim.

 (t) Du-

(*t*) Durat in extremum, vitæque noviſſima noſtræ
Proſequitur fati, qui fuit ante, (*u*) tenor.
(*x*) Occidit (*y*) internas conjux mactatus ad aras:
Et ſceleris tanti præmia (*z*) frater habet;
Exul (*a*) agor; cinereſque viri patriamque relinquo:
Et feror in duras (*b*) hoſte ſequente vias.
Applicor ignotis: fratrique elapſa fretoque,
Quod tibi donavi, perfide, littus emo.
Urbem conſtitui; lateque patentia fixi
Mœnia, finitimis (*c*) invidioſa locis.
Bella (*d*) tument: bellis peregrina & fæmina tentor:
Vixque rudes portas urbis & arma paro.
Mille procis placui: qui me (*e*) coiere querentes
(*f*) Neſcio quem thalamis præpoſuiſſe ſuis.
Quid dubitas (*g*) vinctam (*h*) Gætulo tradere Jarbæ?
Præbuerim ſceleri brachia noſtra tuo.
Eſt etiam frater; cujus manus impia poſſit
Reſpergi noſtro, ſparſa cruore viri.
Pone Deos, & quæ tangendo ſacra profanas:
Non bene cœleſtes impia dextra colit.

INTERPRETATIO.

Fati ratio, quæ fuit antea, manet uſque ad finem, & comitatur extrema vita noſtra. Maritus meus *mortem obiit jugulatus ad ſecreta altaria: & frater meus habet mercedem tanti facinoris. Pellor profuga, & deſero cineres mariti* mei *& patriam: Et premo vias aſperas hoſte inſequente. Apello ad* littora *ignota; & elapſa fratri & mari comparo littus quod tibi dedi, perfide. Poſui urbem: & ſtatui muros late patentes invidioſos vicinis locis. Bella parantur; ego fœmina & extranea impetor bellis: Vixque porno craſſas valvas, urbis & arma expedio. Grata fui mille procis, qui contra me conjuraverunt, querentes me antepoſuiſſe neſcio quem ſuis connubiis. Quid vereris me dedere ligatam Jarbæ Gætulo? Commodaverim lacertos noſtros flagitio tuo. Habeo etiam fratrem; cujus manus ſceleſta tincta ſanguine mariti* mei, *poſſit tingi noſtro. Omitte Deos, & ſacra quæ polluis tangendo: manus impia male colit Deos.*

NOTÆ.

(t) *Durat*) Dicit Dido, infelicitates ſuas ab initio vitæ uſque ad finem durare.

(u) *Tenor*) *Le meme train.*

(x) *Occidit*) Incipit enumerare infortunia ſua.

(y) *Internas*) Plerique habent *in terras*. Alii *ad terras*, &c. Coram Diis Penatibus interfectus eſt.

(z) *Frater*) *Pygmalion*, qui Sichæi avunculi divitiis inhians, eum mactare non dubitavit.

(a) *Agor*) Fugam vero ſuaſit Sichæi imago, quæ Didoni noctu apparuit, totumque Pigmalionis facinus ennarravit.

(b) *Hoſte ſequente*) *Fratre*, ſcilicet. Duriſſimum autem fugere, nec locum certum ad receptum cognoſcere; hoſtem inſequentem, eumque fratrem habere.

(c) *Invidioſa*) *Quæ ſua magnitudine finitimis invidiam moverunt.*

(d) *Tument*) Ab Hyarba Gætulo Rege; ob ſpretum conjugium, Didoni bellum intentatum.

(e) *Coiere*) Id eſt, *adverſus me conjuraverunt.*

(f) *Neſcio quem*) Invidioſe.

(g) *Vinctam*) Acris eſt exprobratio, quaſi Æneæ cauſa periculis objectam, non tantum ipſe non eripiat, ſed magis in ea ingratus & infidus poſſit injicere.

(h) *Gætulo*) Gætulia regio eſt in media prope Africa.

Si tu cultor eras elapsis igne futurus:
(i) Pœnitet elapsos ignibus esse Deos.
Forsitan & gravidam Dido, scelerate, relinquas,
(k) Parsque tui lateat corpore clausa meo.
(l) Accedet fatis matris (m) miserabilis infans,
Et nondum nato funeris auctor eris.
Dumque parente sua frater morietur Juli,
(n) Pœnaque connexos auferet una duos.
(o) Sed jubet ire (p) Deus, (q) vellem vetuisset adire;
(r) Punica nec (ſ) Teucris pressa fuisset humus.
Hoc duce ((t) nempe Deo) ventis (u) agitaris iniquis,
Et teris in rapido tempora longa freto.
(x) Pergama vix (y) tanto tibi erant repetenda labore,
Hectore si vivo quanta fuere forent.
Non patrium (z) Simoenta petis; sed (a) Tybridis undas.
Nempe, ut pervenias quo cupis, hospes eris,
Utque latet, vitatque tuas abstrusa carinas,
(b) Vix tibi continget terra petita seni.

INTERPRETATIO.

Si tu eras futurus cultor Diis igne ereptis, pœnitet eos esse ereptos ignibus. Forte & deseras Didonem pragnantem sceleste; & pars sui celetur comprehensa corpore meo. Infans miserandus addetur fatis matris; & causa eris mortis nondum nato. Et frater Ascanii morietur cum sua matre; & unus dolor tollet duos conjunctos. At Deus te jubet proficisci. Vellem probibuisset me convenire: nec terra Punica fuisset calcata a Trojanis. Hoc duce (nempe Deo) agitaris ventis adversis; & perdis multa tempora in mari procelloso. Vix Troja erat tibi denuo videnda tanto labore, quanquam esset tanta quanta fuit Hectore superstite: Non is ad patrium Simoenta, sed ad aquas Tybridis. Scilicet, quamvis applices quo optas, advena eris. Et ut latet terra quæsita, & abscondita fugit tuas naves, vix tibi seni eveniet.

NOTÆ

(i) *Pœnitet*) Quia mallent esse combusti, quam talem habere cultorem.

(k) *Parsque*) Sic vocat puerulum, aut fœtum in utero latentem.

(l) *Accedet fatis*) *Cum illa miser erit.*

(m) *Miserabilis*) Non ille est quem vocamus, *miserable*, sed *digne de compassion*.

(n) *Pœna*) *Mors.*

(o) *Sed jubet*) Objectio est quam posset facere Æneas. Ironice vero a Didone proponitur.

(p) *Deus*) *Apollo.* cujus jussu petebat Italiam Æneas vel *Jupiter*, aut nuntius *Mercurius*.

(q) *Vellem vetuisset*) Quasi dicat; *quandoquidem tam religiose Deorum mandata perficis, utinam adire me vetuissent.* Continuatio est Ironiæ.

(r) *Punica*) *Carthaginiensis*; a Pœnis seu Phœnicibus, qui illuc cum Didone migraverunt ita dicta.

(ſ) *Teucris*) *Trojanis*; a Teucro rege sic nominatis.

(t) *Nempe Deo*) Ironiam absolvit.

(u) *Agitaris*) Quod Didoni ineptum videtur.

(x) *Pergama*) Ita appellatæ Trojanæ arces: quanquam per illas Troja ipsa sæpissime intelligitur.

(y) *Tanto*) *Quanto condendam urbem petis.*

(z) *Simoenta*) Simois Trojæ rivulus. Difficultates Æneæ ingerit Dido.

(a) *Tybridis*) Tibris fluvius est qui agrum Romanum Romamque alluit.

(b) *Vix tibi*) *Vix senex in Italiam pervenies.*

Hos

Hos potius populos in dotem, (*c*) ambage remissa,
Accipe; & advectas (*d*) Pygmalionis opes.
Ilion in (*e*) Tyriam transfer (*f*) felicius urbem:
Inque loco regis sceptra sacrata tene:
Si tibi mens avida est belli, si quærit Iulus
Unde suo partus Marte triumphus eat;
Quem superet, ne quid desit, præbebimus hostem.
Hic pacis leges, hic locus arma capit.
Tu modo, per matrem, (*g*) fraternaque tela sagittas:
Perque fugæ comites (*h*) Dardana sacra Deos:
(*i*) (Sic superent quoscumque tua de gente reportas,
(*k*) Mars ferus & damni (l) sit modus ille tui,
Ascaniusque suos feliciter impleat annos,
Et senis Anchisæ (*m*) molliter ossa cubent)
Parce precor domui, quæ se tibi tradit habendam.
Quod crimen dicis, præter amasse, meum?
Non ego sum (*n*) Phthias, magnisque oriunda (*o*) Mycenis.
Nec (*p*) steterunt in te virque paterque meus.

INTERPRETATIO.

Sume potius hos populos meos *in dotem dilatione sublata, & allatas divitias Pygmalionis. Transporta felicius Trojam in urbem Tyriam; & tracta tanquam rex sceptra sacra: Si animus est tibi belli cupidus; si Ascanius quærit unde triumphus ducatur acquisitus virtute sua; ne quid absit, dabimus hostem, quem vincat. Hic locus convenit pacis legibus, convenit armis. Tu tantum, precor per matrem, & saggitas, quæ tela sunt fratris* Cupidinis, *& per sacra Trojana, per Deos comites fugæ: (sic vivant omnes quoscunque refers de tua gente, & illud bellum sit finis tui detrimenti: & Ascanius feliciter suos annos exigat: & ossa senis Anchisæ suaviter quiescant) parce domui, quæ dedit se tibi possidendam. Quod crimen dicis esse meum, præter amasse? Ego non sum Phthias, & orta magnis Mycenis: nec maritus & pater meus adversus te bella moverunt.*

NOTÆ.

(c) *Ambage*) *Quiescendo ab omnibus magnis erroribus, laboribus, &c.*

(d) *Pygmalionis*) Non enim tantum Sichæi thesauros, sed & Pygmalionis opes plurimas cum magna nobilitatis parte secum in Africam avexit Dido.

(e) *Tyriam*) *Carthaginem*, quam sic a Conditoribus denominat.

(f) *Felicius*) *Quam possis in Italiam transferre.*

(g) *Fraternaque tela*) *Cupidinis*, scilicet.

(h) *Dardana*) *Deos Penates. Dardana* vero dicuntur a Dardano Trojano rege.

(i) *Sic*) Adjurantis est, quomodo jam antea vidimus. Id est, *Sic vivant omnes qui Trojæ incendio elapsi tuam fortunam sequuntur, ut tu meæ domui peperceris.*

(k) *Mars ille*) *Illud bellum quo in Trojam exarsit.*

(l) *Sit modus*) *Post illud bellum, nullum amplius damnum patiaris.*

(m) *Molliter*) Sic Juvenalis.

Dii majorum umbris tenuem; & sine pondere terram.

(n) *Phtias*) *Ex Phtia, urbe Thessaliæ, Achillis hostis patria oriunda: adeoque nec Græca, nec inimica.*

(o) *Micenis*) Micenæ, urbs Peloponnesi, Agamemnonis & Menelai patris.

(p) *Steterunt*) Alii habent *steterant*: sed illud maluit Heinsius, ex fide optimorum Codicum: plurimaque exempla congerit, ubi pariter syllaba præteriti, plerumque longa, corripitur. Sic etiam Virgil. dixit,

Obstupui, steteruntque comæ;

Nec steterunt; Id est, *Non sum hostibus tuis genita, ut me fugias.*

Si pudet uxoris; non nupta, sed hospita dicat.
Dum tua sit Dido, quidlibet esse (*q*) feret.
(*r*) Nota mihi freta sunt Afrum frangentia littus:
Temporibus certis dantque negantque viam.
Cum (*ſ*) dabit aura viam, præbebis carbasa ventis.
Nunc (*t*) levis ejectam (*u*) continet (*x*) alga ratem.
(*y*) Tempus ut observem, manda mihi; certius ibis:
Nec te, si cupies, ipsa manere sinam.
Et socii requiem poscunt, laniataque classis
Postulat exiguas semirefecta moras.
Pro meritis, & (*z*) siqua tibi debebimus ultro,
(*a*) Pro spe conjugii tempora parva peto.
Dum freta mitescunt, (*b*) & Amor: dum tempore & (*c*) usu
Fortiter edisco tristia posse pati.
Sin minus; est animus nobis effundere (*d*) vitam.
In me crudelis (*e*) non potes esse diu.

INTERPRETATIO.

Si pudet te me habere uxorem: non vocabor, conjux, sed hospita. Modo Dido sit tua patietur esse quidlibet. Maria alluentiat litus Afrum sunt mihi cognita: Dant & recusant iter certis temporibus. Cum ventus concedet viam; commites vela ventis. Nunc inutilis alga habet navem expulsam fluctibus. *Impera mihi, ut observem tempus; navigabis tutius: nec ego concedam te cunctari si optaveris. Et comites petunt quietem; & classis quassata semirefecta deposcit exiguas moras. Peto parvam moram pro spe connubii, ob beneficia mea, & si qua debebimus tibi ultro. Dum maria sedantur, & Amor: dum perdisco mora & usu posse ferre fortiter gravia. Sin minus: decrevimus vita excedere: Non potes esse diu sævus in me.*

NOTÆ.

(q) *Feret*) Nunc quendam memini, qui in Nasonis versibus ordinem reprehendere satageret, quasi non omnia suo loco dixisset. Mirum quod, ut cœperat, ita non perrexerit. Hic vero reprehendendi amplam segetem habuisset. Quid enim? postquam contumeliis & opprobriis Ænean Dido oneravet, ejusdem illam ad pedes supplicem inducit! Ridiculum. Imo, nihil melius. Muliercularum non potuit verius exprimere leve & mobile ingenium.

(r) *Nota*) Iterum Ænean a proposita navigatione Dido studet revocare. Nota vero sunt quæ de Syrtibus & Afro littore a Scriptoribus memorantur.

(ſ) *Dabit aura*) *Cum per ventos propitios licebit.*

(t) *Levis*) *Nullius valoris.* Quanquam ea nonnulli ad stercorandos agros utuntur, propter sal, scilicet.

(u) *Continet*) Id est, *Naves undiquaque ejectamentis maris obsessa, quæ adversos ventos & concitatum pelagus indicant, eas portu continendas esse admonent, & ab itinere retrahunt.* Ut nihil necesse sit, hic nescio quæ de alga super undas sese efferente, & naves morante, fabulari.

(x) *Alga*) Herba est mari innascens.

(y) *Tempus*) *Quomodo se habeat; quando eris navigationi opportunum.*

(z) *Si qua tibi deb.*) Id est, *Si beneficium, quod a te peto tanti est, ut etiam merita mea omnia superet, atque ego insuper, ut illud consequar, tibi multum debere agnoscere tenear, ea vero lege illud idem expeto.*

(a) *Pro spe conjugii*) *Ejus loco.*

(b) *Et Amor*) Salmasii hæc est emendatio. Vulgata lectio sic habet, *& amor dum temperat usum.*

(c) *Usu edisco*) *Consuesco.*

(d) *Vitam*) Cum sanguine.

(e) *Non potes*) Quia seipsam interficere animo insederat.

Ad-

Adſpicias utinam, quæ ſit ſcribentis imago!
Scribimus; & gremio (*f*) Troicus enſis adeſt:
Perque genas lacrymæ ſtrictum labuntur in enſem;
Qui jam pro lacrymis ſanguine tinctus erit.
(*g*) Quam bene conveniunt fato tua munera noſtro!
(*h*) Inſtruis impenſa noſtra ſepulcra brevi.
Nec mea nunc primo feriuntur pectora (*i*) telo:
(*k*) Ille locus ſævi (*l*) vulnus Amoris habet.
Anna ſoror (*m*) Anna, meæ (*n*) male conſcia (*o*) culpæ,
Jam dabis in cineres ultima (*p*) dona meos.
(*q*) Nec, conſumta rogis, inſcribar Eliſſa Sichæi;
Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit:
PRÆBUIT ÆNEAS ET CAUSAM MORTIS ET ENSEM:
IPSA SUA DIDO (*r*) CONCIDIT USA MANU.

INTERPRETATIO.

Utinam videas quæ ſit ſpecies mei *ſcribentis! Scribimus; & gladius Trojanus eſt in ſinu: Et lacrymæ defluunt per malas in gladium evaginatum; qui modo loco lacrymarum madidus erit ſanguine. Quam bene cohærent dona tua cum fati noſtris? Ornas ſepulcra noſtra modico ſumptu.* Nec *pectus meum percutitur nunc primo telo. Ille locus retinet plagam crudelis Amoris. Anna ſoror, ſoror Anna, male conſcia mei criminis, jam mitte noviſſima munera in cineres meos. Nec abſumpta ignibus, inſculpar Eliſſa Sichæi; hoc tamen carmen erit in marmore ſepulcri:* ÆNEAS OBTULIT ET CAUSAM NECIS ET GLADIUM. IPSA DIDO OCCIDIT USA MANU SUA.

NOTÆ.

(f) *Troicus*) *Æneæ*, quæ feſtinans omniſerat.

(g) *Quam bene*) Exprobratio eſt cum Ironia. Hoc vult Dido; Egregie convenire, ut cauſam mortis qui præberet, idem ad eam inſtrumentum ſuppeditaret.

(h) *Inſtruis*) In rogum,; aurum, veſtes, arma, aliaque injici, ſepulcra ornari, &c. moris fuiſſe, omnes norunt. Vult vero Dido eundem Æneæ gladium, & ſibi viventi mortis eſſe inſtrumentum, & jacenti ornamentum. Quanquam iſtud totum cum amara exprobratione eſt conjunctum.

(i) *Telo*) Ambigua voce uſus eſt Poeta, ad Amoris ſagittas, & Æneæ gladium reſpiciens.

(k) *Ille locus*) *Pectus*.

(l) *Vulnus habet*) *Amat*. Ita & Virgilius, in hoc negotio, de ipſa Didone loquens,
Vulnus alit venis.

(m) *Anna*) *Soror Eliſſæ*. Abſentem vero alloquitur; namque eam, cum ſibi manus inferre vellet Dido dimiſit, ut liquet ex Virgil. 4. Æn.

(n) *Male*) *non ſine exitio: cum mihi prodeſſe nequiveris.*

(o) *Culpæ*) De amore, quo Sichæo datam fidem violaverat, loquitur.

(p) *Dona*) Lacrymas, ſi voles, intellige. Id eſt, *Oſſa mea compones*. Hubertinus *exequias*; Antonius *urnam*, exponit. Quæ omnia eodem recidunt.

(q) *Nec inſcribar*) Quia Sichæo fida non fuerat. Mos vero erat, in mulierum epitaphiis maritorum nomen inſcribere.

(r) *Concidit*) Fabulam ſequutus eſt Ovidius. At Trogus aliter. Dicit enim Didonem, cum ab Hyarba in matrimonium peteretur, atque ad id a civibus, belli metu cogeretur, tempus ad mariti placandos Manes petiiſſe; quo exacto, in urbis eminentiore parte pyra inſtructa, eodemque populo convocato, cum ad virum ire ſe dixiſſet, in ignem ſe præcipitaſſe.

EPI-

EPISTOLA OCTAVA.

ARGUMENTUM.

Hermione, Menelai & Helenæ filia, a Tyndaro avo materno, cui domus ſua curam commendarat Menelaus, dum ad Trojam iret, Oreſti, Agamemnonis & Clytemneſtræ filio deſponſata eſt; eandemque Menelaus, inſcius hujus rei, Pyrrho, Achillis filio quoque promiſit, qui ab excidio Trojæ tandem reverſus Hermionem rapuit. Cum autem Pyrrhi connubium adverſus animum ſuum ſervaret, Oreſtiſque amorem anteferret, per internuntium clam eum monet, facile ſeſe poſſe vinculis Pyrrhi exſolvi. Quod etiam conſecuta eſt. Oreſtes enim, Ægyſthi & Matris peracta cæde, furore liberatus & expiatus, Pyrrhum in templo Apollinis interfecit, & Hermionem ſuam recepit.

HERMIONE ORESTÆ.

(a) ALloquor Hermione nuper fratremque virumque;
Nunc (b) fratrem; nomen conjugis (c) alter habet.)
Pyrrhus Achillides, animoſus (d) imagine patris,
Incluſam (e) contra juſque piumque tenet.
Quod potui, renui; (f) ne non invita tenerer;
(g) Cætera fœmineæ non valuere manus.
Quid facis, (h) Æacide? (i) non ſum ſine (k) vindice, dixi:
(l) Hæc tibi ſum (m) domino, Pyrrhe, puella ſuo eſt.
Surdior (n) ille (o) freto clamantem (p) nomen Oreſte
Traxit (q) inornatis in ſua tecta comis.

INTERPRETATIO.

EGo *Hermione compello Patruelem & maritum nuper, nunc patruelem; alius habet nomen mariti. Pyrrhum filius Achillis cordatus exemplo patris ſui tenet me clauſam contra jus & fas. Reſtiti quantum licuit, ne tenerer contra voluntatem. Manus muliebres non potuerunt reliqua:* Quid agis Æacide? *dixi.* Non ſum ſine ultore, Pyrrhe, eſt tibi puella ſub ſuo domino. *Ille ſurdior mari rapuit in ſuam domum me vociferantem nomen Oreſtæ, capillis ſciſſis.*

NOTÆ.

(a) *Alloquor*) Cum ab omnibus manuſcriptis abſit primum hoc diſtichon, merito a quibuſdam rejicitur: Nec ideo epiſtola ἀκέφαλος, ut Micyllus voluit relinquetur.

(b) *Fratrem*) Patruelem. *Couſin.* Quomodo loqui amabant veteres.

(c) *Alter*) *Pyrrhus*, ſcilicet.

(d) *Imagine patris*) Id eſt, *Prout pater Achilles fuerat.* Unde Virgil.

Inſtat vi patria Pyrrhus.

(e) *Contra juſque*) Non enim uxores carcere ſunt concludendæ.

(f) *Ne*) Pro *ut*

(g) *Cætera*) *Abire*, puta; *manu libertatem vindicare*, &c.

(h) *Æacide*) Pyrrhus eſt, ab Æaco Jovis filio, proavo ſuo ita dictus. Fuit enim Pyrrhus Achillis, Achilles Pelei, Peleus Æaci filius.

(i) *Non ſum*) Id eſt, *Habeo qui me ex hac ſervitute poſſit liberare, & injuriam ulciſci.*

(k) *Vindice*) Vindex eſt, qui aliquem ex ſervitute vindicat in libertatem.

(l) *Hæc tibi*) *Ego quam injuſte detines.*

(m) *Domino*) *Oreſte, cui deſponſata fui.*

(n) *Ille*) *Pyrrhus.*

(o) *Freto*) Quod precibus nullis movetur.

(p) *Nomen Oreſta*) Multum eſt hic artificium ad commovendum Oreſtem; quod ſe eum, quem Pyrrhus contemſerit, in auxilium vocaſſe Hermione profiteatur.

(q) *Inornatis*) Imo laceratis.

Quid

Quid gravius capta (*r*) Lacedæmone ferva tulissem,
Si raperet Grajas barbara turba (*ſ*) nurus?
Parcius (*t*) Andromachen vexavit (*u*) Achaia (*x*) victrix,
Cum (*y*) Danaus (*z*) Phrygias ureret ignis opes.
At tu, cura mei si te pia tangit, Oreste,
(*a*) Injice non timidas in (*b*) tua jura manus.
An, si quis rapiat stabulis armenta reclusis,
Arma feras? rapta conjuge lentus eris?
Sit (*c*) socer (*d*) exemplo, nuptæ repetitor (*e*) ademtæ:
Cui pia (*f*) militiæ causa puella fuit.
Si socer ignavus vidua stertisset in aula;
Nupta foret Paridi (*g*) mater, ut ante fuit.
(*h*) Nec tu mille rates sinuosaque vela pararis;
Nec (*i*) numeros Danai militis: ipse veni.
(*k*) Sic quoque eram repetenda tamen: nec turpe marito,
Aspera pro caro bella tulisse toro.

INTERPRETATIO.

Quid durius passa essem serva. Lacedæmone subacta, si turba barbara auferret puellas Græcas? Græcia victrix minus afflixit Andromachen, cum ignis Græcus absumeret opes Trojanas. At tu, Oreste, si pium desiderium mei te movet, admove manus audaces in tua jura. An, si quis abducat armenta præsepibus clausis arma sumes? uxore ablata segnis eris? Socer repetitor uxoris sublata sit tibi exemplo: cui puella fuit causa pia belli. Si socer mansisset socors in aula derelicta, mater mea esset nupta Paridi ut ante fuit. Nec tu adornaveris mille naves, & vela concava, nec cohortes Græci militis: veni tu ipse. Tamen sic quoque eram expetenda: nec inhonestum est marito gessisse gravia bella pro dilecto lecto.

NOTÆ;

(r) *Lacedæmone*) *Patria mea.*

(ſ) *Nurus*) Pro quibuslibet puellis.

(t) *Andromache*) fuit Andromache Hectoris uxor; quam cum Pyrrhus forte acceperit, Heleno Priami filio cum regni parte in uxorem dedit. Vere itaque dixit Hermione *Parcius*, &c.

(u) *Achaia*) Pro Græcis. Per eam enim Peloponnesus, quandoque, deinde ejus regiuncula, Græcia etiam intelligitur.

(x) *Victrix*) *Cui tamen belli jure multum licuisset.*

(y) *Danaus*) *A Danais, seu Græcis immissus.*

(z) *Phrygias*) *Trojanas*: Sita enim fuit Troja in Phrygia minore.

(a) *Injice*) Verbum est juris: Dicitur enim *manus injicere*; qui nulla juris expectata auctoritate, quod suum est vendicat.

(b) *Tua jura*) *Jura quæ babes in me uxorem suam.*

(c) *Socer*) *Menelaus, pater meus.*

(d) *Exemplo*) Qui Helenam uxorem suam manu a Paride recepit.

(e) *Ademta*) *A Paride rapta.*

(f) *Militiæ*) Nemo nescit Menelaum Græciam totam ad Helenam obtinendam armasse.

(g) *Mater*) *Mea, Helena.*

(h) *Nec pararis*) Sicuti factum oportuit, cum ad repetendam Helenam Græci ad Trojam navigaverunt.

(i) *Numeros*) *Cohortes: Milites.* Gall, *Il n' est point necessaire de mettre des armées en campagne.*

(k) *Sic*) *Navibus & militibus; si me aliter recipere non potuisses.*

Quid

Quid, quod avus nobis (l) idem (m) Pelopeius Atreus?
Et si non esses vir mihi, (n) frater eras?
Vir precor uxori, frater succurre sorori:
Instant officio nomina bina tuo.
Me tibi (o) Tyndareus, vita (p) gravis auctor & annis,
Tradidit: (q) arbitrium neptis habebat avus.
At pater Æacidæ promiserat inscius (r) acti.
(s) Plus quoque, qui prior est ordine, posset avus.
Cum tibi nubebam, nulli mea (t) tæda nocebat:
Si jungar Pyrrho, (u) tu mihi læsus eris.
(x) Et pater ignoscet nostro Menelaus amori.
(y) Succubuit telis (z) præpetis ipse (a) Dei.
Quem sibi permisit, (b) genero permittet amorem.
Proderit exemplo mater amata suo.
(c) Tu mihi, quod matri pater, es; quas egerat olim
(d) Dardanius partes advena, Pyrrhus agit.
(*) Ille licet patriis sine fine superbiat actis;
Et tu quæ referas acta parentis habes.

INTERPRETATIO.

Quid, quod nobis est idem avus Atreus filius Pelopis? Et si non esses mihi maritus, eras patruelis? Marito opem fer quaso conjugi, frater sororem adjuva: Duo nomina solicitant beneficium tuum. Tyndarus auctor gravis moribus & senectute dedit me tibi: Avus habebat potestatem in neptim. Sed pater meus nescius facti pactus erat me Pyrrho: Plus etiam posset avus, qui potior est ordine. Cum tibi nubebam mea fax nulli oberat. Si cum Pyrrho copuler, tu eris mihi offensus. Et pater meus Menelaus veniam dabit nostro amori. Ipse victus est sagittis Dei velocis. Ille permittet amorem genero quem sibi permisit. Mater mea dilecta juvabit nos exemplo suo. Tu es mihi quod pater meus matri: Pyrrhus tuetur partes quas peregrinus Trojanus sustinuerat olim. Quamvis ille sese efferat sine fine factis patriis; tu etiam habes facta patris quæ possis prædicare.

NOTÆ

(l) *Idem*) Atreus enim pater fuit Agamemnonis, ex quo Agamemnone Orestes, & Menelai, ex quo Hermione.

(m) *Pelopeius*) *Pelopis filius.*

(n) *Frater eras*) *Qui adeo me liberare deberes.* Vides vero quamobrem fratrem vocet Orestē.

(o) *Tyndareus*) Qui fuit pater Helenæ.

(p) *Gravis*) Eum laudat Hermione, ne forte temere fecisse videatur, cum neptim in matrimonium collocavit.

(q) *Arbitrium*) *Quidvis de ea poterat statuere.* Gall. *Il en avoit la disposition.*

(r) *Acti*) *Me*, scil. *tibi despensatam.*

(s) *Plus quoque*) Heinsius reposuerat *Plus quo*, deinde *posset*. Potior vero visa est vulgata lectio: Ut vox *quoque* addita sit post primam ab Hermione allatam rationem, quod, *ab inscio patre Pyrrho promissa fuisset*: & istud, *quod ab avo, ordine priori, collocata esset altera sit ratio*. Quasi dicat, per modum objectionis, *Sed pater promiserat me Pyrrho*. Deinde respondet, *Verum equidem promiserat me; At inscius acti promiserat: deinde ratio postulat ut plus possit avus qui prior est, cuique commissa a patre fueram.*

(t) *Tæda*) Pro matrimonio, ad quod adhibebantur.

(u) *Tu mihi*) Quia, scilicet, illi promissa fuerat? maximaque est injuria desponsatam uxorem alicui tollere.

(x) *Et pater*) Pergit in proferendis ad persuadendum rationibus.

(y) *Succubuit*) Amore Helenæ victus.

(z) *Præpetis*) *Velocis, & ad volandum expediti, celerisque.*

(a) *Dei*) *Cupidinis.*

(b) *Genero*) *Tibi.*

(c) *Tu mihi*) *Maritus*, scilicet, *qui eadem matrimonii jura, ut ille, possit vindicare.*

(d) *Dardanius*) *Paris.* Id est, *Pyrrhus est adulter profligandus.*

(*) *Ille*) *Pyrrhus.*

(c) Tan-

(*e*) Tantalides omnes ipsumque (*f*) regebat Achillem,
(*g*) Hic pars militiæ; (*h*) dux erat ille ducum.
Tu quoque habes proavum Pelopem Pelopisque parentem:
Si melius numeres, (*i*) a Jove quintus eris.
Nec virtute cares: (*k*) arma invidiosa tulisti.
Sed tu quid faceres? (*l*) induit illa pater.
(*m*) Materia vellem fortis meliore fuisses:
(*n*) Non lecta est, operi sed (*o*) data (*p*) causa tuo.
Hanc tamen (*q*) implesti; juguloque Ægysthus aperto
Tecta cruentavit, quæ pater ante tuus.
Increpat Æacides (*r*) laudemque in crimina vertit:
(*ſ*) Et tamen aſpectus sustinet ille meos.
(*t*) Rumpor; & ora mihi pariter cum mente (*u*) tumescunt:
Pectoraque inclusis (*x*) ignibus usta dolent.

INTERPRETATIO.

Ille imperabat omnibus filiis Tantali & ipsi Achilli: Hic erat pars militiæ: ille, rex regum. Tum etiam habes proavum Pelopem, & patrem Pelopis: Si bene numeres eris quintus a Jove. Nec es expers virtutis: gestavisti arma invidiosa: sed quid tu ageres? pater dedit illa. Optarem fuisses strenuus causa potiore: Causa non lecta est, sed præscripta tuo labori. Hanc tamen exhausisti; & Ægysthus sanguine infecit domum jugulo perfosso, quam pater tuus ante cruentaverat. Pyrrhus arguit, & detorquet laudem tuam in opprobria. Et tamen ille sustinet meos vultus. Crucior & genæ turgescunt mihi pariter cum animo: & cor incensum ignibus inclusis mœret.

NOTÆ.

(e) *Tantalides*) *Agamemnon*; Ita dictus a Tantalo proavo; fuit enim ille Pelopis pater; qui Pelops Atreum, Agamemnonis patrem, genuit.

(f) *Regebat*) In bello Trojano.

(g) *Hic*) *Achilles*.

(h) *Dux erat*) *Dux ducum*, *Rex regum*, *Rex maximus* vulgo Agamemnon dictus est.

(i) *A Jove*) Patet ex iis quæ modo annotavimus: Jupiter enim pater fuit Tantali.

(k) *Arma invid.*) Quasi dicat, *Tametsi laudes tuæ non prædicentur, non ideo tamen virtute cares; sed infeliciter arma tulisti invidiosa*. Hoc dicit propter matris cædem quam, in patris, a Clytemnestra occisi vindictam, Orestes peregit. Sed studio factum atrocissimum dissimulat Hermione; & de solo Ægistho Clytemnestræ adultero loquitur.

(l) *Induit*) Id est, *Causam præbuit interfectus pater ut indueres*. Multa de ea re Tragici.

(m) *Materia*) Id est, *Vellem ut in re alia fortitudinem tuam manifestasses*.

(n) *Non lecta est*) Excusatio est ejus quod tacite accusavit, cum dixit *vellem*, &c. Quasi dicat, *Culpa tua istud non evenit, non enim lecta, sed data est causa facto tuo*.

(o) *Data*) *Cum pater tuus ab Ægystho adultero, & Clytemnestra matre tua mactatus est*.

)p) *Causa*) Ægysthum mactandum intellige, una cum Clytemnestra matre.

(q) *Implesti*) *Egregie perfecisti, quod tibi demandatum est, & oraculo consultum*.

(r) *Laudem*) Id est, *Factum ex quo laudem mereatis*; Ægysthi, scilicet, & Clytemnestræ cædem: Quanquam de Clytemnestra matre reticet.

(ſ) *Et tamen*) Arbitror istud indignabundam dicere Hermionen, quasi non deberet Pyrrhus de Oreste quem ipsa amabat, coram male dicere: aut indignum esset, quod ei silentium ipse Orestes non imponeret.

(t) *Rumpor*) *Dolore*, scil. *quod simul tuam & meam injuriam nequeam vindicare*. Atque confirmat istud nostram priorem notam.

(u) *Tumescunt*) Propter spiritus per iram irritatos.

(x) *Ignibus*) *Ira*, scil.

Her-

Hermione coram (*y*) quicquamne objecit Oresti?
(*z*) Nec mihi sunt vires; nec ferus ensis adest.
Flere licet certe: flendo (*a*) diffundimus iram:
Perque sinum lacrymæ fluminis instar eunt.
(*b*) Has solas habeo semper, semperque profundo.
Hument (*c*) incultæ (*d*) fonte perenne genæ.
Hoc generis (*e*) fato, quod nostros (*f*) errat in annos,
Tantalides matres apta rapina sumus.
(*g*) Non ego fluminei referam (*h*) mendacia cygni:
Nec quærar in (*i*) plumis delituisse Jovem.
(*k*) Qua duo porrectus longe freta distinet (*l*) isthmos,

INTERPRETATIO.

Exprobravitne aliquid Oresti coram Hermione? Nec polleo viribus; nec sævus gladius adest. Certe licet mihi *lugere: lugendo dissipamus iram: & lacrymæ fluunt per sinum tanquam flumen. Habeo has solas semper, & semper prodigo. Maxillæ neglectæ madidæ sunt fonte jugi. Hoc fato nostræ gentis quod pervadit in nostram ætatem, nos matres Tantalides sumus præda idonea. Ego non commemorabo fraudem cigni fluminei: nec quærar Jovem latitasse in plumis. Hippodamia fuit abducta curru externo.*

NOTÆ.

(y) *Quicquamne*) Alii habent *quisquamne*. Eodem vero sensu redit. Indignans queritur Hermione, quod in præsentia sua ausus fuerit Pyrrhus de Oreste male dicere.

(z) *Nec mihi*) Est quasi excusatio, quod non ulta sit Orestis injuriam: quasi dicat, *Libentissime fecissem, sed defuerunt vires*, &c.

(a) *Diffundimus*) Illud est quod Gall. dicimus, *decharger sa colere*. In Puteaneo est *defundimus*: quod optimum videtur.

(b) *Has solas*) Gall. optime dicimus, *C'est la tout mon recours*. Lacrymas habent mulieres impotentiæ suæ refugium, ubi iræ & vindictæ suæ dolis nequeunt consulere. Ex imbecillitate enim, & ignorantia, ut neque plurimi effœminati homines, injuriam non valent coquere.

(c) *Incultæ*) Alludit ad terras incultas; quibus, cum ob duritiem aquam non imbibunt, nihil est magis horridum: Unde Horat. Carminum lib. 2. Ode 9.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros,

Atque optime exprimit istud puellæ statum, quæ in mœrore est, & omnem sui cultum negligit.

(d) *Fonte*) *Oculis*, scilicet, unde manant lacrimæ.

(e) *Fato*) Alii habent *fatum*; quod eodem redit. Fato imputat, quod ex genere Tantali puellæ rapiantur.

(f) *Errat*) *Ad meam usque ætatem durat*.

(g) *Non ego*) Rhetorico artificio, quod nolle se dicit, id facit. Tangit vero fabulam Ledæ, Hermiones aviæ maternæ, quam Jupiter in Cygnum conversus vitiavit; ex cujus Ledæ ovis Pollux & Helena, Castor & Clytemnestra nati sunt. Vix vero inter Tantalidas recensetur Leda: adeoque dixit Hermione, *Non ego fluminei*, &c. Sed tantalis mater tamen, quia mater Helenæ, Tantalidis matris, quæ Helena Menelaum Tantalo ortum virum habuit.

(h) *Mendacia*) Cum se cygnum esse simulaverit.

(i) *Plumis*) *Cigni*, scil.

(k) *Qua duo*) Peloponnesum, aut Peloponnesi potius partem describit, ubi per vim & dolum alia rapta est Tantalis, Hippodamia scilicet.

(l) *Istmos*) Isthmus dicitur terra inter duo maria coarctata. Hic vero de Corinthiaco sermo est. Oenomaus enim Hippodamiæ pater, non longe ab eo in Elide regnabat: Atque ad Isthmum de Hippodamia certamen finitum est.

Vecta *(m)* peregrinis *(n)* Hippodamia rotis.
(o) Castori Amyclæo & *(p)* Amyclæo Polluci
(q) Reddita *(r)* Mopsopia Tænaris urbe soror.
(s) Tænaris, *(t)* Idæo trans æquor ab hospite rapta,
Argolicas pro se vertit in arma manus.
Vix equidem *(u)* memini; memini tamen. omnia luctus,
Omnia solliciti *(x)* plena timoris erant.
Flebat *(y)* avus, *(z)* Phœbeque soror, *(a)* fratresque gemelli:
Orabat superos Læda, *(b)* suumque Jovem.
Ipsa ego non longos *(c)* etiam nunc scissa capillos
Clamabam, *Sine me, me sine, mater, abis?*

INTERPRETATIO.

ea parte *qua Isthmus extensus disjungit longe duo maria. Soror Tænaris restituta est urbe Mopsopia Castori Amyclæo, & Polluci Amyclæo. Tænaris trans mare avulsa ab hospite Idæo impulit pro se ad arma manus Græcas. Equidem vix recordor, recordor tamen: omnia erant plena mœroris, & metus anxii. Avus lugebat, & soror Phœbe, & fratres gemini: Leda precabatur Deos, & suum Jovem. Ego ipsa sparsam habens comam adhuc non longam clamabam,* sine me, mater, discedis sine me?

NOTÆ.

(m) *Peregrinis*) *Pelopis Phrygii*, qui corrupto Oenomai auriga Myrtilo, illum curuli certamine superavit; ex quo Hippodamiam, victoriæ præmium ab ipso Oenomao positum, reportavit. Notissimam vero fabulam nihil opus est coram referre.

(o) *Hippodamia*) Oenomai filiam hanc Tantalidem esse negat Antonius. At vero ille, quod modo in Leda admonuimus, non advertit. Tantalis mater dicitur Hippodamia, quæ Pelopem Tantali filium habuit maritum; per quam Tantali proles propagata.

(o) *Castori*) Fuit Castor Jovis, vel potius Tyndari filius, Pollucis & Helenæ frater.

(p) *Amyclæo*) Ab urbe Amyclis in Peloponneso, quæ Castoris & Pollucis fuit patria. Nota vero syllabam ultimam in vocalem desinentem ante aliam vocalem non elidi: deinde quintum hujus versus pedem Spondæum esse, non dactylum.

(q) *Reddita*) Adeoque rapta fuerat: In eo vero est Hermione, ut Tantalides matres fato rapinæ aptas exemplis probet.

(r) *Mopsopia*) Attico eo nomine a Mopso, vel Mopsopo rege, ut alibi scribit Strabo, dicta est. Urbs vero Mopsopia intelligitur *Aphidna*; quo Helenam raptam Theseus abduxerat.

(s) *Tænaris soror*) *Helena*, a Tænaro Peloponnesi promontorio ita dicta; quam alibi vocat *Tænariam*. Mavult enim Heinsius hanc ex Puteaneo codice retinere lectionem, ut fiat oppositio cum terra Mopsopia; quam ut in aliis legitur, *Tyndaris*: quo nomine Helena a Tyndaro matris Ledæ marito, dicta fuerit.

(t) *Idæo*) *Paride*, ab Ida Phrygiæ monte in quo educatus fuit, sic appellato.

(u) *Memini*) *Matris raptus.*

(x) *Plena*) *Cum mater mea Helena a Paride rapta fuit.*

(y) *Avus*) Tyndarus.

(z) *Phœbeque soror*) *Helenæ*, scil. Hanc vero lectionem optime ex Euripide restituit clarissimus Heinsius; eo ducente Puteaneo codice, itemque Juniano, ubi *Phœbique* legebatur: Cum in aliis meodum irrepsisset *flebatque*.

(a) *Fratres*) *Castor & Pollux.*

(b) *Suum*) *A quo amata fuerat.*

(c) *Etiam nunc*) Heinsius legi vult *etiamnum*: Sed perinde est *Etiamnum*, *etiam nunc*, aut *etiam tum*, quod in uno Farnesiano invenitur, legeris.

Nam

Nam *(d)* conjux aberat. *(e)* ne non Pelopeia credar,
Ecce *(f)* Neoptolemo præda parata fui.
(g) Pelides utinam vitasset *(h)* Apollinis arcus!
(i) Damnaret nati facta proterva pater.
Nec quondam placuit, nec nunc placuisset Achilli,
Abducta viduum conjuge *(k)* flere virum.
Quæ mea cæleстes injuria fecit iniquos?
Quod mihi væ miseræ sidus obesse querar?
Parva mea *(l)* sine matre fui; pater arma *(m)* ferebat:
Et, duo cum vivant, orba duobus eram.
Non tibi blanditias primis, mea mater in annis
(n) Incerto dictas ore puella tuli.
Non ego captavi brevibus tua colla lacertis,
Nec gremio sedi sarcina grata tuo.
(o) Non cultus tibi cura mei: nec pacta marito
Intravi thalamos, *(p)* matre parante, novos.
Obvia prodieram reduci tibi; vera fatebor:
Nec facies nobis nota parentis erat:
Te tamen esse Helenen, quod eras pulcherrima, sensi.
Ipsa requirebas, quæ tibi nata foret.

INTERPRETATIO.

Nam maritus ejus *aberat. Ne non credar Pelopeia, ecce fui rapina adornata* Pyrrho. *Utinam Achilles effugisset arcus Apollinis! Pater argueret acta petulantia filii. Nec placuit olim, nec placuisset nunc Achilli, maritum destitutum lugere, uxore rapta. Quodnam meum crimen reddidit Deos* mihi *adversos? Væ misera! Quam stellam querar mihi nocere?* Ego *parva fui sine matre mea: pater gerebat bellum: & cum essent duo superstites, eram destituta duobus. Mater mea,* ego *puella non tibi paravi blanditias in primis annis prolatas ore titubante. Ego non sum amplexa tuum collum parvis brachiis: nec quievi onus gratum sinui tuo. Non cogitasti de meo cultu; nec desponsata marito ingressa sum thalamos novos, matre mea, adornante. Obviam processeram tibi revertenti; confitebor verum; neque vultus matris erat nobis cognitus. Cognovi tamen te esse Helenen; quia eras formosissima; Tu ipsa petebas quænam esset tibi filia.*

NOTÆ.

(d) *Conjux*) *Matris*, scil. *Menelaus*; qui, ut volunt, in Cretam iverat.

(e) *Ne non*) Nunc sese Hermione recensitis ex Pelopis gente matribus quæ raptæ fuerant, annumerat.

(f) *Neoptolemo*) Pyrrhus intelligitur, cui cognomen istud in bello Trojano, ad cujus reliquias juvenis admodum ivit, datum est. In fatis enim erat, Trojam, sive Æacidam aliquo capi non posse.

(g) *Pelides*) *Achilles*, Pelei filius, Pyrrhi pater.

(h) *Apollinis*) In ejus templo, ipsius etiam ope, Achillem Paris, in calcem, (qua parte tantum ille vulnus poterat accipere) adacta sagitta, confecit.

(i) *Damnaret*) Quia ille gravissima ira in Agamemnonem, qui sibi Briseidem rapuerat, exarsit.

(k) *Flere*) Vidimus antea de ea re in Briseide. At observa, quæso, quam argute orationem detorquet Hermione, ut Achillis exemplo, Oresten officii admoneat.

(l) *Sine matre*) Quia illa a Paride rapta.

(m) *Ferebat*) Adversus Trojanos.

(n) *Incerto*) *Titubante, & balbutiente.* Se iis dicit caruisse voluptatibus, quibus puellæ solent gaudere; quæ inter parentum amplexus, eos quoque oblectant.

(o) *Non cultus*) Forte autem non magis vera puellis contingit voluptas, quam matrum sentire sollicitum amorem.

(p) *Matre parante*) Moris vero erat, ut matres, vel quæ sanguine essent conjunctissimæ, nuptas in thalamum collocarent.

(q) Pars hæc (r) una mihi conjux bene cessit Orestes:
Is quoque, ni (ſ) pro se pugnet, ademptus erit.
Pyrrhus habet raptam reduce & victore (t) parente:
(u) Munus & hoc nobis diruta Troja dedit.
(x) Cum tamen altus (y) equis (z) Titan radiantibus instat,
Perfruor infelix (a) liberiore malo.
Nox ubi me thalamis ululantem & (b) acerba gementem
Condidit, in mœsto procubuique toro;
Pro somno (c) lacrymis oculi funguntur obortis.
Quaque licet fugio, sicut ab hoste, (d) virum.
Sæpe malis stupeo; rerumque oblita locique
Ignara tetigi (e) Scyria membra manu.
Utque nefas sensi; male corpora tacta relinquo:
Et mihi pollutas credor habere manus.
Sæpe Neoptolemi pro nomine, nomen Orestæ
Exit: & errorem vocis, ut (f) omen, amo.

INTERPRETATIO.

Hac una pars mihi pulcre evenit Orestes maritus: Is quoque erit sublatus, nisi certet pro se. Pyrrhus habet me abductam patre meo reduce & victore: Et Troja eversa exhibuit nobis hoc donum, Cum tamen Sol sublimis urget equos splendidos, ego misera minus sentio malum. Postquam nox conclusit me vociferantem, & acerbe querentem, & recubui in tristi lecto, oculi indulgent lacrymis profluentibus pro somno: Et quantum possum maritum vito tanquam hostem. Sæpe torpeo calamitate, & oblita rerum & loci, tetigi artus Scyrios manu inscia. Et ut cognovi nefas: desero membra male tacta: Et mihi videor habere manus commaculatas. Sæpe nomen Orestæ profertur pro nomine Pyrrhi: & amo aberrationem vocis ut præsagium.

NOTÆ.

(q) *Pars hæc*) Enumeratis multis infelicitatibus suis, nunc dicit Hermione qua in re felix fuerit: quod scilicet, Oresten maritum habuerit.

(r) *Una*) Fere pro *sola* posita vox.

(ſ) *Pro se*) *Ne adimatur mihi.*

(t) *Parente*) *Meo* scil. *Menelao.*

(u) *Munus &*) Hic multum variant codices; sed quæ probari poterunt proferam tantum. Quidam habent.

Et minus, ah, nobis diruta Troja fuit.
Qui sensus optimus videtur: nam & eandem prope vidimus supra, in Penelope querimoniam. Et hæc erit maxima infelicitas, quod Hermionæ stent etiam quæ aliis sunt diruta.

Alii habent quam reposuimus lectionem: nam Heinsianam, quanquam bona est etiam, non retinuimus, sine librorum auctoritate. Atque ita ad Trojam stantem Hermione alluserit; unde Paris Helenæ raptor prodierit: cum sibi eadem eversa Troja alium, Pyrrhum scilicet, immiserit:

(x) *Cum tamen*) Id est, *Postquam dies rediit.*

(y) *Equis*) Nota est de Solis equis fabula, quam etiam in Metamo videbimus.

(z) *Titan*) *Sol*, ex Titanibus ortus.

(a) *Liberiore*) *Mitiore.*

(b) *Acerba*) Pro acerbe.

(c) *Lacrymis*) *Lacrymantur, cum dormire deberent.*

(d) *Virum*) *Pyrrhum.*

(e) *Scyria*) *Pyrrhi Scyrii.* Scyros vero insula est maris Mediterranei, in qua regnavit Lycomedes Deidamiæ pater, ex qua Achilles Pyrrhum suscepit.

(f) *Omen*) Quia inde illa Orestæ se aliquando conjunctam fore bene ominabatur. Nomen faciebat omen.

Per-

Per genus (*g*) infelix juro, generisque (*h*) parentem,
Qui freta, qui terras, qui sua regna quatit;
Per patris ossa tui, (*i*) patrui mihi; quæ (*k*) tibi debent;
Quod se sub tumulo fortiter ulta jacent:
Aut ego (*l*) præmoriar, (*m*) primoque extinguar in ævo.
Aut ego (*n*) Tantalidæ Tantalis uxor ero.

INTERPRETATIO.

Juro per genus miserum, & per patrem generis, qui temperat maria, qui terras, qui sua regna; per ossa patris tui, patrui mihi; quæ tibi debent, quod, ulta se strenue, quiescunt in sepulcro; aut ego ante tempus moriar, & spiritus præcludetur in prima ætate; aut ego Tantalis ero conjux Tantalidæ.

NOTÆ.

(g) *Infelix*) Non tantum propter Tantalidum matrum raptus, ut volunt; verum quia ex illa domo satis habuerunt materiæ ad sua Poemata Tragici; ubi omnia cædis & sanguinis fuerunt plena.

(h) *Parentem*) *Jovem*, Tantall patrem.

(i) *Patrui mihi*) Omnino, siquidem Agamemnon, pater Orestæ, frater fuit Menelai, patris Hermlones.

Tibi debent) Orestes enim Ægysthum matris adulterum, ipsamque Clytemnestram matrem, Agamemnonis patris interfectores morte multavit.

(l) *Præmoriar*) Id est, *Ante tempus, & immaturo funere.*

(m) *Primoque*) Id est, *Adolescentula.*

(n) *Tantalidæ*) *Tui*, scil. Orestis. Voto potita est Hermione; eam enim Orestes, interfecto Pyrrho, recepit.

EPISTOLA NONA.

ARGUMENTUM.

'em Jupiter ex Alcumena compressu, pro Amphytrione se gerens, suscepit: quem us rex Micenarum, Junonis instructus dolis, ut sic periret, ad labores arduos Qui tamen semper victor evasit. Verum etiam, cæteris monstris fortiter supeori mulierosus succubuit. Deianira, Oenei regis Calydonis filia, uxor ejus, tam Joles amore offensa, redigit illi ad animum ante partas honestates, præclarara, ut ad exemplum illorum suos jam mores æstimet. Hæc autem scribenti extrema Herculis calamitas, quam veste Nessi Centauri, virulento sanguine tin- a se missa, conciliaverat, cui inesse vim revocandi eum ab alienis amori-; gravissimo igitur dolore oppressa, facinus suum purgare studet: denique ire cogitat.

DEIANIRA HERCULI.

lor (a) Oechaliam titulis accedere (b) vestris:
Victorem victæ succubuisse queror.

INTERPRETATIO.

Grator Oechaliam annumerari vestris elogiis, queror victorem a victa victum esse.

NOTÆ.

(a) *Oechaliam*) Tres eo nomine urbes autores meminerunt, in Thessalia, Arcadia, & Eubœa. Quanquam vero inter veteres, utra Euryti fuerit, de qua nunc, ambigatur, plerique postremam intelligunt. Illam vero Hercules expugnavit, quod sibi Jolen Eurytus pater, Oechaliæ rex, ejusque filii uxorem promissam negarent. Ex quo satis patet quamobrem Dejanira Herculis uxor, de eodem gratuletur, & queratur.

(b) *Vestris*) Alii habent *nostris*.

(c) *Victorem*) Id est, *De Joles amore victum fuisse.*

Fama (*d*) Pelaſgiadas ſubito pervenit in urbes,
(*e*) Decolor, & factis (*f*) inficianda tuis;
Quem nunquam (*g*) Juno, (*h*) ſerieſque immenſa laborum
Fregerit; huic Jolen impoſuiſſe jugum.
(*i*) Hoc velit (*k*) Euryſtheus, velit hoc (*l*) germana Tonantis;
Lætaque ſit vitæ labe (*m*) noverca tuæ.
At non (*n*) ille velit; cui nox (ſi creditur) una
Non tanti, ut tantus conciperere, fuit.
Plus tibi, quam Juno, nocuit Venus, illa premendo
(*o*) Suſtulit: hæc (*p*) humili ſub pede colla tenet.
Reſpice (*q*) vindicibus pacatum viribus orbem,
(*r*) Qua latam (*ſ*) Nereus cærulus ambit humum.
Se tibi (*t*) pax terræ, tibi ſe (*u*) tuta æquora debent:
Impleſti meritis (*x*) Solis utramque domum.

INTERPRETATIO.

Turpis fama & neganda factis tuis repente advolavit ad urbes Græcas, Jolen immiſiſſe jugum illi quem nunquam Juno, & numerus infinitus laborum proſtraverit. Iſtud cupiverit Euryſtheus, iſtud cupiverit ſoror Tonantis, & noverca gaviſa fuerit crimine vitæ tuæ. At non ille cupiverit, cui (ſi fides habetur) nox una non ſatis fuit, ut generaverit tantus. Venus obfuit tibi plus quam Juno: Illa evexit te urgendo: hæc tenet collum ſub vili pede. Reſpice orbem terrarum pacatum viribus tuis *ultricibus: qua mare glaucum circuit vaſtam terram. Terra pacata, maria tuta debent ſe tibi; Cumulaſti beneficiis utramque domum Solis.*

NOTÆ.

(d) *Pelaſgiadas*) *Græcas*. Quanquam enim Pelaſgi vetuſtiſſimi Græciæ populi, a Pelaſgo Jovis filio appellati, Theſſaliæ parti primo, deinde Peloponneſo nomen dederunt; tamen ipſi pro omnibus Græcis ſæpiſſime veniunt.

(e) *Decolor*) *Turpis*; metaphora ab infecto panno.

(f) *Inficianda*) *Neganda*, quod prioribus non reſpondeat.

(g) *Juno*) Cujus in Jovis omnes nothos incenſæ, ſuaſu, infinitos labores Herculi Euryſtheus quotidie imponebat.

(h) *Serieſque*) Decantatiſſimos Herculis, labores, nihil eſt opus, credo, hic commemorare. cum plurimos hac ipſa epiſtola viſuri ſimus.

(i) *Hoc velit*) *Et tandem a virtute deſciſcas, victuſque diſcedas.*

(k) *Euryſtheus*) Rex fuit Mycenarum, cujus mandatis, variis de cauſis, Herculem obnoxium faciunt Autores.

(l) *Germana*) *Juno*, Jovis ſoror.

(m) *Noverca*) *Juno eadem*; quæ Herculis noverca, cum ſit Jovis conjux.

(n) *Ille*) *Jupiter*, qui, tribus in unam congeſtis noctibus, cum Alcmena Amphitryonis uxore, & Herculis matre conſuevit.

(o) *Suſtulit*) Omnino, ſiquidem per labores & præclara facta, in tantam celebritatem Hercules pervenit.

(p) *Humili*) Qui ad deprimendum non ſatis potens videbatur.

(q) *Vindicibus*) Hoc dixit quia plurimos nefarios homines Hercules ſuſtulerat.

(r) *Qua latam*) Totum orbem peragraſſe ſuum Herculem volunt Græci, qui illi quicquid ab omnibus (nam plures fuerunt,) factum eſt, attribuerunt.

(ſ) *Nereus*) Deus marinus, pro mari ipſo poſitus.

(t) *Pax terræ*) *Terra a te pacata.*

(u) *Tuta*) *monſtris & in mari inſidiantibus latronibus interfectis.*

(x) *Solis*) *Orientem & occidentem.*

Quod

Quod te (*y*) laturum eſt, cœlum prior ipſe tuliſti:
(*z*) Hercule ſuppoſito ſidera fulſit Atlas:
Quid niſi (*a*) notitia eſt miſero quæſita pudori,
Si maculas turpi facta priora (*b*) nota?
(*c*) Tene ferunt (*d*) geminos preſſiſſe tenaciter angues,
Cum tener in cunis jam Jove dignus eras?
Cœpiſti melius, quam deſinis. ultima primis,
Cedunt: diſſimiles hic vir & ille puer.
Quem non mille feræ, quem non (*e*) Stheneleius hoſtis,
Non potuit Juno vincere; vincit Amor.
(*f*) At bene nupta feror; quia nominer Herculis uxor:
Sitque (*g*) ſocer, rapidis qui tonat altus equis.
(*h*) Quam male inæquales veniant ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.
(*i*) Non honor eſt, ſed onus, (*k*) ſpecies læſura ferentem.
Si (*l*) qua voles apte nubere, nube pari.
Vir mihi ſemper abeſt; & conjuge (*m*) notior hoſpes
(*n*) Monſtraque (o) terribiles perſequiturque feras.

INTERPRETATIO.

Tu prior cœlum fulſiſti quod te feret. Atlas tulit ſidera Hercule ſubmiſſo. Quid partum eſt niſi cognitio (infelici dedecori) ſi dehoneſtat facta priora labe ſordida: Tene aiunt ſtrenue ſuffocaſſe geminos ſerpentes, cum tenellus in cunis, jam eras dignus Jove? Melius incœpiſti, quam finis: ultima non reſpondent primis: hic vir, & ille infans ſunt abſimiles: Amor ſuperat quem mille fera, quem hoſtis Sthenelcias non potuit vincere: At dicor nupta feliciter, quia appeller uxor Herculis: & ſocer ſit mihi qui tonat altus equis fervidis. Nupta impar tam læditur magno marito, quam tauri impares male junguntur ad aratra. Non honor eſt, ſed onus, ſpecies quæ premet gerentem: Si qua cupies bene nubere, nube æquali. Maritus ſemper mihi deſideratur, & hoſpes notior eſt marito: Perſequitur monſtra, & truces feras.

NOTÆ.

(y) *Laturum*) Vult Deianica Herculem virtute in cœlum aſcenſurum.

(z) *Hercule*) Ideſt, *Atlas Herculis ope cœlum ſuſtinuit.* Fictum vero iſtud ideo volunt, quod Atlanti Hercules in Aſtrologia, quam ab ipſo didicit, ſucceſſerit.

(a) *Notitia*) Id eſt), *Quid tibi per præclara tua facta comparaſti, niſi ut nunc magis cognoſcatur dedecus tuum?* Huic affine eſt quod dicit Marius in Jugurtha Salluſtii; *Majorum gloria poſteris lumen eſt, neque mala eorum in occulto patitur.*

(b) *Nota*) *Macula; vitio.*

(c) *Tene*) Quaſi dicat, *fierine potuit, ut tam mollis tamque turpis evaſeris.*

(d) *Geminos*) Ab irata Junone, immiſſos.

(e) *Stheneleius*) *Euryſtheus*, Stheneli filius.

(f) *At bene*) Objectio, cum ironia proferenda.

(g) *Socer*) *Jupiter.*

(h) *Quam male*) Reſponſio eſt ad objectionem.

(i) *Non honor*) Sententia eſt, cum exornatione rhetorica per Adnominationem figuram. Dicit magis onus quam honorem eſſe, nubere majori.

(k) *Species*) Dicit, quod nupſiſſe majori ſit ſpecies, honor, aut dignitas illi uxori moleſta, qua illa videtur gaudere. Hic vero quidam graviter hallucinatus eſt.

(l) *Qua*, *Puella*, ſcil.

(m) *Notior*,) *Quia ſæpius hoſpes domum, quam maritus petit.*

(n) *Monſtraque*) Quale fuit Hydra Lernæa, ſeptem, novem, aut etiam amplius, ſecundum aliquos, capitibus horribilem; Itemque Cerberus, Cacus, &c.

(o) *Terribiles*) Puta Leonem Menæum, Aprum Erymanthium, alias, quæ in Herculis fuerunt duodecim laboribus.

Ipſa domo vidua, votis *(p)* operata pudicis,
(q) Torqueor; infeſto ne vir ab hoſte cadat.
Inter ſerpentes aproſque avidoſque leones
(r) Jactor, & eſuros terna per ora *(ſ)* canes.
Me pecudum *(t)* fibræ, *(u)* ſimulacraque inania ſomni,
(x) Omniaque arcana nocte *(y)* petita movent.
(z) Aucupor infelix incertæ murmura famæ:
(a) Speque timor dubia, ſpeſque timore cadit.
(b) Mater *(c)* abeſt; *(d)* queriturque Deo placuiſſe potenti.
Nec *(e)* pater Amphitryon, nec puer *(f)* Hyllus adeſt.
(g) Arbiter Euryſtheus iræ Junionis iniquæ
(h) Sentitur nobis, iraque longa Deæ.

INTERPRETATIO.

Poſtquam ego dedi operam votis caſtis in domo deſerta, crucior metu ne maritus intereat ab hoſte ſævo. Verſor inter angues & apros & leones rapaces, & canes manducaturos per ternos rictus. Fibræ victimarum, imagines vanæ ſomni, & præſagia ſecreta nocte quæſita me perturbant. Miſera capto rumores dubiæ famæ: metus recedit ſpe incerta, & ſpes metu. Mater abeſt; & dolet ſe gratam fuiſſe Deo potenti. Nec pater Amphitryon nec puer Hyllus hic eſt. Premor Euryſtheo vindice furoris Junonis infenſæ, & furore permanente Deæ.

NOTÆ.

(p) *Operata*) *Operari* ſignificat, inter alia, *rem divinam facere, ſacrificare*. Hic fuerit, ſacrificiis, votorum, pro viri ſalute conceptorum, impletionem a Diis petere.

(q) *Torqueor*) *Metu crucior*.

(r) *Jactor*) Ex eo maximum declarat amorem Deianira, quod omnia, cogitatione, pericula ſubeat, quæ Hercules obivit.

(ſ) *Canes*) Qualis fuit Cerberus, quem, Euryſthei juſſu, Hercules, fruſtra oblatrantem, ad ſuperos perduxit.

(t) *Fibræ*) *Exta*, quæ, ut quid de re futurum ſit, cognoſcam, inſpicio. Deorum enim voluntatem per mactatas hoſtias exquirebant.

(u) *Simulacraque*) *Somnia*.

(x) *Ominaque arcana*) *Auguria* interpretatur Hubertinus; Micyllus *reſponſa ac vaticinia*. Neutrum probo. Per *omina* nihil aliud intelligo quam inanes, ex quibuslibet rebus, per noctem, conceptas cogitationes, quomodo vel ex abaci crepitu, & ejuſmodi multis, portenta ſibi fingere ſolent etiam noſtræ mulierculæ.

(y) *Petita*) *Excogitata*.

(z) *Aucupor*) Id eſt, *Diligenter, nec ſine religione ſcrutor*.

(a) *Speque*) Id eſt, *Timorem inter & ſpem confictor*. Sed ſpem dubiam dicit; cujus itaque potiores non fuerunt vices.

(b) *Mater*) *Alcmena*.

(c) *Abeſt*) Trachynen enim, in exilium, ubi Deianiram uxorem reliquit, Hercules, poſt interfectum in convivio Oenei pincernam, conceſſerat. Sed de tota hac fabula omnino opus eſt adire Apollodorum.

(d) *Queritur*) *Quandoquidem dilectiſſimum ex eo filium nunquam poteſt videre*.

(e) *Pater*) *Herculis*, ſcilicet, vulgo creditur; cum Alcmenæ matris maritus eſſet.

(f) *Hyllus*) Herculis ex Deianira filius, ab Euryſtheo etiam in exilium miſſus.

(g) *Arbiter Euriſtheus*) Cujus mandatis obnoxium Herculem jam antea monuimus. Junonis vero iræ dicitur arbiter, quia pro arbitrio, quæ Junonis iram explerent, Herculi imperabat, illumque maximis laboribus damnabat.

(h) *Sentitur*) Viri enim abſentia, ejus omnia in ſe redundabant incommoda.

Hæc

Hæc mihi ferre *(i)* parum eſt*:* peregrinos addis amores*:*
Et mater de te quælibet eſſe poteſt.
Non ego *(k)* Partheniis *(l)* temeratam vallibus *(m)* Augen,
Nec referam partus, *(n)* Ormeni nympha, tuos.
Non tibi crimen erunt *(o)* Theutrantia turba ſorores*:*
Quarum de populo nulla *(p)* relicta tibi.
(q) Una recens crimen (r) præfertur adultera nobis;
Unde ego ſum Lydo facta noverca *(ſ)* Lamo.
(t) Mæandros, *(u)* toties qui terris errat in iſdem,
Qui lapſas in ſe ſæpe retorquet aquas;
(x) Vidit in Hereuleo ſuſpenſa *(y)* monilia collo;
(z) Illo, cui cælum ſarcina parva fuit.
Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et *(a)* ſolidis gemmas appoſuiſſe toris.

INTERPRETATIO.

Leve eſt mihi tolerare hæc: adjicis amores extraneos, & quævis poteſt eſſe parens de te. Ego non commemorabo Augen vitiatam in vallibus Parthenüs, nec partus tuos, nympha Ormeni. Sorores turba Theutrantia, de quarum numero nulla tibi omiſſa, non erunt tibi flagitium. Una pellex novum probrum nobis anteponitur; ex qua ego ſum facta noverca Lamo Lydo. Mæander; qui toties vagatur in terris iiſdem: qui ſæpe in ſe reflectit aquas emiſſas, intuitus eſt armillas pendentes collo Herculeo; illo cui cælum exiguum fuit onus. Non puduit implicare ſtrenua brachia auro, & adjunxiſſe gemmas firmis nervis.

NOTÆ.

(i) *Parum*) Ironice credo intelligendum; ut conjuncta ſit aliqua exprobratio.

(k) *Partheniis*) *Arcadicis*, a monte Parthenio ſic appellatis.

(l) *Temeratam*) *Vitiatam*.

(m) *Augen*) Fuit Auge Alei Arcadiæ regis filia, ex qua Telephum Hercules ſuſcepit.

(n) *Ormeni*) Aſtydamiam intelligit Ormeni regis filiam, quam cum Hercules dari ſibi in conjugem petiviſſet, pater renuit, ſciens eum habere Deianiram. Qua re indignatus Hercules regi bellum intulit, captaque urbe & rege interfecto, Aſtydamiam captam vitiavit; atque ex ea Cteſippum genuit. *Diodor. l.* 5.

(o) *Theutrantia*) De quinquaginta Theſpii, Erechthei Athenienſis regis filii, natabus, quas, ut nonnullis placet, una nocte Hercules vitiavit, intelligi volunt. Quamobrem vero Theutrantia turba dicantur, Antonius a Theutranto Atticæ oppido, ubi pictura viſebatur admiranda, quomodo hæc ab Hercule geſta eſſent, teſtatur.

(p) *Relicta*) *Intacta*, ſcilicet: Quam unam excipit Pauſanias in Bœoticis.

(q) *Una*) De Omphale Lydorum regina intelligendum, cui quam ſerviliter ſeſe Hercules ſubjecerit, neque Terentianum Thraſonem, latuit.

(r) *Præfertur*) *Anteponitur*.

(ſ) *Lamo*) Fuit hic Lamus Herculis ex Omphale filius; cui quidem Deianira noverca fuerit.

(t) *Mæandros*) Vulgati habent *Mæander*. Fluvius eſt, Lydiam a Caria diſterminans.

(u) *Toties*) Hoc dicit, quia, ſicut jam antea, ni fallor, annotavimus, ita flexuoſus eſt, ut in ſe videatur recurrere. Ex quo factum, ut omnes obliquitates, & vafra conſilia, Mæandros, veteres appellaverint.

(x) *Vidit*) Fluvio, quod ejus accolis, tribuit.

(y) *Monilia*) Non tantum muliebrem cultum quandoque Hercules apud Omphalen ſumſit, ſed inſuper nevit, &c.

(z) *Illo*) Alii habent *Collo*.

(a) *Solidis*) Id eſt, *fortibus & nervoſis muſculis & lacertis*. Herculis mollitiem arguit.

Nem-

Nempe (*b*) ſub his animam (*c*) peſtis Nemeea lacertis
Edidit: (*d*) unde humerus tegmina (*e*) lævus habet.
(*f*) Auſus es hirſutos (*g*) mitra redimire capillos:
Aptior Herculeæ populus (*h*) alba comæ.
Nec te (*i*) Mæonia, laſcivæ more puellæ:
Incingi zona dedecuiſſe (*k*) putat?
Non tibi ſuccurrit (*l*) crudi (*m*) Diomedis imago,
Efferus humana qui dape pavit equas?
Si te vidiſſet cultu (*n*) Buſiris in iſto;
Huic victor victo nempe (*o*) pudendus eras.
(*p*) Detrahat (*q*) Antæus duro redimicula collo;
Ne pigeat molli ſuccubuiſſe viro,

INTERPRETATIO.

Scilicet pernicies Nemeea ex qua tuus humerus ſiniſter habet tegumentum, efflavit animam ſub his brachiis. Potuiſti coercere comam hiſpidam mitra. Populus alba magis idonea capillis Herculeis. Nec credis tibi turpe fuiſſe cingi cingulo more puellæ luxuriantis? Non tibi obverſata eſt ſpecies feri Diomedis, qui crudelis aluit equas cibis humanis? Si Buſiris te aſpexiſſet in iſto ornatu; nimirum victor eras erubeſcendus huic victo. Antæus deripiat armillas forti collo; doleat victum fuiſſe a viro effœminato.

NOTÆ.

(b) *Sub his*) *Ita ornatis*. Herculem irridet, qui turpiſſime molli & laſcivo habitu brachia ſua ornaverit aut potius oneraverit.

(c) *Peſtis Nem.*) Leo, quem in Nemeæa ſylva Hercules interfecit.

(d) *Unde*) Illius Leonis pellem poſtea Hercules pro ſcuto & thorace geſtavit.

(e) *Lævus*) Nam dexterum exertum & detectum habere oportuit, ut eſſet ad pugnam & ictus expeditior.

(f) *Auſus es*) Hoc dicit præſertim, quia maxime ridiculum erat hirſutis & impexis capillis muliebre ornamentum apponere.

(g) *Mitra*) Servio teſte nomen eſt barbarum, quo capitis quoddam ornamentum, aut pileus incurvus, de quo philyræ dependerent, intelligitur; cujus, apud Lydias & Phrygias mulieres, aut quoſdam etiam effœminatos viros uſus erat.

(h) *Alba*) Ex qua ſibi coronam feciſſe fertur Hercules, cum ad inferos Cerberum petiturus, deſcenderet: Unde illi ſacra arbor fuit. Alia eſt autem arbor Populus nigra.

(i) *Mæonia*) Omphales Mæoniæ, ſeu Lydiæ.

(k) *Putat*) Heinſius malebat *putas*, quod etiam in quibuſdam codicibus reperitur.

(l) *Crudi*) *Feri & inhumani*.

(m) *Diomedis*) Hunc crudeliſſimum fabulantur Thraciæ tyrannum, qui equos ſuos hoſpitum paſcebat carnibus, quem victum iiſdem equis Hercules in pabulum dedit.

(n) *Buſiris*) Hunc etiam, Ægypti tyrannum, hoſpites immolare ſolitum. Hercules mactavit.

(o) *Pudendus*) Id eſt, *Eum a te vinci puduiſſet*.

(p) *Detrahat*) Id eſt, *detrahere cupiat*. Nota hanc figuram; alibi uſum ſuum habere poterit. De præterito, tanquam de futuro loquitur, utque Herculem arguat Deianira, Antæum ex mortuis excitat.

(q) *Antæus*) Gigas fuit terræ, vel, ut alii dicunt, Neptuni filius, qui hoſpites ſecum luctari cogebat, & occidebat. Hunc etiam Hercules ſublimem, & a terra, ex qua ſemper novas vires habebat, abſtractum, necavit.

Inter (*r*) Joniacas (*ſ*) calathum (*t*) tenuiſſe puellas
Diceris; & dominæ pertimuiſſe minas.
Non (*u*) fugis, (*x*) Alcide, victricem (*y*) mille laborum
(*z*) Raſilibus calathis impoſuiſſe manum?
(*a*) Craſſaque robuſto deducis pollice fila,
(*b*) Æquaque (*c*) formoſæ penſa rependis heræ?
Ah quoties, digitis dum torques ſtamina duris,
(*d*) Prævalidæ fuſos comminuere manus:
(*e*) (Crederis, infelix, ſcuticæ tremefactus (*f*) habenis,
Ante pedes dominæ pertimuiſſe minas.)
(*g*) Eximiis pompis præconia ſumma triumphi,
Factaque narrabas (*h*) diſſimulanda tibi.
(*i*) Scilicet immanes eliſis faucibus hydros
Infantem (*k*) cunis involuiſſe manum?

INTERPRETATIO.

Perhiberis tractaſſe quaſillum inter puellas Joniacas & reformidaſſe minas dominæ. Non *pœnitet, Alcide, admoviſſe manum victricem mille laborum quaſi illis expolitis? Et trahis fila rudia forti pollice, & reddis penſa æqua pulcræ dominæ? Ah quoties, dum premis ſtamina firmis digitis, manus æquo fortiores fregerunt fuſos. Miſer, diceris exterritus loris flagri extimuiſſe minas ante pedes Dominæ. Commemorabas maximas* tuas *laudes præclaris pompis triumphi, & facinora tibi tacenda. Nempe manum puerilem in cunabulis preſſiſſe ſerpentes ingentes gullis attritis?*

NOTÆ.

(r) *Joniacas*) *Omphales*, ſcil. nam Jonia Lydiæ adeo conjuncta, ut vix limitibus disjungatur. Quanquam plurimi codices habent *Mæonias*: ſed jam præceſſit.

(ſ) *Calathum*) Calathus vaſculum eſt vimineum, lanis, floribus, & ejuſmodi reponendis aptum.

(t) *Tenuiſſe*) id eſt, *Cum puellis, periſtromatibus conficiendis incubuiſſe*. Gall. *Davoir eu vos corbeilles, & vos petits paniers: De vous eſtre amuſe a faire de la tapiſſerie.*

(u) *Fugis*) *Pudet*; quo in aliis legitur.

(x) *Alcide*) Cognomen eſt Herculis, ab Alcæo avo; vel, ut alii volunt, ab ἀλκῆ, robore.

(y) *Mille*) Duodecim præcipue ab Euryſthæo imperati memorantur: quanquam alii plurimi fuerunt.

(z) *Raſilibus*) *Politis*.

(a) *Craſſaque*) Quod fili eſt vitium; nam tenue laudatur. Herculi exprobrat Dejanira, quod fila trahat; quæ etiam trahere neſcit.

(b) *Æquaque*) Id eſt. *Quod tibi penſum tali pondere datum eſt, eodem, cum Omphale ancellis; dominæ poſtquam netum eſt. reddis.*

(c) *Formoſæ*) Heinſius, quod in uno eſt codice, mallet *famoſæ*: quia veriſimile non ſit Deianiræ laudatam eſſe a forma pellicem.

(d) *Prævalidæ*) Herculem irridet, quod fuſos fregerit.

(e) *Crederis*) Hoc diſtichon adulterinum eſſe opinatur Heinſius; quia neque in Puteaneo codice, niſi in margine, apparet; atque eadem fere ſupra habentur. Nolim tamen eradere.

(f) *Habenis*) *Loris*.

(g) *Eximiis*) Heinſio & hoc diſtichon, quod neque in Puteaneo codice legitur, ſuſpectum eſt. Alludit vero Poeta ad pompam triumphorum; ut, eo quod erat habitu, ad pedes dominæ projectus, ridiculus magis Hercules, eo ineptior videbatur.

(h) *Diſſimulanda*) Quia quo illis major erat Hercules, eo ineptior videbatur.

(i) *Scilicet*) Ea refert Dejanira, quæ Herculem apud Omphalen prædicaſſe fingit.

(k) *Cunis*) Alii habent *caudis*. Alii.

Infantem nuda dilaceraſſe manu.

Ut

Ut (*l*) Tegeeus aper cupreſſifero (*m*) Erimantho
Incubet, & vaſto pondere (*n*) lædat humum?
Non tibi (*o*) Threiciis (*p*) affixa penatibus ora,
Non hominum pingues cæde tacentur equæ?
Prodigiumque (*q*) triplex, armenti dives Iberi
Geryones; quamvis (*r*) in tribus unus erat?
Inque canes totidem (*ſ*) trunco digeſtus ab uno
Cerberos, implicitis (*t*) angue minante comis?
(*u*) Quæque redundabat fæcundo vulnere ſerpens
Fertilis, & damnis dives ab ipſa ſuis?
(*x*) Quique inter lævumque latus lævumque lacertum
Prægrave compreſſa fauce pependit onus?
(*y*) Et male confiſum pedibus formaque bimembri
Pulſum Theſſalicis agmen equeſtre jugis?
Hæc tu (*z*) Sidonio potes inſignitus amictu
Dicere? non cultu lingua retenta ſilet?

INTERPRETATIO.

Quomodo aper Tegeeus incumbat Erimantho cupreſſifero & premat terram ingenti onere? Non a te prætermittuntur capita appenſa poſtibus Thraciis, nec equa optima ſanguine hominum? Nec portentum triplex, Geryon abundans armentis Iberis; quamvis unus erat in tribus?; Nec Cerberus diviſus in totidem canes ab uno corpore, pilis involutis ſerpentibus, minas intentantibus? Nec hydra fæcunda quæ renaſcebatur plaga fertili, ipſa opulenta etiam ex ſuis diſpendiis? Nec qui inter ſiniſtrum latus & ſiniſtrum brachium fuit onus ponderoſiſſimum gutture eliſo? Nec turma equeſtris male nixa pedibus & figura biformi, profligata ex montibus Theſſalicis? Tu potes hæc referre decoratus veſtitu Sidonio? Lingua non taces repreſſa ornatu?

NOTÆ.

(l) *Tegæus*) *Arcadius*, a Tegea, vel, ut Poetæ ſcribunt, Tegeæa, Arcadiæ urbe. Hunc vero aprum vivum ad Euriſthæum pertraxit Hercules.

(m) *Erymantho*) Erymanthus mons Arcadiæ.

(n) *Lædat*) Alii *pulſet*.

(o) *Threiciis*) Diomedis, quem Hercules mactavit.

(p) *Affixa*) Eorum hoſpitum, quos equis davorandos Diomedes apponebat, ora & capita poſtibus affigebat.

(q) *Triplex*) De Geryone, Hiſpaniæ, vel potius inſularum Gadium rege, agitur: quem, ob triplicem exercitum, treſque filios, inſulas etiam ternas, triplicem, tergeminum, tricorporem Poetæ fabulati ſunt. Quanquam alia etiam alii. Hoc vero devicto, boves, quibus ille erat ditiſſimus, Hercules in Italiam egit.

(r) *In tribus unus*) Juſtinus tres fratres concordes interpretatus eſt.

(ſ) *Trunco*) *Cerberi*, ſcil. *corpore*.

(t) *Angue*) Imo *anguibus*; centum enim habuiſſe dicitur.

(u) *Quæque*) Hydram Lernæam ſignificat, ſeptem, novem, quinquaginta, centum etiam, ut nonnullis placet, capitibus terribilem; quorum uno amputato, duo alia renaſcebantur. Quam Jolai, ignem ad cæſa capita apponentis, opera, Hercules ſuſtulit.

(x) *Quique*) Antæus eſt, quem ne terræ matris auxilium ſentiret, Hercules, ſiniſtro brachio ſublatum, dextra ſuffocavit.

(y) *Et male*) De Centauris agitur, ideo a Poetis ſuperna parte viris, inferna equis fictis, quod primi equo Theſſali illi pugnare cæperint. Illos vero partim cæcidit, partim fugavit Hercules, quod ad mirabilem vini, quod Pholus Centaurus exhibebat, odorem, accurrentes, impetum feciſſent.

(z) *Sidonio*) *Purpureo*. Laudatiſſima vero erat Sidonia purpura.

Se

Se quoque Nympha tuis ornavit (*a*) Jardanis armis,
Et tulit e capto (*b*) nota tropæa viro.
(*c*) I nunc, tolle animos, & fortia gesta recense.
Quod tu non esses jure, vir illa fuit.
Qua tanto minor es, quanto te, maxime rerum,
Quam quos vicisti, vincere majus erat.
Illi (*d*) procedit rerum mensura tuarum.
Cede (*e*) bonis: hæres laudis amica tuæ.
Pro pudor! hirsuti costas exuta leonis
Aspera texerunt vellera (*f*) molle latus.
Falleris, & nescis: non sunt spolia ista leonis,
Sed tua. tuque (*g*) feri victor es: illa tui.
Fœmina (*h*) tela tulit Lernæis atra venenis,
Ferre gravem lana vix satis apta colum:
Instruxitque manum clava domitrice ferarum:
Vidit & in speculo (*i*) conjugis arma sui.
(*k*) Hæc tamen audieram: licuit non credere famæ.
En venit ad sensus (*l*) mollis ab aure dolor.
(*m*) Ante meos oculos adducitur advena (*n*) pellex:
Nec mihi, quæ patior, dissimulare licet.

INTERPRETATIO.

Puella etiam Jardanis se instruxit tuis armis, & reportavit nota tropæa ex viro victo. Itojam, effer animos, & facta nobilia commemora. Illa fuit vir, quia tu non eras merito. Qua tanto es inferior, summe, quanto præstantius erat superare te, quam quos superasti: Illi prodest mensura factorum tuorum. Cede bonis: amica est hæres gloriæ tuæ. Pro pudor! pellis hirsuta derepta lateribus leonis horridi velavit latus effæminatum. Erras & ignoras: ista exuviæ non sunt leonis, sed tua: & tu es victor feræ illa tui. Mulier, vix satis idonea ad gerendum colum lanam plenam gestavit sagittas infectas toxicis Lernæis; & armavit dextram clava victrice ferarum; & intuita est arma sponsi sui in speculo. Hæc tamen acceperam: potui non habere fidem famæ. Ecce levis dolor ad sensus penetrat ab aure. Adultera peregrina perducitur ante meos oculos: nec possum occultare quæ suffero.

NOTÆ.

(a) *Jardanis*) *Omphale* a patre eo nomine appellata; quæ vicissim & clava, & cætero Herculis cultu ornari voluit.

(b) *Nota*) Alii habent *bina*; ut de Amore Herculis, & de ejus spoliis trophæa posuerit Omphale.

(c) *I nunc*) Increpatio est per irrisionem.

(d) *Procedit*) *Illi omnium a te gestarum rerum laudi gloriaque vertitur magnitudo.*

(e) *Bonis*) *Laude omni: quandoquidem te majorem invenisti.*

(f) *Molle*) *Omphales.*

(g) *Feri*) *Leonis.*

(h) *Tela*) Herculis, quæ ille Lernææ hydræ sanguine seu veneno infecit; unde pestifera fuerunt.

(i) *Conjugis*) *Herculis.*

(k) *Hæc tamen*) Innuit se non ita; iis omnibus, quæ tantum per famam cognoverat, male affectam fuisse; quia forte vera non essent.

(l) *Mollis*) *Minor* quia non ita certa sunt quæ auribus percipiuntur.

(m) *Ante meos*) Istud vero dicit gravissimum: nam postea oculis credetur.

(n) *Pellex*) *Jole*, Euryti Oechaliæ regis filia; quam ultimam Hercules amavit.

Non

Non finis (*o*) averti? mediam captiva per urbem
Invitis oculis aſpicienda venit.
Nec venit incultis captarum more capillis,
Fortunam vultus faſſa tegendo ſuos.
Ingreditur late lato ſpectabilis auro:
Qualiter (*p*) in Phrygia tu quoque cultus eras.
Dat vultum populo ſublime (*q*) ſub Hercule victo:
(*r*) Oechaliam vivo ſtare parente putes.
Forſitan &, pulſa (*ſ*) Ætolide Deianira,
Nomine depoſito pellicis, uxor erit:
(*t*) Eurytidoſque Joles, atque inſani Alcidæ
Turpia (*u*) famoſus corpora junget Hymen.
Mens (*x*) fugit admonitu, frigusque perambulat artus,
Et jacet in gremio languida facta manus.
Me quoque cum multis, ſed me (*y*) ſine crimine amaſti:
Ne pigeat, pugnæ (*z*) bis tibi cauſa fui.
(*a*) Cornua flens legit ripis (*b*) Achelous in udis,
(*c*) Truncaque limoſa (*d*) tempora merſit aqua,

INTERPRETATIO.

Non poteris me ſecedere? Captiva adducitur ſpectanda oculis renuentibus per urbem mediam. Nec accedit coma inornata more captivarum, agnoſcens fortunam, velando ſuam faciem. Intras late inſignis auro multo: quomodo tu quoque eras ornatus in Phygia. Superbe exhibet faciem populo ſub Hercule ſuperato: Crediderit Oechaliam manere patre ſuperſtite. Forte etiam nomine adultera omiſſo, erit conjux, Deianira Ætolide repudiata: Hymen infamis copulabis corpora impudica Joles Eurytidos & dementis Alcidæ. Animus horret recordatione, & tremor diſcurrit per membra, & manus torpens jacet in ſinu: Amaſti me quoque cum multis, ſed amaſti me ſine flagitio: ne doleat, bis tibi cauſa fui certaminis. Achelous lacrymans ſuſtulit cornua in ripis humidis, &, condidit tempora mutilata aqua lutulenta.

NOTÆ.

(o) *Averti*) *A me amoveri.*

(p) *In Phrygia*) Apud Omphalem.

(q) *Sub Hercule*). Id eſt, *Hercule victo ita volente.*

(r) *Oechaliam*) Id eſt, *Quilibet crederet Jolen triumphare; non patrem mortuum, patriamque ſubverſam eſſe.*

(ſ) *Ætolide*) *Ætolia regis filia.*

(t) *Eurytidoſque*) *Joles, Euryti filia.*

(u) *Famoſus*) *Turpi conjugio infamatus.*

(x) *Fugit admonitu*) *Recordatione horret, & propemodum a me recedit.*

(y) *Sine crimine*) Quia legitima fuit uxor.

(z) *Bis*) Primum cum Acheloo, deinde cum Neſſo Centauro.

(a) *Cornua*) Alterum tantum Hercules prefregit.

(b) *Achelous*) Filius fuit Oceani & Terræ, vel, ut alii volunt, Therydis; cui conceſſerat mater, ut cum adverſario pugnans quam vellet formam indueret. Cum Hercule itaque, propter Deianiram congreſſus, primo ſerpentis, deinde ſub Tauri forma latuit: victuſque tandem in Acheloum flumen ſeſe abdidit. Cujus fabulæ expoſitionem prolixe apud omnes Mythologos reperies: de qua etiam in Metamorph. aliquid poſtea dicemus.

(c) *Truncaque*) Dextero cornu abſciſſo.

(d) *Tempora*) Non tempore modo, aut caput, ſed ſe totum in fluvium præcipitavit. Minutas vero ejuſmodi figuras, quibus aſſueti ſumus, nihil eſt opus indicare.

(e) *Semivir* occubuit in letifero (*f*) Eveno
Neſſus: & infecit ſanguis equinus aquas.
Sed quid ego hæc refero? ſcribenti nuncia venit
Fama, virum (*g*) tunicæ tabe perire meæ.
Hei mihi! quid feci? (*h*) quo me furor egit amantem?
Impia quid dubitas Deianira mori?
An tuus in media conjux lacerabitur (*i*) Oeta?
Tu ſceleris tanti cauſa ſuperſtes eris?
(*k*) Si quid adhuc habeo facti, cur Herculis uxor
Credar, conjugii mors mihi pignus erit.
Tu quoque (*l*) cognoſces in me, Meleagre, ſororem.
(*m*) Impia quid dubitas Deianira mori?
Heu (*n*) devota domus! ſolio ſedet (*o*) Agrios alto:
(*p*) Oenea deſertum nuda ſenecta premit:
Exulat ignotis (*q*) Tydeus germanus in oris.
(r) Alter fatali vivus in igne fuit.

INTERPRETATIO.

Neſſus ſemivir cecidit in Eveno mortifero, & cruor equinus tinxit aquas. Sed quamobrem hæc recordor? Fama nuncia venit ſcribenti maritum interire veneno tunica mea. Hei mihi! quid egi? quo impetus abſtulit amantem? Sceleſta Deianira quamobrem cunctaris obire? An tuus maritus diſcerpetur in media Oeta? Tu cauſa tanti flagitii vives? Si habeo adhuc aliquid admiſſi, cur dicar conjux Herculis; obitus erit mihi pignus connubii. Meleagre agnoſces tu etiam in me ſororem. Sceleſta Deianira quid cunctaris mori? Heu domus infelix! Agrius premit ſolium excelſum: Senecta ſpoliata urget Oenea deſtitutum. Tydeus frater profugus latet in orbe incognito. Alter vivus fuit in igne.

NOTÆ.

(e) *Semivir*) *Centaurus Neſſus*, qui Dejaniræ quam tranſvehebat vim facere aggreſſus, ab Hercule ſaggitta transfixus eſt.

(f) *Eveno*) Evenus fluvius eſt Ætoliæ.

(g) *Tunica tabe*) *Cruore Lernæi ſerpentis & Centauri Neſſi infecta.* Hæc eſt vero fabula: Cum ſe mortuum videret Neſſus, ut mortem ulciſceretur Deianiram ad ſe vocat, dicitque, ſi philtrum, quo nullam præter ſe mulierem attingat Hercules, velit habere, ejus tunicam ſanguine, qui ex vulnere, per ſagittam fluebat, intingere properet. Credula mulier, clam Hercule, quod erat mandatum perficit, deinde, cum ejus amorem cognoviſſet, tunicam illam ſacrificaturo per Lycham famulum miſit: Quam non prius ille induit quam tabe conſumtus, & in furorem actus, tandem in pyram ſeſe conjicere conatus eſt.

(h) *Quo me*) Quæritur, quod marito cauſam mortis præbuerit.

(i) *Oeta*) In eo Theſſaliæ monte, oraculi monitu, conſtructa eſt pyra, in quam Hercules aſcendit, & mortalitatem reliquit.

(k) *Si quid*) Ideſt, *ſi quid dignum laude ſupereſt.*

(l) *Cognoſces*) *Quia, ſicut tu propter Atalantam conjugem, ego propter Herculem mortem oppetam.*

(m) *Impia*) Verſus intercalaris dicitur, qui ſæpe interponitur.

(n) *Devota*) *Exitio deſtinata.*

(o) *Agrios*) Frater Oenei, qui poſt hujus diſſipatam domum regnum invaſit; quod nunc deflet Deianira.

(p) *Oenea*) Accuſativus Græcus.

(q) *Tydeus*) Hic, patruo, vel ut Hyginus ſcribit, fratre Menalippo interfecto, ad Argivorum regem Adraſtum profugit, cujus filiam Deiphilen uxorem duxit.

(r) *Alter*) Meleager eſt, quem, projecto in ignem, a matre Althæa, fatali ſtipite, quo cum ipſius vitam Parcæ colligaverant, inteſtino ſimul igne conſumtum Poetæ voluerunt.

(ſ(Exegit ferrum ſua per præcordia mater.
Impia quid dubitas Deianira mori?
(t) Deprecor hoc unum, per jura ſacerrima lecti;
Ne videar (u) fatis inſidiata tuis.
Neſſus, ut eſt (x) avidum (y) percuſſus (z) arundine pectus,
Hic, dixit, (a) vires ſanguis amoris habet.
Illita Neſſeo miſi tibi texta veneno.
Impia quid dubitas Deianira mori?
(b) Jamque vale, ſeniorque pater, germanaque Gorge,
Et (c) patria, patriæ (d) frater ademte tuæ.
Et tu lux oculis hodierna noviſſima noſtris,
Virque, (ſed o (e) poſſis!) & puer Hylle, vale.

INTERPRETATIO.

Mater transfixit ſua viſcera gladio. Impia Deianira quamobrem differs mori? Hoc unum precibus amolior, per jura ſacratiſſima tori; ne credar ſtruxiſſe inſidias fatis tuis. Neſſus poſtquam fuit vulneratus pectus cupidum ſagitta; hic cruor inquit habet vim amatoriam. Miſi tibi veſtem infectam tabo Neſſeo. Impia Deianira quamobrem cunctaris obire? Jamque vale & pater provectior & ſoror Gorge, & patria, & frater ſublate patriæ tuæ; Et tu dies hodierna ultima oculis noſtris, & marite, (ſed o poſſis!) & puer Hylle, vale.

NOTÆ.

(ſ) *Exegit*) Seſe ipſa gladio, pœnitentia interfecti filii, vel, ut Diodorus ſcribit, laqueo peremit.

(t) *Deprecor*) *A me averto, quod feciſſe ne credideris.*

(u) *Fatis*) *Mortem tibi intentaſſe ne videar.* Alii habent *thalamis*; ut ſit ſenſus, Deianiram non eo tunicam miſiſſe, ut pellicem una cum Hercule tolleret.

(x) *Avidum*) *Nimio amore inſanum.*

(y) *Percuſſus pectus*) Phraſis Græca.

(z) *Arundine*) *Sagitta.*

(a) *Vires*) Id eſt, *Ad amandum poſſe impellere.* Ovidius Metamorph. 9. *Velut irritamen amoris.*

(b) *Jamque vale*) Laqueo parato, ſuos ſalutat.

(c) *Patria*) Calydon.

(d) *Frater*) Tydeus.

(e) *Poſſis*) *Valere*, ſcil.

EPISTOLA DECIMA.

ARGUMENTUM.

Minos Jovis & Europæ filius, Cretenſis rex, ob Androgeum filium ab Athenienſibus doloſe occiſus, illos tandem poſt acria bella coegit, ut ſibi pœnas penderent, & quidem quotannis pueros ſeptem, & totidem virgines mitterent, ut Minotauro, quem arte Dædali Paſiphae ex tauro genuerat, dum ejus maritus Minos cum Athenienſibus bellum gereret, devorandi traderentur. Cum vero ſors Theſeo contigiſſet, ab Ariadne edoctus eſt, quonam pacto, interfecto Minotauro, ex Labyrintheis ambagibus egrederetur, Errabunda regens tenui veſtigia filo: *ut ait Catullus. Theſeus autem Creta cum Ariadne & Phædra diſcedens, in Naxon inſulam delatus eſt: ubi a Baccho monitus, ut Ariadnen relinqueret. Qui Dei voce perculſus, altiſſimo ſomno ſopitam reliquit. Illa expergefacta hanc epiſtolam*

lam scripsit, in qua crudelitatem Thesei ac duritiem accusans, immemorem beneficiorum eum appellat; post multas querelas rogat, ut conversa nave redeat.

(*a*) ARIADNE (*b*) THESEO.

Mitius inveni, quam te, genus omne ferarum:
Credita non ulli, quam tibi, pejus eram.
Quæ legis, ex illo, Theseu, tibi littore mitto,
Unde tuam sine me vela tulere ratem.
In quo me somnusque meus male prodidit, & tu
(*c*) Per facinus somnis insidiate meis.
(*d*) Tempus erat; (*e*) vitrea quo primum terra pruina
Spargitur, & tectæ fronde queruntur aves.
(*f*) Incertum vigilans, a somno languida, movi
(*g*) Thesea prensuras semisupina manus.
Nullus erat: referoque manus, iterumque retento,
Perque torum moveo brachia: nullus erat.
Excussere metus somnum. conterrita surgo:
Membraque sunt viduo præcipitata toro.
(*h*) Protinus adductis sonuerunt pectora palmis:
Utque erat e somno (*i*) turbida, rapta coma est.
Luna fuit: specto, si quid, nisi littora, cernam.
Quod videant oculi, nil, nisi littus, habent.
Nunc huc, nunc illuc, & (*k*) utroque sine ordine curro:
Alta puellares (*l*) tardat arena pedes,

INTERPRETATIO.

Experta sum omne genus ferarum lenius quam te: non infelicius cuiquam poteram committi quam tibi. Mitto tibi quæ legis, Theseu, ex illo littore, ex quo vela abripuerunt tuam navem: In quo & somnus meus me male perdidit, & tu insidiate per flagitium somnis meis. Tempus erat, quo humus tegitur pruina vitrea, & aves ramis velatæ conqueruntur. Vix experrecta torpens a somno, semisupina movi manus amplexuras Theseum. Non adcrat & refero manus, & iterum quærito, & agito lacertos per lectum. Nullus erat. Timor proturbavit somnum: tremefacta erigor: & artus sunt dejecti lecto destituto. Statim mea pectora sonum reddiderunt manibus impactis: & capilli ut erant confusi e somno; sunt dilaniati. Luna fulsit: aspicio si quod videam, præter littora. Oculi nihil inveniunt quod aspiciant nisi littus. Nunc huc, nunc illuc, & utroque feror sine ratione. Arena cumulata remoratur pedes virgineos.

NOTÆ.

(a) *Ariadne*) Minois filia.

(b) *Theseo*) Fuit Theseus Ægei, regis Atheniensis, filius.

(c) *Per facinus*) Alii habent *prob facinus!*

(d) *Tempus erat*) Vide an non cum stomacho sit istud legendum.

(e) *Vitrea*) *Vitro similis*. Autumnale tempus describit.

(f) *Incertum vigilans*) Id est, *Nescio, an vigilarem*.

(g) *Thesea*) Accusat. Græcus.

(h) *Protinus*) Id est, *Pectus ex dolore & admiratione percussi*.

(i) *Turbida*) *Incomta*.

(k) *Utroque*) *Sursum, deorsum; Dextrorsum, sinistrorsum, Rursum, prorsum; Huc & illuc*.

(l) *Tardat*) Difficile est omnino in arena, nisi madida sit, ambulare.

Interea toto clamanti littore, Theseu,
(*m*) Reddebant nomen concava saxa tuum:
Et quoties ego te, toties locus ipse vocabat.
Ipse locus miseræ ferre volebat opem.
Nons fuit; apparent frutices in vertice rari:
(*n*) Nunc scopulus raucis pendet adesus aquis.
Ascendo; vires animus dabat: atque ita late
Æquora prospectu metior alta meo.
Inde ego (nam ventis quoque sum crudelibus usa)
Vidi præcipiti carbasa tenta noto.
Aut vidi: aut etiam, cum me vidisse putarem,
Frigidior glacie semanimisque fui.
Nec languere diu patitur dolor, excitor illo,
Excitor, & summa Thesea voce voco.
Quo fugis? exclamo: scelerate, revertere. Theseu.
Flecte ratem. (*o*) *numerum non habet illa suum.*
Hæc ego. quod voci deerat, (*p*) plangore replebam.
Verbera cum verbis mista fuere meis.
Si non audires, ut saltem cernere posses,
Jactatæ late signa dedere manus.
Candidaque imposui lungæ (*q*) velamina virgæ,
Scilicet oblitos admonitura mei.
Jamque oculis ereptus eras: tum denique flevi.
(*r*) Torpuerant molles ante dolore (*s*) genæ.

INTERPRETATIO.

Interea rupes cava referebant nomen tuum, mihi *vociferanti toto littore* Theseu: *Et quoties ego te, te toties ipse locus citabat. Ipse locus volebat auxilium præbere infelici. Mons extitit; frutices pauci cernuntur in cacumine: Scopulus autem cavatus aquis obstrepentibus imminet. Ascendo supero: Animus sufficiebat vires: atque ita vaste lustro meo prospectu profunda maria. Inde ego aspexi vela inflata austro rapido: (nam afflicta sum quoque sævis ventis. Vel aspexi, vel etiam, cum arbitrarer me aspexisse, fui frigidior glacie & semiviva. Nec dolor finit diu torpere: Illo excutior. excutior; contentissima voce inclamo Theseum.* Quo prorumpis? *vociferor:* redi scelеste Theseu. Converte navem: illa non habet suum numerum. *Hæc ego: planctu compensabam quod voci deerat. Ictus conjuncti fuerunt cum meis verbis. Manus multum concussæ fecerunt indicia e ut saltem posses intueri si non audires. Et vestem albam aptqvi pertica, commonefacturam nempe vos mei oblitos. Jamque eras ademtus oculis: tum denique in fletus prorupi. Oculi teneri prius stupuerant dolore.*

NOTÆ.

(m) *Reddebant*) Quæ adeo Theseo ipso mitiora erant.

(n) *Nunc*) Pro *autem*; quomodo, non sine lepore, utuntur aliquando boni autores. Quanquam nonnulli codices habent *Hic*: Alii *Hinc*: Vossianus *Huic*.

(o) *Numerum*) Quia illa aberat.

(p) *Plangore*) *Pectus graviter percutiendo.*

(q) *Velamina*) Quodvis linteum intellige.

(r) *Torpuerant*) Cum antea tota in clamando, & plangendo fuisset Ariadne, evidenti ratione, flere non poterat.

(s) *Genæ*) *Palpebræ*; nam pro iis etiam summuntur. Per eas vero oculos intellige:

Quid

Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent,
  Postquam (*t*) desierant vela videre tua?
Aut ego diffusis erravi sola capillis,
  Qualis ab (*u*) Ogygio concita (*x*) Baccha (*y*) Deo:
Aut mare prospiciens in saxo (*z*) frigida sedi:
  Quamque lapis (*a*) sedes, tam lapis ipsa fui.
Sæpe torum repeto, qui nos acceperat ambos;
  Sed non acceptos exhibiturus erat.
(*b*) Et tua, qua possum, pro te vestigia tango;
  Stataque, quæ membris intepuere tuis.
Incumbo, lacrymisque toro (*c*) manante profusis,
  Pressimus, exclamo, te duo: redde duos.
Venimus huc ambo: cur non discedimus ambo?
  Perfide, pars nostri, lectule, major ubi est?
Quid faciam? quo sola ferar? vacat insula cultu.
  Non hominum video, non ego facta boum.
Omne latus terræ cingit mare. navita nusquam:
  Nulla per (*d*) ambiguas puppis itura vias.
Finge dari comitesque mihi, ventosque, ratemque;
  Quid sequar? accessus terra paterna negat.
(*e*) Ut rate felici pacata per æquora labar;
  Temperet ut ventos (*f*) Æolus; exul ero.

INTERPRETATIO.

Quid prius agerent oculi mei, quam me lugerent, postquam destiterunt cernere carbasa tua? Aut ego sum vagata sola coma sparsa, qualis Baccha acta a Deo Ogygio: aut prospectans mare, gelida sedi in rupe: & ipsa tam fui saxum, quam sedile fuit saxum. Sæpe ad lectum redeo, qui acceperat nos ambos: sed non erat redditurus acceptos. Et tango quantum possum tua vestigia pro te: & vestes quæ calefactæ fuerant artubus tuis. Innitor, & lacrymis effusis, lecto rorante, vociferor, duo tibi incubuimus: restitue duos: Ambo huc accessimus, cur non ambo abimus? Torule infide, ubi est pars potior nostri? Quid agam? Quo eam sola? Inculta est insula. Ego non intueor labores hominum, non intueor boum. Æquor circumdat omnem oram terræ. Nullibi nauta: nulla navis cursura per vias incertas. Pone contingere mihi & comites & auras & navem; quid incipiam? Solum paternum negat aditus. Quanquam curram nave fortunata per maria placida; quanquam Æolus molliat ventos; profuga ero.

NOTÆ.

(t) *Desierant*) Alii habent *desieram*; quod Heinsio placuit.

(u) *Ogygio*) *Thebano*; Ab Ogyge Thebanorum rege.

(x) *Baccha*) Jam antea mulierculaium, Bacchi furore correptarum, insaniam vidimus.

(y) *Deo*) *Baccho*; A matre Semele, Cadmi Thebarum conditoris filia, Thebano dicto.

(z) *Frigida*) Ex dolore; deinde etiam saxi frigiditate.

(a) *Sedis*) *Cui insidebam*.

(b) *Et tua*) Vide mihi, quæso, quam lepide, quantoque cum affectu, hæc Poeta scripserit. Ipse tibi relictus, aut sexum mutasse videaris, si illius insistere vestigiis non reformidaveris.

(c) *Manante*) Id est, *Rivulo ex lacrymis per lectum currente*.

(d) *Ambiguas*) Qualis est omnis in mari. Neminem dicit illac transiturum.

(e) *Ut*) *Quamvis*.

(f) *Æolus*) Ventorum Deus.

(g) Non ego te, Crete, (h) centum digesta per urbes,
Aspiciam, puero (i) cognita terra Jovi.
Nam pater, & tellus (k) justo regnata parenti,
Prodita sunt facto nomina (l) cara meo.
Cum tibi, ne (m) victor tecto morerere (n) recurvo,
Quæ regerent passus, pro duce fila dedi.
Cum mihi dicebas, Per ego ipsa pericula juro,
Te fore, dum nostrum vivet uterque, meam.
Vivimus: & non sum, Theseu, tua: (o) si modo vivis,
Fœmina, perjuri fraude (p) sepulta viri.
Me quoque, qua (q) fratrem, (r) mactasses, improbe, clava
Esset, quam dederas morte (s) soluta fides.
Nunc ego non tantum, quæ sum passura, recordor;
Sed quæcumque potest ulla relicta pati.
Occurrunt animo pereundi mille (t) figuræ:
Morsque minus pœnæ, quam mora mortis, habet.
Jam jam venturos aut hac, aut suspicor illac,
Qui lanient avido viscera dente, lupos.
Forsitan & fulvos tellus alat ista leones.
Quis scit, an hæc sæva tigridas insula habet?

INTERPRETATIO.

Ego te non videbo, Creta, divisa per centum oppida, terra visa Jovi puero. Nam pater & terra dominata æquo patri, nomina dilecta prodita sunt meo facinore: cum, tibi exhibui fila pro directore qua modum facerent tuis gressibus, ne victor interires in domo perplexa. Cum mihi dicebas, Ego juro per ipsa discrimina te futuram meam quamdiu uterque nostrum vita fruetur. Vita fruimur, & non sum tua, Theseu: si saltem vita frueris, o puella perdita dolo mariti perjuri. Me quoque interfecisses perfide, clava qua fratrem. Fides quam voverat esset liberata morte. Nunc ego non tantum cogito qua sum latura; sed quæcumque ulla destituta potest experiri. Mille modi pereundi animo obversantur: & mors habet minus supplitii quam dilatio mortis. Mentem subit lupos jam jam accessuros aut hac, aut illac, qui discerpant præcordia dente famelico. Forsitan ista terra nutriat etiam leones fulvos. Cui perspectum, an hæc insula alat crudeles tigrides?

NOTÆ.

(g) *Non ego*) Maximum affectum habet hæc recordatio.

(h) *Centum* Hæc fama de centum Cretæ urbibus, ex Homero invaluit; quam veram fuisse, non facile crediderim, nisi etiam vicos annumeraveris.

(i) *Cognita*) Quia ibi nutritus fuit.

(k) *Justo*) Quamobrem apud inferos judex.

(l) *Cara*) *Pater & Patria* nomina cara sunt.

(m) *Victor*) Superato Minotauro. Alii habent *victus*.

(n) *Recurvo*) Labyrinthi periphrasis.

(o) *Si modo vivis*) Hæc habet correctio multam emphasim; magnumque affectum.

(p) *Sepulta*) *Prorsus perdita*. Ita & Terentius alicubi.

(q) *Fratrem*) *Minotaurum*.

(r) *Mactasses*) Deest *utinam*, *Utinam me interfecisses*.

(s) *Soluta*) Quia tantum, dum uterque viveret fidem suam dederat Theseus. Ingeniosum vero est istud, quasi tantum nefas ille patraverit, ut interfecta conjuge fidem servasse videretur.

(t) *Figura*) *Mortis genera*.

Et

Et freta dicuntur magnas (*u*) expellere (*x*) phocas.
Quid vetat & (*y*) gladios per latus ire meum?
Tantum ne religer dura captiva catena;
Neve traham ſerva grandia penſa manu:
Cui pater eſt Minos, cui mater (*z*) filia Phœbi:
Quodque magis memini, quæ tibi pacta fui.
Si mare, ſi terras, porrectaque littora vidi;
Multa mihi terræ, multa minantur aquæ.
Cœlum (*a*) reſtabat. timeo (*b*) ſimulacra Deorum.
Deſtituor rapidis præda cibuſque feris.
Sive colunt habitantque viri, diffidimus illis.
Externos didici (*c*) læſa timere viros.
Viveret (*d*) Androgeos utinam: nec facta luiſſes
Impia (*e*) funeribus, (*f*) Cecropi terra, tuis!
Nec tua mactaſſet (*g*) nodoſo ſtipite, Theſeu,
Ardua (*h*) parte virum dextera, parte bovem!
Nec tibi, quæ reditus monſtrarent, fila dediſſem,
Fila per adductas ſæpe recepta manus!
Non equidem miror, ſi ſtat victoria tecum,
Strataque Cretæam bellua tinxit humum.

INTERPRETATIO.

Maria etiam perhibentur immittere in gentes vitulos. Quid obſtat euſes etiam adigi per latus meum? Tantum ne capta conſtringar ſævis vinculis; neve ſerva manu penſa ingentia diducam, ego cui Minos eſt pater, cui filia Phœbi mater; & quod amplius recordor, quæ tibi promiſſa fui. Si aſpexi mare, ſi terras & vaſta littora; terræ mihi intentant multa, aquæ multa. Cœlum ſupererat. Metuo imagines Deorum. Deſeror in rapinam & eſcam feris furentibus. Seu viri celebrant, & excolunt hanc terram eos ſuſpicimus. Decepta docta ſum metuere viros peregrinos. Utinam Androgeos ſuperſtes eſſet: nec exſolviſſes facinora impia tuorum cædibus, terra Cecropia; nec manus tua in altum ſublata, Theſeu, interfeciſſet clava nodoſa, virum ſemibovem, bovem ſemivirum? Nec tibi præbuiſſem fila quæ oſtenderent regreſſus; fila relecta per manus ſæpe admotas! Non equidem ſtupeo ſi victoria tecum permanet, & bellua humi afflicta interfecit ſolum Cretæum;

NOTÆ.

(u) *Expellere*) *In ſiccum mittere*. In terra vero vivere, ſpirare, præ aliis etiam omnibus animalibus graviſſimo ſomno dormire Phocæ dicuntur, autore Plinio.

(x) *Phocas*) *Vitulos marinos*.

(y) *Gladios*) Cujuſvis advenæ.

(z) *Filia Phœbi*) *Paſiphae*. Vult maxime indignum videri, ſi ipſa Regis filia, aliiſque gaudens titulis, ſervire cogatur.

(a) *Reſtabat*) *Quod contra me non eſſet*.

(b) *Simulacra*) *Figuras, in quas illi ſe dicuntur mutare*.

(c) *Læſa*) *A Theſeo hoſpite, qui Cretæ mihi impoſuit, meque hic reliquit*.

(d) *Androgeos*) De quo in argumento. Longe vero, mulierum more, malorum ſuorum cauſam repetit Ariadne.

(e) *Funeribus*) Puerorum & puellarum ſeptem, quod annuum erat Athenienſium, erga Minoem, tributum, Minotauro tradendum.

(f) *Cecropi*) *Attica*, Cecropea Athenienſium rege. Ille vero eſt vocativus Græcus, a forma patronymica *Cecropis*, *idos*.

(g) *Nodoſo ſtipite*) *Clava*, qua utebatur Theſeus.

(h) *Parte virum*) *Minotaurum*.

Non poterant figi præcordia ferrea (*i*) cornu:
(*k*) Ut te non tegeres, pectore tutus eras.
Illic tu silices, illic adamanta tulisti.
Illic qui silices Thesea vincat habes.
Crudeles (*l*) somni, quid me tenuistis inertem?
(*m*) At semel æterna nocte premenda fui.
Vos quoque, crudeles venti, nimiumque parati;
(*n*) Flaminaque in lacrymas officiosa meas.
Dextera crudelis, quæ me fratremque necavit:
Et data poscenti (*o*) nomen inane fides.
In me jurarunt somnus ventusque fidesque.
Prodita sum caussis una puella tribus.
(*p*) Ergo ego nec lacrymas matris moritura (*q*) videbo:
Nec, mea qui digitis lumina condat, erit?
Spiritus infelix (*r*) peregrinas ibit in auras:
Nec positos artus unget amica manus?
(*s*) Ossa superstabunt volucres inhumata marinæ?
Hæc sunt (*t*) officiis digna sepulcra meis?
(*u*) Ibis Cecropios portus: patriaque receptus
Cum steteris urbis celsus in arce tuæ,
Et bene narraris letum taurique virique,
Sectaque per dubias (*x*) saxea tecta vias;

INTERPRETATIO.

dura tua viscera non poterant fodi cornu: quanquam te non defendisses: eras securus pectore. Tu gestasti illic saxa, illic gestasti adamanta; habes illic Theseum qui durior sit saxis. Somni crudeles, cur me ignavam retinuistis? Imo semel obruenda fui nocte æterna. Vos quoque venti sævi, & nimis expediti; & flatus obsequiosi in meos fletus: Manus sæva quæ occidit me & germanum, & fides obstricta mihi petenti nomen vanum. Somnus & ventus & fides conjuraverunt in me. Una puella prodita sum tribus caussis. Ergo peritura neque aspiciam fletus matris; nec dabitur qui claudat oculos meos digitis? anima misera feretur in aerem ignotum: nec manus amica condiet membra composita? Aves maritimæ insistent ossibus meis insepultis? Hæc sepulcra sunt digna obsequiis meis? Tanges portus Cecropios: & redux in patriam cum sublimis constiteris in arce urbis tuæ, & bene retuleris mortem & tauri & viri, & domum lapideam divisam per vias ambiguas;

NOTÆ.

(i) *Cornu*) *Minotauri.*

(k) *Ut*) *Quamvis.*

(l) *Somni*) In somnum invehitur, quo retenta est, dum Theseus abiret.

(m) *At*) Correctio est ingeniosa: quasi dicat; *Imo in æternum debuissem dormire.*

(n) *Flamina*) *Ventorum flatus.*

(o) *Nomen inane*) Fides si non servetur, est profecto nomen inane.

(p) *Ergo*) Concludentis non est hoc loco particula, sed indignantis. Ingemiscit, & ingeminat Ariadne, quod in illa insula sola sit moritura.

(q) *Videbo*) Quod alicujus esset solatii.

(r) *Peregrinas*) Hic volunt arguti quidam videri; at alieno loco, uti quidem videtur: Puellari enim simplicitate & mollitia istud arbitror ab Ariadne dictum.

(s) *Ossa*) Dicit, se avibus laniatum iri.

(t) *Officiis*) *Erga te, Theseu.* Ironia est cum exprobratione.

(u) *Ibis*) Et istud cum maximo affectu, & invidia est conjunctum.

(x) *Saxea*) *Labyrinthum.*

Me

Me quoque narrato sola tellure relictam.
(y) Non ego sum titulis surripienda tuis.
(z) Nec pater est Ægeus; nec tu (a) Pittheidos Æthræ
Filius: auctores saxa fretumque tui.
(b) Di facerent, ut me summa de puppe videres!
(c) Movisset vultus mœsta figura tuos.
Nunc quoque non oculis, sed, qua potes, aspice mente
Hærentem scopulo, quem vaga pulsat aqua.
Aspice demissos lugentis in ore capillos;
Et tunicas lacrymis, sicut ab imbre, graves.
Corpus, ut impulsæ segetes Aquilonibus, (d) horret:
Litteraque (e) articulo pressa tremente labat.
Non te per meritum, quoniam (f) male cessit, (g) adoro.
Debita sit (h) facto gratia nulla meo:
Sed nec pœna quidem: si non ego causa salutis,
Non tamen est, cur sis tu mihi causa necis.
Has tibi, plangendo lugubria pectora, lassas
Infelix tendo trans freta longa manus.
Hos tibi, (i) qui superant, ostendo mœsta capillos.
Per lacrymas oro, quas tua (k) facta movent:
(l) Flecte ratem, Theseu; versoque relabere vento.
Si prius occidero; tu tamen ossa (m) feres.

INTERPRETATIO.

refer me quoque destitutam in terra deserta. Ego non sum dissimulanda tuis elogiis. Nec pater est Ægeus, nec tu filius Æthræ Pittheidos: Scopuli & mare sunt tui parentes. Utinam Dii præstarent, ut me aspiceres de suprema puppe! tristis species flexisses tuos oculos. Nunc etiam intuere non oculis, sed animo, quo tibi licet, stantem scopulo, cui aqua incerta obstrepit. Cerne comam sparsam per vultus mœrentis: & vestes ponderosas lacrymis, tanquam a pluvia. Corpus tremit ut segetes actæ Borea: & littera signata digito trepidante vacillat. Non te precor per beneficium quandoquidem male cessit: gratia nulla sit debita officio meo. Sed nec malum quidem: si ego non fui causa salutis, non est tamen, cur tu sis mihi causa mortis. Misera porrigo tibi trans vasta maria manus defessas tundendo mœsta pectora. Tristis exhibeo hos capillos qui supersunt. Rogo per lacrymas quas tua facinora eliciunt, converte navem, Theseu; & revertere, vento mutato. Si prius occubuero; tu tamen colliges ossa.

NOTÆ.

(y) *Non ego*) Vehemens est Ironia.

(z) *Nec pater*) Jam aperte indignationem prodit.

(a) *Pittheidos*) Pittheus Æthræ pater fuit.

(b) *Di facerent*) *Utinam* adde: Deinde *fecissent* pro *facerent* intellige.

(c) *Movisset*) Certe; nam ipsa ejus verba movent.

(d) *Horret*) Frigore, timore, dolore.

(e) *Articulo*) *Digito*.

(f) *Male cessit*) Male enim beneficia in Theseum ingratum collocaverat.

(g) *Adoro*) Refertur verbum istud ad sequens, versu epistolæ penultimo; *flecte*. *Flecte ratem*, &c.

(h) *Facto*) *Beneficio, quo te ex labyrinthi erroribus, extraxi.*

(i) *Qui sup:rant*) *Nam cæteros avulsi.*

(k) *Facta*) *Crudelia*, scilicet; qui solam destituit. Sed vis quædam latet in voce *tua*.

(l) *Flecte*) *Ad me converte.*

(m) *Feres*) Alii habent *leges*; Illa vero non periit, ut videtur metuere; fuit enim postea Bacchi uxor, & translata in cœlum, ut jam supra vidimus. Quanquam alia fabulantur alii.

EPISTOLA UNDECIMA:

ARGUMENTUM.

Macareus & Canace, Æoli regis ventorum filii, cum turpiter se amarent; & consanguinitatis prætextu culpam tegentes concumberent, Canace filium peperit: quem cum clam e regia per nutricem emitteret, ut aleretur, infelix infans suo vagitu se avo prodidit. Qui filiorum incensus scelere: innocuum infantem jussit canibus exponi: & per satellitem Canacæ gladium misit, quo illa pro meritis uteretur; & se interfecisse creditur. Sed priusquam moreretur, Macareo, qui jam in templum Appollinis Delphici confugerat, hac epistola casum suum narravit, orans, ut expositi infantis ossa legat, & una cum suis urna componat.

CANACE MACAREO.

(*a*) SI (*b*) qua tamen (*c*) cæcis errabunt scripta lituris;
(*d*) Oblitus a dominæ cæde libellus erit.
Dextra tenet calamum; strictum tenet altera ferrum.
Et jacet in gremio charta (*e*) soluta meo.
Hæc est (*f*) Æolidos fratri, scribentis imago:
(*g*) Sic videor duro posse placere patri.
Ipse necis cuperem nostræ spectator adesset;
(*h*) Auctorisque oculis exigeretur (*i*) opus.
Ut ferus est, multoque suis truculentior Euris,
(*k*) Spectaret siccis vulnera nostra (*l*) genis.
(*m*) Scilicet est aliquid, cum sævis vivere ventis:
Ingenio (*n*) populi convenit ille sui.

INTERPRETATIO.

SI tamen aliqua scripta depravata erunt obscuris lituris; libellus erit deletus a nece Dominæ. Dextra movet stylum; altera habet gladium nudatum; & charta est explicita in sinu meo. Hæc est species Æolidos scribentis fratri: sic videor placere posse patri sævo. Optarem ipse adstaret testis mortis nostræ; & opus perficeretur in conspectu auctoris. Ut sævus est & multo terribilior suis Euris, vidisset plagas nostras oculis aridis. Nempe est aliquid vitam agere cum ventis asperis: ille respondet ingenio populi sui.

NOTÆ.

(a) *Si qua tamen*) Propter istud *tamen* putaverunt nonnulli, interpolatoris sequentes duos versus huic epistolæ initium facere.

Æolis Æolida, quam non habet ipsa, salutem
Mittit, & armata verba notata manu.

Frustra vero illi: nam, ut Æoli filiam sic morientem decebat, principio abrupto usa est Canace, ita ut sensus, non verba supplenda sint. Quis vero sensus fuerit spurii illi duo versus declarant.

(b) *Qua*) *Si quæ epistolæ meæ partes*,

(c) *Cæcis*) Quæ vix legi possunt.

(d) *Oblitus*) Id est, *In culpa erit cædes Dominæ, quod epistola lituris oblita.*

(e) *Soluta*) *Explicata.*

(f) *Æolidos*) De seipsa Canace, Æoli filia, loquitur.

(g) *Sic*) *Ense ad meam necem parato.* Patris arguit crudelitatem.

(h) *Auctoris*) *Patris*, scili. qui ensem, quo se ipsa interficeret per satellitem miserat.

(i) *Opus*) *Cædes mea.*

(k) *Spectaret*) Alii habent *spectasset.*

(l) *Genis*) *Oculis*: Ut supra in Ariadne.

(m) *Scilicet*) Reddit rationem cur sævus sit pater. Sed latet quædã indignatio & Ironia.

(n) *Populi*) *Venti.*

Ille

Ille *(o)* Noto *(p)* Zephiroque, & *(q)* Sithonio Aquiloni
Imperat, & *(r)* pennis, *(ſ)* Eure proterve, tuis.
Imperat (heu!) ventis; *(t)* tumidæ non *(u)* imperat iræ.
(x) Poſſidet & vitiis regna minora ſuis.
Quid juvat *(y)* admotam per *(z)* avorum nomina cælo
Inter cognatos poſſe referre Jovem?
Num minus infeſtum funebria munera *(a)* ferrum
Fœminea teneo, non mea tela, manu?
O utinam, Macareu, quæ nos commiſit in unum,
Veniſſet *(b)* leto ſerior hora meo!
Cur unquam plus me, frater, quam frater amaſti?
Et tibi, non debet quod ſoror eſſe, fui?
Ipſa quoque *(c)* incalui: qualemque audire ſolebam,
(d) Neſcio quem ſenſi corde tepente *(e)* Deum.
(ſ) Fugerat ore color: macies *(g)* adduxerat artus.
Sumebant minimos ora *(h)* coacta cibos.

INTERPRETATIO.

Ille imperium tenet in Auſtrum & Favonium & Borean Thracium, & pennas tuas, ſubſolane procax. (Heu!) temperat ventos, non temperat iram ferventem: Et habet regna minora ſuis vitiis. Quid prodeſt ſublatam cælo per nomina avorum poſſe annumerare Jovem inter conſanguineos? Anne minus tracto fœminea dextera gladium odioſum, dona funeſta, arma mihi non apta? O utinam, Macareu, hora quæ nos coegit in unum adveniſſet tardior morte mea! Quamobrem frater amaſti me unquam plus quam frater? Et tibi fui quod germana non debet eſſe? Ipſa quoque ſum incenſa; & ſum experta neſcio quem Deum pectore tepido, qualem conſueveram audire. Color exceſſerat facies: macies contraxerat membra: ora invita capiebant minimum alimentum.

NOTÆ.

(o) *Noto*) Vento a meridie flanti.
(p) *Zephiroque*) Ab occaſu.
(q) *Sithonio*) *Threicio*, a Sithone monte Thraciæ; quæ Græciæ & Italiæ reſpectu, ad Septentrionem vergit; Unde Aquilo ſeu Boreas flatus emittit.
(r) *Pennis*) Alati enim leves ventis finguntur.
(ſ) *Eure*) Flat Eurus ab ortu.
(t) *Tumidæ*) Quæ adeo ventis furentibus eſt ſævior.
(u) *Imperat*) Jam aperte Canaces dolor arumpit.
(x) *Poſſidet*) *Ventos, quibus imperat; pater aſperitate & ſævitia ſuperat.*
(y) *Admotam cælo*) Vide, quæſo, quomodo granditatem rebus per verba Poeta tribuat. Solemus nos dicere Gallice, *Il eſt deſcendu de la race des Dieux*, & ſimilia. Vulgo loquimur; at tanta non eſt dignitas.
(z) *Avorum*) Jam videtur vox iſta in numero plurali rei dignitatem, ut verſus numerum, addere: quod contra eſt, nam quo propior Jovem Poeta Canacen poſuiſſet, eo majorem feciſſet. Potuit autem, ſiquidem, ut quibuſdam placitum, Jupiter pater fuit Æoli. At, ne quid temere in Poetam ſcripſiſſe videar, ſciendum, quod obſcurum valde, & parum cognitum ſit genus Æoli, diverſiſſimaque de eo ſcripſerint Mythologi. Ex quo Poetæ opus fuerit forte longa avorum & atavorum ſerie, non modo a materna ſed & paterna parte, ut Canacen uſque ad Jovem attolleret.
(a) *Ferrum*) *Gladium, quem pater miſit.*
(b) *Leto ſerior*) Id eſt, *numquam veniſſet, quæ leti cauſa.*
(c) *Incalui*) *Amore incenſa fui.*
(d) *Neſcio quem*) *Qui ante incognitus fuerat*
(e) *Deum*) *Cupidinem.*
(f) *Fugerat*) Pallent enim amantes.
(g) *Adduxerat*) *Contraxerat; Corrugaverat; Attenuaverat.*
(h) *Coacta*) Amore: qui cibi tollit appetentiam.

Nec

Nec somni faciles, & nox erat (*i*) annua nobis:
  Et gemitum nullo læsa dolore dabam.
Nec cur hæc facerem, poteram mihi reddere caussam.
  Nec noram, quid amans esset: at illud eram.
Prima malum nutrix animo præsensit anili:
  Prima mihi nutrix, *Æoli*, dixit, *amas*.
Erubui, gremioque pudor (*k*) dejecit ocellos:
  Hæc satis (*l*) in tacita signa fatentis erant.
Jamque (*m*) tumescebant vitiati pondera ventris,
  Ægraque (*n*) furtivum membra gravabat (*o*) onus.
Quas mihi non herbas, quæ non medicamina nutrix
  Attulit, (*p*) audaci (*q*) supposuitque manu?
Ut penitus nostris (hoc te celavimus (*r*) unum)
  Visceribus crescens excuteretur onus.
Ah! nimium vivax admotis restitit infans
  (*s*) Artibus; & tectus tutus ab (*t*) hoste fuit.
Jam novies erat orta (*u*) soror pulcherrima Phœbi;
  Denaque luciferos Luna movebat equos.
Nescia quæ faceret subitos mihi causa dolores,
  Et rudis ad partus, & nova miles eram.
Nec tenui vocem. *Quid*, ait, *tua crimina prodis?*
  Oraque clamantis conscia pressit anus.

INTERPRETATIO.

Nec somni leves, & nox erat nobis longissima: & gemebam nullo dolore pressa. Nec poteram mihi indicare causam cur hæc agerem: nec cognoveram, quid esset amans: at illud eram. Nutrix prima subodorata est malum mente anili; nutrix prima mihi dixit, Æoli amas. *Pudore suffusa sum, & pudor demisit oculos in sinum. Hæc indicia in silente erant confitenti. Jamque onera uteri emerati turgescebant; & sarcina secreta impediebat artus morbidos. Quas herbas, quæ medicamenta non mihi exhibuit nutrix, & subjecit manu temeraria, ut pondus adolescens prorsus dejiceretur nostris præcordiis? (tibi occultavimus hoc unum) Ah! fœtus nimium vivax, fuit firmus adversus medicamina adhibita, & fuit defensus & securus ab hoste. Jam soror formosissima Phœbi erat renovata novies, & luna decima agebat equos luciferos. Ignorabam quæ mihi esset causa* dolorum *subitaneorum, & eram imperita ad partus, & miles novitia. Nec compescui vocem.* Quamobrem, *anus inquit,* tua profers flagitia? *Et particeps flagitii obstruxit ora exclamantis.*

NOTÆ.

(i) *Annua*) *Nox una, præ tædio & amoris impatientia, annus videatur.*

(k) *Dejecit*) Pudoris proprium.

(l) *In tacita*) Id est, *licet tacerem, hæc satis indicabant me amorem meum confiteri.*

(m) *Tumescebant*) Ventremque adeò tumidum efficiebant.

(n) *Furtivum*) Furto, stuproque conceptum.

(o) *Onus*) Puer, quem utero gestabat.

(p) *Audaci*) Ut quæ facinus admittebat.

(q) *Supposuitque*) *Utero ad excutiendum fœtum apposuit.*

(r) *Unum*) Refertur ad *hoc*.

(s) *Artibus*) *Medicaminibus*.

(t) *Hoste*) *Anu*, scil. quæ illum medicinis quæsivit interficere.

(u) *Soror*) *Luna, Novus mensis lunaris præterierat.*

Quid

Quid (*x*) faciam infelix? gemitus dolor edere cogit?
Sed timor, & nutrix, & pudor ipſe, vetant.
Continuo gemitus, elapſaque verba (*y*) reprendo:
Et cogor lacrymas combibere ipſa meas.
Mors erat ante oculos; & opem (*z*) Lucina (*a*) negabat:
Et grave, ſi morerer, (*b*) mors quoque crimen erat.
Cum ſuperincumbens, (*c*) ſciſſa tunicaque comaque,
(*d*) Preſſa refoviſti pectora noſtra (*e*) tuis.
Et mihi, *Vive ſoror? ſoror o cariſſima*, dixti,
Vive; nec unius corpore perde (*f*) *duos*.
Spes bona det vires: fratri nam nupta futura es.
Illius, es (*g*) *de quo mater, & uxor eris.*
Mortua (crede mihi) tamen ad tua verba revixi:
Et poſitum eſt uteri crimen onuſque mei.
(*h*) Quid tibi grataris? media (*i*) ſedet Æolus aula:
Crimina ſunt oculis ſurripienda patris.
(*k*) Frugibus infantem, ramiſque albentis olivæ,
Et levibus (*l*) vittis ſedula celat anus;
Fictaque ſacra facit, (*m*) dicitque precantia verba.
(*n*) Dat populus ſacris, dat pater ipſe, viam,

INTERPRETATIO.

Quid agam miſera? Dolor ſubigit gemere: ſed metus, & nutrix & ipſe pudor prohibent. Protinus reprimo gemitus & voces quæ exciderant: & cogor ipſa abſorbere meas lacrymas. Mors erat præ oculis: & Lucina recuſabat auxilium: & obitus erat etiam ſcelus atrox, ſi fato fungerer. Cum ſuper ſtratus veſtibus & capillis laniatis recale feciſti noſtra pectora fota tuis. Et mihi dixiſti, Vive o ſoror, o ſoror dilectiſſima vive: nec interfice duos corpore unius. Bona ſpes ſufficiat vires: nam futura es uxor fratris. Eris conjux illius de quo es mater. *Defuncta (crede mihi) tamen excitata ſum ad tua verba: & crimen & pondus alvi mea eſt depoſitum. Quamobrem tibi gratularis? Æolus regnat media aula. Flagitia ſunt ſubtrahenda oculis patris. An ut diligens occultat infantem frugibus & frondibus olivæ canentis, & faſciis levibus: & operatur ſacris ſimulatis, & profert verba orantia. Populus cedit via ſacris, ipſe pater cedit.*

NOTÆ.

(x) *Faciam*) Pro *facerem*.

(y) *Reprendo*) *Reprimo*.

(z) *Lucina*) *Juno*: Quæ parturientibus adeſſe ſolet.

(a) *Negabat*) *Fœtum emittere non poteram.*

(b) *Mors quoque*) Quia crimine accelerata.

(c) *Sciſſa*) Ex dolore, quod ſororem ita laborantem videret.

(d) *Preſſa*) *Doloribus*, ſcil.

(e) *Tuis*) Dixit ipſum ſuperincubuiſſe. Solemus enim, quos amamus, in dolorum & mortis anguſtiis, benevolentiæ & amoris teſtificandi cauſa, ſolandi etiam, amplecti.

(f) *Duos*) *Te & filium*.

(g) *De quo*) *Cujus facto*. De ſeipſo Macareus loquitur.

(h) *Quid tibi*) Seipſam alloquitur; quæ, tanquam de bono aliquo, de partu ſuo viſa eſt loqui: cum pernicies ab Æoli crudelitate immineret.

(i) *Sedet*) *Qui otioſe omnia circumſpicit, omnibuſque providet.*

(k) *Frugibus*) Mola ſalſa; qua in ſacrificiis utebantur. Ut infantem auferret, ſimulavit anus ſe quæ ad rem ſacram faciendam requiſita eſſent, portare.

(l) *Vittis*) *Faſciis*, quibus victimæ coronabantur.

(m) *Dicitque precantia*) Hymnos & ſupplicationes.

(n) *Dat*) Id eſt, *Omnes loco & via cedunt: nec quiſquam anui affert impedimentum.*

Jam

Jam prope (*o*) limen erat: patrias (*p*) vagitus ad aures
Venit, & indicio proditur (*q*) ille suo.
Eripit infantem, (*r*) mentitaque sacra revelat
Æolus, insana regia voce sonat.
Ut mare (*ſ*) fit tremulum, tenui cum (*t*) stringitur aura;
Ut quatitur (*u*) tepido (*x*) fraxina virga noto;
Sic mea (*y*) vibrari pallentia membra videres.
Quassus ab imposito corpore lectus erat.
(*z*) Irruit; & nostrum vulgat clamore (*a*) pudorem:
Et vix a misero continet ore manus.
Ipsa nihil, præter lacrymas, pudibunda profudi:
Torpuerat gelido lingua retenta metu.
Jamque dari parvum canibusque avibusque nepotem
Jusserat; in solis destituique locis.
Vagitus dedit ille miser; sensisse putares:
Quaque suum poterat voce rogabat avum.
Quid mihi tunc animi credas, germane, fuisse;
(Nam potes ex animo colligere ipse tuo)
Cum mea me coram silvas (*b*) inimicus in altas
(*c*) Viscera montanis ferret edenda lupis?
(*d*) Exierat thalamo. tunc demum pectora plangi
Contigit, inque meas unguibus ire genas.

INTERPRETATIO.

Jam ad limen pervenerat: vagitus penetravit ad patris aures, & ille detegitur indicio suo. Æolus corripit infantem, & detegit sacra ficta, regia personat voce boante. Quemadmodum mare tremit, cum raditur vento levi; quemadmodum virgultum fraxineum pulsatur Austro calido; sic cerneres meos artus pallidos tremere. Cubile concutiebatur a superstrato corpore. Pater irrumpit & propalat clamore nostrum dedecus, & vix abstinet manus a facie infelici. Ego pudore suffusa nihil nisi lacrymas emisi: Lingua stupuerat repressa timore frigido. Jamque imperaverat tenerum nepotem projici canibus & avibus, & relinqui in locis desertis. Ille infelix edidit vagitus; crederes intellexisse: & orabat avum suum verbis quibus poterat. Quid putes, frater, fuisse tunc mihi animi, (nam potes ipse inferre ex ingenio tuo) cum in meo conspectu deferret præcordia mea in excelsas silvas devoranda a lupis montanis? Excesserat cubiculo: tunc denique concessum tundi pectora, & immittere ungues in meas genas.

NOTÆ.

(o) *Limen*) Ad regiæ portam pervenerat, qua egrederetur.
(p) *Vagitus*) *Pueruli clamor.*
(q) *Ille Infans.*
(r) *Mentita*) *Infantem ipsum*; quem sacra esse anus simulaverat.
(ſ) *Fit tremulum*) *Fremit & crispatur cum primulum vento agitatur.*
(t) *Stringitur*) *Leviter percutitur, & corrugatur.*
(u) *Tepido*) Quia spirat a meridie.
(x) *Fraxina*) Cujus folia tenuia & oblonga facile commoventur. *Fraxina* vero positum pro *fraxinea.*
(y) *Vibrari*) *Moveri, tremere.*
(z) *Irruit*) *In meum cubiculum intrat.*
(a) *Pudorem*) *Dedecus, infamiam.*
(b) *Inimicus*) Quivis ejus patris satelles, qui infantem in sylvas & loca sola deferret.
(c) *Viscera*) *Filium meum.*
(d) *Exierat*) *Pater*, scil.

In-

Interea patrius vultu mœrente satelles
Venit, & indignos edidit ore sonos:
(e) *Æolus hunc ensem mittit tibi:* (f) tradidit ensem:
Et jubet ex (g) *merito scire* (h) *quid iste velit*.
Scimus; & utemur violento fortiter ense:
Pectoribus (i) condam dona paterna meis.
His mea muneribus, genitor, connubia donas?
Hac tua dote, pater, filia dives erit?
Tolle procul decepte faces, (k) Hymenæe, maritas:
Et fuge (l) turbato tecta (m) nefanda pede.
Ferte (n) faces in me, quas fertis, (o) Erinnyes (p) atræ?
Ut meus ex (q) isto luceat igne rogus.
Nubite (r) felices (s) Parca (t) meliore sorores.
Admissi memores sed tamen este mei:
(u) Quid puer admisit (x) tam paucis editus horis?
Quo læsit facto, vix bene natus, avum?
(y) Si potuit meruisse necem meruisse putetur.
(z) Ah miser admisso plectitur ille meo.

INTERPRETATIO.

Interea minister patrius accedit vultu tristi, & emisit ore horrendas voces: Æolus mittit tibi hunc gladium: *porrexit gladium:* & imperat nosse ex merito quid iste significet: *Novimus: & utemur intrepide sævo gladio: abdam munera paterna meo cordi. Munerarisne pater his donis meum conjugium? Filia tua, pater, erit opulenta hac dote. Hymenæe elusæ, procul summove tædas nuptiales: & vita domum scelestam pede exterrito. Furiæ nigræ in me concutite faces quas geritis: ut rogus meus accendatur ex isto igne. Sorores beatæ nubite fato latiore, sed tamen memineritis mei facinoris. Quid puer patravit natus ante tam paucas horas? Quo facinore offendit avum, vix bene editus? Si potuit meruisse mortem, credatur meruisse. Ah ille infelix punitur ob factum meum!*

NOTÆ.

(e) *Æolus*) Verba sunt satellitis Æoli.
(f) *Tradidit ensem*) Verba Canaces.
(g) *Merito*) Per crimen, incestum scilicet.
(h) *Quid iste velit*) *Quid cum isto gladio sibi faciendum*.
(i) *Condam*) *Me eo interficiam*.
(k) *Hymenæe*) Deus nuptiarum preses.
(l) *Turbato*) *Celeri & præcipiti*. Mitonymia est antecedentis pro consequente.
(m) *Nefanda*) *Propter meum incestum*.
(n) *Faces*) Nuptiis adhiberi solitas, ut antea vidimus.
(o) *Erinnyes*) Furiæ, malefactorum ultrices Deæ.
(p) *Atræ*) Quia infernales.
(q) *Isto*) *Infernali; ex vestris facibus accenso*.
(r) *Felices*) Id est, *feliciter*.
(s) *Parca*) Ex Parcarum seu fatorum ordine omnia fieri Ethnici etiam crediderunt. Tres autem fuerunt Parcæ, Clotho, Lachesis, Atropos.
(t) *Meliore*) *Magis propitia*.
(u) *Quid puer*) Postquam de se statuit, ad infantem revertitur Canace; ejusque causa patrem arguit.
(x) *Tam paucis horis*) Id est, *Ante pauculas horas*. Gall. *Il y a si peu de tems*.
(y) *Si potuit*) Permissione hac insontem puerum esse ostendit: Nec fortiter negat hæc figura, & commiserationem movet.
(z) *Ah*) Commiserantis.

Na-

Nate, dolor matris, rapidarum præda ferarum,
(Hei mihi!) (a) natali dilacerate tuo:
Nate, parum fausti miserabile (b) pignus amoris;
Hæc tibi prima dies, hæc tibi summa fuit.
Non mihi te licuit lacrymis perfundere (c) justis:
In tua (d) non tonsas ferre sepulcra comas.
Non (e) superincubui: non oscula frigida carpsi.
Diripiunt avidæ viscera nostra feræ.
Ipsa quoque infantes (f) cum vulnere prosequar umbras;
(g) Nec mater fuero dicta, nec orba diu.
Tu tamen, o frustra miseræ (h) sperate sorori,
(i) Sparsa precor nati collige membra tui:
Et refer ad matrem, socioque impone sepulcro:
Urnaque nos habeat, quamlibet arcta duos:
Vive memor nostri, lacrymasque in vulnere funde.
Neve (k) reformida corpus amantis amans.
(l) Tu (rogo) (m) projectæ nimium mandata sororis
(n) Perfer. mandatis (o) perfruar ipsa patris.

INTERPRETATIO.

F
rli; dolor matris rapina ferarum avidarum (Hei mihi!) discerpte tuo die *natali: fili, pignus flebile amoris infelicis; hæc fuit tibi prima lux, hæc tibi fuit ultima. Non mihi fuit concessum te irrorare justis lacrymis, non immittere in tuos rogos capillos a̲d sectos. Non me superimmisi: non sumsi oscula gelida: feræ rapidæ dilaniant nostra præcordia. Ipsa quoque comitabor umbras infantes cum vulnere: nec dicta fuero diu mater, nec orba. Tu tamen e incassum sperate infelici sorori, collige artus dissitos filii tui; & eos reporta ad matrem, & imè mitte tumulo communi; & urna quantumvis parva capiat nos duos. Vive memor nostri, & effunde lacrymas in plagam; neve metue amans corpus amantis. Tu (queso) perfice jussa sororis nimium infelicis, ipsa exequar imperata patris.*

NOTÆ.

(a) *Natali*) *Die*, scilicet.

(b) *Pignus amoris*) Hinc liberi *Pignora* simpliciter dicuntur.

(c) *Justis*) Quæ cum justo mortuo persolvuntur. in exequiis effunduntur.

(d) *Non tonsas*) Hubertinus has duas voces conjunctim legit. Non bene, credo. Optime Micyllus *non* refert ad *licuit*; deinde *tonsas* simpliciter intelligit comas; quas funerali more etiam condere, & in rogum, aut sepulcrum mittere, in gravi funere mulieres solebant.

(e) *Superincubui*) Parentes enim, ex effectu, matres præsertim, cadavera etiam liberorum solent amplecti & osculari.

(f) *Cum vulnere*) id est, *per vulnus quod mihi gladio infligam.*

(g) *Nec mater*) *Quia mortuus est filius, & ipsa jam jam moriar.*

(h) *Sperate*) In matrimonium, scil.

(i) *Sparsa*) *A canibus & lupis huc illuc distracta.*

(k) *Reformida*) Quanquam ipsa mortuum cadaver exhorruisset.

(l) *Tu rogo*) Totum hoc distichon a manu secunda in Puteaneo codice, optime interpolatorum esse, & elegantia Ovidiana indignum censuit clarissimus Heinsius.

(m) *Projecta*) *Infelicis & abjecta.*

(n) *Perfer*) *Perfice.*

(o) *Perfruar*) *Quod imperavit pater efficiam.*

EPI.

EPISTOLA DUODECIMA.

ARGUMENTUM.

Jason cum primum Colchon attigit, a Medea, Æeta Colchorum regis & Hecates filia, receptus est & amatus: interpositaque conjugii sponsione, illum edocuit, quonam pacto ad optatam praeveniret prædam. Aureo igitur vellere rapto, clam cum Medea fugam arripuit. Quos cum insequeretur Æeta, illa Absyrti fratris, quem secum ducebat, occisi membra dispersit: ut ita patrem ossa filii legentem, moraretur, & sic incolumes in Thessaliam tandem devenerunt: ubi Æsonem Jasonis patrem, annis jam decrepitum; ad viridem ætatem reduxit. Jason dein Medeam repudiavit: & Creusam, Creontis regis Corinthiorum filiam, uxorem assumpsit. Furibunda igitur Medea ad Jasonem scripsit, iratum ejus animum accusat, præsentemque ultionem, nisi recipiatur, interminatur.

MEDEA JASONI.

(a) AT tibi (b) Colchorum (memini) (c) regina (d) vacari;
(e) Ars mea, cum peteres, ut tibi ferret (f) opem.
(g) Tunc quæ (h) dispensant mortalia (i) fila, (k) sorores
Debuerant fusos (l) evoluisse meos.
Tunc potui Medea mori (m) bene. quicquid ab illo
Produxi vitæ tempore, (n) pœna fuit.
Hei mihi! cur unquam juvenilibus (o) acta lacertis
(p) Phryxeam petiit (q) Pelias (r) arbor ovem?

INTERPRETATIO.

AT, (memini) ego regina Colchorum tibi operam præstiti, cum rogares, ut ars mea tibi auxilium præberet. Tunc sorores, quæ dividunt fila mortalia, debuerant exhausisse fusos meos. Tunc potui Medea bene fato fungi: quidquid protraxi vitæ ab illo tempore fuit supplicium. Hei mihi! quamobrem navis Pelias impulsa brachiis juvenilibus expetivit vellus Phryxeum.

NOTÆ.

(a) *At* Admirantis est simul & indignantis. Principio vero utitur abrupto, ubi multa subintelligenda sunt, majoris affectus declarandi causa.

(b) *Colchorum*) Colchi populi sunt Ponti Euxini, ab ortu, accolæ.

(c) *Regina*) Quippe Æeta Colchorum regis filia.

(d) *Vacavi*) *Operam præstiti; inservivi.*

(e) *Ars*) *Magica.* Veneficiis vero Medea notissima.

(f) *Opem*) In tollendo vellere aureo omnibusque, quibus septum erat illud inceptum, superandis difficultatibus.

(g) *Tunc*) *Cum primum opem meam petiisti.*

(h) *Dispensant*) *Cuique vitæ modum & mensuram assignant.*

(l) *Fila*) Tres parcas fatale exercere lanificium, earumque primam stamen ducere, alteram fusum versare, tertiam filum abrumpere, ex fabulis notissimum. Quanquam varie hæc omnia fingunt Poetæ.

(k) *Sorores*) Parcæ.

(i) *Evoluisse*) Id est, *Vita mea finem imposuisse.*

(m) *Bene*) *Quia felix & honesta ad illud tempus fueram.*

(n) *Pœna*) *Nam per criminum omnia genera, curasque & dolores, vitam traduxi.*

(o) *Acta*) *Impulsa.*

(p) *Phryxeam*) *Vellus aureum;* quod Marti Phryxus appendit.

(q) *Pelias*) *Thessalica,* a Pelio monte Thessaliæ, ubi decisæ arbores, ex quibus Argo navis fabricata est. Muliebri vero more malorum suorum causam Medea longe repetit.

(r) *Arbor*) Pro navi, qua in Colchos vecti sunt Argonautæ.

Cur

Cur unquam Colchi (ſ) Magnetida vidimus Argo;
(t) Turbaque (u) Phaſiacam Graja (x) bibiſtis aquam?
Cur mihi (y) plus æquo (z) flavi placuere capilli;
Et decor, & (a) linguæ gratia ficta tuæ?
Aut (ſemel in noſtras quoniam (b) nova puppis arenas
Venerat, audaces attuleratque viros)
Iſſet (c) anhelatos non (d) præmedicatus in ignes
(e) Immemor (f) Æſonides, (g) oraque adunca boum;
(h) Semina jeciſſet; totidem ſenſiſſet & (i) hoſtes;
(k) Ut caderetcultucultor ab ipſe ſuo.
Quantum perfidiæ tecum, ſcelerate, perisset!
Demta forent capiti quam mala multa meo!
Eſt aliqua ingrato meritum exprobare voluptas.
(l) Hac fruar: hæc de te gaudia ſola feram.
(m) Juſsus (n) inexpertam Colchos advertere puppim.
Intraſti patriæ regna (o) beata meæ.

INTERPRETATIO.

Cur unquam Colchi aſpeximus Argo Magnetida; & agmen Græcum potaſtis aquam Phaſiacam? Quamobrem coma flava & forma & lepos ſimulatus linguæ tuæ arriſerunt mihi plus juſto? Aut (quando quidem nova navis ſemel appulerat noſtris littoribus, & advexerat viros temerarios) ingratus Æſonides deſcendiſſet nullis medicamentis præmunitus in ignes efflatos, & ora recurva boum. Sparſiſſet ſemina; & expertus eſſet totidem hoſtes, ut ipſe agricola interiret ab agricultura ſua. Quantum perfidiæ tecum interiiſſet, ſceleſte! Quam multa mala ſubtracta eſſent meo capiti! Eſt aliqua ſuavitas objicere beneficium immemori. Hac gaudebo; conſequor de te hanc ſolam voluptatem. Coactus Colchos dirigere eandem navem, ſubiiſti regna felicia patriæ meæ.

NOTÆ.

(ſ) *Magnetida*) *Theſſalicam*; a Magneſia, regiuncula Theſſaliæ, in qua mons Pelius; niſi quod verius illam huic conterminam dixeris.

(t) *Turba*) Argonautæ.

(u) *Phaſiacam*) *Colchicam*; a Phaſi, Colchorum fluvio.

(x) *Bibiſtis*) Id eſt, *Cur veniſtis?* Vim majorem habet interrogatorio, quam ſi dixiſſet ſimpliciter, ſe optare ut nunquam Argonautæ Colchos vidiſſent.

(y) *Plus æquo*) *Ut tui cauſa patrem prodiderim, aliaque multa patraverim.*

(z) *Flavi*) Qui etiam nunc ſunt in pretio. *Blonds.*

(a) *Lingua*, Dicit, Jaſonem mellita verba, orationemque bene comtam, dolo malo, ut ipſam caperet, quæſiviſſe: non ex animo nec vera gratia locutum eſſe.

(b) *Nova*) Cui ſimilem nunquam viderant. Quanquam Ovidius, aliique, primam Argo navem fuiſſe voluerunt.

(c) *Anhelatos*) *Ex taurorum Ahenipedum naribus emiſſos.*

(d) *Præmedicatus*) Venenis Medea Jaſonem inſtruxerat, ne in ſubigendis Tauris ab ipſis læderetur. De quibus omnibus ſupra in Hypſipyle.

(e) *Immemor*) *Beneficiorum a me acceptorum*, ſcil. *Ingratus.*

(f) *Æſonides*) *Jaſon*, Æſonis, Theſſaliæ regis filius.

(g) *Ora adunca*) Propter cornua.

(h) *Semina*) *Dentes ſerpentis.*

(i) *Hoſtes*) Qui ex jactis ſeminibus nati ſunt.

(k) *Ut caderet*) *Ut Jaſſon, qui tanquam agricola dentes Serpentis in terram miſiſſet, ab hoſtibus armatis, qui ex illo ſemine naſcerentur, interficeretur.*

(l) *Hac*) *Exprobrandi*, ſcil. *beneficia.*

(m) *Juſſus*) *A Pelia patruo tuo.*

(n) *Inexpertam*) Navi tribuit quod nautis referendum.

(o) *Beata Ditia.*

Hoc

Hoc illic Medea fui, *(p)* nova nupta quod *(q)* hic est.
Quam pater est illi, tam mihi dives erat.
Hic *(r)*Ephyren*(s)* bimarem;*(t)* Scythia *(u)*tenus *(x)* ille *(y)* nivosa
Omne tenet, *(z)* Ponti qua plaga læva jacet.
Accipit hospitio *(a)* juvenes Æeta Pelasgos,
Et *(b)* premitis pictos corpora Graja toros.
Tunc ego te vidi: tunc cœpi scire quid esses.
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Ut vidi, ut perii; *(c)* nec notis ignibus arsi.
(d) Ardet ut ad magnos pinea tæda Deos.
Et formosus eras, & me mea *(e)* fata trahebant.
(f) Abstulerant *(g)* oculi lumina nostra tui.
Perfide, *(h)* sensisti. quis enim bene celat amorem?
(i) Eminet indicio prodita flamma suo.
Dicitur interea tibi *(k)* lex; ut *(l)* dura ferorum
Insolito premeres *(m)* vomere colla boum.

INTERPRETATIO.

Ego *Medea illic id fui, quod nova nupta est hic. Pater erat mihi tam opulentus, quam pater est illi. Hic imperium habet in Ephiren bimarem; ille in omnem partem Scythiæ nivalis qua regio sinistra Ponti porrigitur. Æeta excipit hospitio juvenes Pelasgos; & vos; Greci, discumbitis lectis pictis; Tum ego te aspexi, tunc primum cognovi quid esses: illa prima fuit pernicies animi mei. Ut aspexi, ut interii, nec incensa sum flammis cognitis!.* Incensa sum *tanquam tæda pinea flagrat ad magnos Deos. Et pulcher eras & fata mea me cogebant. Oculi tui rapuerant nostros oculos. Perfide advertisti: quis enim bene tegit amorem? Flamma apparet manifesta suo indicio. Interea conditio tibi proponitur, ut urgeres fortes cervices boum ferocium vomere inassueto.*

NOTÆ.

(p) *Nova nupta*) *Creusa*: de qua in argumento.

(q) *Hic*) Creon, Creusæ pater.

(r) *Ephyren*) Corinthus est, cui primo illud nomen datum.

(s) *Bimarem*) Quia est inter duo maria.

(t) *Scythia*) Alii habent *Scythiæ latus illa nivosa*. De Scythis jam antea diximus, qui populi fuerunt Asiæ, itemque Europæ.

(u) *Tenus*) Id est, *Usque ad Scythiam*.

(x) *Ille*) *Pater meus*.

(y) *Nivosa*) *Frigida*; quia multum ad Septentrionem vergit.

(z) *Ponti*) *Maris Euxini*.

(a) *Juvenes*) *Argonautas*, *Græcos*.

(b) *Premitis*) *Discumbitis in lectis, tapetibus ornatis*.

(c) *Nec notis*) Id est, *maximis*: nisi forte indicat tantum, se antea non amasse.

(d) *Ardet*) *Arsi, ut tæda ardet*.

(e) *Fata trabeb.*) Dicit se, & Jasonis elegantia, & fato suo ad ipsum amandum compulsam fuisse.

(f) *Abstulerant*) Id est, *Nisi te, nihil amplius videre poteram*. Quod maximum est indicium amoris.

(g) *Oculi*) In illis vero vis multa est ad provocandum amorem.

(h) *Sensisti*) *Me amore teneri*.

(i) *Eminet*) *Apparet*.

(k) *Lex*) Qua vellus aureum tollendum erat.

(l) *Dura*) *Ferocia, minusque jugo assueta*.

(m) *Vomere*) Non equidem vomere, sed jugo premuntur colla boum; nisi quod jugo aratrum, cujus vomer pars est, alligatur.

((*n*) Martis erant tauri plus, quam per cornua, sævi;
Quorum terribilis (*o*) spiritus ignis erat.)
Ære (*p*) pedes solidi, prætentaque naribus æra:
Nigra per afflatus hæc quoque facta suos.
(*q*) Semina præterea (*r*) populos genitura juberis
Spargere (*ſ*) devota lata per arva manu,
(*t*) Qui peterent (*u*) secum natis tua corpora telis.
Illa est agricolæ (*x*) messis iniqua suo.
(*y*) Lumina custodis succumbere nescia somno
Ultimus est aliqua (*z*) decipere arte labor.
(*a*) Dixerat Æetes. (*b*) mœsti consurgitis omnes:
Mensaque purpureos (*c*) deserit alta toros.
(*d*) Quam tibi nunc (*e*) longe regnum dotale Creusæ,
Et socer, &: (*f*) magni nata Creontis erant?
Tristis abis: (*g*) oculis abeuntem prosequor udis:
Et dixit tenui murmure lingua, *Vale*.
Ut positum tetigi thalamo (*h*) male (*i*) saucia lectum;
(*k*) Acta est per lacrymas nox mihi, quanta fuit.

INTERPRETATIO.

Tauri erant Martis magis terribiles quam per cornua, quorum flatus erat flamma formidabilis. Pedes duri ære, & æra inducta naribus; hæc quoque facta atra per halitus suos. Imperaris insuper sucere manu consecrata per vastos agros semina emissura populos, qui inveherentur in tua membra jaculis secum ortis. Illa messis parum favet suo cultori. Labor postremus est fallere aliquo dolo oculos custodis fugientes superari a somno. Absolverat Æetes. Omnes prorumpitis: & mensa sublimis destituit lectos purpureos. Quam procul tibi erant tunc & regnum dotale Creusa & filia magni Creontis? Mœstus recedis. Comitor discedentem oculis humidis: & lingua dixit levi murmure, Vale. *Postquam male vulnerata pressi torum admotum cubiculo; nox, quam longa fuit, est mihi præterita per fletus.*

NOTÆ.

(n) *Martis*) Hoc distichon Heinsio, Ovidianæ venæ esse non videtur. Videtur equidem: quomodo tamen ex textu tolli possit, non video.

(o) *Spiritus*) *Halitus*. Ore flammam emittebant.

(p) *Pedes*) *Ungula*, scilicet.

(q) *Semina*) *Dentes serpentis*.

(r) *Populos*) *Homines armatos*. De quibus in Hypsipyle.

(ſ) *Devota*) *Quæ se huic fato devoveret*. Ita optime Hubertinus. Quo sensu *devoti* dicuntur, qui se in medios hostes, vel ineluctabile discrimen præcipitant.

(t) *Qui peterent*) *Qui in te irruerent*.

(u) *Secum natis*) Armati illi ex terra prodiisse dicuntur.

(x) *Messis*) Segetem intellige.

(y) *Lumina custodis*) *Oculos draconis pervigilis, qui vellus aureum custodiebat*.

(z) *Decipere*) *Sopire*, puta.

(a) *Dixerat*) *Omnia proposuerat quæ prius absolvenda essent, quam vellus aureum avelleres*.

(b) *Mœsti*) Quod impossibilia crederent quæ imperabantur.

(c) *Deserit*) Remota est mensa, postquam Argonautæ surrexissent.

(d) *Quam tibi*) Quam vero apposite jam istud internectit.

(e) *Longe*) *De iis minimam cogitabas*.

(f) *Magni*) Ex Jasonis ingenio loquitur *Je crois qu' alors la Grandeur de vostre beau-pere ne vous occupoit gueres l'esprit*.

(g) *Oculis*) Egregie amorem suum declarat.

(h) *Male*) *In perniciem meam*.

(i) *Saucia*) *Amore incensa*.

(k) *Acta*) *Per totam noctem lacrymavi*.

Ante oculos *(l)* taurique meos, segetesque nefandæ;
Ante meos oculos pervigil anguis erat.
Hinc amor, hinc timor est. ipsum *(m)* timor auget amorem.
(n) Mane erat, & thalamo chara recepta soror;
Disjectamque comas aversaque in ora *(o)* jacentem
Invenit, & lacrymis omnia plena meis.
(p) Orat opem *(q)* Minyis: petit altera, & * altera habebit.
(r) Æsonio juveni, quod rogat illa, damus.
(ſ) Est nemus & *(t)* piceis & frondibus *(u)* ilicis atrum:
Vix illuc radiis solis adire licet.
Sunt in eo, fuerantque diu, *(x)* delubra Dianæ:
Aurea barbarica stat *(y)* Dea facta manu.
(z) Nescio an exciderint mecum loca. venimus illuc.
Orsus es infido sic prior ore loqui.
Jus tibi & arbitrium nostræ Fortuna salutis
Tradidit: inque tua vitaque morsque manu.
(a) Perdere posse sat est; si quem juvet ipsa potestas.
Sed tibi servatus gloria major ero.

INTERPRETATIO.

Et Tauri & segetes infandæ oculis obversabantur; *draco pervigil erat præ oculis meis. Ex una parte est amor, ex altera metus: amor crescit ipso metu. Mane erat & dilecta soror admissa in cubiculum* me *comperit & sparsam capillos & cubantem in faciem aversam, & omnia redundantia lacrymis meis. Rogat auxilium Minyis. Altera rogat & altera habebit: Concedimus quod illa petit Juveni Æsonio. Est nemus obscurum & piceis, & ramis Ilicis; vix conceditur radiis Solis illuc intrare. Stant in eo, & diu steterant templa Dianæ: Dea aurea erecta est facta manu barbarica. Haud scio an locorum oblitus fueris sicuti mei. Illuc accessimus: sic primus cœpisti loqui ore perfido. Fortuna tibi obtulit jus & potestatem nostræ salutis, & vita & mors* est *in tua manu. Abunde est posse opprimere; si quis delectatur ipsa potestate. Sed liberatus, ero tibi laus major.*

NOTÆ.

(l) *Taurique) A quibus tibi metuebam.*

(m) *Timor auget)* Verissimum, & diligenter notandum. Sese invicem acuunt & augent affectus: imo inter se commutantur.

(n) *Mane erat) Postquam matutinum tempus advenisset, Chalciope soror mea cubiculum meum intravit.*

(o) *Jacentem in ora) Cubantem in faciem, ut mos est dolentibus.*

(p) *Orat)* Quia naufragos ejus liberos; nudosque & inopes, Jason adjuverat; ut refert Hyginus.

(q) *Minyis) Argonautis:* quorum dux Jason ex Joicho oriundus; quo ex Orchomeno, quod & Minyeum dictum, coloni deducti, *cui Jasonem servavimus.*

(*) *Altera habebit)* Creusa, scilicet.

(r) *Æsonio) Jasonis filio.*

(ſ) *Est nemus)* Locum, ubi cum Medea Jason collocutus est, describit.

(t) *Piceis)* Picea arbor est, ex qua resina defluit.

(u) *Ilicis)* Ilex arbor est glandifera, durissima.

(x) *Delubra) Templa, Dianæ dedicata.*

(y) *Dea) Diana.*

(z) *Nescio an)* Id est, *Nescio an locorum sicut mei oblitus fueris.* Affectum vero movet hæc commemoratio & dubitatio.

(a) *Perdere)* Id est, *Si quis potestate delectatur, ei satis esse debet quod possit nocere, aut perdere. Nocere autem revera non debet.*

Per mala nostra precor, quorum potes esse levamen;
Per (b) genus & numen cuncta videntis (c) avi;
Per (d) triplicis vultus (e) arcanaque sacra Dianæ;
Et si forte alios gens habet ista Deos:
O virgo, miserere mei; miserere meorum!
Effice me meritis tempus in omne tuum.
Quod (f) si forte virum non dedignare (g) Pelasgum,
(Sed mihi tam faciles unde (h) meosque Deos?)
Spiritus ante meus tenues (i) vanescat in auras,
Quam thalamo, nisi tu, nupta sit ulla meo.
(k) Conscia sit Juno, (l) sacris præfecta maritis;
Et (m) Dea, marmorea cujus in æde sumus.
Hæc animum (& (n) quota pars hæc sunt?) movere (o) puellæ
Simplicis; & dextræ dextera juncta meæ.
(p) Vidi etiam lacrymas. (q) an pars est fraudis in illis?
(*) Sic cito sum verbis capta puella tuis.

INTERPRETATIO.

Oro per mala nostra quorum potes esse solatium; per genus & potestatem avi omnia intuentis; per faciem & sacra mystica Dianæ triplicis; & si forte hæc natio agnoscit alios Deos; o virgo movearis commiseratione erga me? movearis commiseratione erga meos! Devincito me tibi in omne tempus officiis. Quod si forte non aspernaris virum Pelasgum, (sed unde spe rem Deos tam benignos mihi & faventes?) Anima mea prius discerpatur in aera subtilia, quam uxor ulla, nisi tu, subeat meum cubiculum. Juno præposita sacris jugalibus sit testis; & Dea, in cujus delubro marmoreo stamus. Hæc (& quantula pars hæc sunt?) tetigerunt mentem puellæ credulæ; & manus commissa meæ manui. Aspexi etiam lacrymas, an pars doli invenitur in illis? sic puella sum statim decepta verbis tuis.

NOTÆ.

(b) *Genus*) *Tuum*, scil.

(c) *Avi*) *Solis*. Æeta enim Medeæ pater, illius fuit filius.

(d) *Triplicis*) Quam Lunam in cœlis, Dianam in terris, Proserpinam apud inferos Poetæ fabulati sunt: Illam etiam triplicapite equino, humano, canino, fecerunt.

(e) *Arcana*) *Mystica nocturnaque*.

(f) *Si forte*) Non audet nunc sperare, se non contemtum iri Jason, qui postea Medeam sprevit.

(g) *Pelasgum*) *Me Græcum*. Fuerunt enim Pelasgi Græciæ populi.

(h) *Meos*) *Mihi propitios*. *Quamobrem sperem Deos mihi usque adeo propitios, ut efficiant me a te non contemni.*

(i) *Vanescat*) *In nibilum redigatur*.

(k) *Conscia*) *Quæ mihi læsi sui numinis pœnas infligat, si pejeravero.*

(l) *Sacris maritis*) *Solemnitatibus nuptialibus.*

(m) *Dea*) *Diana*.

(n) *Quota pars*) Dicit, se paucula referre eorum omnium quæ Jason promiserat.

(o) *Puella*) Ipsius Medeæ, scilicet.

(p) *Vidi etiam*) Dicit etiam Jasonem lacrymas effudisse.

(q) *An pars est*) Illud est quod de lacrymis, dixit Poeta in Phyllide.

An & hæ simulare docentur?
Hæ quoque habent artes, quaque jubentur eunt?

(*) *Sic*) *Cum jurasses; Dextram dextræ junxisses; Lacrymas addidisses.*

(r) Juu-

(r) Jungis & æripedes *(ſ)* inaduſto corpore tauros,
Et ſolidam *(t)* juſſo vomere findis humum.
Arva venenatis pro ſemine dentibus imples:
Naſcitur, & gladios ſcutaque miles habet.
(u) Ipſa ego, quæ dederam medicamina, *(x)* pallida ſedi;
Cum vidi (y) ſubitos arma tenere viros.
Donec *(z)* terrigenæ (facinus miſerabile) fratres
Inter ſe *(a)* ſtrictas conſeruere manus.
Pervigil ecce draco ſquammis crepitantibus horrens
Sibilat; & *(b)* torto pectore verrit humum.
(c) Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia conjux?
Quique maris gemini diſtinet *(d)* Iſthmos aquas?
Illa ego, quæ tibi ſum nunc *(e)* denique barbara facta,
Nunc tibi ſum pauper, nunc tibi viſa *(f)* nocens;
(g) Flammea *(h)* ſubduxi medicato lumina ſomno:
Et tibi, quæ raperes, vellera *(i)* tuta dedi.
(k) Proditus eſt genitor: regnum patriamque reliqui:
(l) Munus in exilio quodlibet eſſe tuli.

INTERPRETATIO.

Et jugas tauros æripedes, corpore igni intacto, & ſcindis terram duram vomere imperato. Spargis agros dentibus venenatis pro ſemine: miles erumpit, & gerit enſes & clypeos. Ego ipſa, quæ obtuleram medicamenta, expallui; cum aſpexi viros repentinos tractare arma: uſquedum fratres terra ſati (factum flebile) in ſeſe invicem converterunt manus expromtas. Ecce ſerpens pervigil horridus ſquammis ſtrepentibus edit ſibila; & abſtergit terram ſinuoſo pectore. Ubi tum divitiæ dotis? Ubi tum tibi uxor regalis? Et Iſthmus qui dividit aquas maris duplicis? Illa ego quæ ſum tibi nunc denique facta barbara, nunc ſum tibi viſa egena, nunc tibi viſa venefica, ſubmovi oculos igneos ſomno medicamine inductos; & tradidi tibi vellera ſecure tollenda. Pater eſt proditus: deſerui regnum & patriam: & exiſtimavi bonum omne eſſe in exilio.

NOTÆ.

(r) *Jungis*) *Jugo ſubjicis*. Narrat Medea, quomodo a ſe impetrato auxilio, quæcumque pater Æetes imperaviſſet, Jaſon perfecerit.

(ſ) *Inaduſto*) Referunt ad tauros: Malim ego ad Jaſonem; ut intelligatur Medeæ ope ipſum ſpiritu terribiles illos tauros incolumem ſubegiſſe.

(t) *Juſſu vomere*) Id eſt: *Juſſus terram duram findis*.

(u) *Ipſa ego*) *Quanto magis alii timere debuiſſent; tu præſertim, ſi abſque medicamine in certamen veniſſes.*

(x) *Pallida*) Ex timore oritur pallor.

(y) *Subitos*) *Subito natos*.

(z) *Terrigenæ*) *Milites ex terra geniti*,

(a) *Strictas*) *Strictis enſibus, in pugnam expeditas.*

(b) *Torto*) Oblique & ſinuoſe ſeſe agitando, ſerpentes prorepunt.

(c) *Dotis*) *Quam ex Creuſa tua nunc ſperas.*

(d) *Iſthmos*) Corinthiacum intellige; qui maris utrimque illum alluentis aquas retinet, & dividit.

(e) *Denique barb.*) Jaſoni exprobrat, quod ſe barbaram appellet, poſtquam alio amorem ſuum, beneficiorum oblitus transtulerit.

(f) *Nocens*) *Venefica*.

(g) *Flammea*) *Flammam & ignem jaculantia*.

(h) *Subduxi*) *Sopivi*, uno verbo.

(i) *Tuta*) Id eſt, *quæ tuto raperes.*

(k) *Proditus*) *A me*.

(l) *Munus in exilio*) Id eſt: *Exulare tecum, mihi omnium bonorum loco eſſe duxi.*

H 3 Vit-

Jam prope (*o*) limen erat: patrias (*p*) vagitus ad aures
Venit, & indicio proditur (*q*) ille suo.
Eripit infantem, (*r*) mentitaque sacra revelat
Æolus, insana regia voce sonat.
Ut mare (*ſ*) fit tremulum, tenui cum (*t*) stringitur aura;
Ut quatitur (*u*) tepido (*x*) fraxina virga noto;
Sic mea (*y*) vibrari pallentia membra videres.
Quassus ab imposito corpore lectus erat.
(*z*) Irruit; & nostrum vulgat clamore (*a*) pudorem:
Et vix a misero continet ore manus.
Ipsa nihil, præter lacrymas, pudibunda profudi:
Torpuerat gelido lingua retenta metu.
Jamque dari parvum canibusque avibusque nepotem
Jusserat; in solis destituique locis.
Vagitus dedit ille miser; sensisse putares:
Quaque suum poterat voce rogabat avum.
Quid mihi tunc animi credas, germane, fuisse;
(Nam potes ex animo colligere ipse tuo)
Cum mea me coram silvas (*b*) inimicus in altas
(*c*) Viscera montanis ferret edenda lupis?
(*d*) Exierat thalamo. tunc demum pectora plangi
Contigit, inque meas unguibus ire genas.

INTERPRETATIO.

Jam ad limen pervenerat: vagitus penetravit ad patris aures, & ille detegitur indicio suo. Æolus corripit infantem, & detegit sacra ficta: regia personat voce boante. Quemadmodum mare tremit, cum raditur vento levi; quemadmodum virgultum fraxineum pulsatur Austro calido; sic cerneres meos artus pallidos tremere. Cubile concutiebatur a superstrato corpore. Pater *irrumpit & propalat clamore nostrum dedecus: & vix abstinet manus a facie infelici. Ego pudore suffusa nihil nisi lacrymas emisi: Lingua stupuerat repressa timore frigido. Jamque imperaverat tenerum nepotem projici canibus & avibus: & relinqui in locis desertis. Ille infelix edidit vagitus; crederes intellexisse: & orabat avum suum verbis quibus poterat. Quid putes, frater, fuisse tunc mihi animi, (nam potes ipse inferre ex ingenio tuo) cum in meo conspectu deferret præcordia mea in excelsas silvas devoranda a lupis montanis? Exierat cubiculo: tunc denique concessum tundi pectora, & immittere ungues in meas genas.*

NOTÆ.

(o) *Limen*) Ad regiæ portam pervenerat, qua egrederetur.

(p) *Vagitus*) *Pueruli clamor.*

(q) *Ille Infans.*

(r) *Mentita*) *Infantem ipsum*; quem sacra esse anus simulaverat.

(ſ) *Fit tremulum*) *Fremit & crispatur cum primulum vento agitatur.*

(t) *Stringitur*) *Leviter percutitur, & corrugatur.*

(u) *Tepido*) Quia spirat a meridie.

(x) *Fraxina*) Cujus folia tenuia & oblonga facile commoventur. *Fraxina* vero positum pro *fraxinea*.

(y) *Vibrari*) *Moveri, tremere.*

(z) *Irruit*) *In meum cubiculum intrat.*

(a) *Pudorem*) *Dedecus, infamiam.*

(b) *Inimicus*) Quivis ejus patris satelles, qui infantem in sylvas & loca sola deferret.

(c) *Viscera*) *Filium meum.*

(d) *Exierat*) *Pater*, scil.

In-

Interea patrius vultu mœrente satelles
Venit, & indignos edidit ore sonos:
(e) *Æolus hunc ensem mittit tibi: (f)* tradidit ensem:
Et jubet ex (g) merito scire (h) quid iste velit.
Scimus; & utemur violento fortiter ense:
Pectoribus (i) condam dona paterna meis.
His mea muneribus, genitor, connubia donas?
Hac tua dote, pater, filia dives erit?
Tolle procul decepte faces, (k) Hymenæe, maritas:
Et fuge (l) turbato tecta (m) nefanda pede.
Ferte (n) faces in me, quas fertis, (o) Erinnyes (p) atræ?
Ut meus ex (q) isto luceat igne rogus.
Nubite (r) felices (f) Parca (t) meliore sorores.
Admissi memores sed tamen este mei:
(u) Quid puer admisit (x) tam paucis editus horis?
Quo læsit facto, vix bene natus, avum?
(y) Si potuit meruisse necem meruisse putetur.
(z) Ah miser admisso plectitur ille meo.

INTERPRETATIO.

Interea minister patrius accedit vultu tristi, & emisit ore horrendas voces: Æolus mittit tibi hunc gladium: *porrexit gladium:* & imperat nosse ex merito quid iste significet: *Novimus: & utemur intrepide sævo gladio: abdam munera paterna meo cordi. Muneraris pater his donis meum conjugium? Filia tua, pater, erit opulenta hac dote. Hymenea eluse, procul summove tædas nuptiales: & vita domum scelestam pede exterrito. Furiæ nigræ in me concutite faces quas geritis; ut rogus meus accendatur ex isto igne. Sorores beatæ nubite fato latiore, sed tamen memineritis mei facinoris. Quid puer patravit natus ante tam paucas horas? Quo facinore offendit avum, vix bene editus? Si potuit meruisse mortem, credatur meruisse. Ah ille infelix punitur ob factum meum!*

NOTÆ.

(e) *Æolus*) Verba sunt satellitis Æoli.
(f) *Tradidit ensem*) Verba Canaces.
(g) *Merito*) Per crimen, incestum scilicet.
(h) *Quid iste velit*) *Quid cum isto gladio sibi faciendum.*
(i) *Condam*) *Me eo interficiam.*
(k) *Hymenæe*) Deus nuptiarum preses.
(l) *Turbato*) *Celeri & præcipiti.* Mitonymia est antecedentis pro consequente.
(m) *Nefanda*) *Propter meum incestum.*
(n) *Faces*) Nuptiis adhiberi solitas, ut antea vidimus.
(o) *Erinnyes*) Furiæ, malefactorum ultrices Deæ.
(p) *Atra*) Quia infernales.
(q) *Isto*) *Infernali; ex vestris facibus accenso.*
(r) *Felices*) Id est, *feliciter.*
(f) *Parca*) Ex Parcarum seu fatorum ordine omnia fieri Ethnici etiam crediderunt.
Tres autem fuerunt Parcæ, Clotho, Lachesis, Atropos.
(t) *Meliore*) *Magis propitia.*
(u) *Quid puer*) Postquam de se statuit, ad infantem revertitur Canace; ejusque causa patrem arguit.
(x) *Tam paucis horis*) Id est, *Ante pauculas horas.* Gall. *Il y a si peu de teme.*
(y) *Si potuit*) Permissione hac insontem puerum esse ostendit: Nec fortiter negat hæc figura; & commiserationem movet.
(z) *Ah*) Commiserantis.

Na-

Nate, dolor matris, rapidarum præda ferarum,
(Hei mihi!) *(a)* natali dilacerate tuo:
Nate, parum fausti miserabile *(b)* pignus amoris;
Hæc tibi prima dies, hæc tibi summa fuit.
Non mihi te licuit lacrymis perfundere *(c)* justis:
In tua *(d)* non tonsas ferre sepulcra comas.
Non *(e)* superincubui: non oscula frigida carpsi.
Diripiunt avidæ viscera nostra feræ.
Ipsa quoque infantes *(f)* cum vulnere prosequar umbras;
(g) Nec mater fuero dicta, nec orba diu.
Tu tamen, o frustra miseræ *(h)* sperate sorori,
(i) Sparsa precor nati collige membra tui:
Et refer ad matrem, socioque impone sepulcro:
Urnaque nos habeat, quamlibet arcta duos:
Vive memor nostri, lacrymasque in vulnere funde.
Neve *(k)* reformida corpus amantis amans.
(l) Tu (rogo) *(m)* projectæ nimium mandata sororis
(n) Perfer. mandatis *(o)* perfruar ipsa patris.

INTERPRETATIO.

rli; dolor matris rapina ferarum avidarum (Hei mihi!) discerpte tuo die *natali fili, pignus flebile amoris infelicis; hæc fuit tibi prima lux, hæc tibi fuit ultima. Non mihi fuit concessum te irrorare justis lacrymis, non immittere in tuos rogos capillos d sectos. Non me superimmisi: non sumsi oscula gelida: feræ rapidæ dilaniant nostra præcordia. Ipsa quoque comitabor umbras infantes cum vulnere: nec dicta fuero diu mater, nec orba. Tu tamen e incassum sperate infelici sorori, collige artus dissitos filii tui; & eos reporta ad matrem, & immitte tumulo communi; & urna quantumvis parva capiat nos duos. Vive memor nostri, & effunde lacrymas in plagam; neve metue amans corpus amantis. Tu (quæso) perfice jussa sororis nimium infelicis, ipsa exequar imperata patris.*

N O T Æ.

(a) *Natali*) *Die*, scilicet.

(b) *Pignus amoris*) Hinc liberi *Pignora* simpliciter dicuntur.

(c) *Justis*) Quæ cum justo mortuo persolvuntur. in exequiis effunduntur.

(d) *Non tonsas*) Hubertinus has duas voces conjunctim legit. Non bene, credo. Optime Micyllus *non* refert ad *licuit*; deinde *tonsas* simpliciter intelligit comas; quas funerali more etiam condere, & in rogum, aut sepulcrum mittere, in gravi funere mulieres solebant.

(e) *Superincubui*) Parentes enim, ex affectu, matres præsertim, cadavera etiam liberorum solent amplecti & osculari.

(f) *Cum vulnere*) id est, *per vulnus quod mihi gladio infligam.*

(g) *Nec mater*) *Quia mortuus est filius, & ipsa jam jam moriar.*

(h) *Sperate*) In matrimonium, scil.

(i) *Sparsa*) *A canibus & lupis huc illuc distracta.*

(k) *Reformida*) Quanquam ipsa mortuum cadaver exhorruisset.

(l) *Tu rogo*) Totum hoc distichon a manu secunda in Puteaneo codice, optime interpolatorum esse, & elegantia Ovidiana indignum censuit clarissimus Heinsius.

(m) *Projecta*) *Infelicis & abjecta.*

(n) *Perfer*) *Perfice.*

(o) *Perfruar*) *Quod imperavit pater efficiam.*

EPISTOLA DUODECIMA.

ARGUMENTUM.

Jason, cum primum Colchon attigit, a Medea, Æeta Colchorum regis & Hecates filia, receptus est & amatus: interpositaque conjugii sponsione, illum edocuit, quonam pacto ad optatam præveniret prædam. Aureo igitur vellere rapto, clam cum Medea fugam arripuit. Quos cum insequeretur Æeta, illa Absyrti fratris, quem secum ducebat, occisi membra dispersit, ut ita patrem ossa filii legentem, moraretur, & sic incolumes in Thessaliam tandem devenerunt: ubi Æsonem Jasonis patrem, annis jam decrepitum, ad viridem ætatem reduxit. Jason dein Medeam repudiavit: & Creusam, Creontis regis Corinthiorum filiam, uxorem assumpsit. Furibunda igitur Medea ad Jasonem scripsit, ingratum ejus animum accusat, præsentemque ultionem, nisi recipiatur, interminatur.

MEDEA JASONI.

(a) AT tibi (b) Colchorum (memini) (c) regina (d) vacari;
(e) Ars mea, cum peteres, ut tibi ferret (f) opem.
(g) Tunc quæ (h) dispensant mortalia (i) fila, (k) sorores
Debuerant fusos (l) evoluisse meos.
Tunc potui Medea mori (m) bene. quicquid ab illo
Produxi vitæ tempore, (n) pœna fuit.
Hei mihi! cur unquam juvenilibus (o) acta lacertis
(p) Phryxeam petiit (q) Pelias (r) arbor ovem?

INTERPRETATIO.

AT, (memini) ego regina Colchorum tibi operam præstiti, cum rogares, ut ars mea tibi auxilium præberet. Tunc sorores, quæ dividunt fila mortalia, debuerunt exhausisse T fusos meos. Tunc potui Medea bene fato fungi: quidquid protraxi vitæ ab illo tempore fuit supplicium. Hei mihi! quamobrem navis Pelias impulsa brachiis juvenilibus expetivit vellus Phryxeum.

NOTÆ.

(a) *At* Admirantis est simul & indignantis. Principio vero utitur abrupto, ubi multa subintelligenda sunt, majoris affectus declarandi causa.

(b) *Colchorum*) Colchi populi sunt Ponti Euxini, ab ortu, accolæ.

(c) *Regina*) Quippe Æeta Colchorum regis filia.

(d) *Vacavi*) *Operam præstiti*; *inservivi*.

(e) *Ars*) *Magica*. Veneficiis vero Medea notissima.

(f) *Opem*) In tollendo vellere aureo omnibusque, quibus septum erat illud inceptum, superandis difficultatibus.

(g) *Tunc*) *Cum primum opem meum petiisti*.

(h) *Dispensant*) *Cuique vitæ modum & mensuram assignant*.

(i) *Fila*) Tres parcæ fatale exercere lanificium, earumque primam stamen ducere, alteram fusum versare, tertiam filum abrumpere, ex fabulis notissimum. Quanquam varie hæc omnia fingunt Poetæ.

(k) *Sorores*) Parcæ.

(l) *Evoluisse*) Id est, *Vitæ meæ finem imposuisse*.

(m) *Bene*) *Quia felix & honesta ad illud tempus fueram*.

(n) *Pœna*) *Nam per criminum omnia genera, curusque & dolores, vitam traduxi*.

(o) *Acta*) *Impulsa*.

(p) *Phryxeam*) *Vellus aureum*; quod Marti Phryxus appendit.

(q) *Pelias*) *Thessalica*, a Pelio monte Thessaliæ, ubi decisæ arbores, ex quibus Argo navis fabricata est. Muliebri vero more malorum suorum causam Medea longe repetit.

(r) *Arbor*) Pro navi, qua in Colchos vecti sunt Argonautæ.

Cur

Cur unquam Colchi (*ſ*) Magnetida vidimus Argo;
(*t*) Turbaque (*u*) Phaſiacam Graja (*x*) bibiſtis aquam?
Cur mihi (*y*) plus æquo (*z*) flavi placuere capilli;
Et decor, & (*a*) linguæ gratia ficta tuæ?
Aut (ſemel in noſtras quoniam (*b*) nova puppis arenas
Venerat, audaces attuleratque viros)
Iſſet (*c*) anhelatos non (*d*) præmedicatus in ignes
(*e*) Immemor (*f*) Æſonides, (*g*) oraque adunca boum:
(*h*) Semina jeciſſet; totidem ſenſiſſet & (*i*) hoſtes;
(*k*) Ut caderetcultucultor ab ipſe ſuo.
Quantum perfidiæ tecum, ſcelerate, periſset!
Demta forent capiti quam mala multa meo!
Eſt aliqua ingrato meritum exprobare voluptas.
(*l*) Hac fruar: hæc de te gaudia ſola feram.
(*m*) Juſsus (*n*) inexpertam Colchos advertere puppim.
Intraſti patriæ regna (*o*) beata meæ.

INTERPRETATIO.

Cur unquam Colchi aſpeximus Argo Magnetida: & agmen Græcum potaſtis aquam Phaſiacam? Quamobrem coma flava & forma & lepor ſimulatus linguæ tuæ arriſerunt mihi plus juſto? Aut (quandoquidem nova navis ſemel appulerat noſtris littoribus, & advexerat viros temerarios) ingratus Æſonides deſcendiſſet nullis medicamentis præmunitus in ignes efflatos, & ora recurva boum. Sparſiſſet ſemina; & expertus eſſet totidem hoſtes, ut ipſe agricola interiret ab agricultura ſua. Quantum perfidiæ tecum interiiſſet, ſcelerate! Quam multa mala ſubtracta eſſent meo capiti! Eſt aliqua ſuavitas objicere beneficium immemori. Hac gaudebo; conſequor de te hanc ſolam voluptatem. Coactus Colchos dirigere rudem navem, ſubiiſti regna felicia patriæ meæ.

NOTÆ.

(ſ) *Magnetida*) *Theſſalicam*; a Magneſia, regiuncula Theſſaliæ, in qua mons Pelius; niſi quod verius illam huic conterminam dixeris.

(t) *Turba*) Argonautæ.

(u) *Phaſiacam*) *Colchicam*; a Phaſi, Colchorum fluvio.

(x) *Bibiſtis*) Id eſt, *Cur veniſtis?* Vim majorem habet interrogatorio, quam ſi dixiſſet ſimpliciter, ſe optare ut nunquam Argonautæ Colchos vidiſſent.

(y) *Plus æquo*) *Ut tui cauſa patrem prodiderim, aliaque multa patraverim.*

(z) *Flavi*) Qui etiam nunc ſunt in pretio. *Blonds.*

(a) *Linguæ*, Dicit, Jaſonem mellita verba, orationemque bene comtam, dolo malo, ut ipſam caperet, quæſiviſſe: non ex animo nec vera gratia locutum eſſe.

(b) *Nova*) Cui ſimilem nunquam viderant. Quanquam Ovidius, aliique, primam Argo navem fuiſſe voluerunt.

(c) *Anhelatos*) *Ex taurorum Ahenipedum naribus emiſſos.*

(d) *Præmedicatus*) Venenis Medea Jaſonem inſtruxerat, ne in ſubigendis Tauris ab ipſis læderetur. De quibus omnibus ſupra in Hypſipyle.

(e) *Immemor*) *Beneficiorum a me acceptorum*, ſcil. *Ingratus.*

(f) *Æſonides*) *Jaſon*, Æſonis, Theſſaliæ regis filius.

(g) *Ora adunca*) Propter cornua.

(h) *Semina*) *Dentes ſerpentis.*

(i) *Hoſtes*) Qui ex jactis ſeminibus nati ſunt.

(k) *Ut caderet*) *Ut Jaſſon, qui tanquam agricola dentes Serpentis in terram miſiſſet, ab hoſtibus armatis, qui ex illo ſemine naſcerentur, interficeretur.*

(l) *Hac*) *Exprobrandi*, ſcil. *beneficia.*

(m) *Juſſus*) *A Pelia patruo tuo.*

(n) *Inexpertam*) Navi tribuit quod nautis referendum.

(o) *Beata Ditia.*

Hoc

Hoc illic Medea fui, *(p)* nova nupta quod *(q)* hic est.
Quam pater est illi, tam mihi dives erat.
Hic *(r)*Ephyren*(ſ)* bimarem;*(t)* Scythia *(u)*tenus *(x)* ille *(y)* nivosa
Omne tenet, *(z)* Ponti qua plaga læva jacet.
Accipit hospitio *(a)* juvenes Æeta Pelasgos,
Et *(b)* premitis pictos corpora Graja toros.
Tunc ego te vidi: tunc cœpi scire quid esses.
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Ut vidi, ut perii; *(c)* nec notis ignibus arsi.
(d) Ardet ut ad magnos pinea tæda Deos.
Et formosus eras, & me mea *(e)* fata trahebant.
(f) Abstulerant *(g)* oculi lumina nostra tui.
Perfide, *(h)* sensisti. quis enim bene celat amorem?
(i) Eminet indicio prodita flamma suo.
Dicitur interea tibi *(k)* lex; ut *(l)* dura ferorum
Insolito premeres *(m)* vomere colla boum.

INTERPRETATIO.

Ego Medea illic id fui, quod nova nupta est hic. Pater erat mihi tam opulentus, quam pater est illi. Hic imperium habet in Ephiren bimarem; ille in omnem partem Scythiæ nivalis qua regio sinistra Ponti porrigitur. Æeta excipit hospitio juvenes Pelasgos; & vos; Græci, discumbitis lectis pictis; Tum ego te aspexi, tunc primum cognovi quid esses: illa prima fuit pernicies animi mei. Ut aspexi, ut interii, nec incensa sum flammis cognitis. Incensa sum *tanquam tæda pinea flagrat ad magnos Deos. Et pulcher eras & fata mea me cogebant. Oculi tui rapuerant nostros oculos. Perfide advertisti: quis enim bene tegit amorem? Flamma apparet manifesta suo indicio. Interea conditio tibi proponitur, ut urgeres fortes cervices boum ferocium vomere insueto.*

NOTÆ.

(p) *Nova nupta*) *Creusa*: de qua in argumento.

(q) *Hic*) Creon, Creusæ pater.

(r) *Ephyren*) Corinthus est, cui primo illud nomen datum.

(ſ) *Bimarem*) Quia est inter duo maria.

(t) *Scythia*) Alii habent *Scythiæ latus illa nivosa*. De Scythis jam antea diximus, qui populi fuerunt Asiæ, itemque Europæ.

(u) *Tenus*) Id est, *Usque ad Scythiam*.

(x) *Ille*) *Pater meus*.

(y) *Nivosa*) *Frigida*: quia multum ad Septentrionem vergit.

(z) *Ponti*) *Maris Euxini*.

(a) *Juvenes*) *Argonautas, Græcos*.

(b) *Premitis*) *Discumbitis in lectis, tapetibus ornatis*.

(c) *Nec notis*) Id est, *maximis*: nisi forte indicat tantum, se antea non amasse.

(d) *Ardet*) *Arsi, ut tæda ardet*.

(e) *Fata traheb.*) Dicit se, & Jasonis elegantia, & fato suo ad ipsum amandum compulsam fuisse.

(f) *Abstulerant*) Id est, *Nisi te, nihil amplius videre poteram*. Quod maximum est indicium amoris.

(g) *Oculi*) In illis vero vis multa est ad provocandum amorem.

(h) *Sensisti*) *Me amore teneri*.

(i) *Eminet*) *Apparet*.

(k) *Lex*) Qua vellus aureum tollendum erat.

(l) *Dura*) *Ferocia, minusque jugo assueta*.

(m) *Vomere*) Non equidem vomere, sed jugo premuntur colla boum; nisi quod jugo aratrum, cujus vomer pars est, alligatur.

((*n*) Martis erant tauri plus, quam per cornua, sævi;
Quorum terribilis (*o*) spiritus ignis erat.)
Ære (*p*) pedes solidi, prætentaque naribus æra:
Nigra per afflatus hæc quoque facta suos.
(*q*) Semina præterea (*r*) populos genitura juberis
Spargere (*ſ*) devota lata per arva manu,
(*t*) Qui peterent (*u*) secum natis tua corpora telis.
Illa est agricolæ (*x*) messis iniqua suo.
(*y*) Lumina custodis succumbere nescia somno
Ultimus est aliqua (*z*) decipere arte labor.
(*a*) Dixerat Æetes. (*b*) mœsti consurgitis omnes:
Mensaque purpureos (*c*) deserit alta toros.
(*d*) Quam tibi nunc (*e*) longe regnum dotale Creusæ,
Et socer, & (*f*) magni nata Creontis erant?
Tristis abis. (*g*) oculis abeuntem prosequor udis:
Et dixit tenui murmure lingua, *Vale*.
Ut positum tetigi thalamo (*h*) male (*i*) saucia lectum;
(*k*) Acta est per lacrymas nox mihi, quanta fuit.

INTERPRETATIO.

Tauri erant Martis magis terribiles quam per cornua, quorum flatus erat flamma formidabilis. Pedes duri ære, & æra indacta naribus; hæc quoque facta atra per halitus suos. Imperavit insuper jacere manu consecrata per vastos agros semina emissura populos, qui inveherentur in tua membra jaculis secum ortis. Illa messis parum favet suo cultori. Labor postremus est fallere aliquo dolo oculos custodis fugientes superari a somno. Absolverat Æetes. Omnes prorumpitis: & mensa sublimis destituit lectos purpureos. Quam procul tibi erant tunc & regnum dotale Creusa & filia magni Creontis? Mœstus recedis. Comitor discedentem oculis humidis: & lingua dixit levi murmure, Vale. *Postquam male vulnerata pressi torum admotum cubiculo; nox, quam longa fuit, est mihi prætereita per fletus.*

NOTÆ.

(n) *Martis*) Hoc distichon Heinsio, Ovidianæ venæ esse non videtur. Videtur equidem: quomodo tamen ex textu tolli possit, non video.

(o) *Spiritus*) *Halitus*. Ore flammam emittebant.

(p) *Pedes*) *Ungula*, scilicet.

(q) *Semina*) *Dentes serpentis*.

(r) *Populos*) *Homines armatos*. De quibus in Hypsipyle.

(ſ) *Devota*) *Quæ se huic fato devoveret*. Ita optime Hubertinus. Quo sensu *devoti* dicuntur, qui se in medios hostes, vel ineluctabile discrimen præcipitant.

(t) *Qui peterent*) *Qui in te irruerent*.

(u) *Secum natis*) Armati illi ex terra prodiisse dicuntur.

(x) *Messis*) Segetem intellige.

(y) *Lumina custodis*) *Oculos draconis pervigilis, qui vellus aureum custodiebat*.

(z) *Decipere*) *Sopire*, puta.

(a) *Dixerat*) *Omnia proposuerat quæ prius absolvenda essent; quam vellus aureum avelleret*.

(b) *Mœsti*) Quod impossibilia crederent quæ imperabantur.

(c) *Deserit*) Remota est mensa, postquam Argonautæ surrexissent.

(d) *Quam tibi*) Quam vero apposite jam istud internectit.

(e) *Longe*) *De iis minimum cogitabat*.

(f) *Magni*) Ex Jasonis ingenio loquitur *Je crois qu' alors la Grandeur de vostre beau-pere ne vous occupoit guéres l'esprit.*

(g) *Oculis*) Egregie amorem suum declarat.

(h) *Male*) *In perniciem meam*.

(i) *Saucia*) *Amore incensa*.

(k) *Acta*) *Per totam noctem lacrymavi*.

Ante

Ante oculos (*l*) taurique meos, segetesque nefandæ;
Ante meos oculos pervigil anguis erat.
Hinc amor, hinc timor est. ipsum (*m*) timor auget amorem.
(*n*) Mane erat, & thalamo chara recepta soror;
Disjectamque comas aversaque in ora (*o*) jacentem
Invenit, & lacrymis omnia plena meis.
(*p*) Orat opem (*q*) Minyis: petit altera, & * altera habebit.
(*r*) Æsonio juveni, quod rogat illa, damus.
(*s*) Est nemus & (*t*) piceis & frondibus (*u*) ilicis atrum:
Vix illuc radiis solis adire licet.
Sunt in eo, fuerantque diu (*x*) delubra Dianæ:
Aurea barbarica stat (*y*) Dea facta manu.
(*z*) Nescio an exciderint mecum loca. venimus illuc.
Orsus es infido sic prior ore loqui.
Jus tibi & arbitrium nostræ Fortuna salutis
Tradidit: inque tua vitaque morsque manu.
(*a*) Perdere posse sat est; si quem juvet ipsa potestas.
Sed tibi servatus gloria major ero.

INTERPRETATIO.

Et Tauri & segetes infandæ oculis obversabantur; draco pervigil erat præ oculis meis. Ex una parte est amor, ex altera metus: amor crescit ipso metu. Mane erat & dilecta soror admissa in cubiculum me comperit & sparsam capillos & cubantem in faciem aversam, & omnia redundantia lacrymis meis. Rogat auxilium Minyis. Altera rogat & altera habebit: Concedimus quod illa petit Juveni Æsonio. Est nemus obscurum & piceis, & ramis Ilicis: vix conceditur radiis Solis illuc intrare. Stant in eo, & diu steterant templa Dianæ: Dea aurea erecta est facta manu barbarica. Haud scio an locorum oblitus fueris sicuti mei. Illuc accessimus: sic primus cœpisti loqui ore perfido. Fortuna tibi obtulit jus & potestatem nostræ salutis, & vita & mors est in tua manu. Abunde est posse opprimere; si quis delectetur ipsa potestate. Sed liberatus, ero tibi laus major.

NOTÆ.

(l) *Taurique*) *A quibus tibi metuebam.*

(m) *Timor auget*) Verissimum, & diligenter notandum. Sese invicem acuunt & augent affectus: imo inter se commutantur.

(n) *Mane erat*) *Postquam matutinum tempus advenisset, Chalciope soror mea cubiculum meum intravit.*

(o) *Jacentem in ora*) *Cubantem in faciem, ut mos est dolentibus.*

(p) *Orat*) Quia naufragos ejus liberos, nudosque & inopes, Jason adjuverat; ut refert Hyginus.

(q) *Minyis*) *Argonautis*: quorum dux Jason ex Jolcho oriundus; quo ex Orchomeno, quod & Minyeum dictum, coloni deducti, cui *Jasonem servavimus.*

(*) *Altera habebis*) Creusa, scilicet.

(r) *Æsonio*) *Jasonis filio.*

(s) *Est nemus*) Locum, ubi cum Medea Jason collocutus est, describit.

(t) *Piceis*) Picea arbor est, ex qua resina defluit.

(u) *Ilicis*) Ilex arbor est glandifera, durissima.

(x) *Delubra*) *Templa, Dianæ dedicata.*

(y) *Dea*) *Diana.*

(z) *Nescio an*) Id est, *Nescio an locorum sicut mei oblitus fueris.* Affectum vero movet hæc commemoratio & dubitatio.

(a) *Perdere*) Id est, *Si quis potestate delectatur, ei satis esse debet quod possit nocere, aut perdere: Nocere autem revera non debet.*

Per mala nostra precor, quorum potes esse levamen;
Per (b) genus & numen cuncta videntis (c) avi;
Per (d) triplicis vultus (e) arcanaque sacra Dianæ;
Et si forte alios gens habet ista Deos:
O virgo, miserere mei; miserere meorum!
Effice me meritis tempus in omne tuum.
Quod (f) si forte virum non dedignare (g) Pelasgum,
(Sed mihi iam faciles unde (h) meosque Deos?)
Spiritus ante meus tenues (i) vanescat in auras,
Quam thalamo, nisi tu, nupta sit ulla meo.
(k) Conscia sit Juno, (l) sacris præfecta maritis;
Et (m) Dea, marmorea cujus in æde sumus.
Hæc animum (& (n) quota pars hæc sunt?) movere (o) puellæ
Simplicis; & dextræ dextera juncta meæ.
(p) Vidi etiam lacrymas. (q) an pars est fraudis in illis?
(*) Sic cito sum verbis capta puella tuis.

INTERPRETATIO.

Oro per mala nostra quorum potes esse solatium; per genus & potestatem avi omnia intuentis; per faciem & sacra mystica Dianæ triplicis; & si forte hæc natio agnoscit alios Deos; o virgo movearis commiseratione erga me? movearis commiseratione erga meos! Devincito me tibi in omne tempus officiis. Quod si forte non aspernaris virum Pelasgum, (sed unde spem Deos tam benignos mihi & faventes? Anima mea prius discerpatur in aera subtilia, quam uxor ulla, nisi tu, subeat meum cubiculum. Juno præposita sacris jugalibus sit testis; & Dea, in cujus delubro marmoreo stamus. Hæc (& quantula pars hæc sunt?) tetigerunt mentem puellæ credulæ; & manus commissa meæ manui. Aspexi etiam lacrymas, an pars doli invenitur in illis? sic puella sum statim decepta verbis tuis.

NOTÆ.

(b) *Genus*) *Tuum*, scil.

(c) *Avi*) *Solis*. Æeta enim Medeæ pater, illius fuit filius.

(d) *Triplicis*) Quam Lunam in cœlis, Dianam in terris, Proserpinam apud inferos Poetæ fabulati sunt: Illam etiam triplicapite equino, humano, canino, fecerunt.

(e) *Arcana*) *Mystica nocturnaque*.

(f) *Si forte*) Non audet nunc sperare, se non contemtum iri Jason, qui postea Medeam sprevit.

(g) *Pelasgum*) *Me Græcum*. Fuerunt enim Pelasgi Greciæ populi.

(h) *Meos*) *Mihi propitios. Quamobrem sperem Deos mihi usque adeo propitios, ut efficiant me a te non contemni.*

(i) *Vanescat*) *In nihilum redigatur.*

(k) *Conscia*) *Quæ mihi læsi sui numinis pœna infligat, si pejeravero.*

(l) *Sacris maritis*) *Solemnitatibus nuptialibus.*

(m) *Dea*) *Diana.*

(n) *Quota pars*) Dicit, se paucula referre eorum omnium quæ Jason promiserat.

(o) *Puella*) Ipsius Medeæ, scilicet.

(p) *Vidi etiam*) Dicit etiam Jasonem lacrymas effudisse.

(q) *An pars est*) Illud est quod de lacrymis, dixit Poeta in Phyllide.

An & hæ simulare docentur?
Hæ quoque habent artes, quaque jubentur eunt?

(*) *Sic*) *Cum jurasses; Dextram dextræ junxisses; Lacrymas addidisses.*

(r) Jun-

(*r*) Jungis & æripedes (*ſ*) inaduſto corpore tauros,
Et ſolidam (*t*) juſſo vomere findis humum.
Arva venenatis pro ſemine dentibus imples:
Naſcitur, & gladios ſcutaque miles habet.
(*u*) Ipſa ego, quæ dederam medicamina, (*x*) pallida ſedi;
Cum vidi (y) ſubitos arma tenere viros.
Donec (*z*) terrigenæ (facinus miſerabile) fratres
Inter ſe (*a*) ſtrictas conſeruere manus.
Pervigil ecce draco ſquammis crepitantibus horrens
Sibilat; & (*b*) torto pectore verrit humum.
(*c*) Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia conjux?
Quique maris gemini diſtinet (*d*) Iſthmos aquas?
Illa ego, quæ tibi ſum nunc (*e*) denique barbara facta,
Nunc tibi ſum pauper, nunc tibi viſa (*f*) nocens;
(*g*) Flammea (*h*) ſubduxi medicato lumina ſomno:
Et tibi, quæ raperes, vellera (*i*) tuta dedi.
(*k*) Proditus eſt genitor: regnum patriamque reliqui:
(*l*) Munus in exilio quodlibet eſſe tuli.

INTERPRETATIO.

Et jugas tauros æripedes, corpore igni intacto, & ſcindis terram duram vomere imperato. Spargis agros dentibus venenatis pro ſemine: miles erumpit, & geris enſes & clypeos. Ego ipſa, quæ obtuleram medicamenta, expallui; cum aſpexi viros repentinos tractare arma: uſquedum fratres terra ſati (factum flebile) in ſeſe invicem converterunt manus expromtas. Ecce ſerpens pervigil horridus ſquammis ſtrepentibus edit ſibila; & abſtergit terram ſinuoſo pectore. Ubi tum divitiæ dotis? Ubi tum tibi uxor regalis? Et Iſthmus qui dividis aquas maris duplicis? Illa ego quæ ſum tibi nunc denique facta barbara, nunc ſum tibi viſa egena, nunc tibi viſa venefica, ſubmovi oculos igneos ſomno medicamine inductos; & tradidi tibi vellera ſecure tollenda. Pater eſt proditus: deſerui regnum & patriam: & exiſtimavi bonum omne eſſe in exilio.

NOTÆ.

(r) *Jungis*) *Jugo ſubjicis*. Narrat Medea, quomodo a ſe impetrato auxilio, quæcumque pater Æetes imperaviſſet, Jaſon perfecerit.

(ſ) *Inaduſto*) Referunt ad tauros: Malim ego ad Jaſonem; ut intelligatur Medeæ ope ipſum ſpiritu terribiles illos tauros incolumem ſubegiſſe.

(t) *Juſſo vomere*) Id eſt: *Juſſus terram duram findis*.

(u) *Ipſa ego*) *Quanto magis alii timere debuiſſent; tu præſertim, ſi abſque medicamine in certamen veniſſes.*

(x) *Pallida*) Ex timore oritur pallor.

(y) *Subitos*) *Subito natos*.

(z) *Terrigenæ*) *Milites ex terra geniti*.

(a) *Strictas*) *Strictis enſibus, in pugnam expeditas*.

(b) *Torto*) Oblique & ſinuoſe ſeſe agitando, ſerpentes prorepunt.

(c) *Dotis*) *Quam ex Creuſa tua nunc ſperas*.

(d) *Iſthmos*) Corinthiacum intellige, qui maris utrimque illum alluentis aquas tenet, & dividit.

(e) *Denique barb.*) Jaſoni exprobrat, quod ſe barbaram appellet, poſtquam alio amorem ſuum, beneficiorum oblitus tranſtulerit.

(f) *Nocens*) *Venefica*.

(g) *Flammea*) *Flammam & ignem jaculantia*.

(h) *Subduxi*) *Sopivi*, uno verbo.

(i) *Tuta*) Id eſt, *quæ tuto raperes*.

(k) *Proditur*) *A me*.

(l) *Munus in exilio*) Id eſt, *Exulare tecum, mihi omnium bonorum loco eſſe duxi.*

Virginitas facta est peregrini præda latronis:
Optima cum cara *(m)* matre relicta soror.
(n) At non te fugiens sine me, germane, reliqui,
(o) Deficit hoc uno littera nostra loco.
(p) Quod facere ausa mea est, non audet scribere dextra.
(q) Sic ego, *(r)* sed tecum, dilaceranda fui.
Nec tamen *(ſ)* extimui *(t)* (quid enim post *(u)* illa timerem?
Credere me pelago (x) fœmina, jamque nocens.
(y) Numen ubi est? ubi Di? meritas *(z)* subeamus in alto,
Tu (a) fraudis pœnas, (b) credulitatis ego.
(c) Compressos utinam *(d)* Symplegades elisissent,
Nostraque *(e)* adhærerent ossibus ossa tuis!

INTERPRETATIO.

Virginitas facta est rapina externi prædonis: optima soror destituta est cum matre dilectissima. An frater, abiens non te deserui? Epistola nostra manca est hoc uno loco. Manus non audet consignare quod sustinuit patrare. Ego sic fui dilanianda, sed tecum. Nec tamen sum verita (quid enim vererer post illa?) puella etiam scelerata committere me mari. Ubi est numen? Ubi Dii? Afficiamur suppliciis meritis, in mari, tu doli: ego simplicitatis. Utinam Symplegades oppressissent constrictos, & ossa nostra conjungerentur ossibus tuis!

NOTÆ.

(m) *Matre*) Hypseam eam vocant nonnulli, plerique Idyiam.

(n) *At non te*) Fratris Absyrti vices dolet; quem ut insequentem patrem remoraretur fugiens Medea laceravit; membraque ejus, quæ ille colligeret, huc illuc per viam dispersit.

(o) *Deficit*) *Quia ex omnibus quæ pro te feci, hoc unum est, quod scribere non audeo.* Loquitur de fratris lacerati morte.

(p) *Quod facere*) De fratris laceratione iterum loquitur.

(q) *Sic*) *Ut frater a me discerptus est.*

(r) *Sed tecum*) *Quia etiam meruisti.*

(ſ) *Extimui*) Ex conscientiæ stimulis, quæ sontibus vindictam furiasque objicit.

(t) *Quid enim.*) Ne jocum ex verbis male captasse Naso videatur, Medeæ totam sententiam sic accipe. *Quanquam nunc non audeam scribere quæ ipsa patravi; non verita sum tamen antea mari me credere: nam quid non ausa esset quæ potuit ea omnia quæ in patrem & fratrem peccavi, admittere?* Se fatetur antea inconsulte ac veluti per dementiam, aut rabie quadam divexatam, omnia fecisse.

(u) *Illa*) *Patrem proditum, fratrem laniatum.*

(x) *Fœmina*) A natura timidior.

(y) *Numen*) *Deorum potestas, qua sontes puniremur.*

(z) *Subeamus*) De præterito attente cogitans, ut de præsenti loquitur. Id est, *Cur non in profundum ultrici Deorum ira projecti fuimus?*

(a) *Fraudis*) *In me.*

(b) *Credulitatis*) *Qua sibi perfido crediderim.* Verius dixisset *crudelitatis*; nisi metri ratio repugnaret.

(c) *Compressos*) Quia procul visentibus juncti videbantur scopuli Symplegades, ideo eos disjungi, dein concurrere Poetæ fabulati sunt. Hinc vides quamobrem dixit Medea, *compressos.*

(d) *Symplegades*) Cyaneæ etiam dictæ sunt duæ insulæ, vel potius scopuli in Bosphoro Thraciæ, aut verius in Ponti-Euxini ostio.

(e) *Adhærerent.*) *Postquam collisa simul & confracta fuissent.*

Aut

Aut nos Scylla *(f)* rapax *(g)* canibus misisset edendos?
(h) Debuit ingratis Scylla nocere viris.
(i) Quæque vomit fluctus totidem, totidemque resorbet,
Nos quoque *(k)* Trinacriæ supposuisset aquæ:
Sospes ad *(l)* Hæmonias victorque reverteris urbes:
Ponitur ad patrios aurea *(m)* lana Deos.
(n) Quid referam Peliæ natas *(o)* pietate nocentes,
(p) Cæsaque virginea membra paterna manu?
(q) Ut culpent alii, tibi me laudare necesse est:
Pro quo sum toties esse coacta nocens.
Ausus es o, (justo desunt sua verba dolori)
Ausus es, *(r)* Æsonia, dicere, *cede domo*.
Jussa domo cessi, natis comitata duobus;
Et, qui me sequitur semper, amore tui;

INTERPRETATIO.

Aut Scylla vorax nos tradidisset devorandos canibus! Scylla debuit obesse viris ingratis. Et quæ reddit undas totidem, & totidem resumit, nos quoque submersisset aqua Sicula. Voti compos redis incolumis ad urbes Hæmonias: Vellus aureum appenditur Diis patriis. Quid commemorem filias Peliæ scelestas pietate, & artus paternos discerptos manu puellari? Quamvis alii me vituperent, cogeris me probare, tu, cujus causa toties coacta sum esse noxia. Potuisti o, (verba sua destituunt justum dolorem) potuisti dicere, amolire te domo Æsonia. *Coacta excessi domo, stipata filiis duobus; & amore tui, qui nunquam me dereliquit.*

NOTÆ.

(f) *Rapax*) *Quæ naves attrahit.*

(g) *Canibus* Poetæ Scyllam scopulum inferna parte canum & luporum capita habuisse, propter aquæ fremitum undarumque æstum, fabulati sunt. Adeoque dixit Poeta noster *misisset.*

(h) *Debuit*) Quia ipsa etiam in numero amantium fuit, Scylla Phorci filia. Indignata autem Circe quod illa mutuo Glauci amore teneretur, quæ Glaucum ipsum perdite amabat, fontem in quo lavare puella consueverat, noxiis herbis infecit. Cujus rei ignara Scylla, de more fontem ingressa; ubi advertit inferiorem sui corporis partem, in caninos rictus esse mutatam, amissæ dolore formæ exhorrescens, se in vicinum mare præcipitem jecit; ubi in scopulum naufragiis infamem versa est. Quanquam vero hæc potissimum a Poetis Scylla intelligitur, quæ in scopulum versa fit: illam tamen Ovidius cum Scylla alia Nisi filia; quæ Minoi, a quo contempta est postea, patriam patremque, amore incensa prodidit, alicubi Naso confudit. Atque hinc melius cognoscitur quamobrem Medea dicat, *Debuit ingratis Scylla nocere viris*; quippe hæc, cum se a Minoe spretam vidisset, doloris impatientissima non sine causa ingratis infensa existimetur.

(i) *Quæque vomit*) Charybdis vorago intelligitur, quam dicit Sallustius universa sorbere; eaque circum littus Tauromenitanum egerere. Ne quis vero miretur quamobrem Scyllam Charybdimque Medea meminerit, sciendum est, quod illuc etiam Jason, immissa ab irato Jove; propter Absyrti necem tempestate, dejatus sit.

(k) *Trinacriæ*) Siciliæ, quæ sic a Græcis dicta propter figuram. Antea autem monuimus Scyllam & Charybdim in mari Siculo esse.

(l) *Hæmonias*) *Thessalicas*; ab Hæmo monte, quo a Thracia dividitur, ita dictas.

(m) *Lana*) *Vellus aureum.*

(n) *Quid referam*) Allud in Jasonem Medea commemorat beneficium; quæ Peliam ipsius filiarum manibus, pollicita se eum ad juvenilem ætatem reducturam, jugulavit.

(o) *Pietate*) Patri enim juvenilem ætatem, non mortem adferre arbitrabantur.

(p) *Cæsa*) Patrem vero illæ Medeæ hortatu dissecuerunt.

(q) *Ut*) *Quamvis*

(r) *Æsonia*) *Patris mei Æsonis.*

Ut subito nostras Hymen (s) cantatus ad aures
Venit, & accenso (t) lampades igne micant,
(u) Tibiaque (x) effundit socialia carmina vobis,
At mihi (y) funesta flebiliora tuba;
Pertimui; nec adhuc (z) tantum scelus esse putabam:
Sed tamen in toto pectore (a) frigus erat.
(b) Turba ruunt, & *Hymen*, clamant: *Hymenæe*, (c) frequentant.
Quo proprior vox hæc, (d) hoc mihi pejus erat.
(e) Diversi flebant (f) servi, lacrymasque tegebant.
Quis vellet tanti nuncius esse mali.
Me quoque, quidquid erat, potius (g) nescire juvabat:
(h) Sed tanquam scirem, mens mea tristis erat.
Cum minor e (i) pueris, (k) jussu (l) studioque videndi:
Constitit ad (m) geminæ limina prima (n) foris:
Hic mihi, *Mater*, *abi*; (o) *pompam pater*, inquit, *Jason*
Ducet; & (p) *adjunctos* (q) *aureus urget æquos*.

INTERPRETATIO.

Ut repente Hymen celebratus penetravit ad aures nostras, & faces fulgent igne excitato, & tibia vobis expromis carmina nuptialia, at mihi luctuosiora tuba lugubri; exterrita sum; nec arbitrabar adhuc tantum esse flagitium: sed tamen horror hærebat in toto pectore. Turba prorumpunt, & vociferantur. Hymen, Hymenææ *ingeminant. Quo hic sonus vicinior, eo mihi erat tristius. Servi disjecti lacrymabantur, & celabant lacrymas. Quis cuperet esse index tanti mali? Proderat me quoque ignorare potius quidquid erat; sed animus meus mœstus erat quasi cognovissem. Cum junior e pueris, missus, & desiderio inspiciendi, substitit ad prima limina portæ duplicis: Hic mihi*, Mater, excede, *ait*; pater Jason vehit pompam, & splendidus instat equis jugatis.

NOTÆ.

(s) *Cantatus*) *Canticus celebratus*.

(t) *Lampades*) *Faces*; in nuptiis Jasonis & Creusæ adhibitæ.

(u) *Tibiaque*) Vel ex Terentii fabulis; tibias nuptiis adhiberi solitas esse, clarum est.

(x) *Effundit*) ad Tibia carmen nuptiale cantabatur.

(y) *Funesta*) *Funeribus admoveri solita*.

(z) *Tantum*, *Ut*, *me spreta*, *aliam uxorem duceres*.

(a) *Frigus*) *Timor*, ex quo frigus.

(b) *Turba ruunt*) Pergit in describendis Jasonis cum Creusa nuptiis.

(c) *Frequentant*) *Ingeminant*; *iterum atque iterum*, de more, *invocant*.

(d) *Hoc*) *Tanto*.

(e) *Diversi*) Id est, *Hic*, *illic*, Gall. *Les uns d un coté, les autres d'un autre*. Ita & loquitur Sallustius alicubi in Jugurtha.

(f) *Servi*) *Mei*, scil. *quod me desertam viderent*.

(g) *Nescire juvabat*) Omne enim, quod est interea tempus, priusquam id rescitum, lucro est, ut habet Comicus.

(h) *Sed tanquam*) Sic & Terentius in Heaut.

Nescio quid profecto mihi animus præsagis mali.

(i) *Pueris*) Mermerum & Phereten Jasonis & Medeæ filios vocat Apollodorus.

(k) *Jussu*) *Meo*, scil.

(l) *Studioque*) Pueri enim nova omnia videre cupiunt.

(m) *Geminæ*) Gall. *a deux batans*.

(n) *Foris*) Genitivus singularis: In usu vero est tantum numerus pluralis.

(o) *Pompam*) *Apparatum nuptialem*.

(p) *Adjunctos*) *Currui junctos*.

(q) *Aureus*) *Auris vestibus ornatus*.

Pro-

Protinus abscissa planxi mea pectora veste:
  Tuta nec a digitis ora fuere meis.
Ire animus mediæ suadebat in (r) agmina turbæ,
  (ſ) Sertaque compositis demere rapta (t) comis.
Vix me continui, quin sic (u) laniata capillos
  Clamarem, (x) *Meus eſt;* (y) injiceremque manus.
Læſe pater, (z) gaude: Colchi gaudete relicti.
  (a) Inferias umbræ (b) fratris habete mei.
(c) Deseror (amissis regno patriaque domoque)
  Conjuge: qui nobis omnia solus erat.
(d) Serpentes igitur potui, taurosque furentes;
  Unum non potui perdomuisse virum?
Quæque feros populi doctis medicatibus ignes,
  Non valeo (e) flammas effugere ipsa meas?
Ipsi me (f) cantus, herbæque (g) artesque relinquunt?
  Nil (h) Dea, nil Hecates sacra potentis agunt?
Non mihi grata dies: noctes vigilantur amare:
  Nec tener in misero pectore somnus adest.
Quæ me non possum, potui sopire draconem.
  Utilior cuivis, quam mihi, (i) cura mea est.

INTERPRETATIO.

Statim percuſſi mea pectora, amictu laniato: nec vultus fuerunt ſecuri a meis unguibus. Mens impellebat ruere in agmina media turba, & auferre corollas dereptas capillis comtis. Vix me repreſſi quin ſic ſciſſa comam exclamarem, meus eſt; *& immitterem manus. Pater offenſe, lætator: Colchi deſerti lætemini: umbra fratris mei habete Inferias. Regno, & patria, & domo perditis, deſtituor marito, qui unicus erat nobis omnia. Ergo mihi licuit* vincere *& angues & tauros ſævos; non potui ſuperaſſe unum virum? Et ego quæ repreſſi ignes ſævos expertis medicaminibus; Ipſa non poſſum vitare ignes meos? Incantationes ipſæ, & herbæ, & artes deſtituunt me? Dea nihil* præſtat, *Sacra Proſerpinæ potentis nihil præſtant? Lux mihi diſplicet: noctes acerbæ pervigiles ducuntur: nec ſomnus mollis ſubit meum infelix pectus. Ego quæ potui ſoporem inducere ſerpenti, mihi non poſſum. Ars mea eſt opportunior cuivis quam mihi.*

NOTÆ.

(r) *Agmina) Multitudinem, quæ te, ſponſamque tuam comitabatur.*

(ſ) *Sertaque) Coronas.*

(t) *Comis) Sponſa tua*, ſcil.

(u) *Laniata capillos) Meos*, ſcil. Gall. *Qu' echevelée comme j' eſtois.*

(x) *Meus eſt) Jaſon*, ſcil.

(y) *Injiceremque manus) Ut meum aſſererem & vindicarem.* De manuum injectione jam aliquid diximus ſupra in Oreſte.

(z) *Gaude) Quia nunc graviſſimas perfidiæ meæ pœnas luo.*

(a) *Inferias)* Sunt inferiæ, ſacra ad mortuorum placandos Manes: quæ ex inimicorum morte & ſuppliciis erant gratiſſima.

(b) *Fratris) Abſyrti*, de quo antea.

(c) *Deſeror)* Quomodo plectatur enarrat.

(d) *Serpentes)* Quam bene, & appoſite in malorum ſuorum hæret contemplatione, & exulceratione!

(e) *Flammas) Amoris.*

(f) *Cantus) Incantationes.*

(g) *Arteſque) Magica*, ſcilicet.

(h) *Dea) Diana*; quæ & *Proſerpina*, ſeu *Hecate.*

(i) *Cura) In magica arte diligentia.*

Quos

Quos ego servavi, pellex amplectitur artus:
Et nostri fructus illa laboris habet.
Forsitan &, stultæ dum te (*k*) jactare maritæ
Quæris, & injustis auribus (*l*) apta loqui,
(*m*) In faciem moresque meos (*n*) nova crimina fingas.
Rideat, & vitiis (*o*) læta sit illa (*p*) meis.
(*q*) Rideat, & (*r*) Tyrio jaceat (*ſ*) sublimis in ostro;
Flebit: & ardores (*t*) vincet adusta meos.
Dum ferrum flammæque aderunt, (*u*) succusque veneni;
Hostis Medeæ nullus inultus erit.
(*x*) Quod si forte preces (*y*) præcordia ferrea tangunt;
Nunc animis audi verba (*z*) minora meis.
Tam tibi sum supplex, quam tu mihi sæpe fuisti:
Nec moror ante tuos procubuisse pedes.
Si tibi sum vilis; communes respice natos,
Sæviet in (*a*) partus dira noverca meos.
Et (*b*) nimium similes tibi sunt: & (*c*) imagine tangor:
Et, quoties video, (*d*) lumina nostra (*e*) madent.

INTERPRETATIO.

Adultera complectitur membra quæ ego vindicavi: & illa gaudet præmiis nostri laboris: Forte etiam, dum studes te efferre apud imperitam conjugem, & proferre idonea auribus iniquis, comminisceris inaudita probra in vultus & mores meos: illa rideat, & gaudeat meis probris: Rideat, & superba incumbat purpuræ Tyriæ. Ejulabit, & cremata superabit meos æstus: Dum ferrum & ignes suppetent, & humor veneni; nullus hostis Medeæ erit impunitus. Quod si forsitan preces movent dura tua viscera; nunc ausculta voces inferiores meis cogitationibus. Tam sum tibi demissa, quam tu fuisti mihi sæpe. nec abnuo prostratam fuisse ante tuos pedes. Si sum tibi contemnenda; intuere filios communes. Noverca crudelis sævitiem exercebit in natos meos. Et sunt tibi prorsus similes: & moveor similitudine: & quoties intueor, oculi nostri humescunt.

NOTÆ.

(k) *Jactare*) *Vous faire valoir.*

(l) *Apta*) *Quæ placeant.*

(m) *In faciem*) *Quod non sim pulcra.*

(n) *Nova*) *Inaudita & maxima.*

(o) *Læta*) Puellarum more, quæ aliarum vitiis delectantur, quod inde minus gratas eas fore sciant suis amasiis.

(p) *Meis*) *Quæ mihi affinges.*

(q) *Rideat*) Concessio est per indignationem.

(r) *Tyrio*) Laudatissima fuit Tyria purpura, sive ostrum.

(ſ) *Sublimis*) *Magnifica & superba, in solio sedens.*

(t) *Vincet*) *Magis ardebit.* Quod postea perfecit, nunc Medea minitatur; quæ in regiam ignem, quo & Creusa cremata est, immisit.

(u) *Succusque veneni*) *Venenum.*

(x) *Quod si*) Jam ad preces convertitur; si forte Jasonem flectere queat.

(y) *Præcordia*) *Tua*, scil. *o Jason.*

(z) *Minora*) *Quæ non respondeant superbiæ & iræ meæ.* Hinc summus magister Horatius lib. de Arte Poetica;

Sit Medea ferox, invictaque;

(a) *Partus*) *Liberos nostros, communes.*

(b) *Nimium*) Pro *valde*: Eoque sensu etiam apud Terentium legitur.

(c) *Imagine tangor*) Moveor: Non preces nudas, ut vides, Medea protulit: sunt enim quæ dicit amoris plena, & ad persuadendum maxime accommodata.

(d) *Lumina*) *Per radios, lucemque Solis avi mei.*

(e) *Madent*) *Rigantur lacrymis*

Per

Per superos oro, per avitæ lumina flammæ,
Per (*f*) meritum, & natos (g) pignora nostra duos:
Redde (*h*) torum: pro quo tot res (*i*) insana reliqui.
(*k*) Adde fidem dictis; auxiliumque (*l*) refer.
Non ego te imploro contra taurosque virosque;
Utque tua serpens victa (*m*) quiescat ope.
Te peto, quem merui, quem nobis (*n*) ipse dedisti;
Cum quo sum pariter facta parente parens.
Dos ubi sit, quæris: campo (*o*) numeravimus illo,
Qui tibi laturo vellus arandus erat.
Aureus ille aries villo spectabilis aureo,
Dos mea: Quam, dicam si tibi, redde; (*p*) neges.
Dos mea, tu sospes: dos est mea, (*q*) Graja juventus.
I nunc, (*r*) Sisyphias, improbe, (*ſ*) confer opes.
Quod vivis; quod habes (*t*) nuptam socerumque potentem,
Hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meum est.
Quos equidem (*u*) actutum! sed quid prædicere pœnam
Attinet? ingentes (*x*) parturit ira minas.
Quo feret ira, (*y*) sequar. facti fortasse (*z*) pigebit.
Et piget infido consuluisse viro.

INTERPRETATIO.

Precor per Deos; per radios solis aviti, per beneficia & duos filios pignora nostra, restitue lectum, cujus gratia amens tot res deserui. Prabe fidem dictis tuis, & opem prastita vicissim. Ego non te oro adversus boves & viros; & ut Draco superatus opera tua sopiatur. Te posco, quem merui, quem ipse tradidisti nobis: cum quo parente sum pariter facta parens. Petis ubi sit dos: exhibuimus illo agro qui erat findendus tibi rapturo vellus aureum. Ille aries aureus insignis lana aurea est *dos mea; quam, si dicam tibi, restitue, recuses. Dos mea, tu incolumis: juventus graca est dos mea. I nunc pessime, compara divitias Sisyphias cum meis. Quod vita frueris: quod habes maritam & socerum opibus pracellentem: hoc ipsum quod licet esse ingrato est meum. Quos equidem confestim: sed quorsum ante indicare supplicium? Ira concipit maximas minas. Faciam quod ira suadebit. Forte pœnitebit facinoris: pœnitet etiam favisse viro perfido.*

NOTÆ.

(f) *Meritum*) *Meum*, scil.

(g) *Pignora*) Liberi sunt matrimonii & amoris pignora.

(h) *Torum*) *Quem mihi demis, Creusæ tradis*. Id est, *Matrimonium nostrum firma.*

(i) *Insana*) *Amore demens.*

(k) *Adde fidem*) *Prastando quod pollicitus es.*

(l) *Refer*) *Sicut tibi auxilium tuli, parem gratiam referas.*

(m) *Quiescas*) *Dormiat.*

(n) *Ipse*) Id est, *Sponte tua; ultro*,

(o) *Numeravimus*) Beneficia maxima a se accepisse Jasonem, dotis loco, indicat.

(p) *Neges*) *Nolis mihi dare.*

(q) *Graia*) *A me tecum servata.*

(r) *Sisyphias*) Creontis, Sisyphi filii.

(ſ) *Confer*) *Cum meis compara.*

(t) *Nuptam*) *Creusam.*

(u) *Actutum*) Subauditur *puniam*, vel aliquid ejusmodi. Simile est illud Virgilii,
Quos ego.....sed motos, &c.

(x) *Parturit*) *Cogitat & emittere conatur*,

(y) *Sequar*) *Faciam quod ira suadebit.*

(z) *Pigebit*) *Me* scil. Ad terrorem incutiendum hæc sunt maxime idonea: sed & ad deterrendum locus est aptissimus.

(a) *Vide-*

(*a*) Viderit ista Deus, qui nunc mea pectora versat.
Nescio quid certe mens mea (*b*) majus agit.

INTERPRETATIO.

Deus iste consuluerit, qui nunc cor meum agitat: profecto mens mea nescio quid majus movet.

NOTÆ.

(a) *Viderit*) Gall. dicimus, *Il en arrivera ce qu' il plaira a Dieu*. At cum furore hæc sunt pronuntianda.

(b) *Majus*) *Maximum, & antea inauditum*: Illa vero ex Jasone liberos suos mactavit; regiam, ubi Creusa periit, venenis quibusdam accendit; deinde Thebas ad Herculem, servandorum Jasonis promissorum sponsorem profugit. Qua de re plurima, diversissima etiam Poetæ.

EPISTOLA DECIMATERTIA.

ARGUMENTUM.

Protesilaus Iphicli filius, ad Trojam quadraginta navibus (ut ait Homerus) navigans, cum cateeis Gracie Aulide, portu Bœotia, ob tempestatem clausus est. Quod dum intellexisset Laodamia Acasti ex Laodasbea filia, ejus uxor, sincere maritum amans, multis somniis perterrita, hanc epistolam ad eum scripsit: qua suadet, ut oraculi memor, a belli periculis abstineat. Datum enim Graecis fuerat eesponsum, eum, qui primus ex classe in terram Trojanorum descendisset, peeitueum. At Peotesilaus magnanimus, peimus exscendit, & ab Hectore occisus est.

LAODAMIA PROTESILAO.

Mittit, & optat amans, quo mittitur, ire salutem,
(*a*) Hæmonis Hæmonio Laodamia viro.
(*b*) Aulide te fama est vento retinente morari.
Ah! me (*c*) cum fugeres, (*d*) hic ubi ventus erat?
Tum freta debuerant vestris obsistere remis.
Illud erat sævis (*e*) utile tempus aquis.
Oscula plura viro, (*f*) mandataque plura dedissem:
Et sunt quæ volui dicere plura tibi.

INTERPRETATIO.

Laodamia Hæmonis amans mittit salutem marito Hæmonio, & eam cupit pervenire quo mittitur, Rumor est te manere in Aulide vento obstante. Ah! Ubinam erat hic ventus cum a me discederes? Tum maria debueeant adveesus vestros remos niti. Illud tempus erat aptum aquis furentibus. Pluribus suaviis & pluribus mandatis maritum cumulassem: & sunt plura quæ volui tibi dicere.

NOTÆ.

(a) *Æmonis*) *Thessalica*, ab Æmo monte.

(b) *Aulide*) Aulis, oppidum & portus Bœotiæ, ubi Dianæ ira, ob cervam ab inscio Agamemnone interfectam, Græci Trojam navigaturi, tempestate, donec ille filiam Iphigeniam immolaret, retenti sunt.

(c) *Cum fugeres*) Istud ex desiderio dictum, & affectu: non enim fugit Protesilaus.

(d) *Hic*) *Qui te apud me retinuisset*.

(e) *Util.*) *Quia te mihi servasset*.

(f) *Mandataque*) Hortata esset amplius, ut sibi prospiceret, &c.

Raptus

Raptus es hinc *(g)* præceps: &, qui tua vela vocaret,
Quem cuperent nautæ, *(h)* non ego, ventus erat.
Ventus erat nautis aptus, non aptus amanti.
Solvor ab amplexu Proteſilae tuo;
Linguaque mandantis verba *(i)* imperfecta relinquit.
Vix illud potui dicere triſte Vale.
(k) Incubuit *(l)* Boreas, abreptaque vela tetendit.
Jamque meus longe Proteſilaus erat.
Dum potui ſpectare virum, ſpectare juvabat:
Sumque *(m)* tuos oculos uſque ſecuta meis.
Ut te non poteram, poteram tua vela videre:
Vela diu vultus detinuere meos.
At poſtquam nec te, nec vela fugacia vidi;
Et quod ſpectarem. nil, niſi pontus, erat;
Lux quoque tecum *(n)* abiit, *(o)* tenebris exanguis obortis
(p) Succiduo *(q)* dicor procubuiſſe genu.
Vix ſocer Iphiclus, vix me (r) grandævus Acaſtus,
Vix (ſ) mater gelida mœſta refecit aqua.
Officium fecere pium, ſed *(t)* inutile nobis:
Indignor miſeræ non licuiſſe mori.
Ut rediit animus, pariter rediere dolores;
Pectora legitimus caſta momordit amor.

INTERPRETATIO.

Ablatus es hinc feſtinus: & ventus ſtabat qui cieret tua vela; quem nautæ expeterent, non ego. Ventus erat favens nautis, non amanti. Disjungor ab amplexu tuo, Proteſilae. Et lingua admonentis deſtituit voces incompletas. Vix potui proferre mœſtum illud, Vale. Aquilo irruit, & inflavit carbaſa correpta. Jamque meus Proteſilaus erat longe. Dum potui aſpicere maritum, proderat aſpicere: & ſum proſequuta tuos oculos meis. Cum te non poſſem, poteram tua vela cernere: Vela diu retinuerunt oculos meos. At poſtquam neque reſpexi te, neque vela fugientia, & nihil erat quod aſpicerem niſi mare; lumen quoque tecum exceſſit, caligine inducta perhibeor exanguis cecidiſſe, genu vacillante. Vix ſocer Iphiclus, vix Acaſtus ſenex, vix mater triſtis me reſtituit aqua frigida. Præſtiterunt officium pium, ſed nobis ineptum. Doleo non licuiſſe infelici obire. Poſtquam animus rediit, dolores pariter redierunt; amor pudicus cor caſtum conſtrinxit.

NOTÆ.

(g) *Præceps*) *Feſtinus.*

(h) *Non ego*) Quia vento ſecundo Proteſilao erat diſcedendum.

(i) *Imperfecta*) *Non potui, quæ dicere volebam, abſolvere.*

(k) *Incubuit*) *Conſtanter flavit.*

(l) *Boreas*) Qui ventus ab axe ſpirans; primo, Proteſilao a Moloſſis, Theſſaliaque ora occidentali, ad Aulidem Trojamque navigaturo, ſecundus fuit.

(m) *Tuos oculos*) Id eſt, *Cum tu oculos ad me converteres, ego etiam ad te aſſidue reſpiciebam.*

(n) *Abiit*) *Ex meis oculis*, ſcil.

(o) *Tenebris*) *Inducta ante oculos caligine.* Quod iis ſolet accidere qui animi patiuntur deliquium.

(p) *Succido*) *Debili, & ad cadendum prono.*

(q) *Dicor*) *Nam ipſa quid egerim neſcio.*

(r) *Grandævus*) *Senex, pater meus.*

(ſ) *Mater*) *Mea.*

(t) *Inutile*) *Quia melius fuiſſet mori, quam tantis de te curis vexari.*

Nec

Nec mihi pectendos cura est præbere capillos:
Nec libet aurata corpora veste tegi.
Ut quas (*u*) pampinea tetigisse (*x*) bicorniger hasta
Creditur, huc illuc, quo furor egit, eo.
Conveniunt matres (*y*) Phylleides, & mihi clamant,
Indue regales, Laodamia, sinus.
(*z*) Scilicet ipsa geram saturatas (*a*) murice vestes:
Bella sub (*b*) Iliacis mœnibus (*c*) ille gerat?
Ipsa (d) comas pectar: galea caput ille prematur?
Ipsa novas vestes: dura vir arma ferat?
(*e*) Qua possum, (*f*) squalore tuos imitata labores
Dicar: & hæc belli tempora tristis agam.
Dux Pari Priamide, (*g*) damno formose tuorum,
(*h*) Tam sis hostis iners, quam malus (*i*) hospes eras.
Aut te (*k*) Tanariæ faciem (*l*) culpasse maritæ,
Aut illi vellem displicuisse tuam.
Tu, qui pro rapta nimium, Menelae, laboras,
Hei mihi, quam (*m*) multis flebilis ultor eris.

INTERPRETATIO.

Nec volo tradere comam ornandam: nec placet corpora velari amictu aurato: Incedo huc illuc, quo tulis impetus, ut quas Bicorniger existimatur pertulisse hasta pampinea. Matronæ Phylleides confluunt & mihi clamant. Laodamia sume vestes regias. *Scilicet ipsa induam vestimenta bis tincta murice: Ille bella moveat sub muris Trojanis? Ipsa ornem capillos, ille urgeatur caput casside? Ipsa* geram *amictus splendidos; vir gerat arma aspera? Dicar imitata tuos labores sordibus quantum queo: & mœsta ducam hac belli spatia. Pari, dux Priamide, speciose detrimento tuorum, tam sis hostis ignavus, quam eras hospes infidus. Vel vellem te vituperasse vultue uxoris Tanariæ: vel tuos illi minus placuisse. Tu Menelae, qui es nimium anxius pro sublata, Hei mihi, quantum eris vindex luctuosus multis!*

NOTÆ.

(u) *Pampiaea*) Thyrsum intelligit; quod fuit telum, seu gestamen aut sceptrum Bacchi, vel hasta Pampinis hederisque obducta, quo qui tacti essent furore, pro quo etiam quandoque thyrsus sumitur, corripiebantur.

(x) *Bicorniger*) Bacchus est, cui cornua propter vini effectus Poetæ affixerunt.

(y) *Phylleides*, *Thessalitæ*; a Phyllo Thessaliæ urbe. Alii habent *Phylaceides*, quod minus Heinsio placuit; quia plerumque a Poeta geminatol, producitur.

(z) *Scilicet*) Responsio est Laodamiæ; ad id quod suadebant matronæ, ut vestes indueret pretiosas: dicitque illud non decere, quandiu maritus suus periclitaretur.

(a) *Maurice*) Murex piscis est, cujus sanguine tinguntur lanæ. *Dibapham* vero vocabant purpuram bis tinctam, & murice saturatam, quæ arat pretiosissima.

(b) *Iliacis*) *Trojanis*. Ilium enim Trojana est civitas, ab illo rege, a quo ampliata fuit, sic dicta.

(c) *Ille*) *Protesilaus*.

(d) *Comas pectar*) Elegans Græcismus: quanquam alii habent *pectam*.

(e) *Qua possum*) *Quantum possum*. Alii habent *quo*, squalore scilicet.

(f) *Squalore*) *Sorde & corporis neglectu*.

(g) *Damno*) Nam illius causa Patria aversa est.

(h) *Tam fis*) *Ne Protesilao meo noceat*.

(i) *Hospes*) *Cum apud Menelaum esses, cujus perfidiose uxorem, clam subduxisti*.

(k) *Tanaria*) *Helena*, a Tænaro Laconiæ, unde exorta ast, promontorio.

(l) *Culpasse*) Quod si fecisset, neque Helenam amasset; neque rapuisset; nequa inda ortum bellum esset, neque Protesilaus abivisset.

(m) *Multis flebilis*) Quia multi hac tua ultione peribunt.

Di·

Di, precor, a nobis (*n*) omen removete sinistrum:
Et sua (*o*) det (*p*) reduci vir meus arma Jovi.
Sed timeo: quotiesque subit miserabile bellum,
More nivis lacrymæ sole (*q*) madentis eunt.
Ilion & (*r*) Tenedos, (*s*) Simoisque & Xanthus & (*t*) Ide,
Nomina sunt ipso pæne (*u*) timenda sono.
Nec (*x*) rapere ausurus, nisi se defendere posset,
(*y*) Hospes erat: vires noverat ille suas.
Venerat (ut fama est) multo spectabilis auro,
Quique suo Phrygias (*z*) corpore ferret opes.
Classe virisque (*a*) potens, per quæ fera bella geruntur:
Et sequitur regni pars (*b*) quotacunque sui.
(*c*) His ego te (*d*) victam, (*e*) consors (*f*) Ledæa (*g*) gemellis,
Suspicor; (*h*) hæc (*i*) Danais posse nocere puto.
Hectora (*k*) nescio quem timeo. Paris (*l*) Hectora dixit
Ferrea sanguinea bella movete manu.

INTERPRETATIO.

Dii, oro avertite a nobis malum præsagium; & maritus meus suspendat arma sua Jovi reduci. Sed metuo; & quoties in mentem venit bellum lamentabile; lacrymæ fluunt in modum nivis Sole liquescentis. Ilion & Tenedos, & Simois, & Xanthus, & Ide sunt nomina fere metuenda ipso sono. Nec hospes conatus esset Helenam abducere, nisi posset se tueri: ille cognoverat suas opes. Accesserat (ut fama fertur) insignis multo auro, & qui gestaret corpore suo divitias Phrygias. Potens classe, & viris, per qua bella sæva administrantur: & quotacunque pars regni sui eum comitatur. Ego conjicio te o conjuncta Ledæ geminis, superatam fuisse istis: arbitror hæc posse officere Græcis. Reformido nescio quem Hectorem. Paris dixit Hectorem gerere fera bella manu cruenta.

NOTÆ.

(n) *Omen* Ominosum videbatur, quod multis flebilem Menelaum dixisset, non enim de nihilo, sed propter maritorum mortem fleturas matronas Græcas intelligendum est: Adeoque addidit Laodamia *Di precor*, &c.

(o) *Det*) *De more appendat, & sacra faciat.*

(p) *Reduci*) *Redactori, Conservatori.*

(q) *Madentis*) *Humescentis & liquescentis.*

(r) *Tenedos*) Insula in Trojæ conspectu.

(s) *Simoisque & Xanthus*) Sunt agri Trojani rivuli.

(t) *Ide*) Ide, seu Ida, mons Phrygiæ.

(u) *Timenda*) Timidæ, scil. & delicatulæ puellæ, quæ sibi, extra domum attonita, omnia fingit aspera.

(x) *Rapere*) Helenam, scilicet.

(y) *Hospes*) *Paris.*

(z) *Corpore*) Ex quo, illum, qui vidisset tam magnifice ornatum, quam dives esset Phrygia, poterat judicare.

(a) *Potens*) Supple, *Paris venerat.*

(b) *Quotacunque*) Id est, *minima sequitur, Unde conjicere licet, quantis sit Paris ille instructus viribus.*

(c) *His*) *Magnifico Paridis ornatu, viribusque*

(d) *Victam*) *Ad illum amandum inductam.*

(e) *Consors*) *Soror.*

(f) *Ledæa*) *Leda matre orta.*

(g) *Gemellis*) *Castori & Polluci*; qui gemini fuerunt, non eodem ovo, ut male annotaverunt, sed eodem partu editi.

(h) *Hæc*) *Vires & divitiæ.*

(i) *Danais*) *Græcis*; a Danao Argivorum rege.

(k) *Nescio quem*) Fortissimum intelligit; atque hæc, ex puellæ ingenio, itemque decoro, timorem auget dubitatio.

(l) *Hectora*) Accusat. Græcorum more. Fuit vero Hector Priami filius.

Hectora, quisquis is est, si sum tibi cara, caveto:
Signatum memori pectore (*m*) nomen habe.
Hunc ubi vitaris, alios vitare memento:
Et multos illic (*n*) Hectoras esse puta.
Et facito dicas, quoties pugnare parabis,
Parcere me jussit Laodamia (o) sibi.
Si cadere (*p*) Argolico fas est sub milite Trojam;
Te quoque non ullum vulnus habente cadat.
Pugnet, & adversos tendat (*q*) Menelaus in hostes:
(*r*) Ut rapiat Paridi, quam Paris ante sibi.
Irruat; & (*s*) causa quem vincit, vincat & armis.
Hostibus e mediis nupta petenda viro est.
Causa tua est (*t*) dispar, tu tantum vivere (*u*) pugna;
Inque pios dominæ posse redire sinus.
Parcite, (*x*) Dardanidæ, de tot (precor) hostibus uni:
Ne meus ex (*y*) illo corpore sanguis eat.
(*z*) Non est, quem deceat nudo concurrere ferro,
Sævaque in oppositos pectora ferre viros.
(*a*) Fortius ille potest, multo quum pugnat amore,
Bella gerant alii; Protesilaus amet.

INTERPRETATIO.

Vitato Hectorem, quisquis is est, si sum tibi dilecta. Gere nomen illud notatum mente memori. Ubi effugeris hunc, cogites effugere alios: & crede multos Hectoras illic esse. Et cura ut dicas, quoties te instrues ad pugnam, Laodamia mihi imperavit sibi indulgere. *Si fas est Trojam ruere sub milite Argolico; ruat te quoque nulla plaga impedito. Menelaus certet, & eat in hostes oppositos; ut auferat Paridi, quam Paris ante sibi* abstulit. *Irrumpat; & superet armis quem superat causa. Uxor petenda est viro e mediis hostibus. Causa tua est dissimilis: tu certa tantum vivere, & posse reverti in pium gremium Dominæ. Dardanidæ, ignoscite, (quæso) uni de tot hostibus: ne meus sanguis fluat ex illo corpore. Non est cui sic decorum confligere stricto gladio, & agere ferocia pectora in viros adversos. Ille potest generosius, cum certat multo amore. Alii bella moveant; Protesilaus amet.*

NOTÆ.

(m) *Nomen habet*) *Ut semper ab illo caveas*

(n) *Hectoras*) Id est, *multos, a quibus caveas, viros fortissimos,*

(o) *Sibi*) Indicat se, ex amore, non nisi in Protesilao vivere.

(p) *Argolico*) *Græco:* Ab Argo, quæ duplex fuit Græcorum civitas; seu Argolide, eorum Provincia.

(q) *Menelaus*) *Cujus uxoris causa bellum inceptum.*

(r) *Ut rapiat*) Heinsius hunc versum cum sequenti a Puteaneo & Lovaniensi codice abesse testatur.

(s) *Causa quem vincit*) Potior Menelai, cui rapta conjux, causa fuit, quam Paridis, qui illam rapuerat.

(t) *Dispar*) *Nam domi uxorem tuam habes: Unde non tibi pugnandum ut illam habeas: sed ut vivas.*

(u) *Pugna*) Prorsus Protesilao adversus seipsum pugnare opus fuisset, ne tam acriter in hostes, animi primo impetu victus, irrueret

(x) *Dardanidæ*) Trojanos, non sine maximo affectu, tanquam præsentes essent, compellat. Illos a Dardano suo rege eo nomine appellatos antea diximus.

(y) *Ille*) *Mariti mei Protesilai, in quo ego vivo.*

(z) *Non est*) *Supple maritus meus.*

(a) *Fortius*) Suum dicit Protesilaum melius Cupidinis, quam Martis castra sequi: quod quidem ex Laodamiæ votis intelligendum, quæ illum ab hostibus Trojanis in hostium numero non cupit recenseri.

Nunc

(*b*) Nunc fateor; volui (*c*) revocare; animusque (*d*) ferebat.
Substitit auspicii lingua (*e*) timore mali.
Cum foribus velles ad Trojam exire paternis,
Pes tuus offenso limine (*f*) signa dedit.
Ut vidi, ingemui; tacitoque in pectore dixi:
Signa (g) reversuri sint precor ista viri.
Hæc tibi nunc refero, ne sis (*h*) animosus in armis:
Fac meus (*i*) in ventos hic timor omnis eat.
Sors quoque (*k*) nescio quem (*l*) fato designat iniquo,
Qui primus Danaum (*m*) Troada tangat humum.
Infelix; quæ prima virum lugebit ademtum!
Di faciant, (*n*) ne tu strenuus esse velis!
Jnter mille rates tua sit, (o) millesima puppis,
Jamque (*p*) fatigatas ultima verset aquas.
Hoc quoque præmoneo: de nave novissimus exi.
Non est, quo properes, (*q*) terra paterna tibi.
Cum (*r*) venies, (*ſ*) remoque move veloque (*t*) carinam
Inque tuo celerem littore siste gradum.

INTERPRETATIO.

Nunc agnosco; volui te retrahere; & mens suadebat. Lingua retenta est metu mali ominis. Cum velles excedere limine paterno ad Trojam, pes tuus omina fecit limine percusso. Ut aspexi, ingemui; & dixi in pectore secreto: oro ista sint indicia mariti redituri. *Nunc hac tibi narro, ne sis audax in armis: fac hic omnis metus vanescat in auras. Sors etiam destinat nescio quem morte injusta, qui primus Danaum attingat solum Trojanum. Misera quæ prima flebis maritum sublatum! Dii præstent ne tu velis esse generosus! Inter mille naves tua sit navis millesima, & postrema eruat undas lassas. Hoc quoque ante hortor; prodito ultimus e nave. Solum non est tibi patrium, quo festines. Cum reverteris, impelle navem remo & velo: & fige pedem velocem in tuo littore.*

NOTÆ.

(b(*Nunc fateor*) *Quod antea non sum ausa dicere; ne male ominari viderer, illud jam moneo.*

(c) *Revocare*) *Impedire ne ad bellum Trojanum ires.*

(d) *Ferebat*) *Cupiebat.*

(e) *Timore*) *Timeas ne male ominari viderer*: quod jam dixi:

(f) *Signa*) *Auguria, Omina, Præsagia;*

(g) *Reversuri*) Malum erat omen ita cespitasse: quod satis indicavit: At nequidem vult illud effari.

(h) *Animosus*) *Audax, qui in omne discrimen irruat.*

(i) *In ventos*) *De nihilo me invaserit; vanusque sit.*

(k) *Nescio quem*) Fuit ille ipse Protesilaus.

(l) *Fato*) *Morti.*

(m) *Troada*) *Troas* vocatur regio Trojana; ex qua patronymicum masculinum *Tros, Trois,* & fœminin. *Troas, Troadis.*

(n) *Ne tu strenuus*) Id est, *ne tu primus pereas*: Sed vocibus abstinet ominosis.

(o) *Millesima*) *Ultima, quæ terram attingat.*

(p) *Fatigatas*) *Aliorum remis agitatas.*

(q) *Terra paterna*) *Ubi ab amicis excipiaris, sed inimica.*

(r) *Venies*) *Reverteris in Patriam.*

(ſ) *Remo*) *Ocyssime redi.*

(t) *Carinam*) *Navem.* Pars posita est pro toto; est enim carina navis pars ima.

Sive latet (*u*) Phœbus, seu terris altior extat,
 Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte, venis.
Nocte tamen, quam luce, magis, nox (*x*) grata puellis:
 Quarum suppositus colla (*y*) lacertus habet.
(*z*) Aucupor in lecto mendaces (*a*) cælibe somnos:
 Dum careo veris, gaudia falsa juvant.
Sed tua cur nobis pallens occurrit imago?
 Cur venit a verbis multa querela tuis?
(*b*) Excutior somno; (*c*) simulacraque noctis adoro,
 Nulla caret (*d*) fumo Thessalis ara meo.
Thura (*e*) damus, lacrymamque super; (*f*) qua sparsa relucet,
 Ut solet adfuso surgere flamma mero.
(*g*) Quando ego, te reducem cupidis amplexa lacertis,
 Languida lætitia (*h*) solvar ab ipsa mea?
Quando erit, ut lecto mecum bene junctus in uno
 Militiæ referas splendida facta tuæ?
Quæ mihi dum referes; quamvis audire juvabit;
 Multa tamen capies oscula, multa dabis.
Semper (*i*) in his (*k*) apte narrantia verba (*l*) resistunt.
 (*m*) Promptior est (*n*) dulci lingua referre mora.

INTERPRETATIO.

Sive Sol absconditur, seu sublimior terris eminet: tu mihi occurris dolor de die, tu mihi dolor *de nocte. De nocte tamen magis quam de die; Nox suavis puellis: quarum cervicem brachium subjectum amplectitur. Capto somnos fallaces in lecto viduo. Gaudia ficta prosunt, dum destituor veris. Sed quamobrem tua species nobis sistitur pallida? Quamobrem multa querimonia oritur ex verbis tuis? Somno excutior: & veneror imagines noctis. Nullum altare Thessalicum destituitur fumo meo. Exibemus thura & lacrymas super ea, quibus irrigata, flamma micat ut solet erumpere vino instillato. Quando ego, complexa te reducem ulnis avidis, deliquium patiar ipsa deficiens meo gaudio? Quando erit, ut bene mecum compositus in uno toro narres strenua facta militia tuæ? Quæ dum mihi narrabis, quamvis gratum erit auscultare; tamen multa sumes oscula, offeres multa. Voces quæ aliquid referunt semper commode in his hærent. Lingua est paratior narrare suavi mora.*

NOTÆ.

(u) *Phœbus*) Sive *Sol*. Dicit se diu noctuque de Protesilao anxiam esse.

(x) Grata) Adeoque ingrata, cum maritus abest.

(y) *Lacertus*) Mariti, scilicet.

(z) *Aucupor*) *Studeo læta de te somniare.*

(a) *Cælibe*) *Viro destituto.*

(b) *Excutior*) Subito excitor. Gall. *Je m' eveille en sursaut.*

(c) *Simulacraque noctis*) *Nocturnas umbras, quæ in somnis tuam imaginem mihi repræsentant.*

(d) *Fumo*) Id est, *Sacrificio.*

(e) *Damus*) *Focis injcimus.*

(f) *Qua*) In aliis est, *quæ sparsa relucent.* Sic vero referendum ad thura, non ad flammam.

(g) *Quando*) Affectum auget interrogatio, cum exclamatione.

(h) *Solvar*) Nimio gaudio etiam animi deliquium patimur.

(i) *In his*) *Osculis.*

(k) *Apte*) *Cum jucunditate & voluptate.*

(l) *Resistunt*) *Abrumpuntur.*

(m) *Promptior*) *Paratior.*

(n) *Dulci*) *Quam fecerunt oscula.*

Sed

Sed cum Troja (*o*) subit, subeunt ventique fretumque;
Spes bona sollicito victa timore cadit.
Hoc quoque, quod venti (*p*) prohibent exire carinas,
Me movet: invitis ire paratis aquis.
Quis velit in patriam vento prohibente reverti?
A patria pelago vela vetante datis.
Ipse (*q*) suam non præbet iter Neptunus ad urbem.
(*r*) Quo ruitis? vestras quisque redite domos.
Quo ruitis, Danai; ventos audite vetantes.
Non subiti casus, (*ſ*) numinis ista mora est.
Quid petitur tanto, nisi turpis adultera, bello?
Dum licet, (*t*) Inachiæ (*u*) vertite vela rates.
(*x*) Sed quid ego revoco hæc? omen revocantis abesto,
Blandaque compositas aura (*y*) secundet aquas.
(*z*) Troasin invideo, quæ si lacrymosa suorum
(*a*) Funera conspicient, (*b*) nec procul hostis erit;

INTERPRETATIO.

Sed cum Troja occurrit, occurrunt etiam venti & mare? spes bona superata metu anxio dilabitur. Hoc quoque me percellit quod auræ obstant ne naves discedant. Instituitis discedere aquis retinentibus. Quis cupiat redire in patriam vento obstante? Panditis vela a patria mari prohibente. Neptunus ipse non dat viam ad urbem suam. Quo prorumpitis? Quisque repetite vestras domos. Quo prorumpitis Danai? auscultate auris prohibentibus. Ista retardatio est Dei, non casus repentini. Quid quæritur tanto bello nisi infamis adultera? Naves Inachiæ flectite carbasa dum datur. Sed quid ego hæc repeto? Augurium repetendis abesto, & lenis aurea faveat aquis quietis. Æmulor Trojanis: quæ si intuebuntur flebiles cædes suorum, nec hostis erit longe.

NOTÆ.

(o) *Subit*) *In mentem recurrit.* Sic Gall. dicimus: *Mais quand je songe.*

(p) *Probibent*) Illud supra vidimus.

(q) *Suam*) Quia, cum Apolline, Trojæ mœnia ædificaverat.

(r) *Quo ruitis*) Vim habet maximam & affectum hæc iteratio. Tantum non inconsideratos & insanos vocat Danaos.

(ſ) *Numinis*) *Neptuni Dei, cui non posstis resistere.*

(t) *Inachiæ*) *Argivæ seu Græcæ*; A prisco Argivorum rege Inacho.

(u) *Vertite vela*) *Adeoque in patriam revertimini.*

(x) *Sed quid ego*) Mire hic variant libri veteres, quorum nonnulli.

Sed quid ago revocans? revocantis nomen abesto.

Longum esset omnia referre. Heinsius putat scribendum,

Sed quid ego hos revoco, revocaminis omen abesto,

Sensus vero apertissimus est. Malum omen ex voto & revocatione sua Laodamia metuens, correptione utitur; conceditque, ut Græci ad Trojam ire pergant.

(y) *Secundet*) *Navigationi vestræ faventes efficiat.*

(z) *Troasin*) *Troas invideo* habebat Puteaneus: Unde Salmasius, τῷ in geminato, feliciter, teste Gronovio *Troasin invideo*, tertio casu Græco plurali, reponebat. Quod ut approbet Heinsius, quædam ex Propertio similia loca citat. Nihil vero adversus tantos viros ausim proferre: quanquam hanc fateor correctionem mihi non arridere. Accusativus equidem solus vulgo cum verbo *invideo* non ita construitur; at nolim ideo affirmare Ovidium non ita scripsisse.

(a) *Funera*) *Cædes.*

(b) *Nec procul*) *Unde sequitur, quod suos maritos sæpe videbunt uxores Trojanæ*; nam istud intelligendum; ne beneficii loco, quod pessimum est, arripuisse Laodamia videatur.

Ipsa suis manibus forti nova nupta marito
Imponet galeam, (c) barbaraque arma dabit.
(d) Arma dabit: dumque arma dabit, simul oscula sumet.
Hoc genus officii dulce duobus erit.
(e) Producetque virum; dabit & mandata reverti:
Et dicet, *Referas ista (f) face arma Jovi.*
Ille, ferens dominæ mandata recentia secum,
Pugnabit caute, respicietque domum.
Exuet hæc reduci clypeum, galeamque resolvet.
Excipietque suo pectora lassa sinu.
(g) Nos sumus (h) incertæ: nos anxius omnia cogit,
Quæ possunt fieri, facta putare, timor.
Dum tamen arma geres (i) diverso miles in orbe,
Quæ referat vultus est mihi (k) cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus: amplexus accipit illa meos.
Crede mihi, (l) plus est, quam quod videatur imago.
Adde (m) sonum ceræ; Protesilaus erit.
Hanc specto, teneoque sinu pro conjuge vero:
Et tanquam possit verba referre, (n) queror.

INTERPRETATIO.

Nova nupta ipsa aptabit cassidem manibus suis strenuo marito, & exhibebit arma barbara. Exhibebit arma: & dum arma exhibebit simul capiet oscula. Hoc genus officii erit suave ambobus. Et detinebit maritum, & admonebit redire: & dicet, vide ut reportes ista arma Jovi. Ille secum portans jussa nova Domina, certabit provide & oculos convertet ad domum. Hac detrahet scutum reduci, & casside levabit, & recipiet pectora defessa gremio suo. Nos sumus dubia: metus sollicitus subigit credere acta omnia qua possunt evenire. Dum tamen arma tractabis, miles in terris remotis, est mihi cera qua exhibeat faciem tuam. Loquimur illi blanditias, loquimur *illi verba tibi debita; illa fruitur meis amplexibus. Fidem mihi habeto; plus est effigies quam quod videatur. Adjice vocem imagini, erit Protesilaus. Hanc intueor, & & teneo gremio pro vero marito, & conqueror quasi possit voces reddere.*

NOTÆ,

(c) *Barbaraque*) Epitheton vagum. Arma intellige simpliciter: quamvis barbara vocavit, quia barbarorum Trojanorum.

(d) *Arma dabit*) Repetit quod Trojanis mulieribus invidet, quasi arma ab uxore tradita vim majorem habeant: quod forte suo modo verum est.

(e) *Producetque*) Retardabit: Ne tam cito in pericula veniat.

(f) *Face*) *Fac.* Imperativus antiquorum more.

(g) *Nos*) *Mulieres Græcæ; quæ tam longe a maritis dissitæ sumus.*

(h) *Incertæ*) *Quid agant*, scil. *mariti nostri; quid sperandum sit*, &c.

(i) *Diverso*) *In terris longe remotis*: In Asia, ubi Troja fuit.

(k) *Cera*) Ex qua Protesilai imago ficta erat.

(l) *Plus est*) Ex maximo erga Protesilaum amore, dicit, se majori in ejus deosculandæ imagine, voluptate frui, quam cuiquam videretur.

(m(*Sonum*) vocem.

(n) *Queror*) *Apud illam imaginem*, scil. *tanquam mihi respondere posset.*

Per

Per reditus, corpusque tuum mea numina juro;
  Perque (*o*) pares animi conjugiique faces:
Perque, quod ut videam canis (*p*) albere capillis,
  Quod tecum possis ipse referre, caput;
Me tibi (*q*) venturam comitem, quocunque vocaris:
  Sive, (*r*) (quod heu timeo?) sive superstes eris.
Ultima mandato claudetur epistola parvo.
  Si tibi cura mei, sit tibi cura tui.

INTERPRETATIO.

Juro per regressus, & corpus tuum mea numina; & per faces simul animi & conjugii; & per caput quod ipse possis tecum reportare, ut videam canere alba coma, me accessuram tibi comitem quocunque jusseris: sive (quod heu metuo!) sive eris superstes. Infima littera finietur parvo monito. Curam geras tui, si me amas.

NOTÆ.

(o) *Pares animi*) *Quæ me tibi pariter animo & corpore conjunxerunt.*

(p) *Albere*) *Senescere*. Metonymia est.

(q) *Venturam*) *Etiam morituram; si ipse moriaris.*

(r) *Quod heu timeo*) Id est, *Sive interficiaris*. Cavit autem vocibus uti ominosis.

EPISTOLA DECIMA QUARTA.

ARGUMENTUM.

Danaus, Beli prisci filius, ex pluribus conjugibus quinquaginta filias suscepit: quas, cum Ægyptus ejus frater, cui totidem erant filii, rogasset sibi nurus. Danaus oraculi responso comperto, se manibus generi moriturum, volens periculum evitare, conscensis navibus Argos venit. Indignatur Ægyptus, quod spretus esset, filiosque cum exercitu ad illum oppugnandum mittit, hac lege, ne non nisi interempto Danao ad se redirent, aut filiarum connubia iniissent. Ille autem obsidione coactus, filias se daturum spopondit. Sed puellæ, accepto a patre gladio, ut jussum erat, prima nocte, cum vino lætitiaque calentes; juvenes arctissimo somno essent sopiti, unaquæque suum jugulavit: Hypermnestra excepta, quæ Lino, quem Eusebius Lynceum appellat, marito suo pepercit, suasitque, ut ad patrem Ægyptum, detecto facinore, quam primum fugeret. Sed cum pater Danaus ab omnibus perfectum facinus intellexisset, præterquam ab Hypermnestra, eam crudelissime vinctam in carcerem compegit. Quare maritum hac epistola rogat, ut vel opem ferat, vel si mori contingat, sepultura honore non careat. Sed a Lino tandem, Danao trucidato, fuit liberata.

HYPERMNESTRA LYNCEO.

(*a*) MIttit Hypermnestra de tot modo (*b*) fratribus uni:
  Cætera nuptarum crimine (*c*) turba jacet.

INTERPRETATIO.

Hypermnestra scribit uni de tot modo fratribus: cæteri perierunt flagitio uxorum

NOTÆ.

(a) *Mittit*) Epistolam, scil.

(b) *Fratribus*) Patruelibus Hypermnestræ.

(c) *Turba*) *Fratres tui, a sororibus meis interfecti.*

Clausa domo teneor, gravibusque coercita vinclis,
Est mihi supplicii causa, fuisse (*d*) piam.
Quod manus extimuit (*e*) jugulo dimittere ferrum,
Sum rea: laudarer, (*f*) si scelus ausa forem.
Esse ream præstat, quam sic placuisse parenti.
Non piget immunes cædis habere manus.
Me pater igne licet, (*g*) quem non violavimus, urat;
Quæque aderant (*h*) sacris, (*i*) tendat in ora faces;
Aut illo jugulet, quem (*k*) non bene tradidit, ense;
Ut qua non cecidit vir nece, nupta cadam;
Non tamen, ut dicant morientia, *Pœnitet*, (*l*) ora,
Efficiet, (*m*) non sum, quam piget esse piam.
(*n*) Pœniteat sceleris Danaum sævasque sorores.
(*o*) Hic solet eventus facta nefanda sequi.
Cor pavet (*p*) admonitu (*q*) temeratæ sanguine noctis.
Et subitus (r) dextræ præpedit ossa tremor.
(*ſ*) Quam (*t*) tu cæde putes fungi potuisse (*u*) marita,
Scribere de facta (*x*) non sibi cæde timet.

INTERPRETATIO.

Detineor domo conclusa, & constricta ponderosis catenis. Est mihi causa pœna, fuisse piam. Arguor quod dextra verita est exigere ensem per fauces tuas: celebrarer si audax fuissem ad flagitium. Satius est ream argui, quam sic gratam fuisse patri. Non pœnitet habere manus insontes homicidii. Quamvis pater me incendat igne quem non temeravimus, & immittat in faciem tædas quæ aderant sacris; aut mactet gladio quem male exhibuit, quamvis ea morte occumbam qua maritus non occubuit; non tamen adiget ut ora occumbentia proferant. Pœnitet: *non sum quam pigeat esse piam. Pigeat Danaum & sorores crudeles flagitii. Hic eventus solet comitari facta facinorosa. Cor trepidat recordatione noctis polluta cruore: & repentinus horror occupat ossa dextra. Quam tu credas potuisse perpetrare cædem mariti; metuit scribere de cæde a se non patrata.*

NOTÆ.

(d) *Piam*) *Erga te, quem servavi.*

(e) *Jugalo*) *Tuo*, scil. *Quia nolui te interficere.*

(f) *Si scelus*) *Si te perfidiose mactassem, a patre laudarer.*

(g) *Quem*) Facium nuptialium ignem intellige, quem, quia matrimonii fidem, interfecto marito, non læserat Hypermnestra, se non violasse dicit.

(h) *Sacris*) *Nuptialibus*, scil.

(i) *Tendat*) *In ora immittat.*

(k) *Non bene*) Quandoquidem ad interficiendum maritum dederat.

(l) *Ora, Mea*, scil. *Non faciet pater meus, ut, quod te non mactaverim, me pœnitere profitear.*

(m) *Non sum*) Heinsius legebat *non es* ut sese alloquatur Hypermnestra.

(n) *Pœniteat*) Propter mactatos Lyncei fratres.

(o) *Hic eventus*) Pœnitere, scil.

(p) *Admonitu*) Id est, *quando memini, seu recordor: Recordatione: Cum mentem subit cogitatio.*

(q) *Temeratæ*) *Polluta, maculata, fœdata, infecta.*

(r) *Dextræ*) *Qua, nuper mactando tibi, nunc scribo.*

(ſ) *Quam*) *Dextram*, scil.

(t) *Tu putes*) Pro *aliquis putet.*

(u) *Marita*) Alii habent *mariti.*

(x) *Non sibi*) *Non a se.*

Sed

Sed tamen (y) experiar. (z) Modo facta (a) crepuscula terris;
(b) Ultima pars noctis, primaque lucis erat:
Ducimur (c) Inachides magni sub tecta (d) Pelasgi;
Et socer (e) armatas accipit æde nurus.
Undique collucent (f) præcinctæ lampades auro.
Dantur in (g) invitos (h) impia thura focos.
Vulgus, *Hymen*, *Hymenæe*, vocant: (i) fugit ille vocantes;
Ipsa (k) Jovis coniux (l) cessit ab urbe (m) sua.
Ecce mero (n) dubii, comitum clamore (o) frequentes,
Flore novo (p) madidas impediente comas,
In (q) thalamos læti, thalamos sua busta (r) feruntur;
(s) Strataque corporibus (t) funere digna premunt.
Jamque cibo vinoque (u) graves somnoque jacebant;
Securumque quies (x) alta per Argos erat:

INTERPRETATIO.

Sed tamen tentabo. Modo crepuscula advenerant terris; erat pars novissima diei, erat & prima noctis: Inachides deducimur domum magni Pelasgi; & socer in tecta admittit nurus armis instructas. Lucernæ auro decorata fulgent undique. Thura impia mittuntur in aras illa respuentes. Vulgus invocant Hymen, Hymenæe: *ille fugit invocantes. Ipsa Jovis uxor discessit ab urbe sua. Ecce vino labantes celebrati circumfusorum comitum vociferatione, flore recenti capillos unctos redimiente, festivi eunt in cubicula cubicula suot rogos, & corporibus incumbunt lectis dignis funere. Jamque pressi cibo & vino & somno jacebant; & profundus sopor habebat Argos quietum.*

NOTÆ.

(y) *Experiar*, Conabor tibi, quo pacto fratrum peracta sit cædes, perscribere.

(z) *Modo facta*) Optime totius facti seriem, a tempore facto initio, narrare occipit.

(a) *Crepuscula*) Quid sit crepusculum sequenti versu dicit: sed aliud est etiam matutinum.

(b) *Ultima*) Heinsius quosdam sequutus codices legit.

Ultima pars noctis, primaque lucis erat. Sed vulgata lectio potior videtur; quippe quæ ad ritus matrimoniales servandos est magis accommodata: nam sub noctem sponsa domum sponsi deducebatur.

(c) *Inachides*) *Inachi proneptes*. Ille enim Io genuit, quæ ex Jove Epaphum; Epaphus Belum, ex quo, ut in argumento vidimus, Ægyptus, Danausque quinquaginta puellarum pater orti sunt.

(d) *Pelasgi*) Qui olim Argis regnaverat.

(e) *Armatas*) *Pugionibus a patre datis instructas.*

(f) *Præcinctæ*) *Auro ornata & circumdata.*

(g) *Invitos*) Diis enim feralia connubia, nec sacrificia facere poterant. Foci pro diis positi.

(h) *Impia*) Quæ ab impiis offeruntur.

(i) *Fugit*) Non enim vult lætus nuptiarum Deus infaustis connubiis adesse.

(k) *Jovis conjux*) Juno Juga pronubaque, quæ connubiis adesse solet.

(l) *Cessit*) Ne improbum conjugium videret.

(m) *Sua*) Illi enim sacrum Argos, ubi præcipue colebatur.

(n) *Dubii*) Sponsos intelligit vino captos, & titubantes.

(o) *Frequentes*) *Comitibus lætis & strepentibus stipati.*

(p) *Madidas*) *Unguentis delibutas*. Gall. *Parfumez*.

(q) *Thalamos busta*) Appositio. Thalami, *busta* seu *sepulcra*, eorum dicuntur, quod ibi essent illi jugulandi.

(r) *Feruntur*) *Eunt*.

(s) *Strata premunt*) *Jacent in lectis vestimentis, linteisque stratis.*

(t) *Digna funere*) Dicit lectos funeribus magis quam nuptiis convenire.

(u) *Graves*) *Gravati & oppressi*.

(x) *Alta quies*) Omnibus profundo somno sopitis.

Circum me gemitus (*y*) morientum audire videbar;
Et (*z*) tamen audibam; (*a*) quodque verebar, erat.
Sanguis (*b*) abit; mentemque (*c*) calor corpusque relinquit:
Inque (*d*) novo jacui frigida facta toro.
Ut leni (*e*) Zephyro fragiles vibrantur aristæ,
Frigida (*f*) populeas ut quatit aura comas;
Aut sic, aut etiam tremui magis, ipse jacebas;
Quæque tibi dederam vina, (*g*) soporis erant.
Excussere metum violentis jussa parentis.
Erigor; & capio tela tremente manu.
Non ego falsa loquar. ter acutum sustulit ensem,
Ter (*h*) male sublato recidit ense manus.
(*i*) Admovi jugulo; sine me tibi vera fateri;
Admovi jugulo tela paterna tuo.
Sed (*k*) timor & pietas crudelibus obstitit ausis:
Castaque mandatum dextra refugit opus.

INTERPRETATIO.

Videbar audire circum me gemitus morientium: & tamen audiebam; & erat quod metuebam. Sanguis recedit: & calor destituit animum & corpus: & jacui gelida facta in novo lecto. Quemadmodum fragiles aristæ concutiuntur placido Favonio: Quemadmodum ventus frigidus concutit frondes populeas; aut sic, aut etiam amplius trepidavi; tu jacebas: Et vina quæ tibi exhibueram erant soporifera. Mandata sævi patris expulerunt timorem. Surgo: & sumo ensem manu trepidante. Ego non proferam ficta: manus ter sustulit gladium acuminatum: ter recidit gladio male sublato. Admovi faucibus: concede me tibi vera confiteri: admovi faucibus tuis ensem paternum! Sed metus & pietas prohibuit sæva cœpta; & manus pudica abnuit opus jussum.

NOTÆ.

(y) *Morientum*) *Fratrum suorum*, scilic.

(z) *Tamen*) Pro *omnino*: Sed nota vim occultam istius voculæ: qua efficitur; ut Hypermnestra, præ metu & rei atrocitate, ita turbata videatur, ut ne illa possit satis suis auribus credere: sed, audiatne revera morientium gemitus, an vero id tantum ex imaginatione credat, dubia hæreat.

(a) *Quodque verebar*) *Ne patrueles interficerentur*.

(b) *Abit*) *In intimas corporis partes: in præcordia, ipsumque adeo cor; ut solet ex metu, relabitur*.

(c) *Calor*) Siquidem sanguis ad præcordia ex metu fugit, calor cum eo pariter recedit.

(d) *Novo*) Qui fuit novæ nuptæ.

(e) *Zephyro*) Ventus est Zephyrus ab occasu spirans. *Favonius* Latinis dicitur.

(f) *Populeas comas*) *Frondes Populi arboris*.

(g) *Soporis*) *Quæ soporem inducerent*. Succum aliquem soporiferum vino immixtum fuisse innuit.

(h) *Male*) *Nec audacia, nec, quibus par erat, viribus*. Vel, *male*, id est, *non juste, adversum maritum*. Prior vera videtur expositio.

(i) *Admovi*) Alii habent,

At rursus monitis; jussuque coacta parentis,

Alii aliter. Heinsius expungendum totum hoc distichon putat: utpote a sciolo confictum, qui superiora cum sequentibus non cohærere arbitrabatur. Quæ quidem optime cohærere dicit ille idem Heinsius, si pro *Sed*, proximo versu *&* reponas. Nullus certe dubito quin spurii sint illi.

(k) *Timor*) Qui omnibus a natura est insitus, qui male faciunt: maxime cum criminum assuetudine conscientiæ stimulus non elanguit: quanquam alias inutiles, strenuæ sunt ad male faciendum plurimæ mulierculæ.

Put-

Purpureos laniata (l) sinus, laniata capillos,
Exiguus dixi talia verba (m) sono;
Sævus, Hypermnestra, pater est tibi: jussa parentis
Effice. germanis sit comes (n) iste suis.
(o) Fœmina sum & virgo, natura mitis & annis.
Non (p) faciunt (q) molles ad fera tela manus.
(r) Quin age, dumque (ſ) jacet, (t) fortes imitare sorores.
Credibile est cæsos (u) omnibus esse viros.
(x) Si manus hæc aliquam posset committere cædem;
Morte foret (y) dominæ sanguinolenta suæ.
(z) Quo meruere necem (a) patruelia regna tenendo,
Quæ tamen (b) externis danda forent generis?
(c) Finge viros meruisse mori: quid fecimus ipsæ?
(d) Quo mihi commisso non licet esse piæ?
(e) Quid mihi cum ferro? (f) quo bellica tela puellæ?
Aptior est digitis lana colusque meis.

INTERPRETATIO.

Scissa amictus purpureos, scissa comam, protuli talia verba voce demissa: Hypermnestra parentem habes crudelem. Perfice mandata patris: Iste fit socius suis fratribus. Fœmina sum & virgo, mollis natura & ætate. Manus teneræ non sunt aptæ ad sæva arma. Quin age & dum jacet, æmulator strenuas sorores. Credibile est maritos esse interfectos ab omnibus. Si hæc dextra posset patrare aliquam cædem, cruenta esset nece Dominæ suæ. Qua re *illi* digni sunt morte possidendo regna patruelia, quæ tamen essent tradenda generis peregrinis? Pone viros dignos esse interire: quid nos commeruimus? Quo facinore non licet mihi esse piæ? Quid mihi cum ense? Quorsum militaria tela virgini? Lana & colus est magis idonea digitis meis.

NOTÆ.

(l) *Sinus*) *Vestes meas.*

(m) *Sono*) *Voce demissa.*

(n) *iste*) *Lynceus maritus meus.*

(o) *Fœmina sum*) Ostendit nunc quod maritum non possit interficere; rationibus a sexu & ætate petitis.

(p) *Faciunt*) *Apta sunt.*

(q) *Molles*) Quales sunt muliebres.

(r) *Quin age*) Jam muliebri more mutat consilium; vel potius nutans ad illud mutandum sese hortatur.

(ſ) *Jacet*) *Maritus*, scil.

(t) *Fortes*) Imo furiosæ, quæ suos maritos trucidaverunt: quamobrem etiam a Poetis infame illud genus ad inferos detrusum.

(u) *Omnibus*) Pro *ab omnibus*. Ita sæpe & eleganter loquuntur Poetæ; Horatius præsertim.

(x) *Si manus*) Nunc consilium de interficiendo marito respuit,

(y) *Dominæ*) *Mei ipsius, quæ me potius ipsa quam maritum interficerem.*

(z) *Quo*) *Quare? quo crimine?* Nullum dicit esse in patruelibus crimen, ad quos, ex suo cum Danai filiabus conjugio, jure ejus regnum perveniat, cum hæredibus masculis ille careret.

(a) *Patruelia*) *Quæ hæreditario jure ad patrueles suas obvenirent; quæque per suum cum illis conjugium sua fierent.*

(b) *Externis*) *Qui ex sua gente non essent, Quibusvis aliis hominibus.*

(c) *Finge*) *Pone.* Gall. *Supposez.*

(d) *Quo commisso*) *Propter quod peccatum?*

(e) *Quid mihi*) *Quamobrem in manus meas gladium pater posuit?*

(f) *Quo*) Fine, scilicet. Sciebat equidem esse ea ad interficiendos patrueles; quorsum vero spectaret illa cædes nesciebat, aut nescire simulabat.

(g) Hæc

(g) Hæc ego: dumque queror, lacrymæ (*b*) ſua verba ſequuntur,
Deque meis oculis in tua membra cadunt.
Dum (*i*) petis amplexus, ſopitaque brachia (*k*) jactas;
Pœne manus telo ſaucia facta tua eſt.
Jamque patrem, famuloſque patris, lucemque timebam.
Expulerunt ſomnos hæc mea dicta tuos:
Surge age, (l) Belide, de tot modo fratribus (m) unus:
Nox tibi, ni properas, iſta (n) perennis erit.
Territus exurgis: fugit omnis (*o*) inertia ſomni:
Aſpicis in timida (*p*) fortia tela manu.
Quærenti (*q*) cauſam, *Dum nox finit, effuge;* dixi.
Dum nox atra ſinit, tu fugis: ipſa moror.
Mane (*r*) erat: & Danaus generos ex cæde jacentes
Dinumerat. (*ſ*) ſummæ criminis unus abes.
Fert (*t*) male (*u*) cognatæ jacturam mortis in uno;
Et queritur (*x*) facti ſanguinis eſſe parum.
(*y*) Abſtrahor a patriis pedibus; (*z*) raptamque capillis
(Hæc meruit (*a*) pietas præmia) carcer habet.

INTERPRETATIO.

Hac ego: & dum conqueror. lacryma ſubſequuntur ſua verba; & fluunt in tuos artus de meis oculis. Dum quaris me complecti, & agitas lacertos ſopitos; manus tua eſt propemodum vulnerata gladio. Iamque metuebam patrem & miniſtros patris, & diem. Hac mea verba excuſſerunt ſomnos tuos: Surge age, Belide, ſolus de tot modo fratribus. Iſta nox erit tibi perpetua, niſi feſtinas. *Tremefactus excuteris; omnis ſegnities ſomni dilabitur: cernis tela valida in manu pavida; Dixi tibi ſciſcitanti cauſam:* Prorumpe dum nox concedit. *Dum nox obſcura facit copiam, tu abis: ego remaneo. Mane erat: & Danaus ennumerat generos proſtratos ex nece: Solus deſideraris ſumma flagitij. Inique patitur damnum mortis conſanguinea in uno; & queritur eſſe parum ſanguinis effuſi. Abripior a pedibus paternis: & vincula (pietas meruit hanc mercedem) teneat ablatam coma.*

NOTÆ.

(g) *Hac ego*) *Depreſſa voce dixi*, Supple.

(h) *Sua verba*) Id eſt: *qua ejuſmodi querimonia & lacrymis, comprecerent.*

(l) *Petis amplexus*) *Inter dormiendum vis me amplecti.*

(k) *Jactas*) *In ſomnis movet.*

(l) *Belide*) *Beli nepos.* Ille vero eſt vocativus Græcorum more, a nominativo *Belides.*

(m) *Unus*) *Solus.*

(n) *Perennis*) *Per annos omnes duratura. Æterna.*

(o) *Inertia*) Illam intelligit pigritiam qua, non bene experrecti teneri ſolent.

(p) *Fortia*) Id eſt, *qua ſolent eſſe fortium virorum.*

(q) *Cauſam*) *Quamobrem telum manibus haberem?*

(r) *Erat*) Pertinet iſtud ad ſequentem narrationem.

(ſ) *Summa*) *ex omni numero, tu ſolus deerat, qui non eſſet conjugis ſocerique crimine mactatus.*

(t) *Male*) *Inique.* Danaum dicit iratum ideo, quod unus ex ſuis conſanguineis morti eſſet ereptus.

(u) *Cognata*) *Conſanguinea.* Id eſt, *Pro morte unius conſanguinei.*

(x) *Facti*) *Sparſi; Effuſi.*

(y) *Abſtrahor*) Scilicet ad patris pedes, delicti veniam petens procubuerat. Quamquam alij codices habent *manibus*; alij *laribus.*

(z) *Raptamque*) *Qua in carcerem capillis protracta fuit.*

(a) *Pietas*) *Erga te.* Ironice, adverſus patrem, loquitur.

(b) Sci-

(*b*) Scilicet ex (*c*) illa Junonia permanet ira;
Quo (*d*) bos ex homine eſt, ex bove facta Dea.
At (*e*) ſatis eſt pœnæ teneram (*f*) mugiſſe puellam:
(*g*) Nec (*h*) modo formoſam poſſe placere Jovi.
Adſtitit in ripa (*i*) liquidi (*k*) nova vacca parentis,
Cornuaque in patriis (*l*) non ſua vidit aquis.
Conatoque (*m*) queri mugitus edidit ore:
Territaque eſt forma, territa voce ſua.
Quid (*n*) furis, infelix? quid te miraris (*o*) in umbra?
Quid (*p*) numeras factos ad nova membra pedes?
(*q*) Illa Jovis magni (*r*) pellex metuenda ſorori,
Fronde (*ſ*) levas nimiam (*t*) ceſpitibuſque famem,
Fonte bibis, ſpectaſque tuam ſtupefacta figuram:
Et te ne feriant, quæ geris, (*u*) arma times.

INTERPRETATIO.

Nempe ira Junonia perſtat ex illo tempore *quo vacca facta eſt fœmina, & ex vacca Dea. At ſatis eſt ſupplicii mollem puellam mugiſſe: nec jam pulcram poſſe gratam eſſe Jovi. Nova juvenca conſtitit in ripa patris fluidi; & aſpexit cornua aliena in aquis paternis, & mugitus emiſit ore nixo conqueri: & tremefacta eſt figura ſua; tremefacta eſt ſono. Quamobrem inſanis, miſera? Quamobrem te ſtupes in umbra? Quamobrem dinumeras pedes accommodatos ad novos artus? Illa adultera timenda ſorori excelſi Jovis, ſedas foliis & herbis nimiam famem. Fonte potas, & mirabunda aſpicis tuam formam: & metuis arma quæ geſtas ne te appetant.*

NOTÆ.

(b) *Scilicet*) Tantam domus ſuæ & patruelium calamitatem, muliebri more, altius repetit; ab ira Junonis ſcil. propter Jovis cum Io vacca conſuetudinem.

(c) *Illo*) Tempore ſcilicet.

(d) *Bos*) Io eſt ab Jove in vacceam mutata, de qua poſtea in Metamorphoſi videbimus. Supra ex ea Danaum Ægyptumque per avos ſuos ortos eſſe diximus: adeoque jam notandum eſt tantum, quod, pellici illi ab Junone immiſſo œſtro, per furorem maxima orbis terrarum parte pererrata, tandem in Ægyptum delata ſit, ubi priſtinam formam poſtquam Jovis auxilio recuperaſſet, ab Ægyptiis pro Dea eſt habita, vocataque *Iſis*.

(e) *Satis eſt pœnæ*) *Io ſupplicio ſatis magno a Junone afflicta eſt: jamque ejus poſteris deberet parcere.*

(f) *Mugiſſe*) *In vaccam mutatam eſſe.* Ab ipſo Jove in vaccam mutata eſt Io, ne ſuum cum illa adulterium ab interveniente Junone cognoſceretur.

(g) *Nec poſſe placere*) Propter vaccæ formam; quanquam nec ipſe Jupiter quamlibet, ſatiandi turpiſſimi amoris cauſa, inducere dedignatus eſt.

(h) *Modo formoſam*) Pulcherrima fuit Io, antequam vaccæ formam indueret.

(i) *Liquidi*) *Inachi*, fluvii Peloponneſi.

(k) *Nova*) *Non a longo tempore ex puella facta.*

(l) *Non ſua*) Non enim cornua hominum, ſed brutorum ſunt.

(m) *Queri*) De ſua tranſmutatione, & infortunio.

(n) *Furis*) Oeſtro percita Io huc illuc furens a Poetis erraſſe fingitur. Quamobrem illud fecerit, ejus calamitatis, Junoniſque iræ deſcribendæ cauſa, Hypermneſtra quærit.

(o) *In umbra*) *Cum tuam umbram vides.*

(p) *Numeras*) Quia quatuor erant, hoc petit. Commiſerationem vero habent ejuſmodi compellationes.

(q) *Illa*) *Tu Io, ante pellex illa quam Juno ob formam metueret, jam:* &c.

(r) *Pellex*) Ita vocatur Io, que Junonem ex Jovis mariti lecto pelliciendo, ſi vim vocis ſpectes, pelleret.

(ſ) *Levas*) *Minuis: Sedas.* Non vero ſine commiſeratione hæc proferenda.

(t) *Ceſpitibuſque*) *Herbis.* Proprie vero eſt ceſpes, herba cum terra revulſa;

(u) *Arma*) *Cornua.*

Quæ

Quæque modo, ut poſſis etiam Jove digna videri,
Dives eras; nuda nuda recumbis humo.
Per mare, per terras, (*x*) cognataque flumina curris.
(*y*) Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.
Quæ tibi cauſa fugæ? quid Io freta longa pererras?
Non poteris (*z*) vultus effugere ipſa tuos.
(*a*) Inachi, quo properas? (*b*) eadem ſequeriſque fugiſque.
Tu tibi dux comiti: tu comes ipſa duci.
(*c*) Per ſeptem (*d*) Nilus (*e*) portus emiſſus in æquor
Exuit (*f*) inſanæ (*g*) pellicis (*h*) ora bovi.
(*i*) Ultima (*k*) quid referam, (*l*) quorum mihi cana ſenectus
Auctor? dant anni quod querar, ecce, mei.
Bella pater patruuſque (*m*) gerunt: regnoque domoque
Pellimur: ejectos (*n*) ultimus orbis habet.

INTERPRETATIO.

Et quæ modo eras opulenta, ut poſſis etiam videri digna Jove; Jaces nuda in terra nuda. Erras per mare, per terras, & flumina conſanguinea. Mare præbet tibi iter, flumina præbent, terra præbet. Quæ tibi cauſa fugæ? Quamobrem, Io, diſcurris per vaſta maria? Non ipſa poteris vitare tuam faciem. Inachi, quo feſtinas? Eadem inſequeris & fugis. Tu dux tibi comiti, tu ipſa comes duci. Nilus erumpens in mare per ſeptem oſtia detraxit faciem pellicis vaccæ furenti. Quamobrem commemorem remotiſſima, quorum ſenectus cana eſt mihi auctor? Ecce mea ætas ſuppeditat quod conquerar. Pater & patruus bella exercent. ejicimur regno & domo: remotiſſima regiones tenent expulſos.

NOTÆ.

(x) *Cognata*) Propter patrem fluvium.

(y) *Dat mare*) Hujus eſt verſus, qui ſuperioris idem ſenſus: verba differunt.

(z) *Vultus*) *Bovillos*, ſcil.

(a) *Inachi*) Vocativus Græcus Patronymici fœminini. Id eſt, *filia Inachi*.

(b) *Eadem ſeq.*) Id eſt, *Cum ipſa vacca ſis, fugiendo vaccam, eandem ſequeris, nec fugiendo, vaccam eſſe deſinet.*

(c) *Per ſeptem*) Dicit eam in Ægypto figuram bovis depoſuiſſe.

(d) *Nilus*) Fluvius eſt Ægypti maximus, in mare per ſeptem oſtia influens; Quamquam plura alii memorant.

(e) *Portus*) Oſtia Nili portus appellat; bene quidem; ejuſque ratio aperta.

(f) *Inſanæ*) *Oeſtro, & Junonis ira furentis.*

(g) *Pellicis*) *Quæ fuerat Junonis pellex, dum formam hominis obtineret.*

(h) *Ora*) Omnemque adeo formam.

(i) *Ultima*) *Remota, & Antiqua.*

(k) *Quid referam*) Vel contra librorum auctoritatem *refero* reponendum eſſe cenſet clariſſimus Heinſius. Quamobrem non video. Senſum enim optimum illa alia lectio efficit; ut innuat Hypermneſtra plura a ſe de Io poſſe referri, quibus ejus pœnarum atrocitatem, Junoniſque erga ſuam domum ſævitiam augeret; niſi amplam querendi materiam de novo haberet. Atque egregie illud ad Hypermneſtræ ſcopum pertinet. Forte dicat aliquis, *At omnia de Io memoraverat Hyperm.* Ne omnia quidem: Illud etiam ſi eſſet; tamen ex Rhetorica arte, ſic loqui, ubi rem augere eſt opus, ſæpe ſolemus.

(l) *Quorum cana ſenectus auctor*) Id eſt, *Quæ a ſenibus didici.*

(m) *Gerunt*) Quas vidit ipſa calamitates, narrare incipit.

(n) *Ultimus*) Peloponneſus eſt; quo aufugiſſe Danaum in argumento vidimus. Ultimus vero dicitur, vel ex puellæ ingenio, pro remotiſſimo, vel, quia ex parte orbis terrarum terminus eſt, cum mari cingatur; qua ratione etiam Britanniam, alterum orbem dixerunt.

(o) Ille

(o) Ille ferox ſolus ſolio ſceptroque potitur:
Cum (p) ſene nos inopi turba vagamur inops.
De fratrum populo pars (q) exiguiſſima (r) reſtas.
Quique dati leto, (ſ) quæque dedere, fleo.
Nam mihi quot fratres, totidem (t) periere ſorores.
Accipiat lacrymas (u) utraque turba meas.
En ego, (x) quod vivis, pœnæ crucianda reſervor.
(y) Quid fiat ſonti, cum (z) rea laudis agar?
Et conſanguineæ quondam (a) centeſima turbæ
Infelix, (b) uno fratre manente, cadam:
At tu, ſi qua, (c) piæ, Lynceu, tibi cura ſororis.
(d) Quæque tibi tribui munera, (e) dignus habes;
Vel fer opem, vel dede neci: defunctaque vita
Corpora (f) furtivis inſuper adde rogis.
Et ſepeli lacrymis perfuſa fidelibus oſſa:
Scriptaque ſint (g) titulo noſtra ſepulcra brevi.
Exul Hypermneſtra (h) pretium pietatis iniquum;
Quam mortem fratri depulit, ipſa tulit.

INTERPRETATIO.

Ille ferociens ſolus occupat ſolium & ſceptrum: nos turba egena erramus cum ſene egeno. Superas pars minima de turba fratram: Lugeo illos qui morti traditi ſunt & qua tradiderunt. Nam quot fratres mihi amiſſi, totidem ſorores amiſſæ. Uterque populus habeat meas lacrymas. Ecce ego torquenda deſtinor ſupplicio, quia vivis. Qua pœna multetur conſcia, cum ejus arceſſar quod laudandum? & miſera, olim centeſima populi cognati, moriar, uno fratre ſuperſtite. At tu, Lynceu, ſi qua tibi cura pia patruelis, & non immeritas frui donis qua tibi exhibui; vel auxilium prabe, vel trade morti: & inſuper impone rogis ſecretis artus jacentes. Et conde oſſa delibata lacrymis fidelibus: & noſter tumulus ſit ſignatas brevi elogio. Hypermneſtra profuga mercedem injuſtam reportavit pietatis necem quam a fratre ſummovit.

NOTÆ.

(o) *Ille*) *Patruus Ægyptus.*

(p) *Sene*) *Danao patre noſtro.*

(q) *Exiguiſſima*) Quippe ſolus ſuperſtes, cæteris ab uxoribus interfectis.

(r) *Reſtas*) Lynceum alloquitur, cui aliam ſuam calamitatem memorat.

(ſ) *Quæque*) Quia miſeræ, quæ tantum facinus perpetraverant; quibus Hypermneſtræ carendum erat.

(t) *Periere ſorores*) Quia cum illis non eſt; quia perditæ illæ, quæ nocentes; quia pœna ſua illas attinget.

(u) *Utraque*) *Patruelium & ſororum.*

(x) *Quod vivis*) *Quia te non jugulavi.*

(y) *Quid fiat*) Quaſi dicat, *multo crudelius.* Patris crudelitatem arguit. Alii codices habent *fiet*; *ſiret.*

(z) *Rea laudis*) *Cum de eo accuſer, quod laudem meretur.*

(a) *Centeſima*) Omnino: fuerunt enim quinquaginta Danai filiæ, totidemque Ægypti filii, patrueles, qui omnes centeſimum numerum implent.

(b) *Uno fratre*) *Solo Lynceo ſuperſtite.*

(c) *Pia*) *Quæ te ſervavit.*

(d) *Quæque*) *Vitam*, ſcilicet.

(e) *Dignus habes*) *Mereris. Si mereris vitam quam tibi dedi.*

(f) *Furtivis*) *Quos, ſi non auſus fueris, aut non potueris palam, furtim & occulte excitaveris.*

(g) *Titulo*) *Epigrammate ſequenti.*

(h) *Pretium mortem*) Appoſitio. Id eſt, *mortem in pretium.*

Scri-

Scribere plura libet: sed pondere lassa catenæ
Est manus; & vires subtrahit ipse (*i*) timor,

INTERPRETATIO.

Vellem plura scribere, sed manus est defessa onere catenæ; & ipse timor aufert vires.

NOTÆ.

(i) *Timor*) *Ne pater, aut ab eo aliquis scribenti interveniat.*

(a) EPISTOLA DECIMAQUINTA.

ARGUMENTUM.

Tradunt scriptores, duas hoc nomine Sappho extitisse: quarum altera Eresia, poetria percelebris, quæ Tarquinii Prisci tempore claruit: quæ etiam plectrum prima adinvenit: altera Mytilenæa, longe junior, quæ psaltria & meretrix fuit. Ælianus libr. 12. scribit, pulcherrimum mortalium omnium Phaonem fuisse, in cujus amorem omnes mulieres Lesbiæ exarserint: præ cæteris vero impatientissime atque ardentissime eum esse a Sappho adamatum. Cum vero Phaon in Siciliam forte discessisset, Sappho amoris ignibus incensa, & plane ardens, se ab illo sperni timens, statuit etiam capitis periculo furorem lenire, præcipitato in mare corpore, ex Leucate Epiri promontorio. Sed antequam illuc accederet, per inconstantiam muliebrem tentans quod desperaverat, hac epistola eum advocare studet: faciens absenti invidiam suæ conditionis & calamitatis, quam omnibus incommodis miserabilem ostendit. Denique omnes misericordiæ angulos percurrit: nec quidquam, quod movere possit, prætermittit.

SAPPHO PHAONI.

(*b*) ECquid, ut inspecta est (*c*) studiosæ littera dextræ,
Protinus est oculis cognita nostra tuis?
An, nisi (*d*) legisses auctoris nomina Sapphus,
Hoc breve nescires unde movetur (*e*) opus?

INTERPRETATIO.

AN non postquam visum est signum manus sedulæ, statim nostrum est agnitum oculis tuis? An, nisi legisses nomina Sapphus auctoris, ignorares a quo est hoc breve opus?

NOTÆ.

(a) *Epist.*) In nullis Heroidum Ovidianarum exemplaribus, nisi recentissimis apparere hanc epistolam testatur Clarissimus Heinsius; qui eam insuper in calcem operis rejectam dicit. Quod forte non sine causa factum fuit, cum sit omnium pulcherrima.

(b) *Ecquid*) Interrogatio hæc Ironiam habet, & affectum auget: Ut hinc Sapphus dolorem intelligas; quæ se usque adeo a Phaone neglectam saltem simulat, ut manum nequidem suam, nisi addito nomine ab ipso, putet cognitum iri.

(c) *Studiosæ littera*) *A manu accurata & docta scripta.*

(d) *Legisses*) *Annon, nisi inscriptum vidisses*, Sappho Phaoni, *unde esset epistola, nescivisses?*

(e) *Opus*) Epistolam suam intelligit, cui nomen suum, de more, præfixerat.

For-

Forsitan & quare mea sint *(f)* alterna *(g)* requiras
　　Carmina; *(h)* cum lyricis sim magis apta modis.
(i) Flendus amor meus est: elegeia *(k)* flebile carmen.
　　Non *(l)* facit ad lacrymas *(m)* barbitos ulla meas.
Uror, ut, *(n)* indomitis ignem *(o)* exercentibus Euris,
　　Fertilis accensis messibus *(p)* ardet ager.
Arva Phaon *(q)* celebrat *(r)* diversa *(s)* Typhoidos *(t)* Ætnæ.
　　Me *(u)* calor Ætnæo non minor igne coquit.
(x) Nec mihi, *(y)* dispositis *(z)* quæ jungam *(a)* carmina nervis,
　　Proveniunt; vacuæ carmina mentis opus.
(b) Nec me *(c)* Pyrrhiades *(d)* Methymniadesve puellæ,
　　Nec me *(e)* Lesbiadum cætera turba *(f)* juvant.

INTERPRETATIO.

Forte etiam petat quare mei versus sint alterni, cum sim magis parata ad numeros lyricos. Amor meus est lugendus: Elegsia carmen lugubre. Nulla Cithara apta est meis lacrymis. Ardeo, ut campus fertilis flagrat messibus inflammatis, Euris furentibus excitantibus ignem. Phaon incolit agros dissitos Ætnæ Typhoidos: ardor non levior flamma Ætnea, me torret. Nec mihi prostaant carmina quæ accommodem chordis concinnatis; carmina sunt opus animi tranquilli. Nec Pyrrhiades aut Methymniades puellæ mihi grata sunt, nec populus reliquus Lesbiadum mihi gratus est.

NOTÆ.

(f) *Alterna*) Qualia sunt Elegiaca, quæ alternis vicibus Hexametris & Pentametris constant.

(g) *Requires*) *Postquam quæsieris cujus sit epistola, forsan & velis scire quamobrem*, &c.

(h) *Cum lyricis*) *Cum magis soleam carmina quæ ad lyram cantantur, componere*, Hoc vero dicit, quia in lyricis Sappho maxime claruit; a qua etiam Sapphicum carmen, cujus ea inventrix fuit, appellatum est.

(i) *Flendus*) Rationem reddit quamobrem elegos scripserit.

(k) *Flebile*) *Rebus, quæ fletum moveant scribendis aptum.*

(l) *Facit*) *Convenit. Apta est.*

(m) *Barbitos*) Instrumentum est musicum cytharæ seu lyræ proximum, quod multis chordis fuisse iudicat Theocritus. Hic vero, per barbiton, carmina ad barbiton cantari solita intelligenda sunt.

(n) *Indomitis*) *Vehementibus.*

(o) *Exercentibus*) *Huc illuc jactantibus; urgentibus, & excitantibus.*

(p) *Ardet*) *Ardere solet.*

(q) *Celebrat*) Pro *incolit, frequentat*. Sed vox illa dignitatem habet.

(r) *Diversa*) *Remota, & hinc procul posita*.

(s) *Typhoidos*) *Sub quo Typhonem seu Typhœum gigantem fulmine ictum Jupiter coercuit.*

(t) *Ætna*) Ætna mons Siciliæ, ignibus quos evomit notissimus.

(u) *Calor*) *Amoris* nempe.

(x) *Nec mihi*) Id est, *Jam, nimio amore tabida, ad versus deducendos sum inutilis.*

(y) *Dispositis*) Scilicet suo quoque loco, pro ratione gravis aut acuti soni, nervi seu chordæ instrumentis musicis accommodantur.

(z) *Quæ jungam*) *Lyrica*; quæ simul voce & cythara canuntur.

(a) *Carmina opus*) Appositio. Carmina dicit ab otiosa mente provenire.

(b) *Nec me*) Dicit se puellarum, quibus ad pangendos versus olim incitabatur, jam nulla moveri,

(c) *Pyrrhiades*) Musæ; a Pyrrha & Pyrrhæa seu Thessalia sic dictæ: Enimvero a locis quæ incoluerunt, Poetæ solent illas appellare. Sed malim per Pyrrhiades, Pyrrhæ, Lesbiæ urbis, puellas, quam Musas, intelligere, quanquam Domitio aliter visum; cujus hic certe in quærendis allegoriis odiosa visa est nimia diligentia.

(d) *Methymniadesve*) A Methymna Lesbi insulæ urbe celebri.

(e) *Lesbiadum*) *Puellarum in Lesbo insula commorantium.*

(f) *Juvant*) *Ad versus pangendos incitant*; si tamen probanda sit Domitii expositio. Vel *non juvant*, id est, *non curo*.

Vilis

Vilis (g) Anactorie, (h) vilis mihi candida Cydno:
Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis:
(i) Atque aliæ (k) centum, quas non sine crimine amavi.
(l) Improbe, multarum (m) quod fuit, unus habes.
(n) Est in te (o) facies, (p) sunt apti lusibus anni.
O facies oculis insidiosa meis!
Sume (q) fidem & (r) pharetram; (ʃ) fies manifestus Apollo.
Accedant capiti cornua; Bacchus eris.
(t) Et Phœbus (u) Daphnen, & (x) Gnosida Bacchus amavit.
(y) Nec norat Lyricos illa vel illa modos.
At mihi (z) Pegasides (a) blandissima carmina dictant:
Jam canitur toto nomen in orbe meum.

INTERPRETATIO.

Anactorie mihi nullius pretii. Atthis non est accepta meis oculis ut ante. Atque aliæ centum, quas non amavi sine flagitio, viles sunt. *Protervus solus tenes quod fuit multarum. Est in te forma, ætas est apta deliciis. O forma, insidiosa oculis meis! Cape Cytharam & Pharetram; eris vere Apollo. Cornua addantur capiti, eris Bacchus. Et Apollo amavit Daphnen, & Bacchus Gnosida: Nec illa vel illa sciebat numeros Lyricos. At Pegasides suggerunt mihi carmina mollissima: Jam nomen meum celebratur per omnes terras.*

NOTÆ.

(g) *Anactorie*) Una fuit ex iis quas tribas Sappho impudice amavit: Nisi tamen, quod Telesippam & Magaram, pro Anactorie & Cydno apud Svidam positas invenies.

(h) *Vilis*) *non curo, postquam tui amore correpta sum.*

(i) *Atque aliæ*) *Viles sunt*, scilicet.

(k) *Centum*) Numerus certus pro incerto.

(l) *Improbe*) Bene pro avido, neque etiam re immodica contento, improbum sumi, optime annotavit Domitius. Attamen hic locum non habet hæc significatio; sed simpliciter per improbum, malus est intelligendus.

(m) *Quod fuit*) *Amor: quem in multas dispensaveram.*

(n) *Est in te*) Jam suum amasium laudat.

(o) *Facies*) Pro pulcritudine & elegantia.

(p) *Sunt apti*) Id est, *Juvenis es.*

(q) *Fidem*) *Citharam*. Sinecdoche est; pars pro toto; chorda pro toto instrumento ponitur:

(r) *Pharetram*) *Le carquois*. Fuerunt vero Cithara & Pharetra Apollinis, qui Musica & sagittis claruit, duo insignia.

(ʃ) *Fies manifestus*) Id est, *Tam elegans es, ut nullus te cum Apolline comparare diffiteatur.*

(t) *Et Phœbus*) Jam Phaonem ad amorem sui, rationibus ab exemplo petitis, Sappho perducere nititur.

(u) *Daphnen*) Daphnes Penei fluvii filiæ in laurum mutatæ historiam postea in Metamorphosi videbimus.

(x) *Gnosida*) Id est, *Ariadnen*, Minois filiam, qui Cretam insulam tenuit, ubi Gnosus civitas.

(y) *Nec norat*) Se dicit quam Daphne & Ariadne, quod neutra versus pangere docta fuisset, præstantiorem.

(z) *Pegasides*) Musæ. Græca etymologia, ab Heliconis fonte clarissimo, quem ictu ungulæ Pegasus alatus equus aperuisse fingitur, sic dictæ.

(a) *Blandissima*) *Suavissima*. Carminum vero suavitate præcipue Sappho commendatur.

Nec

(b) Nec plus (c) Alcæus, (d) consors patriæque (e) lyræque,
Laudis habet: quamvis grandius ille sonet.
(f) Si mihi (g) difficilis formam natura negavit;
Ingenio formæ damna (h) rependo meæ.
Sum (i) brevis; at nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi: mensuram nominis (k) ipsa fero.
Candida si non sum; placuit (l) Cepheia Perseo
Andromede, (m) patriæ fusca colore suæ.
Et (n) variis albæ junguntur sæpe columbæ;
Et niger a (o) viridi turtur amatur ave.
Si, nisi quæ (p) facie poterit te digna videri,
(q) Nulla futura tua est; nulla futura tua est.
At, (r) me cum legeres, etiam formosa videbar,
(s) Unam jurabas usque decere loqui.
Cantabam; memini: (meminerunt omnia amantes)
Oscula cantanti tu mihi (t) rapta dabas.
(u) Hæc quoque laudabas: omnique a parte placebam.
Sed tum præcipue, cum fit Amoris opus,

INTERPRETATIO.

Nec Alcæus socius patriæ & lyræ consecutus est majorem gloriam, quamvis ille cantet sublimius. Si natura iniqua mihi non tribuit pulcritudinem; compenso dispendia pulcritudinis meæ, ingenio. Sum parva: at fama est mihi, quæ feratur per omnes terras: ipsa fero vastitatem meæ gloriæ. Si non sum alba; Andromede Crpbeia grata fuit Perseo, nigra colore patriæ suæ. Columbæ etiam candidæ sæpe copulantur cum versicoloribus; & turtur ater diligitur ab alite viridi. Si nulla futura est tua, nisi quæ poterit videri te digna, pulcritudine, nulla futura est tua. At cum legeres mea opuscula, videbar etiam pulcra: tunc sine jurabas mihi *soli decorum esse loqui. Canebam; recordor: (amantes omnia recordantur) tu oscula capiebas canentis. Probabas hæc etiam, & grata eram abomni parte: sed tum præsertim cum tentatur negotium amoris.*

NOTÆ.

(b) *Nec plus) Quia sicuti ille granditate laudem consecutus est, ita ego suavitate.*

(c) *Alcæus)* Poeta fuit Mitylenæus seu Lesbius, cui, propter granditatem & elocutionis sublimitatem, aureum plectrum veteres attribuerunt.

(d) *Consors) Ejusdem patriæ:* nam uterque patriam habuit Lesbon.

(e) *Lyræque consors) Qui ejusdem generis carmina lyræ aptanda, sicut & ego, scripsit.*

(f) *Si mihi difficilis)* Quod firmissimum caussari potuisset Phaon, formæ vitium, scilicet, ipsa Sappho diluere conatur.

(g) *Difficilis) Iniqua & maligna.*

(h) *Rependo) Compenso.*

(i) *Brevis) Parva statura.*

(k) *Ipsa fero) Adeoque magna sum.*

(l) *Cepheia)* Andromede est, Cephei Æthiopum regis filia, a Perseo liberata, & amata.

(m) *Patria)* Scilicet Æthiopia, solis ardoribus exusta, candidos non gignit homines.

(n) *Variis) Colorum varietate distinctis.*

(o) *Viridi ave) Psittaco*, De hoc Psittacorum amore Plinius: de quo etiam postea aliquid ab ipso Nasone habebimus.

(p) *Facie) Pulcritudine.*

(q) *Nulla) Puella*, scil. Prior vero hæc negatio conditioni annexa est: Posterior absolute & affirmando intelligenda est. *Si vous n'en voulez point qui ne vous paroisse digne de vous par sa beauté, vous n'en aurez point du tout.*

(r) *Me) Meos versus.*

(s) *Unam) Me solam sine fine jurabas decere loqui.*

(t) *Rapta dabas, Furtim raptimque osculabaris.*

(u) *Hæc)* Oscula rapta. Multa vero est hic non suavitas modo, sed lascivia.

Tunc te plus solito lascivia nostra juvabat,
Crebraque mobilitas, aptaque verba joco:
Quique, ubi jam amborum fuerat confusa voluptas;
Plurimus in lasso corpore languor erat.
Nunc tibi *(x)* Sicelides veniunt nova præda puellæ.
(y) Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo.
(z) At *(a)* vos *(b)* erronem tellure remittite nostrum
(c) Nisiades matres, Nisiadesque nurus.
Neu vos decipiant blandæ *(d)* mendacia linguæ,
(e) Quæ dicit vobis, dixerat ante mihi.
Tu quoque quæ montes celebras, *(f)* Erycina, *(g)* Sicanos,
(Nam *(h)* tua sum) vati consule, Diva, tuæ.
(i) An gravis *(k)* incœptum peragit Fortuna tenorem,
Et manet in cursu semper acerba suo?
Sex mihi *(l)* natales ierant; cum *(m)* lecta parentis
(n) Ante diem lacrymas ossa bibere meas.

INTERPRETATIO.

Tunc luxuria nostra tibi placebat plus solito. Et frequens mobilitas, & verba idonea lusibus; & languor multus qui erat in corpore defesso, postquam gaudia amborum fuerant commixta. Nunc Sicelides puellæ accedunt tibi nova rapina. Quid mihi cum Lesbo? Cupio esse Sicula. At vos matronæ Nisiades & nurus Nisiades remittite terra vestra vagum nostrum. Neve doli mitis linguæ vos fallant, mihi ante dixerat quæ dicit vobis. Tu quoque Dea Erycina quæ frequentas colles Siculos, fave vati tuæ; (nam tua sum.) An fortuna adversa absolvit tenorem incœptum, & crudelis perstat semper in suo processu? Sex anni mihi præterierant, cum ossa patris collecta ante tempus hauserunt meas lacrymas.

NOTÆ.

(x) *Sicelides*) *Siculæ*. Phaoni exprobrat quod veteris amoris oblitus, ad puellas Siculas animum adjecerit.

(y) *Quid mihi*) Patriam, ut in Siciliam, ubi suus est Phaon concedat, cupit Sappho deserere.

(z) *At vos*) Corrigit votum; meliusque judicat, si a Siculis suus sibi remittatur Phaon.

(a) *Vos*) Clarissimus Heinsius putat *vestra* legendum.

(b) *Erronem*) *Phaonem; qui relicta patria, in alienis regionibus errat.*

(c) *Nisiades*) Megarenses intellige; quæ a Niso, qui Megaris in Sicilia, non procul a Syracusis regnavit, illud nomen habuerunt.

(d) *Mendacia*) *Quæcumque Phaon, ut vos ad sui amorem pelliciat proferre poterit.*

(e) *Quæ dicit*) *Quæ vobis ille nunc promittit, eadem & mihi ante pollicitus erat, fidem, constantiam, &c. & tamen me destituit.*

(f) *Erycina*) Venus est; quæ ab Eryce Siciliæ monte, ubi matri Veneri templum Æneas constituit, illud nomen sortita est.

(g) *Sicanos*) Siculos; A Sicano rege sic dictos.

(h) *Tua sum*) Omnino; siquidem amans amatoria scripserit.

(i) *An gravis*) Fatorum iniquitatem & pertinaciam hac interrogatione arguit.

(k) *Incœptum peragit*) *Ut mihi antehac ita porro infesta erit.*

(l) *Natales*) *Anni intelliguntur*: quibus singulis natalis dies celebrabatur.

(m) *Lecta*) Ossa, cineresque mortuorum, quos cremare olim solebant, postquam rogi flamma subsedisset, colligebantur.

(n) *Ante diem*) Patrem dicit fuisse immaturo obiisse.

Arsit

Arsit (*o*) inops (*p*) frater victus meretricis amore;
Mistaque cum turpi damna pudore tulit.
Factus inops agili (*q*) peragit freta cærula remo;
Quasque (*r*) male amisit, nunc male quærit opes.
Me quoque, quod (*) monui bene multa fideliter, odit.
(*s*) Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.
Et tanquam desint, quæ me sine fine fatigent,
Accumulat curas (*t*) filia parva meas.
Ultima tu nostris accedis causa querelis,
(*u*) Non agitur vento nostra carina (*x*) suo.
Ecce, jacent collo sparsi (*y*) sine lege capilli:
Nec premit (*z*) articulos lucida gemma meos.
Veste tegor vili: nullum est in crinibus aurum:
Non (*a*) Arabo noster rore capillus olet.
(*b*) Cur colar infelix, aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultus unicus (*c*) auctor abest.
Molle meum (*d*) levibus cor est violabile telis:
Et semper causa est, cur ego semper amem.
Sive ita nascenti legem dixere (*e*) sorores,
(*f*) Nec data sunt vitæ (*g*) fila severa meæ,

INTERPRETATIO.

Frater egenus incensus est superatus amore scorti; Et passus est dispendia juncta cum infamia. Egenus factus excurrit maria glauca remo celeri; & nunc male captat divitias quas male perdidit. Me etiam odio persequitur, quia plurima fideliter admonui. Facilitas & ingenuitas mihi hoc attulit, hoc pia lingua. Et, tanquam absint quæ me indesinenter urgeant, parva filia auget meam solicitudinem. Tu advenis causa postrema nostris querimoniis. Nostra navis non impellitur vento suo. Ecce coma diffusa recumbit collo sine ordine: nec gemma micans circumdat meos digitos. Induor amictu minimi pretii: nullum aurum est in capillis; coma nostra non fragrat rore Arabo. Cui orner misera, aut cui cupiam placuisse? Ille solus causa mei ornatus abest. Cor meum tenerum est obnoxium telis mollibus: & est semper causa cur ego semper amem. Seu sorores sic posuerunt legem nascenti; nec fila dura sunt tradita vitæ meæ.

NOTÆ.

(o) *Inops*) Meretricis Rodopes causa bonis omnibus dilapidatis.

(p) *Frater*) *Charaxus*. Larychus & Eurigius duo alii fuerunt.

(q) *Peragit*) Piraticam, amissis bonis, exercuit.

(r) *Male*) *Turpiter & per infamiam*.

(*) *Monui*) Imo fratrem multis carminibus laceravit.

(s) *Hoc*) *Fratris odium*.

(t) *Filia*) Cleis nomine: quam ex Cercyla aut Cercola viro peperisse Sappho autor est Suidas.

(u) *Non agitur*) Metaphora a nautis petita se infelicem esse dicit.

(x) *Suo Propitio*.

(y) *Sine lege*) *Incomti & sine ordine*.

(z) *Articulos*) *Digitis annulum nullum ornatus causa habeo*.

(a) *Arabo rore*) Myrrham, aut quemlibet odorem intellige. Ex Arabia vero plurimos adsportari non opus est indicare.

(b) *Cui*) *In cujus gratiam*.

(c) *Auctor*) Phaon, scil. cui ut placeret sese Sappho ornabat.

(d) *Levibus*) Qualia Amoris esse decet

(e) *Sorores*) *Parcæ*: quas antea cuique vitam & sortem assignare vidimus.

(f) *Nec*) Contra librorum fidem vocem istam pro & reposuit clar. Heinsius. Quæ lectio, qualemcumque ex alia sensum eruere satagas, meliorem & elegantiorem efficit.

(g) *Fila*) Per fila, quæcumque ad vitam spectant intellige.

Si tam certus eras hic ire, *(b)* modestius isses;
Et modo dixisses; *(c)* *Lesbi puella, vale*.
Non tecum lacrymas, non oscula *(d)* summa tulisti.
Denique *(e)* non timui, *(f)* quod dolitura fui.
Nil de te mecum est, nisi tantum *(g)* injuria: nec te
(h) Admonuit, quod tu pignus amantis habes.
(i) Non mandata dedi; neque enim mandata dedissem
Ulla, nisi, ut nolles immemor esse mei.
(k) Per tibi, *(l)* qui nunquam longe discedit, Amorem,
Perque *(m)* novem juro numina nostra Deas!
Cum mihi nescio quis, *Fugiunt tua (n) gaudia*, dixit;
Nec me flere diu, *(o)* nec potuisse loqui.
Et lacrymæ deerant oculis, & lingua palato.
Astrictum gelido *(p)* frigore pectus erat.
Postquam se dolor *(q)* invenit; nec pectora plangi,
Nec puduit scissis exululare comis.
Non aliter, quam si gnati pia mater ademti
Portet ad extructos corpus *(r)* inane rogos.

INTERPRETATIO.

Si tam bene constitueras hinc discedere, lenius discessisses; & saltem dixisses; vale, puella Lesbi. *Non portasti tecum lacrymas, non suavia ultima. Denique non metui, quod fui fletura. Nihil est mecum de te nisi tantum injustitia: nec te coarguit, quod tu habes pignus amantis. Non jussis instruxi: neque vero jussis ullis instruxissem, nisi ut non oblivisceveris mei. Juro tibi per Cupidinem, qui nunquam procul abeat, & per novem Deas nostra numina! cum nescio quis mihi dixit,* Excessit tua voluptas, *me diu nec lugere potuisse, nec verbum proferre: Et lacrymæ destituebant oculos, & lingua palatum: Pectus erat oppressum gelido frigore. Postquam dolor se comperit; nec puduit pectora percuti, nec efflictim ejulare capillis laniatis: non aliter feci quam si pia mater ferat ad rogos congestos corpus vacuum filii erepti.*

NOTÆ.

(b) *Modestius isses*) Rusticitatem accusat, quod discedens, ne amasiam quidem salutaverit.

(c) *Lesbi puella*) Hec erat appellatio, sine omni amoris indicio.

(d) *Summa*) *Ultima*.

(e) *Non timui*) Nulla vero hic a Phaone injuria, verba si spectes: At metonymice per *non timere discessum*, intelligendum est de eo Phaonem non monuisse.

(f) *Quod dolitura*) *Discessum*.

(g) *Injuria*) *Quod, scil. me deseruisti*. Nam ad concubitum referre non placet.

(h) *Admonuit*) *Admoneat* alii. Causam ostendit, inquit Domitius, quare munera discedentibus amicis dari, accipique soleant; ut, scilicet, sint monumenta amici absentis, cujus repræsentent memoriam. Malim ego ita intelligere, *Nec pignora, quæ habes mei amoris, te admonuerunt, ut saltem discedens valediceres*. Si tamen legas *admoneat*, Domitii favebis interpretationi.

(i) *Non mandata dedi*) *Sicuti mos est valedicentibus*.

(k) *Per tibi, qui nunquam longe discedit*) Alii habent, *Per tibi qui nunquam longe discedat, Amorem*, sensu, ut vides, diverso.

(l) *Qui nunquam longe discedit*) *Quamvis tu discesseris. Perque amorem præsens es*.

(m) *Novem*) *Musas*.

(n) *Gaudia*) *Phaon*, scil. quem gaudia sua, amatorie dicit.

(o) *Nec potuisse*) Muti sunt, scilicet, affectus violenti.

(p) *Frigore*) Sanguine, scilicet, per dolorem ad præcordia retracto.

(q) *Invenit*) Alii *imminuit*, eodem sensu; sed istud præcedit: postquam enim remiserunt dolores, qui naturam opprimebant, ipsa sensus & vires revocat, & invenit. *Les sens se rappellent*.

(r) *Inane*) *Ex quo anima evolavit*.

Gaudet, & e nostro (*s*) crescit mœrore Charaxus
Frater; & ante oculos (*t*) itque reditque meos.
Utque (*u*) pudenda mei videatur causa doloris;
(x) *Quid dolet hæc? certe filia (y) vivit*, ait.
(*z*) Non veniunt in idem pudor atque amor; (*a*) omne videbat
Vulgus; eram lacero pectus (*b*) aperta sinu.
Tu mihi cura, Phaon: te somnia nostra (*c*) reducunt;
Somnia formoso (*d*) candidiora die.
(*e*) Illic te invenio; quanquam regionibus absis.
Sed (*f*) non longa satis gaudia somnus habet.
Sæpe tuos nostra cervice onerare lacertos,
Sæpe tuæ videor supposuisse meos.
Blandior interdum, (*g*) verisque simillima verba
Eloquor: & (*h*) vigilant sensibus ora meis.
Oscula cognosco, quæ tu committere linguæ,
Aptaque consueras accipere, apta dare.
Ulteriora pudet narrare: sed omnia fiunt.
Et juvat, & sine te non libet esse mihi.

INTERPRETATIO.

Frater Charaxus lætatur, & augetur ex nostro luctu; & meat & remeat ante vultus meos. Et ut causa mea mœstitiæ videatur erubescenda: Quamobrem hæc luget? inquit: certe filia vivit. Pudor & amor non conveniunt: vulgus omne cernebat; nuda eram pectus amictu laniato. Tu Phaon mihi cura; somnia nostra, somnia splendidiora pulcro die te revehunt. Illic te reperio; quanquam sis terris dissitus. Sed somnus non habet voluptatem satis prolixam. Sæpe videor premere brachia tua nostro collo; sæpe submisisse mea tuis. Nonnunquam mulceo, & profero voces simillimas veris. Et ora mea sunt experrecta sensibus meis. Agnosco suavia quæ solitus eras concredere linguæ, & sumere jucunda; & offerre jucunda. Erubesco referre cætera: sed omnia fiunt: & prodest & mihi non placet esse sine te.

NOTÆ.

(*s*) *Crescit*) Hanc figuram gallice retinuimus, cum ita aliquem ex alienis malis exultantem interrogamus, *Estes-vous bien plus gras.*

(t) *Itque reditque*) Ejusmodi vero itiones sunt quasi insultationes. Atque, ut metuunt qui in mœrore degunt luctus suos inimicos testes habere; ita aliis qui sunt infensi ils præsentia sua dolorem refricare & augere amant.

(u) *Pudenda*, *Quod te amem.*

(x) *Quid dolet hæc?*) Verba sunt Charaxi sororem objurgantis. *Quamobrem hæc luget?*

(y) *Vivit*) *Adeoque luctûs causam hanc non habet.* Ex quo pronum erat aliam & veram suspicari.

(z) *Non veniunt*) Ratio est ejus quod sequitur. Pudorem dicit & amorem non eadem curare: adeoque se pudoris, quæ amori indulsisset, rationem non habuisse. Ovidius alibi;

Quid deceat non videt ullus amans,

(a) *Omne*) *Populus tametsi me videret, negligebam tamen, & coram illo lacero eram pectore.*

(b) *Aperta*) *Præ dolore, ob tuum discessum.*

(c) *Reducunt*) *Reducem fingunt.*

(d) *Candidiora*) *Quæ tuam speciem mihi exhibent.*

(e) *Illic*) *In somniis.*

(f) *Non longa*) Quia experrectis evanescunt.

(g) *Verisque*) Id est, *Iis quæ a vigilante proferuntur.*

(h) *Vigilant sensibus*) Id est, *Os linguaque experrecta est, & prompta ad exprimendum ea quæ animo percipio & sentio.*

At

At cum se (i) Titan ostendit, & omnia secum;
Tam cito me somnos destituisse (k) queror.
Antra nemusque peto; tanquam nemus antraque prosint.
Conscia deliciis illa fuere tuis.
Illuc mentis inops, ut quam furialis (l) Erichtho
Impulit, in collo crine (m) jacente, (n) feror.
Antra vident oculi (o) scabro (p) pendentia tofo,
Quæ mihi (q) Mygdonii (r) marmoris instar erant.
Invenio silvam, quæ sæpe cubilia nobis
Præbuit, & multa texit opaca (s) coma:
At non invenio dominum silvæque meumque.
Vile solum locus est; (t) dos erat ille loci.
Agnovi (u) pressas noti mihi cespitis herbas:
De nostro curvum pondere gramen erat.
Incubui; tetigique locum, qua parte fuisti.
(x) Grata prius lacrymas conbibit herba meas.
Quin etiam rami (y) positis lugere videntur
Frondibus; & (z) nullæ (a) dulce queruntur aves.

INTERPRETATIO.

At cum Titan se profert, & omnia secum; doleo somnos me dereliquisse tam cito. Me confero in specus, & silvas; tanquam silva & specus juvent. Illa fuerunt testes tuorum gaudiorum. Illuc irrumpo amens, coma sparsa per cervices, ut quam Erichtho furibunda perculit. Oculi aspiciunt specus arcuatas tofo aspero, quæ mihi erant pro Mygdonio marmore; Reperio silvam, quæ sæpe suppeditavit nobis lectos, & obscura nos velavit multis frondibus; at non reperio Dominum & silvæ & meum. Locus est terra aspernanda: Ille erat præstantia loci. Agnovi herbas proculcatas cespitis mihi cogniti: herba erat tecta de nostro pondere. Incubui; & tetigi locum qua parte fuisti. Herba ante jucunda absorbet meas lacrymas. Quin etiam rami videntur dolere foliis amissis: & nullæ aves suaviter conqueruntur.

NOTÆ.

(i) *Titan*) *Sol*, ex Titanibus ortus.

(k) *Queror*) Voluisset nempe diutius Phaonem suum in somnis amplecti.

(l) *Erichtho*) Veneficiis famosa fuit Thessala mulier; cujus nomen hic pro qualibet venefica positum.

(m) *Jacente*) *Sparso: furentium more.*

(n) *Feror*) *Huc illuc discurro.*

(o) *Scabro*) *Raboteux.*

(p) *Pendentia*) *Abrupto, &, a natura, cavato tofo facta.*

(q) *Mygdonii*) Phrygium intellige, quod pretiosissimum fuit: nam Mygdonia Phrygiæ est contermina, aut pars ejus, si Stephano credimus.

(r) *Marmoris*) *Quandiu mecum erat, scilicet.*

(s) *Coma*) *Arborum frondibus.*

(t) *Dos erat*) *Phaon meus pretium dabat loco.*

(u) *Pressas*) Ubi Phaon & Sappho procubuerant, ibi herba erat proculcata. Affectus vero movent ejusmodi locorum commemorationes.

(x) *Grata*) *Nunc vero ingrata, cum tu abfis.*

(y) *Positis*) Ingeniose admodum luctus sui arbores, anni tempestate folia cæteroquin dimittentes, participes facit, ut suum augeat. Illæ enim viriditate sua spoliatæ, solitudinem, frigus, mæstitiamque inducere videntur.

(z) *Nulla queruntur*) Adeoque maximus luctus; maximi enim doloris signum est silentium.

(a) *Dulce*) Est vero etiam sua in cantu lugubri suavitas.

Sola virum (*b*) non ulta pie mœstissima (*c*) mater
(*d*) Concinit (*e*) Ismarium (*f*) Daulias ales (*g*) Ityn.
(*h*) Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores,
(*i*) Hactenus; ut (*k*) media cætera nocte silent.
Est nitidus, vitroque magis perlucidus omni,
Fons sacer: hunc multi numen habere putant.
Quem supra ramos expandit aquatica (*l*) lotos,
(*m*) Una nemus: tenero cespite terra viret.
Hic ego cum lassos posuissem fletibus artus,
Constitit ante oculos (*n*) Naias una meos.
Constitit, & dixit, *Quoniam (o) non ignibus æquis*
Uteris, (p) Ambracias terra (q) petenda tibi.
(r) Phœbus ab excelso, quantum patet, aspicit æquor:
(ſ) Actiacum populi (t) Leucadiumque vocant.

INTERPRETATIO.

Sola avis Daulias mater tristissima impie ulta maritum, cantat Ityn Thracium. Avis celebrat Ityn, Sappho amores destitutos. Hactenus; reliqua tacent ut media nocte. Fons est sacer limpidus, & splendidior omni vitro: multi arbitrantur hunc habere Deum: Supra quem lotos aquatica, quæ sola silvam efficit, *porrigit ramos: humus virescit molli cespite. Cum ego huc misissem membra defessa luctibus, Naias una adstitit ante vultus meos. Adstitit, & dixit*, quandoquidem non inflammata es ignibus mitibus, tellus Ambracias tibi est adeunda. Phœbus spectat, e sublimi, mare, quantum porrigitur: Populi appellant Actiacum & Leucadium.

NOTÆ.

(b) *Non pie*) Quia in eoulciscendo filium Ityn patri epulandum apposuit. Qua de re postea in Metamorph.

(c) *Mater*) Progne est, Terei uxor, cujus fabulam vide fis Metamorph. Philomelam vero sororem in lusciniam mutatam fuisse trita est fabula; sed hic cum quibusdam aliis facit Ovid. qui Prognen dicit.

(d) *Concinit*) *Filii fata queritur.*

(e) *Ismarium*) *Thracium*; ab Ismaro monte Thraciæ. Pater enim Tereus rex fuit Thraciæ.

(f) *Daulias ales*) Luscinia avis in quam mutata fingitur Progne. Quanquam, ut dixi, plerique, ipse etiam alibi Poeta noster, Philomelam in lusciniam, Prognen in hirundinem mutatam esse dicit. Vocatur vero Daulias a Daulia Phocidis urbe, ubi etiam Tereum imperium tenuisse scribit Thucydides.

(g) *Ityn*) Fuit Itys Terei ex Progne filius, quem ipsa quod Philomelæ sorori vim intulisset, patri comedendum apposuit.

(h) *Ales*) *Progne* in Lusciniam mutata.

(i) *Hactenus*) Dixerat, *nullæ queruntur aves*: Deinde tamen querelarum & luctus consortem, sibi fecerat Prognen, seu Lusciniam: nunc omnino præter suam & lusciniæ vocem aliam ullam in sylva audiri negat.

(k) *Media*) Quo tempore omnia silent & quiescunt.

(l) *Lotos*) Arbor est in Africa, cujus fructu qui vescuntur lotophagi dicti sunt. Tantæ autem dicitur esse fructus ille suavitatis, ut vix illinc abduci possint qui eum semel gustaverunt: patriæque oblivionem inducat.

(m) *Una nemus*) Appositio. Dicit unam arborem, ramorum suorum vastitate nemus efficere.

(n) *Naias*) Sunt Naiades fontium nymphæ.

(o) *Non æquis*) Omnino, siquidem a Phaone relicta esset.

(p) *Ambracias*) Alii habent *Ambracia*. Acarnaniam intellige, ad Ambracium sinum positam; in qua urbs fuit Actium, quæ templum Apollini seu Phœbo sacrum habuit.

(q) *Petenda*) Quamobrem dicetur postea.

(r) *Phœbus*) *Templum illi dicatum.*

(ſ) *Actiacum*) Ab Actio oppido.

(t) *Leucadiumque*) A Leucade nunc vicina insula; quam olim Acarnaniæ adhæsisse, unamque simul cum illa Peninsulam seu Chersonesum fecisse scripsit Strabo.

Hinc

Hinc se (u) Deucalion Pyrrhæ succensus amore
Misit, & illæso corpore pressit aquas.
*Nec mora: (x) versus Amor (y) * tetigit (z) lentissima Pyrrhæ*
Pectora; Deucalion (a) igne levatus erat.
(b) *Hanc locus ille tenet: pete protinus altam*
Leucada; nec saxo (c) desiluisse time.
Ut monuit; cum voce (d) abiit ego frigida surgo:
Nec gravidæ lacrymas continuere genæ.
Ibimus, o Nymphæ, monstrataque saxa petemus.
Sit procul insano victus amore (e) timor.
(f) Quicquid erit, melius quam nunc erit. (g) aura, subito.
Et mea (h) non magnum corpora pondus habent.
Tu quoque, mollis Amor, (i) pennas suppone cadenti:
Ne sim Leucadiæ mortua (k) crimen aquæ.
(l) Inde (m) chelyn Phœbo (n) communia munera (o) ponam:
Et sub ea versus unus & alter erunt.

INTERPRETATIO.

Deucalion flagrans amore Pyrrhæ se hinc præcipitem dedit, & impulit aquas corpora inoffenso. Et statim, amor mutatus movit frigidissimum cor Pyrrhæ; Deucalion erat sanatus ardore. Ille locus habet hanc conditionem: adi sublimem Leucada sine mora; nec reformida te misisse ex scopulo. *Postquam hortata est, excessit cum voce: Ego frigida erigor: nec palpebra turgida cohibuerunt lacrymas. Proficiscemur, o Nymphæ, & adibimus scopulos indicatos. Metus recedat superatus amore furioso. Quidquid erit, erit jucundius quam nunc: aura subito: & mea corpora non sunt multum gravia. Tu etiam tener Cupido submitte pennas ruenti: ne defuncta sim probrum aquæ Leucadiæ. Inde appendam Phœbo citharam munera communia: & versus unus & alter inscribentur sub ea.*

NOTÆ.

(u) *Deucalion*) Promethei fuit filius; a quo & Pyrrha uxore post diluvium reparatum dicitur genus humanum.

(x) *Versus*) *Mutatus*: A Deucalione in Pyrrham conversus.

(y) *Tetigit*) *Ad amandum impulit.*

(*) *Tetigit lentissima Pyrrha*) Naugerius habet, *fugit lentissima mersi.*

(z) *Lentissima*) *Tarde ad amorem inclinantia; non amantia.* Convitium est amatorium.

(a) *Igne*) *Amore.*

(b) *Hanc legem*) Ut qui ex illa petra in mare sese immitteret, amoris flamma levaretur.

(c) *Desiluisse*) *In mare te dedisse.*

(d) *Abiit*) *Naias*, scil.

(e) *Timor*) Sed de saxo dejiciendi.

(f) *Quicquid erit*) Mortem sibi non vult ominari: sed eam tamen præsenti calamitate minus molestam dicit.

(g) *Aura subito*) Jam, quasi sese in mare mittere vellet, auram quæ corpus sustineat appellat, ut subeat.

(h) *Non magnum*) *Adeoque me facile poterit sustinere.*

(i) *Pennas*) Mos fuit, ut in Apollinis Actiaci sacrificio, fontem aliquem ex specula dejicerent, avertendæ numinis iræ gratia; quem tamen pennis instruebant, multisque naviculis excipere conabantur, ut postea servatum extra patrios fines mitterent. Ad illud jam alludit Sappho.

(k) *Crimen*) Id est. Invidiæ & infamiæ causa.

(l) *Inde*) *Postquam ex aqua prodierim.*

(m) *Chelyn*) Per Testudinem, seu Græcorum Chelyn, cytharam intellige, ex testudine animali primo a Mercurio fabricatam.

(n) *Communia*) Fuit vero Cythara, quam suam facit Sappho, quod versus lyricos ad eam cantandos componeret, etiam Apollinis ejus inventoris proprium gestamen.

(o) *Ponam*) *Appendam; sacram faciam.*

(p) *Grata*

(p) Grata lyram posui tibi, Phœbe, poetria Sappho:
Convenit illa mihi, convenit illa tibi.
(q) Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras,
Cum profugum possis ipse referre pedem?
Tu mihi Leucadia potes esse salubrior unda:
Et forma & meritis tu mihi Phœbus eris.
An potes, o scopulis undaque ferocior illa,
Si moriar, (r) titulum mortis habere meæ?
At quanto melius jungi mea pectora tecum,
Quam poterant saxis præcipitanda dari!
(ſ) Hæc sunt illa, Phaon, quæ tu laudare solebas;
Visaque sunt toties ingeniosa tibi.
Nunc vellem (t) facunda forent. (u) dolor artibus obstat;
Ingeniumque meis (x) substitit omne malis.
Non mihi (y) respondent veteres in carmina vires.
(z) Plectra dolore tacent: muta dolore lyra est.
(a) Lesbides (b) æquoreæ, nupturaque nuptaque proles;
Lesbides, (c) Æolia nomina (d) dicta lyra;

INTERPRETATIO.

Sappho vates memor tibi suspendi lyram, Phœbe: illa mihi apta est, illa tibi apta est. *Cur tamen me ablegas in littora Actiaca, cum ipse possis retroagere pedem exulem? Tu mihi plus potes esse salutaris quam aqua Leucadia: tu eris mihi Phœbus & pulcritudine & beneficiis. An potes, o savior saxis & aqua illa, dici causa mea mortis, si peream? At quanto melius mea pectora poterant copulari tecum, quam tradi dejicienda e scopulis! Hæc sunt illa, Phaon, quæ tu consueveras probare; & sunt visa tibi toties solertia. Nunc vellem diserta essent: mœror officit ingenio; & omne acumen obtusum meis malis. Antiquæ vires non mihi sufficiunt in carmina. Plectra silent luctu; lyra muta est luctu. Lesbides marinæ, progenies nuptura & nupta; Lesbides, nomina celebrata lyra Æolia.*

NOTÆ.

(p) *Grata*) *Quod tuo numine sim servata, grato animo recolens.*

(q) *Cur tamen*) Jam Phaonem Sappho alloquitur.

(r) *Titulum*) *Adeoque mortis meæ causa esse.*

(ſ) *Hæc*) *Carmina.*

(t) *Facunda*) Ut reditum persuaderem.

(u) *Dolor*) Dolorem dicit non sinere ut artificiosa pangat carmina.

(x) *Substitit*)) Vere equidem necessitatem omnium inventorum matrem esse dicunt: At certe non omnis necessitas est inventrix. Necessitati suæ est lex etiam & necessitas, ne certas quasdam metas transgrediatur, quas ultra adeo non acuit ingenium, ut contra illud retundat atque hebetet.

(y) *Respondent*) *Non mihi grata sunt.* Elegantissime vero hic illa est vox posita.

(z) *Plectra*) Plectrum instrumentum est quo chordæ fidesve pulsantur.

(a) *Lesbides*) Quas docuit & amavit puellas Sappho compellat. Hujus vero vocis repetitione non modo usus est Ovidius majori affectus declarandi, sed etiam Sapphus, cui hæc figura fuit familiaris, imitandi causa.

(b) *Æquoreæ*) Quia insulares.

(c) *Æolia*) Id est, *Lyra Sapphus Æolia, seu Lesbia*: fuit enim Lesbos Æoliæ, Asiæ minoris regiunculæ, imo Æolicarum ferme urbium Metropolis, ut scribit Strabo: unde & Æolicam linguam originem sortitam esse autor est Dionysius.

(d) *Dicta*) *Celebrata.*

Lesbides, (e) infamem quæ me fecistis amatæ;
(f) Desinite ad citharas turba venire meas.
(g) Abstulit omne Phaon, quod vobis ante placebat.
(Me miseram! dixi quam modo pœne, meus!)
(h) Efficite ut redeat: vates quoque vestra redibit.
Ingenio vires ille dat, ille rapit.
(i) Ecquid ago precibus? (k) pectusne agreste movetur?
An (l) riget? & (m) Zephyri verba (n) caduca (o) ferunt
(p) Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent.
(q) Hoc te, si saperes, lente, decebat opus
Sive (r) redis: puppique tuæ (ſ) votiva parantur
Munera; quid laceras pectora nostra mora?
Solve ratem: Venus (t) orta mari, (u) mare præstet eunti.
Aura dabit cursum; tu modo solve ratem.
Ipse gubernabit residens in puppe Cupido:
Ipse dabit tenera vela (x) legetque manu.
Sive juvat longe fugisse (y) Pelasgida Sappho;
((z) Non tamen invenies, cur ego digna fuga.)

INTERPRETATIO.

Lesbides dilectæ quæ me præstitistis infamem: omittite accedere turba ad meas lyras, Phaon, (Me infelicem! quam propemodum modo dixi, meus!) avexit omne quod vobis antea arridebat. Perficite ut revertatur, vates quoque vestra revertetur. Ille præbet vires ingenio, ille aufert. Ecquid promoveo precibus? An ne cor durum tangitur? An obfirmatur? & Zephyri rapiunt verba inania? Optarem ut qui abripiunt mea verba reducerent tua vela. Hoc opus, si saperes, tarde, te decebat. Seu reverti cogitas & dona votiva apparantur tuæ navi; quamobrem mactas nostra pectora cunctatione? Tolle anchoras, Venus procreata mari, præbeat mare venienti. Ventus præstabit reditus; tu tantum tolle anchoras. Ipse Cupido sedens in puppi reget; ipse pandet & colliget vela molli manu. Sive placet longe effugisse Sappho Pelasgida; non tamen comperies, quamobrem ego digna fuga.

NOTÆ.

(e) *Infamem quæ*) Concubinas intelligit.

(f) *Desinite*) Quamobrem dicit versu sequenti.

(g) *Abstulit*) Scilicet neque versus facere, neque eos lyræ sociare, absente Phaone suo, amabat

(h) *Efficite*) Puellas easdem quas modo appellat.

(i) *Et quid ago*) Scripti plerique; *Hæc quid ego*, vel *Ecquid ego*; Unus, *Hæc ego quid*? Heinsius legit, *Sed quid ego hæc*? prout sæpe noster aliique locuti sunt: quæ quidem lectio mihi placeret.

(k) *Pectus*) Phaonis, scil.

(l) *Riget*) *Duritiem suam servat*.

(m) *Zephiri*) *Venti*. Spirat vero Zephirus ab occasu æquinoctiali.

(n) *Caduca*) *Mea*, scil. *quæ Phaonis animum non possint mollire*.

(o) *Ferunt*) *Inutilia sunt*.

(p) *Qui mea*) Non frustra ferunt vela, qui venti frustra ferunt verba.

(q) *Hoc opus*) Reditus.

(r) *Redis*) *De reditu cogitas*.

(ſ) *Votiva*) *Quæ navi salva, teque reduce persolvuntur*.

(t) *Orta mari*) Ex ejus spuma formatam voluerunt Poetæ.

(u) *Mare*) Alii habent, *mare præstet amanti*; quod Heinsio placuit: non mihi.

(x) *Leget*) *Contrahet*.

(y) *Pelasgida*) *Græcam*, *Lesbiamque*: Per universam enim Græciam vagos errasse Pelasgos; nomenque suum plurimis dedisse autor est Strabo, Hesiodum, Homerumque sequutus.

(z) *Non tamen*) Parenthesim, quam hinc deturbaverat Heinsius, huc revocandam judicavi.

((a)

((*a*) O saltem miseræ, crudelis epistola dicat:
Ut mihi (*b*) Leucadiæ fata petantur aquæ.)

INTERPRETATIO.

O saltem epistola dura dicat misera; ut fata mihi quærantur aqua Leucadia.

NOTÆ.

(a) *O saltem*) Alii *Hoc saltem*, eodem prope sensu; sed illud ex Scriptis, Cl. Heinsii testimonio, procul dubio est præferendum. Postremum vero hoc distichon, quod attinet, vix est ut pro legitimo agnoscat idem Heinsius; nec satis assequi, quid sibi velit, fatetur. Cur ita crediderit Vir clarissimus certe non video: imo, absque hoc disticho epistolæ clausulam suam deesse, mihi quidem videtur. Sensus profecto apertus est. *Si inquit, velis longe a me fugere, moneat saltem, ut huic malo remedium in aquis Leucadiis quæram.*

(b) *Leucadiæ fata*) Id est, *quæ per eas aquas absolvuntur*. In eas vero se immisisse Sappho autor est Strabo: quod quidem mihi loco est fabulæ.

EPISTOLA DECIMASEXTA.

ARGUMENTUM.

Paris, qui alio nomine Alexander dictus est, ob Helenam sibi a Venere promissam, navigat Lacedæmona: ubi a Menelao honorifice acceptus est. Menelaus, ad procurandam ab Atreo relictam hæreditatem, in Cretam proficiscitur: atque interea, dum alias res agit, Helenam suam committit Paridi, serioque bonum hunc illi hospitem commendat. Paris amator, hanc oblatam sibi opportunitatem minime negligendam ratus, omnibus modis Helenam solicitat, eidemque hac epistola artificiose amoris sui æstum significat, ab omnibus sese commendans virtutibus, quibus laudari amatores solent. Et, quia mulierem esse sexum fragilem noverat, formaque gloria duci, nihil prætermittit Paris, quo conciliare sibi Helenæ animum possit, maritumque in contemtum ejus adducit. Suadet ergo fugam, quam facile tueri sese Trojanis viribus posse confirmat.

PARIS HELENÆ.

HAnc tibi (*a*) Priamides mitto, (*b*) Ledæa, salutem;
Quæ tribui sola te mihi dante potest.
(*c*) Eloquar? an (*d*) flammæ non est opus indice notæ;
Et plus, quam vellem, jam meus (*e*) extat amor?

INTERPRETATIO.

EGo Priamides mitto tibi, o filia Ledæ, hanc salutem, quæ potest mibi advenire te sola præbente. Dicamne? An non est opus indice flammæ cognitæ; & amor jam plus apparet quam cuperem?

NOTÆ.

(a) *Priamides*) Filius Priami.
(b) *Ledæa*) *Helena* filia Ledæ.
(c) *Eloquar*) *Anne opus est verbis tibi amorem meum patefacere*. Deliberatione vero utitur; ut paulatim, utpote in turpi causa, subdola obrepat oratio.
(d) *Flammæ*) *Amori jam tibi cognito.*
(e) *Extat*) *Apertus, cognitus est.*

Ille

Ille quidem malim lateat: dum tempora dentur
Lætitiæ mistos *(f)* non habitura metus.
Sed male dissimulo: quis enim celaverit *(g)* ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?
Si tamen expectas, vocem quoque *(h)* rebus ut addam;
(i) Uror; habes animi nuncia verba mei.
Parce, precor, *(k)* fasso: nec vultu cætera *(l)* duro
Perlege, sed formæ *(m)* conveniente tuæ.
(n) Jamdudum gratum est, quod epistola nostra *(o)* recepta
Spem facit, *(p)* hoc recipi me quoque posse modo.
(q) Quæ rata sint, nec *(r)* te frustra promiserit, opto,
(ſ) Hoc mihi quæ suasit *(t)* mater Amoris iter.
Namque ego divino monitu, *(u)* ne nescia pecces,
Evehor: & cœpto non leve numen adest.

INTERPRETATIO.

Malim equidem ille tegatur, donec tempora concedantur non habituræ timores conjunctos gaudio. Sed male fingo: quis enim occultaverit ignem, qui ipse semper detegitur splendore suo? Si tamen cupis ut verba quoque rebus adjiciam, ardeo: habes voces indices meæ mentis. Ignosce, quæso, confitenti; nec perlege reliqua vultu severo, sed digno tuæ pulcritudinis. Jamdudum juvat, quod littera nostra accepta spem fovet, me quoque posse accipi hoc modo. Quæ certa sint percupio, nec mater Cupidinis quæ me ad hoc iter compulit, te incassum pollicita sit. Namque, ne ignorans impingas, ego advenio hortatu divino; & numen non parvum favet ausibus.

NOTÆ.

(f) *Non habitura)* *Postquam cognovero me tibi non esse ingratum, teque uno & eodem amore teneri: si modo tanta me manet delectatio.*

(g) *Ignem)* Egregia Amoris cum igne comparatio.

(h) *Rebus)* *quibus satis superque amorem meum prodidi.*

(i) *Uror)* *Amore ardeo.*

(k) *Fasso)* *Mihi qui confessus sum amorem meum.*

(l) *Duro)* *Difficili; Irato, infenso,*

(m) *Conveniente)* *Leni, facili.*

(n) *Jamdudum)* *Il y a long-tempt.* Temporis habet rationem hæc vocula: At nonnunquam rerum de quibus agitur connexum, & consequentiæ necessitatem notat. Quæ vis vocis & significatio melius sentitur quam exprimitur. Locus est in Terentij Eunucho, ex quo maxime quid ego velim cognosci possit. Ibi, de meretricula, sic ad Thrasonem loquitur Gnatho;

Quando illud, quod tu das, expectat atque amat.
Jamdudum amat te: jam illi facile fit
Quod doleat.

Jamdudum in nostro Ovidij loco sic resolvas: *Statim mihi & valde gratum fuit, mihique gratulatus sum; jamque gratum est; quod aperte & statim gratum fuit.*

(o) *Recepta)* Metri causa ea voce usus est: cujus loco dicimus *accepta.*

(p) *Hoc)* Quo epistola recepta.

(q) *Quæ)* *Ab Helena recipi*, scilicet; *lætum amoris exitum habere, &c.*

(r) *Te)* Helena Paridi Venus promiserat, cum pro sua pulcritudine judicium in monte Ida tulisset.

(ſ) *Hoc)* *Quod tui videndæ & obtinendæ causa in Græciam suscepi.*

(t) *Mater amoris)* *Venus.*

(u) *Ne nescia pecces)* Sic intellige; *Nec pecces, si nesciveris me divino instinctu quidquid in hac re conor, incipere.*

Præ-

Præmia magna quidem, ſed (*x*) non indebita, poſco;
Pollicita eſt thalamo te (*y*) Cytherea meo.
Hac duce (*z*) Sigæo (*a*) dubias a littore (*b*) feci
Longa (*c*) Phereclea per freta puppe vias.
Illa dedit faciles auras, ventoſque ſecundos
In mare nimirum jus habet orta mari.
(*d*) Perſtet: &, ut pelagi, ſic (*e*) pectoris adjuvet æſtum:
(*f*) Deferat in portus & mea (*g*) vota ſuos:
(*h*) Attulimus flammas, non hic invenimus, illas.
Hæ mihi tam longæ cauſa fuere viæ.
Nam neque triſtis (*i*) hiems, neque nos huc appulit error.
(*k*) Tænaris eſt claſſi terra (*l*) petita meæ.
(*m*) Nec me crede fretum merces portante carina
Findere. (*n*) quas habeo, Di tueantur, opes.
Nec venio Grajas veluti ſpectator ad urbes.
Oppida ſunt regni divitiora mei.
Te peto; quam lecto pepigit Venus (*o*) aurea noſtro.
Te prius optavi, quam mihi nota fores.

INTERPRETATIO.

Peto equidem magnam mercedem, ſed non indebitam. Cytherea promiſit te cubiculo meo: Hac duce iter feci incertum ab ora Sigæa, per vaſta maria navi Phereclea. Illa præbuit auras lenes, & ventos faventes. Scilicet mari procreata habet poteſtatem in mare. Permaneat; & ſic mulceat impetum cordis, ut mulſit impetum maris: & perducat in portus ſuos mea optata. Adveximus illos ignes, non hic reperimus. Illi fuerunt mihi cauſa tam propixi itineris: Nam neque ſæva tempeſtas, neque error nos huc applicuit. Tellus Tænaris eſt quæſita mea claſſi. Nec arbitrare me ſulcare maria navi ferente mercimonia; Dij ſervent divitias quas poſſideo. Nec advehor tanquam ſpectator ad urbes Græcas: urbes mei regni ſunt ſplendidiores. Te quæro; quam formoſa Venus pollicita eſt noſtro toro. Te ante expetivi, quam mihi eſſes cognita.

NOTÆ.

(x) *Non indebita*) Quia a Venere promiſſa; quo tempore maxima in ejus gratiam, a Junone & Minerva, Paris contemſit.

(y) *Cytherea*) *Venus*, a Cytheris inſula inter Cretam & Peloponneſum, quo primum e mari emergens appuliſſe dicitur, ita dicta

(z) *Sigæo*) *Trojano*; a Sigæo promontorio.

(a) *Dubias*) Scilicet in mari via non eſt trita.

(b) *Feci*) *Dubiam a Troja in Græciam navigationem ſuſcepi.*

(c) *Phereclea*) Eo nomine, a Phereclo fabricatore appellata eſt navis quæ Alexandrum vexit, quod ex Homero liquet.

(d) *Perſtet*) *Ut mihi hactenus, ita porrò faveat Venus.*

(e) *Pectoris æſtum*) *Amorem.*

(f) *Deferat*) *Ad optatum exitum vota mea perducat.*

(g) *Vota*) Quæ erant ut Helena poriretur

(h) *Attulimus*) Se dicit, ante viſam Helenam, Trojæ ejus amore arſiſſe.

(i) *Hiems*) *Tempeſtas*. Ita & loquitur Horatius, itemque Virgilius.

(k) *Tænaris*) *Laconica*, a Tænaro promontorio.

(l) *Petita*) Id eſt; *Dedita opera, propter te, in hanc regionem iter direxi.*

(m) *Nec me*) *Neque etiam credas me, facienda mercatura cauſa, per maria currere.*

(n) *Quas habeo*) Quaſi dicat, *Nil mihi eſt opus ut fiam dives maris pericula ſubire: jam ſunt ampliſſima, ſi modo Dij ſervaverint, opes partæ.*

(o) *Aurea*) *Formoſa, magnifica, munifica, &c.*

Ante tuos animo vidi, quam (*p*) lumine, vultus:
Prima fuit vultus nuncia fama tui.
(*q*) Nec tamen est mirum, (*r*) si sicut oporteat, arcu
Missilibus telis eminus ictus, amo.
Sic placuit fatis: quæ ne (*s*) convellere tentes,
(*t*) Accipe cum vera dicta relata fide.
Matris adhuc utero, partu remorante, tenebar:
Jam gravidus justo pondere venter erat.
Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni
Flammiferam pleno reddere ventre facem.
Territa consurgit; metuendaque (*u*) noctis (*x*) opacæ
Visa seni Priamo, (*y*) vatibus ille, refert.
Arsuram (*z*) Paridis vates canit Ilion (*a*) igni.
(*b*) Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei.
(*c*) Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,
Indicium (*d*) tectæ nobilitatis erant.

INTERPRETATIO.

Intuitus sum prius tam faciem mente, quam oculis: fama fuit prima nuncia tuæ formæ. Nec tamen est mirum, si, ut par est, sagittis procul arcu emissis, vulneratus amo. Sic fata voluerunt; quæ ne studeas infringere, accipe verba prolata tum certa fide. Eram adhuc in matris utero, partu cunctante: jam venter tumescebat justo onore. Illa visa est sibi sub specie somni emittere utero gravido tadam maximam instam mætam. Tremefacta erigitur, & narrat Priamo seni somnia reformidanda noctis obscuræ; ille enarrat aruspicibus. Aruspex respondet Trojam flagraturam flamma Paridis. Illa fuit fax pectoris mei, ut nunc est. Species, & vis animi, quamvis videbar de plebe, erant signum nobilitatis absconditæ.

NOTÆ.

(p) *Lumine*) *Oculis*.

(q) *Nec tamen*) Ab hoc versu 39. ad 143. ex omnibus scriptis codicibus centum & quatuor versus absunt, quos tanquam nothos non immerito, qui neque hac una causa rejiciendi, plerique rejecerunt. Quamobrem cumulo, discriminis causa, eos inclusimus.

(r) *Si sicut oporteat arcu*) Hæc sana non esse putat clariss. Heinsius: legitque *sicut oportuit actum*. Nihil mutavero. Sensus vero est, nihil mirum esse, si Cupidinis arcu & telis, eminus, sicuti missilibus oporteat ictus, amet.

(s) *Convellere*) *Irrita facere*.

(t) *Accipe*) Id est, *Audi quæ mihi dicta sunt, tibique cum vera fide refero*. Digressio est, qua causam & amoris sui originem est expositurus.

(u) *Noctis*) Id est, *quæ per noctem in somnis viderat*.

(x) *Opacæ Obscuræ*.

(y) *Vatibus*) Ut somnii sensum scrutarentur; illudque interpretarentur.

(z) *Paridis*) Prolepsis est, nondum enim nomen illud habebat, qui nequidem natus erat.

(a) *Igni*) Quem Patriæ ex suo amore, bello ideo inter Græcos Trojanosque concitato intulit.

(b) *Pectoris*) Id est, *Amorem quo uror, fax illa significabat*. Vatum conjectionem invertit, ut de amore suo tantum facem illam interpretetur.

(c) *Forma vigorque*) Hoc distichon post hujus epistolæ versum nonagesimum, rejicit clar. Heinsius. Quam merito hoc loco alienum dixerit, nullus, credo, non videbit.

(d) *Tectæ*) *Sub pastoris habitu latentis*.

Est locus in mediæ nemorosis vallibus (e) Idæ
(f) Devius, & piceis ilicibusque frequens:
Qui nec ovis placidœ, nec amantis saxa capellæ,
Nec patulo tardæ carpitur ore bovis.
Hinc ego (g) Dardaniæ muros excelsaque tecta,
Et freta prospiciens, arbore nixus eram.
Ecce pedum pulsu visa est mihi terra moveri.
Vera loquar, (h) veri vix habitura fidem.
Constitit ante oculos, actus velocibus alis,
Atlantis magni (i) Pleionesque (k) nepos.
Fas vidisse fuit; fas sit mihi visa referre:
Inque Dei digitis (l) aurea virga fuit.
Tresque simul Divæ, Venus & cum Pallade Juno
Graminibus teneros imposuere pedes.
Obstupui; gelidusque comas erexerat horror.
Cum mihi, *Pone metum*, nuncius (m) ales ait.
(n) *Arbiter es formæ: certamina (o) siste Dearum;*
(p) *Vincere quæ forma digna sit una (q) duas.*
Neve recusarem, (r) verbis Jovis imperat: & se
Protinus ætheria tollit in astra via.

INTERPRETATIO.

Est locus devius in vallibus frondosis media Ida, & consitus piceis & ilicibus, qui neque tundetur ore mitis ovis, nec capra spectantis rupes, nec patulo ore *lenta vacca. Ego hinc prospectans mœnia & domus sublimes Troja & maria, fultus eram arbore. Ecce tellus visa est mihi agitari ictu pedum: dicam vera, vix consecutura fidem veri. Nepos magni Atlantis & Pleiones impulsus alis celeribus substitit ante oculos. Fas mihi fuit spectasse; fas sit spectata enarrare: & baculus aureus fuit in manibus Dei. Et tres Deæ simul, Venus & Juno cum Pallade herbis immiserunt molles pedes. Hirigui, & horror frigidus arrexerat capillos: Cum alatus nuncius mihi dixit* depone timorem. Iudex es pulcritudinis: finem impone litibus Dearum; utra sit digna superare duas pulcritudine. *Et ne abnuerem jubet nomine Jovis; & statim evebitur in cœlum via atherea.*

NOTÆ.

(e) *Ida*) Ida, mons fuit Phrygiæ; in o Paris educatus fuit,

(f) *Devius*) *Ab omni via trita remotus.*

(g) *Dardaniæ*) Impropsie pro Troja usbe, regionem posuit.

(h) *Veri*) Hanc vocem pro *vero*, aut verum forte sine necessitate supposuit Heinsius.

(i) *Pleionesque*) Fuit Pleione Nympha Oceani & Tethyos filia, uxor Atlantis, Maiæ mater, ex qua Maia Jupiter Mercurium suscepit.

(k) *Nepos*) *Mercurius*, ut patet ex proxime præcedenti nota.

(l) *Aurea virga*) *Caduceum*, Mercurij gestamen. *Sou Caducee.*

(m) *Ales*) Mercusius, talariis instructus itemque galeso, & virga pariter alatis.

(n) *Arbiter*) Paridis de trium dearum forma, ut pulcriori Discordiæ pomum traderetur, judicium notius est, quam ut opus sit prolixam ea de re fabulam huc transcribere,

(o) *Siste*) Paridis judicio standum statuesat Jupiter.

(p) *Vincere*) *Pronuntia* supple.

(q) *Duas*) *Deas* scil.

(r) *Verbis*) *Mercurius Jovis nomine imperat ut dicerem utra Dearum esset pulcrior.*

Mens

Mens mea convaluit, subitoque (*s*) audacia venit;
Nec timui vultu (*t*) quamque notare meo.
(*u*) Vincere erant omnes dignæ: judexque verebar
Non omnes (*x*) causam vincere posse suam.
Sed tamen ex illis jam tunc magis una placebat:
Hanc esse (*y*) ut scires, unde movetur amor.
Tantaque * vincendi cura est; ingentibus ardent
Judicium donis (*z*) sollicitare meum.
Regna (*a*) Jovis conjux, virtutem (*b*) filia (*c*) jactat.
Ipse (*d*) potens dubito, (*e*) fortis an, esse velim.
Dulce Venus (*f*) risit, *Nec te, Pari, munera tangant;*
Utraque suspensi (g) plena timoris, ait,
(*h*) *Nos dabimus quod ames: & pulcræ (i) filia Ledæ*
(*k*) *Ibit in amplexus pulcrior ipsa tuos.*
Dixit: & (*l*) ex æquo donis formaque probata,
Victorem cælo rettulit illa pedem.

INTERPRETATIO.

Animus meus confirmatus est, & de repente confidentia orta est: nec expavi unamquamque spectare oculis meis. Omnes merebantur superare; & arbiter pavebam non omnes posse tenere suam causam. Sed tamen una ex illis jam tunc magis placebat; ut cognosceres hanc esse, a qua amor ingeneratur. Et tantum est desiderium superandi; flagrant corrumpere meum judicium præmiis maximis. Uxor Jovis prædicat regna, filia virtutem. Ipse nescio cupiam ne esse opulentus, an virtute præditus. Venus suaviter arrisit, nec te inquit, moveant dona, Pari; utraque sunt plena metus sollicitî. Nos exhibebimus quod diligas: & filia formosæ Ledæ, ipsa formosior veniet in complexus tuos. *Dixit: & illa, muneribus, & pulcritudine pariter approbata, rettulit pedem victorem cælo.*

NOTÆ.

(s) *Audacia*) Ut Dearum litem cognosceret, deque ea sententiam ferret.

(t) *Quamque notare*) Nudas vero vidisse eas fingitur apud Lucianum.

(u) *Vincere*) Quia pulcherrima erat quælibet.

(x) *Causam*) *Vincere causam*, Latinum non esse annotavit Heinsius; quanquam *tenere causam* bene dicatur.

(y) *Ut sciret*) *Ut facile esset scire.*

* *Vincendi cura est*) Dicit Deas maxime cupivisse singulas, ut pro sua pulcritudine Paris judicaret.

(z) *Sollicitare*) Imo corrumpere.

(a) *Jovis conjux*) *Juno.*

(b) *Filia*) *Pallas seu Minerva.*

(c) *Jactat*) Quæ Paridi esset datura, si pro se judicaret, certatim ostentabat Dearum quælibet.

(d) *Potens*) *Ex regnis a Junone promissis*, scilicet.

(e) *Fortis*) *Ex virtute quam Pallas offerebat.*

(f) *Risit*) Apposite, & ex Veneris ingenio & more istud.

(g) *Plena*) Dicit Junonis & Palladis munera ea esse, quæ sine assiduo metu non possint retineri.

(h) *Nos dabimus*) Egregie vero Venus, quæ semper grata adveniens; mox tamen pectus totum curis, timoribus, & omni mœrore implet.

(i) *Filia Ledæ*) *Helena*, Jovis & Ledæ filia.

(k) *Ibit*) Id est, *Illam tibi tradam.*

(l) *Ex æquo donis*) Hujus loci sensus est, Paridem donis, Helena scilicet a Venere promissa, contentum fuisse; eamdemque Veneris pulcritudinem approbasse, Junonique & Palladi prætulisse.

Interea (credo, (*m*) versis ad prospera fatis)
Regius agnoscor per (*n*) rata signa puer.
Læta (*o*) domus nato (*p*) per tempora longa recepto,
Addit & ad festos (*q*) hunc quoque Troja diem.
Utque ego te cupio, sic me cupiere puellæ.
(*r*) Multarum votum sola tenere potes.
Nec tantum regum natæ petiere ducumque.
Sed (*ſ*) Nymphis etiam curaque (*t*) amorque fui.
At mihi cunctarum subeunt fastidia, postquam
Conjugij spes est, (*u*) Tyndari, facta tui.
Te vigilans oculis, animo te nocte (*x*) videbam;
Lumina cum placido victa sopore jacent.
Quid facies præsens, quæ nondum visa placebas?
Ardebam; quamvis hic procul (*y*) ignis erat.
Nec potui (*z*) debere mihi spem longius istam,
(*a*) Cærulea peterem quin (*b*) mea vota via.

INTERPRETATIO.

Interea (puto, fatis flexis ad lætiora) cognoscor filius regis per indicia certa. Regia festiva, filio recuperato per producta tempora, Troja annumerat quoque & hunc diem feriatis. Et ut ego te expeto, sic puellæ me expetiverunt. Sola potes frui optatis multarum. Nec solummodo filiæ Regum & Dynastarum me cupiverunt; sed fui quoque cura & amor Nymphis. At contemtus omnium mentem occupavit Tyndari, postquam spes est indulta tui connubij. Experrectus intuebar te oculis, te nocte intuebar mente cum oculi superati jucundo somno jacent. Quid præstabis præsens, quæ nondum aspecta placebas? Flagrabam, quamvis hæc flamma longe erat? Nec potui distineri diutius spe ista, quin quærerem mea desideria via glauca.

NOTÆ.

(m) *Versis*) Fata vero adversa fuerant cum regia domo ejectus inter Pastores tenuissima fortuna educaretur: atque adeo nunc versa sunt, cum ad patris regiam reducitur.

(n) *Rata*) *Crepundia* scil. *aliaque certa signa.*

(o) *Domus*) Priami regiam intellige.

(p) *Per*) Pro *post*.

(q) *Hunc*) Illum quo receptus fuit.

(r) *Multarum votum*) *Me*, scil.

(ſ) *Nymphis*) De Oenone supra multa vidimus. Cæterum sua omnia egregie, more amantium extollit.

(t) *Amorque fui*) Post hunc versum Palatinus & veteres editiones addunt,

Quas super Oenonem facies mutarer in orbem.

Nec Priamo est ad te dignior ulla nurus.

Quos Ovidianos esse versus non dubito. Sed prior est mendosissimus, ac proinde uterque a nuperis editionibus jussum exulare, ni fallor; idque pessimo exemplo. Posteriori legendum *a te* Noster alibi,

A Veneris facie non est prior ulla, tuaque. Heinsius.

(u) *Tyndari*) Helena, Tyndari filia, ut vulgo credebatur. Vocativi casus.

(x) *Videbam*) *Videre credebam, aut fingebam.*

(y) *Ignis*) Helenam suum ignem vocat. Ita & Terentianus ille Parmeno ad dominum de Thaide meretricula, *Accede ad ignem hunc.*

(z) *Debere spem illam longius*) Id est, *Spem mei amoris longius differre.*

(a) *Cærulea*) *Per mare cæruleum.*

(b) *Mea vota*) *Te Helenam, quam mihi exoptabam.*

Troja cæduntur Phrygia pineta securi,
  Quæque erat æquoreis utilis arbor aquis:
Ardua proceris spoliantur (c) Gargara silvis:
  Innumerasque mihi longa dat Ida trabes.
Fundatura citas flectuntur robora naves;
  Texitur & costis (d) panda carina suis.
Addimus (e) antennas, & vela sequentia malos:
  Accipit & pictos puppis (f) adunca (g) Deos.
Qua tamen ipsa vehor, comitata Cupidine parvo,
  (h) Sponsor conjugij stat Dea picta sui.
Imposita est factæ postquam manus ultima classi:
  Protinus (i) Ægæis ire (k) lubebat aquis.
Et (l) pater & (m) genitrix inhibent mea vota rogando;
  Propositumque pia voce morantur iter.
Et soror (n) effusis, ut erat, (o) Cassandra capillis,
  Cum (p) vellent nostræ jam dare vela rates;
Quo ruis? exclamat; *referes (q) incendia tecum.*
  Quanta per has nescis flamma petatur (r) aquas.
Vera fuit vates; dictos invenimus ignes:
  Et ferus in molli pectore flagrat (s) amor.

I N T E R P R E T A T I O.

Pineta Trojana abscinduntur securi Phrygia, & arbor quæ erat apta aquis marinis: Gargara excelsa viduantur excelsis arboribus: & vasta Ida mihi præbet trabes sine numero. Incurvantur robora fundamenta datura navibus celeribus: & curva carina construitur suis lateribus. Adjicimus antennas, & vela concomitantia malos: & puppis curva sumit Deos pictos. Dea tamen sponsor sui connubij, stipata parvo Cupidine erigitur picta navi qua ipse feror. Postquam manus novissima admota est structæ classi, statim volebam vehi aquis Ægæis. Et pater & mater morantur mea desideria orando: & retardant iter inceptum voce pia. Et soror Cassandra, ut erat comis sparsis, cum nostræ naves jam vellent pandere vela: quo festinas? *Exclamat, reveh*es tecum incendia. Ignoras quantus ignis quæratur per has aquas. *Vera fuit fatidica; reperimus flammas prædictas: & amor sævus ardet in tenero pectore.*

N O T Æ.

(c) *Gargara*) Mons & oppidum Troadis, in summitate montis Idæ.

(d) *Panda*) *Curva.*

(e) *Antennas*) Antenna, lignum est illud malo transversum cui vela alligantur.

(f) *Adunca*) *Curva.*

(g) *Deos*) Ex eo quod ita Deos aliaque insignia in puppi locarent multus fabulæ locus datus est.

(h) *Sponsor*) Venus est.

(i) *Ægæis*) Scilicet mare Ægeum Græciam a Troja dividit.

(k) *Lubebat*) Pro hac voce quam Clariss. Heinsius substituit, priscæ editiones *jubebat* aut *jubebar* habent: Atque Micyllus intelligit Paridem a fatis jussum fuisse.

(l) *Pater Priamus.*

(m) *Genitrix*) *Hecuba.*

(n) *Effusis*) Furentium, dolentium & vaticinantium more.

(o) *Cassandra*) Paridis soror, quæ in concubitus mercedem vaticinandi facultatem ab Apolline acceperat.

(p) *Vellent*) Inanimatis tribuit navibus quod animatorum est; quod Paridis fuit.

(q) *Incendia*) Fuit vero Helenæ raptus incendij Trojani causa.

(r) *Aquas*) Per mare Ægeum.

(s) *Amor*) Aliorsum Cassandræ sororis vaticinia detorquet.

Portubus egredior; ventisque ferentibus usus
Applicor in terras, (t) Oebali Nympha, tuas.
Excipit hospitio vir me tuus, hoc quoque factum
Non sine consilio numinibusque Deum.
Ille quidem ostendit, quidquid (u) Lacedæmone tota
Ostendi dignum conspicuumque fuit.
Sed mihi laudatam cupienti cernere formam,
Lumina, nil aliud, quo caperentur, erat.
Ut vidi, obstupui; præcordiaque intima sensi
Attonitus curis (x) intumuisse novis.
His similes vultus, quantum reminiscor, habebat,
(y) Venit in arbitrium cum (z) Cytherea meum.
Si tu venisses pariter certamen in (a) illud,
(b) In dubium Veneris (c) palma futura fuit.
(d) Magna quidem de te rumor præconia fecit.
Nullaque de facie nescia terra tua est.
Nec tibi par usquam (e) Phrygia, (f) nec solis ab ortu
Inter formosas altera nomen habet.)
Credis & hoc nobis? (g) minor est tua gloria vero:
Famaque de forma pœne (h) maligna tua est,

INTERPRETATIO.

Solvo e portubus; & potius ventis secundis appello ad tua littora, Nympha Oebali. Maritus tuus me accipit hospitio: hoc quoque factum non sine voluntate & numinibus Deorum. Ille quidem monstrat quidquid dignum monstrari, & insigne fuit tota Lacedæmone. Sed nihil aliud erat mihi desideranti aspicere pulcritudinem celebratam, quo oculi detinerentur. Ut aspexi, stupefactus hæsi, & perculsus, ultima viscera expertus sum turgisse novis curis. Cum Cytherea descendit in meum judicium, habebat, quantum recordor, faciem huic parem. Si tu accessisses pariter in illam pugnam: palma Veneris ventura fuit in discrimen. Fama equidem magnis laudibus te celebravit, & nulla pars orbis est ignara formæ tuæ: nec tibi usquam similis in Phrygia, nec altera ab ortu Solis famam consecuta est inter pulcras. Fidem etiam nobis adhibes in hac re? Laus tua est minor vero: & fama de pulcritudine tua est propemodum invida,

NOTÆ.

(t) *Oebali*) Helena est, ab avo Oebalo, Tyndari patre, cognominata.

(u) *Lacedæmone*) In celebri illa Peloponnesi urbe regnavit Menelaus, Helenæ maritus.

(x) *Intumuisse*) Libri habent *intonuisse*: quod, non sine causa Heinsius, aliique alienum huic loco judicarunt. Porro idem Heinsius mallet *indoluisse*.

(y) *Venit in arbitrium*) Loquitur de famigerato illo de tribus Deabus judicio.

(z) *Cytherea*) *Venus*, ob ante dictam rationem.

(a) *Illud*) *Quod Deis inter de pulcritudine fuit*.

(b) *In dubium*) Ita & Terentius dixit, *me esse in tantum honorem*. Sed usitatus est sextus casus in locis ejusmodi.

(c) *Palma*) Notum eam arborem victoriæ fuisse indicium; non immerito, siquidem curvata validius in sublime nitatur. Ergo dicit Paris, quod Veneri certa non fuisset de pulcritudine victoria, si quarta ad judicium accessisset Helena.

(d) *Magna*) *Multum equidem tuam formam fama celebravit.*

(e) *Phrygia*) Pro *in Phrygia*.

(f) *Nec solis*) Id est, *Tibi non est similis*.

(g) *Minor est*) *Minus quam digna est laudatur tua forma.*

(h) *Maligna*) *Qua parce bene prædicat*

Plus

Plus (*i*) hic invenio, quam quod promiserit illa:
(*k*) Et tua materia gloria victa sua est.
Ergo (*l*) arsit merito, qui noverat omnia, Theseus:
Et visa es tanto digna rapina viro.
More tuæ gentis (*m*) nitida dum nuda (*n*) palæstra
Ludis, & es nudis fœmina mista viris.
Quod rapuit, laudo: miror, quod reddidit unquam.
Tam bona constanter præda tenenda fuit.
Ante recessisset caput (*o*) hoc cervice cruenta,
Quam tu de thalamis abstraherere meis.
Te-ne manus unquam nostræ dimittere vellent?
Te-ne meo paterer vivus abire sinu?
Si reddenda fores, (*p*) aliquid tamen ante tulissem:
Nec Venus (*q*) ex toto nostra fuisset iners.
Vel mihi virginitas esset libata; (*r*) vel illud,
Quod poterat salva virginitate rapi.
Da modo te; quæ sit Paridi constantia nosces.
(*ſ*) Flamma rogi flammas finiet (*t*) una meas.
Præposui regnis ego te; quæ maxima (*u*) quondam
Pollicita est nobis nupta sororque Jovis.
(*x*) Dumque tuo possem circumdare brachia collo,
Contemta est virtus Pallade dante mihi.

INTERPRETATIO.

Plus hic reperio, quam quod illa pollicita sit: & laus tua est superata causa sua. Ergo Theseus, cui omnia perspecta, jure inflammatus est; & visa es præda digna tanto viro, dum nuda ludis more tuæ gentis in palæstra uncta; & puella es immixta viris nudis. Probo quod abstulit; stupeo quod restituit unquam: tam bona rapina fuit firmiter retinenda. Caput hoc prius detractum esset collo sanguinolento, quam tu avellereris de meis cubiculis. Manus-ne nostræ vellent unquam te remittere? Vivus-ne sinerem te excedere gremio meo? Si esses restituenda, tamen aliquid prius consecutus essem; nec Venus nostra fuisset omnino ignava. Vel virginitas mihi esset derepta, vel illud, quod poteras decerpi integra virginitate. Trade te modo: cognosces quæ sit firmitas Paridi. Solus ignis rogi finem imponet ignibus meis. Ego te antepofui regnis; quæ maxima & uxor & soror Jovis nobis olim promisit. Et dummodo possem amplecti collum tuum lacertis, virtus spreta est, Pallade eam mihi exhibente.

NOTÆ.

(i) *Hic*) *Cum video te.*

(k) *Et tua*) Id est, *Et gloria tua ex pulcritudine minor est, quam materia & pulcritudo ipsa.*

(l) *Arsit*) *Tui amore correptus est*: qua de te in præcedentibus epistolis.

(m) *Nitida*) *Uncta.*

(n) *Palæstra*) *La luite.* Ad illud vero studium se maxime adjungebant Laconici.

(o) *Hoc*) *Meum.*

(p) *Aliquid tamen*) *Non te intactam, ut Theseus, remisissem.*

(q) *Ex toto*) *Penitus.*

(r) *Vel illud quod*) Oscula puta.

(ſ) *Flamma rogi*) *Postquam mortuus fuero.*

(t) *Una*) *Sola.*

(u) *Quondam*) Cum de pulcritudine inter Deas judicavit.

(x) *Dumque*) *Modo ut.* Gall. *Pourveuque.*

Nec piget; aut unquam stulte (*y*) legisse videbor:
Permanet in (*z*) voto mens mea firma suo.
Spem modo ne nostram fieri patiare (*a*) caducam,
Te precor; o tanto digna labore peti.
Non ego conjugium generosæ (*b*) degener opto:
Nec mea (crede mihi) turpiter uxor eris.
(*c*) Pliada, (*d*) si quæras, in nostra gente Jovemque
Invenies: (*e*) medios ut taceamus avos.
Sceptra parens Asiæ, qua nullo beatior (*f*) ora,
(*g*) Finibus immensis vix obeunda tenet.
Innumeras urbes atque (*h*) aurea tecta videbis:
Quæque suos dicas templa decere Deos.
(*i*) Ilion aspicies, firmataque turribus altis
Mœnia, (*k*) Phœbeæ structa (*l*) canore lyræ.
Quid tibi de turba narrem (*m*) numeroque virorum?
Vix populum tellus sustinet (*n*) illa suum.

INTERPRETATIO.

Nec pœnitet; aut unquam videbor inepte elegisse: animus meus perstat constans in desiderio suo. Te oro tantum ne spem nostram finas esse inanem, o merita quæri tanto labore. Ego non sum ignobilis qui cupiam connubium nobilis: nec, crede mihi, eris inhoneste uxor mea. Si exquiras reperies Pleiadem, & Iovem in nostris stemmatibus: ut prætereamus avos medios. Pater tractat sceptra Asiæ, qua regione nulla opulentior, vix ambienda infinitis finibus. Cernes oppida sine numero & domos magnificas: & ædes quas fatearis decere Deos suos. Cernes Ilion & muros suffultos excelsis turribus, positos ad sonum lyræ Phœbeæ. Quid tibi commemorem de populo & copia virorum? Vix illa terra fert suos incolas.

NOTÆ.

(y) *Legisse*) *Elegisse: Cum te potius quam Junonis aut Palladis dona elegerim, nunquam stulte elegisse videbor.*

(z) *Voto suo*) *Ut te conjugem habeam.*

(a) *Caducam*) *Vanam.*

(b) *Degener*) *Ignobilis*. Alias degener est qui a Majorum virtute descivit.

(c) *Pliada*) Alij habent *Pleiada*. Hic vero Electra intelligitur, ex septem Pleiadibus Atlantis & Pleiones filiabus, una, ex qua Jupiter Dardanum, qui, ut habet Virgil.

Dardanus Iliacæ primus pater urbis & autor:

Ex quo adeoque, per Erichthonium, Troem, Ilum, Laomedontem, Priamum, Paris genus ducebat.

(d) *Si quæras*) *Si in natales meos inquiras.*

(e) *Medios*) Qui, modo recensiti Reges fuerunt.

(f) *Ora*) Pro regione posita est.

(g) *Finibus*) *Propter immensa spatia, & longe remotos fines vix peragranda.*

(h) *Aurea*) *Auro ornata*; adeoque *magnifica*:

(i) *Ilion*) *Urbem, Trojæ caput*: nam Troja regio est; quæ etiam pro urbe ipsa ponitur.

(k) *Phœbeæ*) Jam supra Phœbum, seu Apollinem, cum Neptuno, Trojanæ urbis conditorem vidimus.

(l) *Canore*) Dicuntur ad Apollinis cantum saxa in opus exiliisse: cujus fabulæ ad Politicos accommodationem passim apud Mythologos reperies.

(m) *Numeroque virorum*) *Quibus, scil. imperium nostrum Asiaticum suffultum est.*

(n) *Illa*) *Asiatica, seu Trojana.*

Occur-

(o) Occurrent denſo tibi Troades agmine matres.
(p) Nec capient Phrygias atria noſtra nurus.
O quoties, dices, *Quam pauper (q) Achaia noſtra eſt!*
Una domus *(r)* quaſvis urbis habebit opes.
Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere veſtram.
In qua tu nata es, terra beata mihi eſt.
(ſ) Parca ſed eſt Sparte: tu cultu divite digna es.
Ad *(t)* talem formam *(u)* non facit iſte locus.
Hanc faciem largis ſine fine *(x)* paratibus uti,
Deliciiſque decet *(y)* luxuriare novis.
Cum videas cultum noſtra de gente virorum;
(z) Qualem Dardanidas credis habere nurus?
Da modo te *(a)* facilem: nec dedignare maritum,
Rure *(b)* Therapnæo nata puella, *(c)* Phrygem.
Phryx erat & noſtro genitus de ſanguine, *(d)* qui nunc
Cum Dis potandas nectare miſcet aquas,
Phryx erat Auroræ *(e)* conjux, tamen abſtulit illum
Extremum noctis *(f)* quæ Dea finit iter.

INTERPRETATIO.

Matronæ Troades tibi obviam procedent ſpiſſo agmine; nec atria noſtra continebunt nurus Phrygias. O quoties dices, quam miſera eſt noſtra Achaia! *unica domus fruetur omnibus divitiis urbis. Nec mihi fas fuerit ſpernere veſtram Sparten. Tellus in qua nata es eſt mihi felix. Sed Sparte eſt frugalis: tu mereris ornatum ſplendidum. Iſte locus non aptus eſt ad ejuſmodi pulcritudinem: Hos decet vultus ſemper uti multis ornatibus, & aſſuere novis deliciis. Aſpicias ornatum virorum de noſtra natione: qualem arbitraris puellas Dardanidas habere? Præbe te tantum lubentem; nec aſpernare maritum Phrygem, puella nata rure Therapnæo. Qui nunc cum Divis miſcet nectare aquas bibendas, erat Phrygius & procreatus de noſtro ſanguine. Maritus Auroræ erat Phrygius, tamen Dea quæ terminat viam ultimam noctis illum rapuit.*

NOTÆ.

(o) *Occurrent*) Honoris gratia.

(p) *Nec capient*) *Cum in regiam ad te excipiendum concurrent.*

(q) *Achaia*) Peloponneſus eſt: Alibi pro Græcia ſumitur.

(r) *Quaſvis*) *In una domo, quamcumque in noſtra regione delegeris, unius Græcæ urbis opes invenire licebit.*

(ſ) *Parca*) *Ex inſtitutis Lycurgi*, dixit aliquis. Quaſi vero ex illius inſtitutis, qui mortuo Paride, & poſt ejus mortem longo interjecto tempore, in lucem prodierit. Parca fuit Sparte, quia nec divites, adeoque nec ſumtuoſi Lacedæmonij, ſicut Aſiatici ſeu Trojani, qui ſua luxuria famoſi facti ſunt.

(t) *Talem*) *Qualis eſt tua, o Helena.*

(u) Non *facit*) *Non reſpondet. Indignus eſt iſte locus, qui te talem habeat.*

(x) *Paratibus*) *Ornatibus; Cultibus.*

(y) *Luxuriare*) *Abundare: Aſſuere.*

(z) *Qualem*) *Multo pulcriorem, & ſplendidiorem.*

(a) *Facilem*) *Exorabilem*,

(b) *Therapnæo* (*Laconico*: Sunt enim Therapnæ agri Laconici non longe a Sparta, ad flumen Eurotan.

(c) *Phrygem*) Paridem intellige, qui Trojanus, adeoque Phryx fuit.

(d) *Qui nunc*) Ganymedem intelligit; qui Trois, Trojanorum regis filius, a Jove, in Aquilam tranſmutato, raptus eſt; cui in deliciis, & pincernæ loco fuit.

(e) *Conjux*) Tithonus eſt, Laomedontis filius, Priamique frater,

(f) *Quæ Dea*) Aurora, ſcilicet; quæ noctem finit, diem inchoat.

Phryx etiam *(g)* Anchises: *(h)* volucrum cui *(i)* mater Amorum
Gaudet in Idæis concubuisse jugis.
Nec, puto, *(k)* collatis forma Menelaus & annis,
Judice te, nobis anteferendus erit.
Non dabimus certe *(l)* socerum *(m)* tibi clara fugantem
Lumina; qui trepidos *(n)* a dape vertat *(o)* equos,
(p Nec pater est Priamo soceri de cæde cruentus;
Et qui *(q)* Myrtoas *(r)* crimine signet aquas.
Nec *(f)* proavo *(t)* Stygia nostro captantur in unda
Poma, nec in mediis quæritur humor aquis,
Quid tamen hoc refert, si te tenet *(u)* ortus ab illis?
Cogitur huic domui Jupiter esse * socer.
Heu facinus! totis indignus noctibus ille
Te tenet; amplexu perfruiturque tuo.

INTERPRETATIO.

Anchises etiam erat *Phrygius: cum quo mater amorum alatorum amat latus conseruisse in collibus Idæis. Nec, arbitror, Menelaus, species & ætate comparatis, nobis erit præponendus, te judice. Non exhibebimus certe tibi socerum in fugam vertentem clarum Solem; qui avertat equos territos a convivio. Nec pater est Priamo sanguinolentus de nece Soceri; & qui notet flagitio aquas Myrtoas. Nec poma expetuntur a proavo nostro in fluctibus Stygiis, nec aqua desideratur in mediis aquis. Quid tamen hoc interest, si illis satus te habet? Jupiter tenetur esse socer huic familiæ. Heu nefas! ille indignus te tenet totis noctibus: & usque gaudet tuo amplexu!*

NOTÆ.

(g) *Anchises*) Filius fuit Capys, adeoque ex stirpe regia Æneæ pater.

(h) *Volucrum*) Quippe finguntur alati.

(i) *Mater amorum*) Venus est, quæ cum Anchise in monte Ida concubuisse, deinde Ænean peperisse fingitur.

(x) *Collatis*) *Forma & annis meis cum forma & annis Menelai comparatis, Menelaus, credo, non erit nobis præferendus.*

(l) *Socerum*) *Qualis est Atreus, Menelai pater*, supple.

(m) *Tibi clara*) *Qui te cogat oculos avertere*: Ad Atrei, Menelai patris factum alludit; qui, ut violati a Thyeste fratre, tori sui injuriam ulcisceretur, ei proprios ejus filios epulandos apposuit. Cujus facinoris horrore Sol retrocessisse dicitur.

(n) *Adape*) Nefaria, scil. qualis fuit illa Atrei.

(o) *Equos*) Equis vehi Solis currum apud Poetas vulgatum est: Adeoque *vertere equos*, est *retrocedere*.

(p) *Nec pater*) *Sicuti Atreo Menelai patri est pater Pelops, qui, ut Hippodamia potiretur, Oenomaum ejus patrem interfecit*. Istud vero contra Menelaum Paris commeminit.

(q) *Myrtoas*) Mare Myrtoum, quod pars est Ægei, a Myrtilo Oenomai auriga, quem in illud Pelops præcipitavit, quidam dictum esse volunt, quos quidem Paridi serviendi causa hic sequitur Ovidius.

(r) *Crimine*) In eo fuit Pelopis crimen, quod Myrtilum bene meritum, & cujus opera Oenomaum Hippodamiæ patrem curuli certamine vicerat, in mare præcipitaverit.

(f) *Proavo*) *Sicuti Tantalo Pelopis patri*, supple: cujus apud inferos supplicium Menelao pronepoti objicitur. Fingitur vero ille aquis tantum non submersus fugientia flumina captare, quæ ad extinguendam sitim attingere non liceat; pomisque circumstantibus inhiare, quæ comprehendere nequeat. Qua de re Poetæ sunt multi.

(t) *Stygia*) Styx inferorum fluvius esse dicitur, per quam Dij jurare soliti.

(u) *Ortus*) Menelaus, scilicet.

* *Socer*) Omnino, si Menelao Helena Jovis filia nupta mansisset, ipsius Menelai Jupiter socer fuisset.

(x) At mihi conspiceris posita vix denique mensa.
Multaque, quæ lædant, hoc quoque (y) tempus habet.
Hostibus eveniant convivia talia nostris,
Experior posito qualia sæpe mero.
(z) Pœnitet hospitii, cum, me spectante, lacertos
Imposuit collo (a) rusticus iste tuo.
(b) Rumpor, & invideo (c) quid enim tamen omnia narrem?)
Membra superjecta cum tua veste fovet.
Oscula cum vero coram (d) non dura daretis;
Ante oculos (e) posui pocula sumta meos.
Lumina demitto, cum te tenet arctius ille:
(f) Crescit & invito lentus in ore cibus.
Sæpe dedi gemitus: & te, lasciva, (g) notavi.
In gemitu risum non tenuisse meo,
Sæpe mero volui (h) flammam compescere: at illa
Crevit; & ebrietas (i) ignis in igne fuit.
Multaque ne videam, (k) versa cervice recumbo.
Sed (l) revocas oculos protinus ipsa meos.
Quid faciam dubito: dolor est meus illa videre.
Sed dolor a facie major abesse tua.
Qua licet & possum, luctor celare furorem:
Sed tamen apparet dissimulatus amor.

INTERPRETATIO.

At ægre a me spectaris tandem mensa admota: Et hoc quoque tempus habet plurima quæ offendant. Epulæ qualibus admittor sæpe vino apposito admoveantur tales hostibus nostris. Piget hospitii, cum me intuente ille agrestis admovit brachia collo tuo. Crucior, & æmulor (quid enim tamen omnia referam?) Cum calefacit artus tuos tunicis superstratis. Cum vero præberetis in meo conspectu suavia mollia: tenui pocula capta ante oculos meos. Dejicio oculos, cum ille te urget plusculum: & cibus gravis crescit in ore nauseante. Sæpe duxi suspiria: & observavi, proterva, te non repressisse risum in suspirio meo. Sæpe volui coercere ignem vino: at ille auctus est, & ebrietas fuit ignis in igne; Et ne aspiciam multa, decumbo collo reflexo. Sed tu statim retrahis meos oculos: Incertus sum quid agam: piget illa cernere: sed major est dolor recedere a vultu tuo. Quatenus licet & possum, conor occultare mentis impetum: sed tamen amor rectus cernitur.

NOTÆ.

(x) *At mihi*) Queritur quod tantum, vixque etiam tempore cœnæ Helenam videre possit.

(y) *Tempus*) Quo cœna sumitur, scil.

(z) *Pœnitet hospitii*) Id est, *Nollem hospitium mihi cum Menelao esse.*

(a) *Rusticus iste*) *Menelaus.*

(b) *Rumpor*) *Discrucior.*

(c) *Quid enim*) Alii *quid nunc.* Alii aliter.

(d) *Non dura*) *Mollia & lasciva.*

(e) *Posui*) *Ne videret*, scil.

(f) *Crescit*) *Videtur crescere, qui præ dolore comedere non possum.*

(g) *Notavi*) *Adverti.*

(h) *Flammam*) *Amorem.*

(i) *Ignis*) Vini calor amoris flammam acuebat.

(k) *Versa cerv.*) Id est, *cervice & capite in aliam partem verso, discumbo.*

(l) *Revocas*) Id est, *facit forma tua, ut statim oculos ad te convertam.*

Nec

Nec tibi verba damus: *(m)* sentis mea vulnera, sentis:
Atque utinam soli sint ea nota tibi!
Ah quoties lacrymis venientibus *(n)* ora reflexi,
Ne causam fletus quæreret *(o)* ille mei!
Ah quoties *(p)* aliquem narravi potus amorem,
Ad vultus *(q)* referens singula verba tuos!
(r) Indiciumque mei ficto sub nomine feci.
(ſ) Ille ego, si nescis, verus amator eram.
Quin etiam, ut possem verbis *(t)* petulantius uti,
Non semel ebrietas est simulata mihi.
(u) Prodita sunt (memini) tunica tua pectora laxa,
Atque oculis aditum nuda dedere meis;
Pectora vel puris nivibus, vel lacte, tuamque
Complexo matrem candidiora *(x)* Jove.
Dum stupeo visis, (nam pocula forte tenebam)
(y) Tortilis e digitis excidit ansa meis.
Oscula si natæ dederas; ego protinus illa
Hermiones tenero lætus ab ore tuli.
Et *(z)* modo cantabam *(a)* veteres *(b)* resupinus amores;
Et modo per nutum *(c)* signa tegenda dabam.

INTERPRETATIO.

Nec tibi imponimus; sentis meas plagas, sentis. Atque utinam illa sint tibi soli perspecta! Ah quoties detorsi faciem lacrymis erumpentibus, ne ille peteret causam mei luctus! Ah quoties potus commentus sum aliquem amorem, affingens singulas voces ad oculos tuos! & me declaravi sub nomine commentitio. Ego ille eram verus amator, si ignoras. Quin etiam ut possem procacius verba profundere, ebrietas non est mihi semel ficta. Aperta sunt (recordor) tua pectora veste laxata, & nuda præbuerunt accessum meis oculis; pectora splendidiora vel nivibus intaminatis vel lacte, & Jove complexo tuam matrem. Dum stupidus hæreo aspectis, (nam forte tractabam pocula) ansa flexuosa elapsa est meis digitis. Si oscula præbueras filiæ; ego statim gaudens illa sumsi ab ore molli Hermiones. Et modo resupinus celebrabam veteres amores: & modo exhibebam per nutum indicia occultanda.

NOTÆ.

(m) *Sentis mea vulnera*) *Scis certo me tui amore teneri.*

(n) *Ora reflexi*) *Faciem alio converti, ne lacrymas videret Menelaus.*

(o) *Ille*) *Menelaus*; cujus invidiose nomen reticuit.

(p) *Aliquem*) Puteaneus & alii nonnulli habent *juvenum*. Se dicit aliorum exposuisse amores, ut suum aperiret.

(q) *Referens*) *Ut intelligeres me propter te, & tui amore incensum ea omnia dicere.*

(r) *Indiciumque*) *Me amare indicavi.*

(ſ) *Ille*) *Cujus tibi amorem enarrabam.*

(t) *Petulantius*) Alii habent *potulantibus*: quod magis placeret.

(u) *Prodita*) *Aperta; patefacta.*

(x) *Jove*) Cygni vero, natura candidissimi formam indutus, Ledam Helenæ matrem Jupiter vitiavit.

(y) *Tortilis*) Ansas amabant in poculis intortas & implicatas.

(z) *Modo*) *Interdum.*

(a) *Veteres*) *Veterum, qui amoribus inclaruerint.*

(b) *Resupinus*) Tanquam nimio mero correptus fuisset.

(c) *Signa tegenda*) *Signa, quibus amorem meum tibi declarabam, celanda omnibus, præsertim vero Menelao marito.*

Et

Et comitum (d) primas Clymenen (e) Æthramque tuarum
(f) Ausus cum blandis nuper (g) adire sonis.
Quæ mihi non aliud, (h) quam formidare, locutæ,
Orantis medias (i) deseruere preces.
(k) Di facerent, magni pretium certaminis esses;
Teque suo victor posset habere toro.
(l) Ut tulit (m) Hippomenes Schœneida (n) præmia cursus,
Venit ut in (o) Phrygios Hippodamia sinus;
Ut ferus (p) Alcides (q) Acheloia cornua fregit,
Dum petit amplexus, Deianira, tuos;
Nostra (r) per has leges (s) audacia fortiter isset:
Teque mei scires esse laboris (t) opus.
Nunc mihi nil superest, nisi te, formosa, precari;
Amplectique tuos, si patiare, pedes.

INTERPRETATIO.

Ausus sum *etiam nuper alloqui suavibus verbis, Clymenen & Æthram primas comitum. Quæ mihi non aliud respondentes; quam se timere, destituerunt medias preces rogantis. Dii annuerent esses præmium gravis pugnæ; & victor posset te fovere suo lecto. Quemadmodum Hippomenes reportavit Schœneida pretium cursus; quemadmodum Hippodamia ivit in gremium Phrygium, quemadmodum sævus Alcides elisit cornua Acheloia, dum cupit tuos complexus Deianira: nostra fortitudo strenue certasset his conditionibus: & nosces te esse præmium mei laboris. Nunc nihil mihi est reliquum, o pulcra, nisi te orare: & complecti tuos pedes, si sinas.*

NOTÆ.

(d) *Primas, Præcipuas & intimas.*

(e) *Æthramque*) Hanc Thesei matrem fuisse scribit Hubertinus; quod tamen temporum ratio non sinit. Adeoque hæc ab illa Thesei matre alia est.

(f) *Ausus cum*) Alii habent *Ausus sum.*

(g) *Adire*) Ut sibi in suis amoribus opem ferrent.

(h) *Quam formidare loquutæ*) *Quæ, cum nihil mihi respondissent, nisi quod dicerent se timere.*

(i) *Deseruere*) Adeoque noluerunt ejus preces auscultare; multo minus illi obtemperare. Sed alii habent *destituere.*

(k) *Di facerent*) *Utinam* supple.

(l) *Ut tulit*) Quorundam sumit exempla, qui pro suis amoribus certarunt; quos fortiter se esse dicit imitaturum.

(m) *Hippomenes*) Hic fuit Macarei, vel, ut alii scribunt, Megarei filius, qui Atalantam Schœnei filiam, a Venere adjutus, quæ illi tria poma ex Hesperidum hortis dedit, quorum pulcritudine puellæ cursum impedivit; cursu superasse traditur. Qua de re postea in Metamorph.

(n) *Præmia*) Ipsam Atalantam, quæ se ea lege in viri manus venturam spoponderat, si a quopiam cursu vinceretur.

(o) *Phrygios*) *Pelopis Phrygii*; qui Oenomaum Hippodamiæ patrem curuli certamine superavit.

(p) *Alcides*) Hercules est a robore, Græca etymologia sic dictus; ἀλκὴ enim robur est: vel ab Alcæo avo, ut placet Herodoto.

(q) *Acheloia*) *Acheloi fluvii*; qui cum Hercule pro Deianira sibi promissa pugnavit; a quo altero cornu in certamine mulctatus est.

(r) *Per has leges*) *Ut pariter victori, tu, Helena, in matrimonium cederes.*

(s) *Audacia fortiter*) Vossianus codex habet *fortior*: quod Cl. Heinsio, mihi quoque placet. Alii *victoria* pro *audacia.*

(t) *Opus*) *Victoria mea præmium.*

O decus

O decus, o (u) præsens (x) geminorum gloria fratrum!
O Jove digna viro, ni Jove nata fores!
Aut ego (y) Sigeos repetam te conjuge portus:
Aut ego (z) Tænaria contegar exul humo.
Non mea sunt (a) summa leviter (b) districta sagitta
Pectora: descendit (c) vulnus ad ossa meum.
Hoc mihi, (nam (d) repeto) fore ut a (e) cæleste sagitta
Figar, erat verax vaticinata (f) soror.
(g) Parce (h) datum fatis, Helene, contemnere amorem:
(i) Sic habeas faciles in tua vota Deos.
(k) Multa quidem (l) subeunt: sed coram ut plura loquamur,
Excipe me lecto nocte silente tuo.
An (m) pudet, & metuis Venerem temerare maritam,
(n) Castaque legitimi fallere jura tori?
Ah nimium simplex, Helene, ne rustica dicam,
(o) Hanc faciem culpa posse carere putas!
Aut faciem mutes, aut, sis non dura, (p) necesse est.
(q) Lis est cum forma magna pudicitiæ.

INTERPRETATIO.

O bonos, o gloria certa fratrum gemellorum; o digna Jove marito, nisi esses Jove procreata! Aut ego revebar in portus Sigeos, te uxore: aut ego extorris sepeliar in terra Tænaria. Mea pectora non sunt leviter vulnerata extrema sagitta: plaga mea porrigitur ad ossa. Soror vere prædixerat hoc mihi, (nam recordor) futurum ut confoderer a celeste sagitta. Noli, Helene spernere amorem immissum fatis: sic fruaris Diis propitiis tuis desideriis. Multa quidem succurrunt: sed, ut plura proferamus in conspectu, excipe me toro tuo nocte tacita. An pudet, & timet violare Venerem conjugalem? & ludificare jura pudica lecti legitimi? Ah nimium rudis, Helene, ne dicam stupida, credis talem formam posse carere crimine! aut oportet immutes vultus, aut sis non crudelis. Gravis est discordia castitatis cum pulcritudine.

NOTÆ.

(u) *Præsens*) *Magnum, certumque*. Hanc vocem nota; vim habet & dignitatem.

(x) *Geminorum*) *Castoris & Pollucis*.

(y) *Sigeos*) *Trojanos*; a Sigeo promontorio.

(z) *Tænaria*) *Laconica*; a Tænaro promont.

(a) *Summa*) Id est, *Sagitta tantum parte extrema*.

(b) *Districta*) *Vulnerata*; sed vulnus leve indicat per se vox ista, quod notandum. *Ce n'est pas une petite egratignure*.

(c) *Vulnus*) *Amor*.

(d) *Repeto*) *Recolo* multi ex scriptis. Id est *In memoriam reduco*.

(e) *Celeste*) Pro *Celesti* antique metri necessitate.

(f) *Soror*) *Cassandra*, de qua supra.

(g) *Parce*) *Noli*.

(h) *Datum*) Clar. Heinsius vellet *ratum*. Pro Amore a fati necessitate arguit.

(i) *Sic*) *Ita invenias Deos ad ea quæ optaveris exorabiles, ut mihi nunc auscultaveris*.

(k) *Multa*) *Quæ tibi scribam*, supple.

(l) *Subeunt*) *In mentem veniunt*.

(m) *Pudet*) *Me toro tuo excipere*, scil.

(n) *Castaque legit*) *Maritalem Venerem* hic versus interpretatur. *An pudicitiam maritalem violare metuis?*

(o) *Hanc*) *tuam, tam pulcram*.

(p) *Necesse est*) Male vero cessit pulcritudini, si necessario cum impudicitia conjuncta sit.

(q) *Lis est*)—*Rara est adeo concordia formæ Atque pudicitiæ*.

Jupi-

Jupiter his gaudet, gaudet Venus aurea *(r)* furtis:
(ſ) Hæc tibi nempe patrem furta dedere Jovem.
(t) Vix fieri, *(u)* ſi ſunt vires in ſemine avorum,
(x) Et Jovis & Ledæ filia, caſta potes.
Caſta tamen tum ſis, cum te mea Troja tenebit:
Et tua ſim, quæſo, *(y)* crimina ſolus ego.
Nunc ea peccemus, quæ *(z)* corriget *(a)* hora jugalis:
(b) Si modo promiſit non mihi vana Venus.
Sed tibi & hoc ſuadet *(c)* rebus, non voce, maritus.
Neve ſui furtis hoſpitis obſtet, abeſt.
(d) Non habuit tempus, quo *(e)* Creſſia regna videret.
Aptius, *(f)* o mira calliditate virum!
Ivit, &, *(g)* *Idæi mando tibi*, dixit iturus,
Curam (h) pro nobis hoſpitis, uxor agas.
Negligis abſentis (teſtor) mandata mariti:
Cura tibi non eſt hoſpitis ulla tui.
(i) Hunccine tu ſperes hominem *(k)* ſine pectore *(l)* dotes
Poſſe ſatis formæ, Tyndari, noſſe tuæ?

INTERPRETATIO.

Jupiter latatur adulteriis; Venus ſplendida illis latatur. Nempe hac adulteria tibi fecerunt Jovem patrem. Filia Jovis & Leda vix potes fieri pudica, ſi ſit aliqua poteſtas in ſemine avorum. Pudica ſis tamen tum, cum Troja te habebit: & ego ſolus precor ſim tua flagitia. Nunc ea delinquamus, quæ hora conjugalis emendet: ſi ſaltem Venus non eſt mihi pollicita inania. Sed & maritus tibi eſt hujus autor factis, non verbis: & ne prohibeat adulteria ſui hoſpitis, peregre eſt. Non habuit tempus commodius quo adiret regna Cretenſia: o virum egregia aſtutia! Diſceſſit, & profecturus dixit. Conjux tibi præcipio curam geras hoſpitis Idæi pro nobis. *Contemnis (juro) juſſa viri abſentis: nulla eſt tibi cura tui hoſpitis. Anne tu ſperes hunc hominem inſulſum poſſe ſatis cognoſcere pretium formæ tuæ.*

NOTÆ.

(r) *Furtis*) *Adulteriis*.

(ſ) *Hæc* Jupiter vero furtivo cum Leda concubitu Helenam genuit.

(t) *Vix fieri*, Scilicet, ut *fortes creantur fortibus & bonis*, ita plerumque ex corvi malo ovo malus corvus naſcitur.

(u) *Si ſunt*) Atque ſunt certe ut plurimum, etiam quod ad mores attinet.

(x) *Et Jovis & Ledæ*) Utriuſque adulterio.

(y) *Crimina ſolus*) *Cum nomine præterea pecces*.

(z) *Corriget*) Faciet legitima; aut ſaltem reſarciet. Duo habent *corrigat*: quod Cl. Heinſius retinuit.

(a) *Hora jugalis*) Pro matrimonio.

(b) *Si modo*) Id eſt, *Si ſaltem uxor eſſe mea debeas, ſicuti a Venere mihi eſt promiſſum: nec me illa deceperit.*

(c) *Rebus*) *Quandoquidem, me hic tecum relicto, diſceſſerit.*

(d) *Non habuit*) Menelaum irridet, qui tali forma conjugem ſecum reliquerit.

(e) *Creſſia*) *Cretæ Inſulæ*.

(f) *O mira*) Irriſio eſt Menelai,

(g) *Idæi*) Paridis, ab Ida monte Phrygiæ ſic dicti.

(h) *Pro nobis*) *Loco noſtro*.

(i) *Hunccine*) Menelaum eum eſſe negat hominem, qui Helenæ pulchritudinem ſatis noverit æſtimare.

(k) *Sine pectore*) *Sine ſapientia*. Ita & Horatius loquutus eſt de Tibullo; *Tu non corpus eras ſine pectore.*

(l) *Dotes*) *Excellentiam & pretium.*

Falleris: *(m)* ignorat; nec, si bona magna putaret
Quæ tenet, externo crederet illa viro.
(n) Et te nec mea vox, nec te meus incitet ardor;
Cogimur *(o)* ipsius commoditate frui.
Aut erimus stulti, *(p)* sic ut superemus & ipsum,
Si tam securum tempus abibit *(q)* iners.
Pæne suis ad te manibus deducit *(r)* amantem.
Utere non vafri simplicitate viri.
Sola jaces viduo tam longa nocte cubili:
In viduo jaceo solus & ipse toro.
Te mihi, meque tibi communia gaudia jungant:
Candidior medio nox erit *(ſ)* illa die.
Tunc ego jurabo quævis tibi numina; meque
Adstringam *(t)* verbis in sacra *(u)* juria tuis.
Tunc ego, *(x)* si non est fallax fiducia nostri,
Efficiam præsens, ut mea regna petas.
Si pudet; & metuis, ne me videare secuta;
Ipse reus sine te criminis hujus *(y)* agar.
(z) Nam sequar *(a)* Ægidæ factum, *(b)* fratrumque tuorum.
Exemplo tangi non *(c)* propiore potes.
Te rapuit Theseus; geminas *(d)* Leucippidas illi:
Quartus in exemplis enumerabor ego.

INTERPRETATIO.

Hallucinaris, nescis: nec si crederet magna bona esse quæ possidet, illa committeret viro peregrino. Quamvis nec mea verba, nec te meus amor urgeat; cogimur uti facilitate ipsius. Aut erimus stolidi, ita ut etiam ipsum vincamus, si opportunitas tam tuta prætereat inutilis. Perducit propemodum amantem ad te manibus suis. Utere impe ritia mariti simplicis. Sola decumbis lecto destituto nocte tam prolixa: ipse etiam solus decumbo in lecto viduo. Voluptas communis copulet te mihi & me tibi. Illa nox erit splendior medio die. Tunc ego jurabo tibi quosvis Deos; & me obligabo vocibus tuis in jura sacra. Tunc ego, si fiducia nostri non est mendax, præsens præstabo ut adeas nostra regna. Si pudet, & times ne videaris secuta me: ipse constituar reus hujus flagitii sine te. Nam imitabor admissum Ægidæ, & fratrum tuorum. Non potes moveri exemplo propiore. Theseus te abstulit: illi duas Leucippidas: ego quartus recensebor in exemplis.

NOTÆ.

(m) *Ignorat*) *Quod sit formæ tuæ pretium*, scil.

(n) *Ut*) *Quamvis*.

(o) *Ipsius*) Gronovianus *absentis commoditate viri*.

(p) *Sic ut*) *Adeo ut ipso Menelao simus stultiores*.

(q) *Iners*) *amoris effectu*.

(r) *Amantem*) *Me*, scil.

(ſ) *Illa*) *Qua jungemur*, scil.

(t) *Verbis tuis*) *Jurando secundum eam quam præscripseris formulam*.

(u) *Jura*) *Matrimonii*, scil. *quod nunquam dissolvam*.

(x) *Si non est*) *Nisi forte majora quam possim exequi animo præsumo*.

(y) *Agar*) Alii *ero*. Id est, *Volo hujus facti culpam omnem in me transferri*.

(z) *Nam*) Dicit se Helenam a se raptam fuisse velle fateri.

(a) *Ægida*) *Thesei; Ægei filii, qui te rapuit*.

(b) *Fratrum*) *Castoris & Pollucis*.

(c) *Propiore*) Sunt vero fratres inter se maxime propinqui.

(d) *Leucippidas*) *Leucippi filias*, Phœben & Elairam. Quæ de re postea plenius in fastis

Troja

Troja (e) classis adest, armis instructa virisque.
Jam (f) facient celeres remus & aura vias.
Ibis Dardanias ingens regina per urbes:
Teque novam credet vulgus adesse Deam.
Quaque (g) feres gressus, (h) adolebunt (i) cinnama flammæ.
Cæsaque (k) sanguineam victima (l) planget humum.
Dona pater fratresque, & cum genitrice sorores,
(m) Iliadesque omnes, totaque Troja, dabunt.
Hei mihi! pars a me vix dicitur ulla (n) futuri.
Plura feres, quam quæ littera nostra refert.
Nec tu (o) rapta time, ne nos fera bella sequantur;
Concitet & vires Græcia magna suas.
(p) Tot prius abductis, (q) ecquæ repetita per arma est?
Crede mihi; (r) vanos res habet ista metus.
Nomine ceperunt Aquilonis (s) Erechthida Thraces:
Et tuta a bello (t) Bistonis ora fuit.

INTERPRETATIO.

Classis Trojana munita armis & viris, hic est. Remus & ventus jam præstabunt iter expeditum. Incedes superna regina per oppida Trojana: & vulgus arbitrabitur te adesse novam Deam. Et qua pedes movebis, imminent cinnamoma in ignem: & victima mactata percutiet terram cruentam. Pater & fratres & sorores cum matre & omnes Iliades, totaque Troja præbebunt munera. Hei mihi! vix pars ulla futuri narratur a me. Pluribus cumulaberis, quam quæ epistola nostra commemorat. Nec tu abrepta metue ne sæva bella nos persequantur; & magna Græcia commoveat opes suas. Tot ante ablatis, ecqua revocata est per arma? Fidem mihi adhibe; res ista habet timores inanes. Thraces abstulerunt Erechthida nomine Boreæ; & regio Thracia fuit secura a bello.

NOTÆ.

(e) *Classis*) Adeoque facilius discessus.

(f) *Facient celeres*) Id est, *facient ut celeriter viam conficiamus.*

(g) *Feres gressus*) *Ibis.*

(h) *Adolebunt*) *In tuum honorem, tanquam Deæ cremabunt.*

(i) *Cinnama*) Cinnamum & Cinnamomum frutex est, cujus corticis usus est etiam apud nos vulgaris. *De la canelle.* Hic vero pro quovis odoramento positum est.

(k) *Sanguineam*) Postquam victimæ sanguis eam roraverit, *scilicet.*

(l) *Planget*) *Percutiet*, cum in terram cadet.

(m) *Iliadesque*) *Mulieres Trojanæ.*

(n) *Futuri*) Id est, *bonorum & commoditatum, quæ tibi Trojæ tempore futuro evenient.*

(o) *Rapta*) *Si rapta, vel, postquam rapta fueris.*

(p) *Tot*) Puellis, *scil.* antehac raptis.

(q) *Ecquæ repet.*) Id est, *nulla repetita est.*

(r) *Vanos res*) Id est, *De nihilo & sine causa istud metueris.*

(s) *Erechthida*) Orithyiam, Erechtei Atheniensium regis filiam; quam cum Aquilo seu Boreas bona gratia non posset impetrare, vi rapuit: Atque ex ea Zethen & Calaim suscepit, qui Argonautæ Harpyas fugaverunt.

(t) *Bistonis*) *Thracia*; a Bistonide palude, vel Bistonia urbe, vel, qui eam condidit, Bistone Martis filio.

(*u*) Phasida puppe nova vexit (*x*) Pagasæus Jason:
(*) Læsa nec est Colcha Thessala terra manu.
Te quoque qui rapuit, rapuit (*y*) Minoida Theseus:
Nulla tamen Minos (*z*) Cretas ad arma vocat:
Terror (*a*) in his ipso major solet esse periclo;
Quæque timere (*b*) libet, pertimuisse pudet.
(*c*) Finge tamen, si vis, ingens consurgere bellum.
Et mihi sunt vires: & mea tela nocent.
Nec minor est Asiæ, quam vestræ copia terræ:
Illa viris dives, dives abundat equis;
Nec plus (*d*) Atrides animi Menelaus habebit,
Quam Paris; aut armis anteferendus erit.
Pœne puer cæsis (*e*) abducta armenta recepi
Hostibus: & (*f*) causam nominis inde tuli.
Pœne puer vario juvenes certamine vici.
In quibus (*g*) Ilioneus, (*h*) Deiphobusque fuit.
Neve putes, non me nisi cominus esse timendum:
(*i*) Figitur in justo nostra sagitta loco.

INTERPRETATIO.

Jason Pagasæus abduxit Phasida navi nova: nec terra Thessala vexata est manu Colcha. Theseus qui te abstulit, abstulit Minoida: Minos tamen nullos Cretas ciet ad arma. Trepidatio in his solet esse major ipso discrimine: & pudet reformidasse quæ libet reformidare. Pone tamen si vis, Bellum grave excitari. Et mihi vires suppetunt; & mea arma officiunt. Nec minores sunt opes Asiæ quam terræ vestræ: illa opulenta viris, opulenta abundat equis. Nec Menelaus Atrides habebit plus audacia, quam Paris, aut præferendus erit bello: Propemodum puer recuperavi armenta abducta, hostibus profligatis; & inde habui causam nominis. Propemodum puer superavi juvenes diversa pugna; inter quos Deiphobus & Ilioneus. Et ne credas me non esse reformidandum nisi ex propinquo; sagitta nostra tangit locum appetitum.

NOTÆ.

(u) *Phasida*) *Medeam*; a Phasi Colchorum fluvio celeberrimo sic dictam.

(x) *Pagasæus*) *Thessalicus*; a Pagasis Thessaliæ urbe, juxta quam Argo navis ædificata est, a qua etiam propinquus sinus unde Jason navem solvit, Pagasæus dictus est.

(*) *Læsa nec*) *Nec quisquam ex Colchis propter Medeam raptam adversus Thessalos bellum movit.*

(y) *Minoida*) *Ariadnen*, Minois filiam.

(z) *Cretas*) *Qui in Græciam, Ariadnen repetitum navigent*, supple.

(a) *In his*) *Cum rapta est aliqua puella.*

(b) *Libet*) *Eo pudet timuisse, quæ voluimus timere, quanquam timenda non essent.* Stultum & ex inepta libidine esse metum illum innuit.

(c) *Finge*) *Pone*. Gal. *Suppose*.

(d) *Atrides*) *Atrei filius.*

(e) *Abducta*) A latronibus, dum ille in Ida monte inter Pastores ageret.

(f) *Causam nominis*) Ille vero Græca etymologia Alexander ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, id est, a viro, & ἀλέγω, auxilior, dictus est.

(g) *Ilioneus*) Vir fuit Trojanus, fortissimus Phorbantis filius, Æneæ comes.

(h) *Deiphobusque*) Paridis frater bellicosissimus.

(i) *Figitur*) Sese sagittandi peritia commendat.

Num

Num potes hæc (*k*) illi primæ dare facta (*l*) juventæ?
Instruere Atriden num potes (*m*) arte mea?
Omnia si dederis; nunquid (*n*) dabis Hectora fratrem?
Unus is innumeri militis (*o*) instar habet.
Quid valeam, nescis: & te mea robora (*p*) fallunt:
Ignoras, cui sis nupta futura viro.
Aut igitur nullo belli repetere tumultu;
Aut cedent (*q*) Marti (*r*) Dorica castra meo.
Nec tamen indigner pro tanta sumere ferrum
Conjuge: certamen præmia magna movent.
Tu quoque, si (*ſ*) de te (*t*) totus contenderit orbis,
(*u*) Nomen ab æterna posteritate feres.
Spe (*x*) modo non timida, Dis (*y*) hinc egressa secundis,
Exige (*z*) cum plena munera (*a*) pacta fide.

INTERPRETATIO.

Anne potes illi tribuere hæc facinora primæ juventutis? Anne potes adornare Atriden peritia mea? Quamvis omnia tribueris; numquid tribues fratrem Hectorem? Is habet præstantiam militis innumeri. Ignoras quanti sim; & mea vires te latent. Nescis cui viro sis futura conjux. Vel igitur nullo belli motu revocaberis; aut exercitus Græci vincentur a Marte meo. Nec tamen ægre feram ferrum corripere pro tanta uxore: magna munera pugnam cient. Tu quoque, si universus orbis certaverit propter te, consequeris famam ab æterna posteritate. Tantum hic profecta Dii propitiis spe haud incerta, reposce promissa præmissa cum certa fide.

NOTÆ.

(k) *Illi*) *Menelao*.

(l) *Juventæ*) *Mea*, scilicet.

(m) *Arte*) *Ad omne certamen peritia*.

)n) *Dabis Hectora*) Id est, *tam strenuum ut frater est*.

(o) *Instar*) Similitudinem notare hanc vocem dicunt Grammatici; at, ni fallor, præstantiam & dignitatem insuper habet: quod quidem hic etiam suum locum invenit.

(p) *Fallunt*) *Quæ sint ignoras*.

(q) *Marti*) *Virtuti & viribus bellicis*: Mars enim Deus belli.

(r) *Dorica* (*Græca*: Pars pro toto.

(ſ) *De te*) *Propter te*: nam eam vim habet quoque præpositio *de*; exemplaque sunt obvia.

(t) *Totus*) Europam & Asiam intellige, quæ Helenæ causa bello decennali collisæ sunt.

(u) *Nomen*) *Gloriam*. Credere est enim pulcherrimam fuisse ob quam tantæ motæ lites.

(x) *Modo*) *Tantummodo*.

(y) *Hinc*) *Ex Menelai domo*.

(z) *Cum fide*) *Non dubitans quin omnia præstem*.

(a) *Facta*) *Tibi a me promissa*.

EPISTOLA DECIMASEPTIMA.

ARGUMENTUM.

Helena, lecta Paridis epistola, quasi offensa, primum objurgat eum. Deinde, ut pudorem tutetur, Paridis suasiones infringere conatur: ita tamen, ne omnino illius amorem negligere videatur. Et sic aperte ostendit muliebre ingenium varium esse, atque mutabile: juxta illud Ovidii in Arte amandi: Forsitan & primo veniet tibi littera tristis,

Quæque roget, ne se sollicitare velis. Quod rogat illa, timet: quod non rogat, optat ut instes. *Postremo, Paridis voluptatem expletura, ut honestius, ita tutius visum est, si quid sit, non litteris mandare, sed per Clymenen & Æthram, socias fidissimas agere. Idque cum fecissent, rebus compositis, una Trojam abierunt.* Multi hanc Epistolam non esse Ovidii contendunt, sed Sabini.

HELENA PARIDI. I.

NUnc oculos tua cum violarit epistola nostros:
(a) Non rescribendi gloria visa (b) levis.
Ausus es hospitii (c) temeratis advena (d) sacris
Legitimam nuptæ sollicitare fidem?
(e) Scilicet (f) idcirco ventosa per æquora vectum
Excepit portu (g) Tænaris ora suo?
Nec tibi (h) diversa quamvis e gente venires,
(i) Oppositas habuit regia nostra fores;
Esset ut (k) officii merces (l) injuria tanti?
Qui (m) sic intrabas, hospes an hostis eras?
Nec dubito, quin hæc, cum sit tam justa, vocetur
Rustica judicio nostra querela tuo.
Rustica sim sane; (n) dum non oblita pudoris:
Dumque (o) tenor vitæ sit sine labe meæ.

INTERPRETATIO.

POstquam tuæ litteræ læserunt oculos nostros; gloria non respondendi visa est parva. Ausus es hospes violatis sacris hospitii, labefactare fidem legitimam maritæ? Nempe ea causa regio Tænaris accepit portu suo te adductum per maria procellosa: Nec palatium nostrum habuit valvas tibi clausas, quanquam accederes e natione peregrina: ut injustitia esset præmium tanti beneficii? Qui sic ingrediebaris, erasne hospes an hostis? Nec dubito quin hæc querimonia, cum sit tam justa, dicatur inepta judicio tuo. Sim profecto inepta; modo non immemor pudicitiæ: & modo ordo meæ vitæ sit sine macula.

NOTÆ.

PUteaneus margini adscriptos habet hos versus initio epistolæ:

Si mihi quæ legi, Pari, non legisse liceret,
Servarem numeros, sicut & ante, probæ.

(a) *Non*) Duplex potest esse sensus, qui tamen prope eodem redeat, prout voculam istam *non* ad *rescribendi*, vel ad *levis* retuleris.

(b) *Levis*) *Parva*.

(c) *Temeratis*) *Violentis*. Enimvero hospitii jura violat, qui hospitis uxorem adulterio corrumpere nititur.

(d) *Sacris*) Scilicet. Jovi & diis hospitalibus sacra fiebant, in hospitii sanciendo fœdere.

(e) *Scilicet*) Ironiæ apta etiam vocula.

(f) *Idcirco*) *Ut me corrumperes*.

(g) *Tænaris*) *Laconica*; a Tænaro promontorio, de quo jam sæpe.

(h) *Diversa*) *Remota, & quæ aliis moribus vivit*. Barbarorum vero nomine alios omnes Græci contemnebant. Hospites Spartani præsertim odio habebant.

(i) *Oppositas*) *Clausas*. *Regia non exclusus es*.

(k) *Officii*) Communicati hospitii.

(l) *Injuria*) In adulterium sollicitationem intellige: quam beneficii mercedem Helena arguit.

(m) *Sic*) *Cum desiderio me abducendi*.

(n) *Dum*) *Dummodo*; Gall. *Pourvuque*.

(o) *Tenor*) Seriem, continuationem: & cursum notat vox ista. *Le court de la vie*.

(p) Si

(*p*) Si non eſt (*q*) ficto vultus mihi triſtis in ore;
Nec ſedeo (*r*) duris (*ſ*) torva (*t*) ſuperciliis;
Fama tamen clara eſt: & adhuc ſine crimine (*u*) luſi:
Et (*x*) laudem de me nullus adulter habet.
Quo magis admiror, quæ ſit fiducia (*y*) cœpto;
Spemque tori dederit quæ tibi cauſa mei.
(*z*) An, quia vim nobis (*a*) Neptunius attulit heros,
Rapta ſemel, videor bis quoque digna rapi?
(*b*) Crimen erat noſtrum, ſi (*c*) delinita fuiſſem.
Cum ſim rapta, meum quid (*d*) niſi nolle fuit?
Non tamen e (*e*) facto fructum tulit ille (*f*) petitum:
Excepto redii paſſa timore nihil.
Oſcula (*g*) luctanti tantummodo pauca protervus
Abſtulit: ulterius nil habet ille mei.
(*h*) Quæ tua nequitia eſt, non (*i*) his contenta fuiſſet.
Di melius! (*k*) ſimilis non fuit ille tui.
Reddidit (*l*) intactam; minuitque modeſtia crimen:
Et juvenem (*m*) facti (*n*) pœnituiſſe patet.

INTERPRETATIO.

Si ſpecies mihi non eſt ſevera in ore ſimulato; nec ſum terribilis ſævis ſuperciliis; fama tamen eſt illuſtris, & jocata ſum adhuc ſine flagitio: & nullus ſtuprator habet gloriam de me. Quo magis ſtupeo, quæ ſit fiducia auſo: & quæ cauſa tibi præbuerit ſpem lecti mei. An, quia heros Neptunius nobis vim fecit, abducta ſemel, videor quoque digna bis abduci? Noſtrum erat flagitium, ſi pellecta fuiſſem. Cum ſim ablata; quid fuit meum niſi nolle? Ille tamen non conſecutus eſt ex cœpto præmium quæſitum: reverti nihil paſſa, ſi metum tollas. Tantum procax rapuit renitenti pauca ſuavia: ille nihil habet mei amplius. Quæ tua eſt protervia, non fuiſſet contenta his. Di melius! ille tibi par non fuit. Reſtituit illibatam; & modeſtia leviorem fecit ejus culpam: & manifeſtum eſt invicem pœnituiſſe facinoris.

NOTÆ.

(p) *Non eſt*) Ad id quod primum ex vultus hilaritate conjici poteſt Helena reſpondet: teſtaturque ſe, quamvis feſtivam, caſtam tamen eſſe.

(q) *Ficto*) Major non eſt profecto earum puellarum virtus, quæ triſtitiam & ſeveritatem neſcio quam ridiculam affectant.

(r) *Duris*) *Quæ inexorabilem ſeveritatem prædicent.*

(ſ) *Torva*) *Terribilis.*

(t) *Superciliis*) In quibus præſertim ſeveritatis & ſuperbiæ ſedes.

(u) *Luſi*) Verbum amatorium. Alii habent *vixi*.

(x) *Laudem*) Id eſt, *De me non poteſt ſeſe jactare.*

(y) *Cœpto*) *Tuo*, ſcil. *qui me corrumpere quæras.*

(z) *An quia*) Tota hæc Helenæ ratio perſuadere magis, quam diſſuadere videtur.

(a) *Neptunius*) *Theſeus*. Neptuni nepos.

(b) *Crimen*) *Culpa.*

(c) *Delinita*) *Theſei blanditiis capta, & ad ejus amorem perducta.*

(d) *Niſi nolle*) Per vim a Theſeo ſe dicit abductam.

(e) *Facto*) *Raptu.*

(f) *Petitum*) *Deſideratum.*

(g) *Luctanti*) *Mihi*, ſcil. *quæ ipſi reſiſtebam.*

(h) *Quæ tua neq.*) Gall. dicimus, *Mechant come vous eſtes.*

(i) *His*) *Oſculis.*

(k) *Similis*) *Ita ut tu es protervus & libidinoſus.*

(l) *Intactam*) *Non vitiatam*. Quanquam non defuerunt qui aliter ſenſerint.

(m) *Facti*) *Raptus.*

(n) *Pœnituiſſe patet*) Omnino, ſiquidem intactam ſponte reddidiſſet: at vero vi magna repetentibus fratribus reddita eſt.

Thesea (*o*) pœnituit, Paris ut succederet illi
(*p*) Ne quando nomen non sit in ore meum?
(*q*) Nec tamen irascor: (quis enim succenset amanti?)
Si modo, quem (*r*) præfers, non simulatur amor.
(*ſ*) Hoc quoque enim dubito non quod (*t*) fiducia desit,
Aut mea sit facies non bene nota mihi:
Sed quia credulitas damno solet esse puellis;
(*u*) Verbaque dicuntur vestra carere fide.
(*x*) At peccant aliæ; matronaque rara pudica est.
(*y*) Quid prohibet raris nomen inesse meum?
Nam mea quod (*z*) visa est tibi mater idonea; cujus
Exemplo flecti me quoque posse putes:
Matris in (*a*) admisso (*b*) falsa sub imagine lusæ
(*c*) Error inest; pluma tectus adulter erat.
(*d*) Nil ego, si peccem, possim nescisse: nec ullus
Error, qui facti crimen obumbret, erit.
Illa (*e*) bene erravit, vitiumque (*f*) auctore (*g*) redemit.
Felix in culpa (*h*) quo Jove dicar ego?

INTERPRETATIO.

Pœnituit Theseum, ut Paris illi substitueretur; ne aliquando nomen meum non teratur ore hominum? *Nec tamen succenseo: (quis enim succenset amanti?) Si modo amor quem indicas non fingitur. Nam de hoc enim incerta sum: non quod confidentia absit, aut mea forma non sit mihi perspecta: sed quia facilitas solet esse detrimento puellis, & vestra verba dicuntur, esse absque fide. At aliæ delinquunt, & matronæ paucæ sunt castæ. Quid obstat nomen meum esse inter paucas? Nam quod mater mea tibi visa est apta, cujus exemplo credas me posse quoque moveri: error est in facto matris deceptæ sub ficta specie: stuprator erat velatus pennis. Ego, si delinquam, nihil possim ignorasse nec ullus error erit, qui velet probrum admissi. Illa bene erravit, & compensavit stuprum auctore. Quo ego Jove beata vocer in crimine?*

NOTÆ.

(o) *Pœnituit*) Interpretative & quadam cum indignatione legendum.

(p) *Ne quando*) Id est, *Ut semper sinistris hominum rumoribus differar.*

(q) *Nec tamen*) Ecce, antea paciscentem verius quam resistentem Helenam, jam statim sese, more muliebri prodentem.

(r) *Præfers*) *Indicas & prædicas.*

(ſ) *Hoc quoque*) *Ego quoque dubito ne forte amorem simules.*

(t) *Fiducia desit*) Id est, *Non quod de forma mea diffidam.*

(u) *Verbaque dicuntur*) *Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.* Terent.

(x) *At peccant*) *Quamvis fideles non sint viri, tamen, quasi essent, puellæ peccant.* Objectio est, quasi ex parte Paridis, dixerat vero ille, *Lis est cum forma magna pudicitiæ.*

(y) *Quid prohibet*) Responsio est Helenæ ad objectionem. *Quid probibet*, inquit, *me inter paucas pudicas recenseri?*

(z) *Visa est*) Dixerat vero Paris. *Hæc tibi nempe patrem furta dedere Jovem.*

(a) *Admisso*) *Adulterio.*

(b) *Falsa*) Cygni, scilicet.

(c) *Error*) Cygnum enim esse cum credidit qui fuit Jupiter.

(d) *Nil ego*) Adeoque non pudicitiæ securitatem, sed impudicitiæ latibulum quærit: qualis ingenii plurimas inveneris mulieres.

(e) *Bene*) *Feliciter*). Sed vocis ambiguitas orationi subservit.

(f) *Auctore*) *Jove.* Nullum dicit fuisse Ledæ crimen, quod ei a Jove vitium oblatum fuerit.

(g) *Redemit*) *Compensavit.*

(h) *Quo Jove*) Id est *nullo*. Paridem Jovem esse, quo crimen suum compensetur, negat Helena.

Quod

(*i*) Quod (*k*) genus & proavos, & regia nomina jactas:
Clara satis domus (*l*) hæc nobilitate sua.
Juppiter (*m*) ut soceri (*n*) proavus taceatur, & omne
Tantalidæ Pelopis (*o*) Tyndareique decus;
Dat mihi Læda Jovem cycno decepta parentem;
Quæ falsam gremio credula fovit avem.
(*p*) I nunc, & Phrygiæ late primordia gentis,
Cumque suo Priamum Laomedonte refer.
Quos ego (*q*) suspicio; sed, qui tibi gloria magna est,
(*r*) Quintus, is a nostro nomine (*ſ*) primus erit.
(*t*) Sceptra tuæ quamvis rear esse potentia Trojæ,
Non tamen (*u*) hæc illis esse minora puto.
(*x*) Si jam divitiis locus hic numeroque virorum,
Vincitur; at certe barbara terra tua est.
Munera tanta quidem promittit epistola (*y*) dives,
Ut possint ipsas illa movere Deas.
Sed si jam fines vellem transire pudoris;
(*z*) Tu melior culpæ causa futurus eras.

INTERPRETATIO.

Quod prædicat gentem & proavos & nomina regia. hæc domus satis est illustris sua nobilitate. Quamvis Jupiter proavus soceri prætermittatur & omnis honos Pelopis Tantalidæ, & Tyndarici; Leda delusa Cycno, quæ simplex calefecit sinu avem fictam facit mihi Jovem patrem. I nunc & prolixe commemora initia generis Phrygii, & Priamum cum suo Laomedonte. Quos ego veneror: sed quintus qui tibi est magna gloria, is erit primus a nostro nomine. Quanquam arbitrer sceptra tuæ Trojæ esse valida, non tamen credo hæc esse inferiora illis. Tametsi hic locus superetur opibus & numero virorum, at profecto terra tua est barbara. Littera tuæ magnifica equidem pollicentur tanta dona; ut illa valeant tangere ipsas Deas. Sed si maxime cuperem transgredi limites honestatis; tu futurus eras potior causa peccati.

NOTÆ.

(i) *Quod*) *Quant a ce que.*

(k) *Genus*) *Extraction.*

(l) *Hæc*) *Mea.*

(m) *Ut*) *Quamvis.*

(n) *Proavus*) Vide supra.

(o) *Tyndareique*) Fuit Tyndareus Ledæ maritus, dictusque adeo Helenæ pater.

(p) *I nunc*) Quasi dicat, *frustra genus tuum jactas.*

(q) *Suspicio*) *Veneror.*

(r) *Quintus*) De Jove loquitur. Miror vero Huberrinum, qui quidem optime ex Mythologicis Paridis genealogiam scripsit, ejusque genus a Priamo, Laomedonte, Ilo, Troe, Erichtonio, Dardano, Jove repetit; hunc vero, qui septimus est, quintum facit. Credendum est itaque, vel locum hunc corruptum esse; vel aliter quam solent Nasonem Paridis avos recensuisse; vel denique; de industria errantem fœminam induxisse.

(ſ) *Primus*) Quia pater. Eo vero optime majorem suam facit dignitatem Helena, quo minus a Jove distat: Ut maxime nostrorum quorundam stultorum homuncionum demiter ineptiam, qui quo plus a majoribus suis ætate & virtute sunt remoti, eo sibi majorem partam credunt nobilitatem. Egregie vero, siquidem minus ab illis remotissimis istorum socordiæ lumen affulget: Virtus est, scilicet, minus pravum videri!

(t) *Sceptra*) Ad id respondet quod dixerat Paris, *Sceptra parens Asia*, &c.

(u) *Hæc*) *Nostra.*

(x) *Si jam*) Paridi concedit quidem ejus Asiam Græcia opulentiorem, sed barbaram esse dicit.

(y) *Dives*) *Quæ divitias pollicetur.*

(z) *Tu melior*) *Tua elegantia magis flecterer, quam divitiis.* Jam diu victa est, quæ sic loquitur.

Aut ego perpetuo famam fine labe tenebo;
Aut ego te potius quam tua dona fequar.
Utque ea non fperno; fic acceptiffima *(a)* femper
Munera funt, *(b)* auctor quæ pretiofa facit.
(c) Plus multo eft, quod amas, quod fum tibi caufa laboris;
Quod per tam *(d)* longas *(e)* fpes tua venit aquas.
(f) Illa quoque appofita quæ *(g)* nunc facis *(h)* improbe, menfa,
(Quamvis *(i)* experiar diffimulare) noto.
Cum modo me fpectas oculis, lafcive, *(k)* protervis;
Quos vix *(l)* inftantes lumina noftra ferunt:
Et modo fufpiras: modo pocula proxima nobis
Sumis; *(m)* quaque bibi, tu quoque parte bibis.
Ah quoties *(n)* digitis, quoties ego tecta notavi
Signa fupercilio *(o)* pæne loquente dari!
Et fæpe extimui, ne vir meus illa videret.
(p) Non fatis occultis erubuique notis.

INTERPRETATIO.

Vel ego tuebor femper nomen fine macula: vel ego potius te fequar quam tua munera. Et ut ea non contemno: fic dona funt femper gratiffima, quæ auctor reddit pretiofa. Amplius eft multo quod amas; quod fum tibi caufa laboris: quod fpes tua accedit per tam vafta maria. Adverto etiam illa quæ nunc proterve agis, menfa admota; quamvis coner diffimulare. Cum modo me afpicis oculis procacibus, luxuriofe; quos urgentes vix oculi noftri tolerant: & modo gemis: modo capis pocula proxima nobis, & tu quoque bibis parte qua bibi. Ah quoties adverti notas occultas exhiberi digitis, quoties fupercilio propemodum loquente: & fæpe pertimui ne maritus meus illa cerneret; & erubui fignis non fatis tectis.

NOTÆ.

(a) *Semper*) Gottorphianus *quondam*, pro *quandoque*, *nonnunquam*: quod clar. Heinfio, non fine caufa elegans vifum eft.

(b) *Auctor quæ*) Terent. de meretricula in Eunucho.

—— Læta eft, non tam ipfo quidem.
Dono, quam abs te datum effe; id vero ferio
Triumphat.

(c) *Plus multo*) *Ut me in tui amorem pellicias, fcil.*

(d) *Longas*) Scilicet, a Troja ad Peloponnenfum, non eft brevis via.

(e) *Spes tua*) *Tu me abducere fperans.* Metonym.

(f) *Illa*) Quæ verfibus fequentibus recenfet.

(g) *Nunc*) Vide quo fenfu hac voce utatur; de re præterita quidem loquens fed præfentem quam facit.

(h) *Improbe*) Non hic *nefarium*, aut *fceleftum* expofueris, fed *procacem*, *audacem*, *affiduum*.

(i) *Experiar diffimulare*) Id eft, *coner fimulare me non intelligere*.

(k) *Protervis*) *Petulantibus*, *Procacibus & lafcivis*.

(l) *Inftantes*) *Nimium quid velint declarantes*, *& quafi petentes*.

(m) *Quaque*) *Qua parte*.

(n) *Digitis*) Manu etiam amoris fui figna Paris dederat.

(o) *Pæne loquente*) Maxima eft in oculis animi declaratio.

(p) *Non fatis occultis*) Quia fignis illis ipfe etiam Menelaus Paridis amorem, imo & Helenæ culpam cognofcere potuiffet.

Sæpe

Sæpe vel exiguo, (q) vel longo murmure dixi,
Nil pudet (r) *hunc*. (ſ) nec vox hæc mea falſa fuit.
(t) Orbe quoque in menſæ (u) legi ſub nomine noſtro.
Quod deducta mero littera fecit, AMO.
Credere me tamen (x) hoc oculo (y) redeunte negavi.
Hei mihi! jam didici: (z) ſic quoque poſſe loqui.
His ego blanditiis, ſi (a) peccatura fuiſſem,
Flecterer: his poterant pectora noſtra capi.
(b) Eſt quoque (confiteor) facies tibi rara: poteſtque
Velle ſub amplexus ire puella tuos.
Altera (c) vel potius felix ſine crimine fiat,
Quam cadat (d) externo noſter amore pudor.
Diſce (e) meo exemplo, formoſis poſſe carere.
Eſt (f) virtus placitis abſtinuiſſe bonis.
Quam multos credas juvenes optare (g) quod optas,
(h) Qui ſapiant? oculos an (i) Paris unus habes;

INTERPRETATIO.

Sæpe dixi, vel tenui, vel protracto murmure, nihil pudet hunc: *nec hæc mea verba fuerunt falſa. Legi etiam in ambitu menſæ ſub nomine noſtro,* AMO, *quod littera exarata vino fecit.* Negavi tamen me *his fidem habere oculo abnuente. Hei mihi! jam docta ſum poſſe quoque ſic loqui. Ego moverer his blandimentis ſi fuiſſem lapſura: pectora noſtra poterant his deliniri. Eſt quoque tibi, agnoſco, ſpecies præſtans: & puella poteſt velle venire in complexus tuos. Vel altera fiat potius beata ſine culpa quam noſter pudor recedat amore peregrino. Diſce meo exemplo poſſe vivere ſine pulcris, Eſt virtus ſibi temperaſſe a bonis placitis. Quam multos juvenes arbitreris cupere, quod cupis, qui ſibi temperent? An ſolus Paris habet oculos?*

NOTÆ.

(q) *Vel longo*) Quod eſt quodammodo admirantis & ſubiraſcentis.

(r) *Hunc*) *Paridem*.

(ſ) *Nec vox*) Quia pudore carebat Paris.

(t) *Orbe menſæ*) *In menſa rotunda*.

(u) *Legi ſub nomine*) Poſtquam Helenæ nomen vino Paris ſcripſiſſet, hanc nomini vocem ſuppoſuit *Amo*; ut intelligeret Helena ſe ab illo amari.

(x) *Hoc*) *Me a te amari*.

(y) *Renuente*) *Nutu tibi reſpondente, & negante*.

(z) *Sic*) Oculorum nutu.

(a) *Peccatura*) *Si conjugii voluiſſem fidem fallere*.

(b) *Eſt quoque*) Reſpondet ad id quod dixit Paris *Nec puto collatus forma Menelaus* &c.

(c) *Vel*) Quantam vim habet hoc in loco hæc vocula: quamque prodit bene occultum Helenæ amorem!

(d) *Externo*) *Viri extranei; qui maritus non eſt*.

(e) *Meo exemplo*) *Quæ licet non habeam maritum pulchrum, tamen eo ſum contenta*, ut exponit Hubertinus. Quod minime placet. Tacite indicat Helena ſe Paridis amore captam eſſe, cui per virtutem reſiſtat.

(f) *Virtus*) Maxima quidem, ut vix detur major; ex quo ſolenne illud Epicteti ſummi Philoſophi, *Suſtine*, & *Abſtine*.

(g) *Quod optas*) Ejus concubitus *ſcil.*

(h) *Qui ſapiant*) *A me abſtineant*. Sapientiæ vero non anguſtos admodum poſuit fines; cui vota impura ſint licita.

(i) *Paris unus*) Unus Vaticanus. *Pari ſolus*. Plurimis ſuam dicit eſſe cognitam pulchritudinem.

Non tu plus cernis: sed plus temerarius audes.
Nec tibi plus cordis, sed magis (*k*) oris adest.
Tunc ego te vellem celeri venisse carina,
Cum mea virginitas mille petita procis.
Si te vidissem, (*l*) primus de mille fuisses.
Judicio veniam vir dabit ipse meo.
Ad possessa venis (*m*) præceptaque gaudia serus.
Spes tua lenta fuit: quod petis, alter habet.
(*n*) Ut tamen optarem fieri tibi Troja conjux,
(*o*) Invitam sic me nec Menelaus habet.
Desine (*p*) molle, precor, verbis (*q*) convellere pectus:
Neve mihi, quam te dicis amare, (*r*) noce.
Sed sine, quam tribuit sortem Fortuna, (*ſ*) tueri:
Nec spolium nostri turpe pudoris habe.
(*t*) At Venus hoc pacta est: & in altæ vallibus Idæ
Tres tibi se nudas exhibuere Deæ:
Unaque cum regnum, belli daret altera laudem:
(*u*) *Tyndaridos conjux*, (*x*) tertia dixit, *eris*.
Credere vix equidem cælestia corpora possum
Arbitrio formam supposuisse tuo.

INTERPRETATIO.

Tu non amplius visu polles, sed temerarius amplius audes. Nec tibi plus inest animi, sed plus linguæ. Ego vellem te tunc accessisse veloci nave, cum mea virginitas quæsita est mille procis. Si te aspexissem fuisses primus de mille. Ipse maritus ignoscet meo judicio. Accedis tardus ad voluptatem occupatam & correptam. Spes tua fuit tarda: alter possidet quod cupis. Quamvis tamen cuperem fieri tibi uxor Trojana, Menelaus nec me ita retinet coactam. Omitte quæso, labefactare verbis cor tenerum: neve mihi obesto quam præsteris te amare. Sed patere, me servare conditionem quam fortuna exhibuit; nec refer indecorum spolium nostræ pudicitiæ. At venus hoc pollicita est; & tres Deæ ostenderunt se tibi sine vestibus in vallibus Idæ excelsæ; & cum una polliceretur imperium, altera gloriam belli; tertia dixit fies maritus filiæ Tyndari: *Vix equidem possum credere corpora cœlestia permisisse pulcritudinem judicio tuo.*

NOTÆ.

(k) *Oris*) *Verecundiæ*. Alii habent, *sed magis oris inest*.

(l) *Primus*) Scilicet, ne quis ex procis offenderetur, si cui pater Helenam desponderet, consenserunt omnes, ut quem vellet, cui reliqui auxilio essent, ipsa eligeret.

(m) *Præceptaque*) *Ante occupata*.

(n) *Ut*) *Quanquam*.

(o) *Invitam*) Dicit se nec male nec contra animi desiderium cum Menelao esse.

(p) *Molle*) *Ad amandum pronum*.

(q) *Convellere*) *Commovere, labefactare; ab officio deflectere; in tui amorem pellicere*.

(r) *Noce*) *In crimen & dedecus me impellendo*.

(ſ) *Tueri*) *ut caste cum Menelao vivam*.

(t) *At Venus*) Respondet ad id quod dixerat Paris, *Pollicita est thalamo te Cytherea meo*.

(u) *Tyndaridos*) *Helena*. Vide sis Paridis epistolam; quæ huic vicem præstet commentarii.

(x) *Tertia*) *Venus*; scil.

Utque

(y) Utque sit (z) hoc verum; certe (a) pars altera ficta est,
(b) Judicij pretium qua data dicor ego.
Non est tanta mihi fiducia (c) corporis, (d) ut me
Maxima teste Dea dona fuisse putem.
Contenta est oculis hominum mea forma probari;
Laudatrix Venus est invidiosa mihi.
Sed nihil (e) inficior; faveo quoque laudibus istis.
Nam mea vox quare, (f) quod cupit, esse neget?
Nec tu (g) succense (h) nimium mihi (i) creditus ægre.
Tarda solet magnis rebus inesse fides.
Prima mea est igitur Veneri placuisse voluptas:
Proxima, (k) me visam præmia summa tibi:
Nec te Palladios, nec te Junonis honores
Auditis Helenæ præposuisse (l) bonis.
Ergo ego (m) sum virtus? ego sum tibi (n) nobile regnum?
Ferrea sim, si non (o) hoc ego pectus amem.
(p) Ferrea, crede mihi, non sum: (q) sed amare repugno
Illum, quem fieri vix puto posse meum.

INTERPRETATIO.

Et quamvis hoc sit verum, certè pars altera est falsa; qua ego dicor facta merces judicij. Non mihi tanta est confidentia corporis, ut credam me fuisse maxima munera Dea judicio. Mea pulcritudini satis est laudari oculis hominum: Venus approbatrix est mihi invidiosa. Sed nihil nego: probo etiam ista praconia. Nam quamobrem meus sermo inficietur esse quod optat? Nec tu vix creditus nimium mihi irascaris. Fides lenta solet tribui magnis rebus. Ergo prima gaudia sunt placuisse Veneri; altera me visam tibi maxima munera: nec te pratulisse honores Palladios, nec te prætulisse honores *Junoni bonis auditis Helena. Ergo ego sum tibi virtus? Ego sum splendidum regnum? Inhumana forem, si ego non diligam hunc* tuum *animum. Crede mihi non sum inhumana: sed refugio illum diligere, quem arbitror vix posse fieri meum.*

NOTÆ.

(y) *Utque*) *Quamvis*.

(z) *Hoc*) *Quod de forma Dearum judicaverit*.

(a) *Pars altera*) *Eorum qua dicis*, scil.

(b) *Judicii*) *Quo Veneri palmam tulisti*.

(c) *Corporis*) *Quod ad pulcritudinem spectat*, intellige.

(d) *Ut me*) Vide ut magis de forma quam de pudicitia sollicita sit, utque victam se tradat potius, quam ab adultero tueatur.

(e) *Inficior*) Alij *infirmo*.

(f) *Quod cupit*) Esse pulcram *scil.*

(g) *Succense*) *Irascere*. Enimvero istud etiam curaverit mulier Pudica!

(h) *Nimium mihi*) Ex Paridis persona loquitur, cum ipsum nimis ægre creditum dicit, quasi is ideo queri posset, quod sibi Helena non crederet.

(i) *Creditus*) De iis intellige, quæ, de Helena prædicasse Venerem, Paris dicebat.

(k) *Me visam*) *Me putatam & judicatam esse*.

(l) *Boni*) Pulcritudine *scil.*

(m) *Sum virtus*) Hoc dicit, quia se virtutis a Pallade promissæ loco, Paris elegerat.

(n) *Nobile regnum*) Id est, *Regni a Junone promissi loco*.

(o) *Hoc*) *Tuum, talem*.

(p) *Ferrea*) *Dura*; *Inhumana; quæ amare nesciam*.

(q) *Sed*) Illud vero *sed* nihil est: Atque etiam *vix* subdit.

(r) Quid

(r) Quid (s) bibulum curvo proscindere littus aratro,
(t) Spemque sequi coner, quam (u) locus ipse neget?
Sum rudis ad Veneris furtum: nullaque fidelem
(Di mihi sunt testes (x) lusimus arte virum.
(y) Nunc quoque, quod (z) tacito mando meà verba libello,
Fungitur officio littera nostra (a) novo.
(b) Felices, quibus (c) usus adest! ego nescia rerum
(d) Difficilem culpæ suspicor esse viam.
Ipse (e) malo metus est; (f) jam nunc confundor, & (g) omnes
In nostris oculos vultibus esse reor.
Nec reor hoc falso: sensi mala murmura vulgi:
Et (h) quasdam voces rettulit (i) Æthra mihi.
At tu dissimula: nisi si (k) desistere mavis.
Sed cur desistas? dissimulare potes.
Lude, sed occulte: (l) major, non maxima nobis
Est data libertas, quod Menelaus abest.
Ille quidem procul est, ita re cogente, profectus:
Magna fuit subitæ justaque (m) causa viæ.

INTERPRETATIO.

Quamobrem tentem findere littus bibulum adunco vomere, & spem fovere, quam ipse locus probibeat? Sum imperita ad furtum Veneris: & (Dii mibi sunt testes) nulla fraude decepimus maritum fidum. Nunc etiam quod committo mea verba libello secreto; epistola nostra facit officium insolitum. Beata quibus experientia adest! ego imperita conjicio iter ad crimen esse asperum. Ipse timor est oneri e jam nunc turbata sum, & puto omnes oculos barere in nostra facie. Neque boc falso reputo: Experta sum finistros rumores vulgi: & Æthra renuntiavit mibi quædam verba. At tu dissimula; nisi si præoptas desinere. Sed quamobrem desinas? potes dissimulare. Ludito sed clam: licentia major, non maxima est nobis indulta, quod Menelaus procul est. Ille quidem abest digressus re ita urgente. Magna & justa causa fuit rep:ntino itineti.

NOTÆ.

(r) *Quid bibulum*) Per similitudinem ostendit sibi Paridis amori non esse frustra indulgendum.

(s) *Bibulum*) Nimirum littus arenosum statim aquam omnem ebibit, & sterile est.

(t) *Spemque*) *Velim ex semente lætam messem sperare, quam locus ipse deneget.* Sese a Paride amari fingit non credere.

(u) *Locus*) *Littus arenosum & sterile.*

(x) *Lusimus*) *Decepimus.*

(y) *Nunc quoque*) Ad alium se antea unquam scripsisse negat.

(z) *Tacito*) *Secreto.*

(a) *Novo*) *Insolito.*

(b) *Felices*) Suspirans istud dicit proba mulier.

(c) *Usus Experientia, Exercitatio.*

(d) *Difficilem*) Adeoque maxime cavendum in principio ne peccemus.

(e) *Malo est*) *Mibi nocet; molestus est.*

(f) *Jam nunc*) *Antequam peccavero: quid postea esset?*

(g) *Omnes*) *Qui fraudem & peccatum meum arguat.*

(h) *Quasdam voces*) *Populi.* scil. *de amore nostro obmur murantis.*

(i) *Æthra*) Helenæ altera comes.

(k) *Desistere*) *Amore supersedere.*

(l) *Major*) *Quam si adesset maritus*, intellige; *at non omnis tamen data est.* Dixerat Paris, *Sed tibi & hoc suadet rebus, non voce maritus*, ad hoc respondet Helena.

(m) *Causa*) Ea fuit, ut dividerentur in Creta Atrei bona.

Aut

At mihi (*n*) sic visum est: ego, cum dubitaret an iret,
Quamprimum, dixi; *fac rediturus eas*.
(*o*) Omine lætatus (*) dedit oscula: *Resque*, *domusque*,
Et tibi sit curæ (*p*) *Troicus hospes*, , ait,.
(*q*) Vix tenui risum; quem dum compescere luctor,
Nil illi potui dicere, præter, (*r*) *Erit*.
Vela quidem (*ſ*) Creten ventis dedit ille secundis.
Sed tu non ideo cuncta licere puta.
Sic meus hinc vir abest, ut me custodiat absens.
An nescis longas Regibus esse manus?
Fama quoque (*t*) est oneri; nam quo constantius ore
Laudamur vestro, justius (*u*) ille timet.
Quæ (*x*) juvat, (*y*) ut nunc est, eadem mihi gloria (*z*) damno est:
Et melius famæ (*a*) verba dedisse foret.
Nec, quod (*b*) abest, hic me tecum mirare relictam:
Moribus & vitæ credidit ille meæ.
(*c*) De facie metuit, (*d*) vitæ confidit: & illum
Securum probitas, forma timere facit.

INTERPRETATIO.

Aut sic mibi visum est: Ego, cum incertus esset an proficisceretur, fac, *inquam*, discedas mox reversurus. *Gaudens præsagio me deosculatus est*: *& inquit*, Et res & domus & hospes Trojanus sit tibi curæ. *Vix repressi risum*: *quem dum conor coercere*, *nihil potui illi dicere*, *præter*: Erit. *Ille quidem expandit carbasa Cretem ventis propitiis*. *Sed tu ne credas ideo omnia esse concessa*. *Maritus meus ita hinc abest*, *ut absens me servet*. *An ignoras manus longas esse Regibus? Fama quoque gravis est*: *nam quo certius celebramur ore vestro*, *ille metuit justius*. *Gloria quæ prodest ut nunc est*, *eadem mibi est detrimento*. *Et aptius esset fefellisse famam*. *Nec*, *quia procul est* maritus, *mireris me hic tecum desertam*: *ille confisus est moribus & vitæ meæ*. *Timet de formæ*, *vitæ credit*: *&* *integritas* præstat *illum tutum*: *pulcritudo cogit metuere*.

NOTÆ.

(n) *Sic Ut Menelaus in Cretam proficisceretur*, *causam esse justam*. Quippe justam fingebat adultera quæ discedere maritum cupiebat.

(o) *Omine*) Illo nempe, quod dixisset Helena, *Quamprimum rediturus eas*.

(*) *Dedit*,) *Mibi*, scil.

(p) *Troicus*) *Paris*.

(q) *Vix tenui*) Quia ovem lupo concredere Menelaum sciebat,

(r) *Erit*) *Cura*, scil. *domus*, *& res*, *& Troicus hospes*.

(ſ) *Creten*) Id est *ut in Creten iret*.

(t) *Est oneri*) *Me retinet*, *ne omnia quæ lubens peccarem*, *audeam*.

(u) *Ille*) *Menelaus*; adeoque maritus quilibet.

(x) *Juvat*) *Quia mibi amorem tuum conciliavit*.

(y) *Ut nunc est*) Maxima, ex pulcritudinis laude.

(z) *Damno*) *Quia per eandem ex pulcritudine laudem & gloriam minus latere & peccare licet*. Nihil enim ad rem dixisse videntur Commentatores.

(a) *Verba dedisse*) Ut nesciret fama tantopere viris placere Helenam.

(b) *Abest*) Menelaus, supple.

(c) *De facie*) *Quia pulcra sum*; *ne quis mibi insidietur*, *metuit*.

(d) *Vita*) *Quam antea pudice egi*. Quanquam, ratiocinatio hæc *Casta fuit*, *Ergo erit*, cautione egeat; vixque possit certo scire quisquam, quantumvis fuerint castæ non paucæ, hæcne an illa talis sit.

(e) Tem-

(*e*) Tempora ne pereant (*f*) ultro data (*g*) præcipis; utque
Simplicis utamur commoditate viri.
(*h*) Et libet, & timeo: (*i*) nec adhuc exacta voluntas
Est satis; in dubio pectora nostra labant.
Et vir abest nobis; & tu sine conjuge dormis:
(*k*) Inque vicem tua me, te mea forma capit:
(*l*) Et longæ noctes: & jam sermone (*m*) coimus:
Et, tu (*n*) (me miseram!) blandus: & una domus.
Et peream, si non invitant omnia culpam.
Nescio quo tardor sed tamen ipsa metu.
Quod (*o*) male persuades, utinam (*p*) bene cogere possis!
Vi mea rusticitas excutienda fuit.
(*q*) Utilis interdum est ipsis injuria passis.
Sic certe felix esse coacta velim.
Dum novus est, (*r*) potius cœpto pugnemus amori:
Flamma recens parva sparsa resedit aqua.
Certus in hospitibus non est amor: (*s*) errat, ut ipsi.
Cumque nihil speres firmius esse, (*t*) fuit.

INTERPRETATIO.

Suades ne opportunitas sponte exhibita dilabatur; & ut utamur facilitate creduli mariti. Et cupio, & metuo; nec voluntas est adhuc satis explorata: corda nostra in incerto fluctuant. Et maritus nobis est absens; & tu cubas sine uxore; & tua species vicissim me movet, & mea te; & noctes prolixæ; & jam verbis conjuncti fuimus; & tu (me infelicem!) comis; & una domus. Et inteream, si omnia non pelliciunt ad crimen. Sed tamen ipsa detineor; nescio quo timore. Utinam queas bene cogere quod male persuades, mea morositas per vim fuit profliganda. Nonnunquam injustitia grata est ipsis injustitia *affectis. Sic profecto per vim cupiam esse beata. Dum tener est, certemus potius adversus nascentem amorem: Flamma nova disjecta, oppressa est paucula aqua. Amor non est firmus in hospitibus vagatur sicut & ipsi: & cum credas nihil esse certius, fuit.*

NOTÆ.

(e) *Tempora*) *Imo per illa amori indulgeamus.*

(f) *Ultro*) *Cum vir meus excesserit.*

(g) *Præcipis*) *Suades.*

(h) *Et libet &*) Pudica mulier.

(i) *Nec adhuc*) Tuto ut peccaret sollicita erat.

(k) *Inque vicem*) *Vicissim, tu me, ego te.*

(l) *Et longæ*) Rationes enumerat quibus in aridis vota trahebatur.

(m) *Coimus*) *Conjungimur*. Nescio quos gradus enumerant, Videre, Colloqui, Tangere, &c.

(n) *Me miseram*) Istud dicit quæ contra rationis & pudicitiæ leges sese sentit abripi.

(o) *Male*) *Non honeste.*

(p) *Bene*) *Ut mihi honesta sit excusatio.* Illud vero unum plerumque quærunt; non aliud.

(q) *Utilis*) Quia & per injuriam sese excusant. Jam vero, cum totam propemodum Ovidij artem in hac epistola videam, mirari eos subit, qui politissimum ejus opus ab alio ingenio ortum esse putent.

(*r*) *Potius*) Ecce muliebrem mobilitatem; qua etiam ad inflammandos viros utuntur.

(s) *Errat*) *Amor hospitum erro & levis est, ut ipsi hospites, quibus certa non est sedes.* Galli. *Leur amour est volage.*

(t) *Fuit*) *Aegute*: ut intelligatur nullum esse amorem. Alij tamen codices habent *fugit*.

(u) Hyp-

(u) Hypsipyle testis, testis (x) Minoia virgo est,
In non exhibitis utraque (y) questa (z) toris.
Tu quoque dilectam multos, infide, per annos
Diceris Oenonen destituisse tuam.
Nec tamen ipse negas; & nobis omnia de te
Quærere; si nescis, maxima cura fuit.
Adde quod, ut cupias constans in amore manere,
Non potes: (a) expediunt jam tua vela Phryges.
Dum loqueris mecum, dum nox sperata (b) paratur,
Qui ferat in patriam, jam tibi (c) ventus erit.
(d) Cursibus in mediis (e) novitatis plena relinques
Gaudia: cum ventis noster abibit amor.
An (f) sequar, ut suades, (g) laudataque Pergama visam;
Pronurus & magni Laomedontis ero?
Non ita contemno (h) volucris præconia Famæ,
(i) Ut probris terras impleat illa meis.
Quid de me Sparte poterit, quid Achaia tota,
Quid gentes Asiæ, quid tua Troja loqui?

INTERPRETATIO.

Hypsipyle est testis, virgo Minoja est testis utramque conquesta in lectis non datis. Tu quoque perfide perhiberis deseruisse tuam Oenonem amatam per multos annos. Nec tamen ipse diffiteris; & si ignoras, maxima cura fuit nobis omnia de te percontari. Adjice quod, quamvis desideres esse firmus in amore, non potes: Phryges jam adornant tua vela. Dum mecum sermocinaris, dum nox expectata apparatur, jam tibi aura veniet, quæ te vehat in patriam. Destitues delicias plenas jucunditatis in mediis progressibus: noster amor excedet cum ventis. An me tibi dedam comitem, ut pellicis: & petam Pergama celebrata; & ero pronurus magni Laomedontis? Non ita sperno laudes celeris famæ, ut illa adimpleat orbem meo dedecore. Quid Sparte poterit dicere de me, quid tota Achaia, quid populi Asiæ, quid tua Troja?

NOTÆ.

(u) *Hypsipyle*) *A Jasone relicta.*

(x) *Minoja*) *Ariadna* Minois filia.

(y) *Questa*) Correctio est Clariss. Heinsii. Vulgati codices habent *juncta*; Alii *lusa*; Alii *pacta*, *victa*, *juxta*, *jucta*, *pusta*, *justa*.

(z) *Toris*) Per totum finem conjugalem intellige.

(a) *Expediunt*) *Qui discedant, scilicet, seque secum revehant.*

(b) *Paratur*) Pro *parabitur*: Sed major est vis, & melius res ipsa per tempus præsens declaratur.

(c) *Ventus*) *Quo secundo, hortantibus tuis, proficisceris; neque, tametsi nolles, desistuere cogeris.*

(d) *Cursibus*) *Amoris voluptatibus.* Metaphora ab aurigis.

(e) *Novitatis*) Adeoque maxima, & jucundissima; quia non bene cognita, vixque delibata.

(f) *Sequar*) *Te*, scil. Ad ea incommoda pergit, quæ sequentur si cum Paride aufugere mallet.

(g) *Laudataque*) *A te*, scil.

(h) *Volucris*) Cujus alæ pernices; uti quidem eam finxerunt Poetæ; Virgilius præsertim in illa sua magnifica Famæ descriptione.

(i) *Ut probris*) Id est, *Ut ea admittam, quibus me jure possis famæ probris onerare, & infamem probare.*

Quid

Quid Priamus de me, Priami quid (*k*) sentiet uxor;
  Totque tui fratres, Dardanidesque nurus?
Tu quoque, qui poteris tibi me sperare fidelem,
  Et non exemplis (*l*) anxius esse (*m*) tuis?
Quicunque Iliacos intraverit advena portus,
  Is tibi solliciti (*n*) causa timoris erit.
Ipse mihi quotiès iratus, *Adultera*, dices!
  Oblitus (*o*) nostro crimen inesse tuum.
Delicti fies idem reprehensor & auctor.
  Terra, precor, vultus obruat (*p*) ante meos.
(*q*) At fruar Iliacis opibus, cultuque beato:
  Donaque promissis uberiora feram:
Purpura nempe mihi, pretiosaque texta dabuntur:
  Congestoque auri pondere dives ero.
Da veniam (*r*) fassæ, non sunt tua munera tanti.
  Nescio quo tellus me tenet (*s*) ista modo.
Quis mihi, si lædar, Phrygiis succurrat in oris?
  Unde petam fratres, unde parentis opem?
Omnia Medeæ fallax promisit Jason:
  Pulsa est (*t*) Æsonia num minus illa domo?

INTERPRETATIO.

Quid cogitabit Pryamus de me, quid conjux Priami; & tot tui fratres, & nurus Trojanæ? Tu quoque, quomodo poteris sperare me tibi fidelem, & non esse sollicitus tuis exemplis. Quicunque peregrinus subierit portus Iliacos, is erit tibi causa metus anxii. Quoties ipse infensus, mihi dices, Adultera, *immemor flagitium tuum esse in nostro. Idem sis censor & auctor peccati. Tellus, oro, prius defodiat faciem meam. At gaudebo divitiis Iliacis, & ornatu splendido. & consequar munera majora pollicitis. Nimirum exhibebunt mihi purpura, & splendida vestimenta: & ero opulenta pondere cumulato auri. Ignosce confitenti: tua dona non sunt tanti. Nescio quomodo ista terra me retinet. Quis mihi opem ferat in terris Phrygiis, si offendar? Unde arcessam fratres. unde auxilium patris? Jason mendax omnia pollicitus est Medeæ, num illa minus est ejecta domo Æsonia?*

NOTÆ.

(k) *Sentiet*) *Sentiat* sex libris unus habet *censeat*.

(l) *Anxius*) Quis vero sibi fidelem credat mulierem, quam ipse perfidiam docet?

(m) *Tuis*) *Qui meo Menelao marito non dubitas abstrahere*.

(n) *Causa timoris*) *Quia eo quo tu huc appulisti, animo, eodem illum advenire credet*.

(o) *Nostro crimen*) *Te uno & eodem crimine mecum teum esse*.

(p) *Ante*) *Quam*, intellige, *tu reprehendas meum delictum*. Nam illud tantum meruit adultera, utcumque dissimulet.

(q) *At fruar*) Illud pollicitus erat Paris.

(r) *Fassæ*) *Mihi ingenue confitenti, tua munera tanti non esse; at hinc discedam*.

(s) *Ista*) *Laconica*, solum patrium; cujus dulcedine capi cunctos alicubi canit Poeta.

(t) *Æsonia*) *Domo Æsonis*, qui fuit Jasonis pater.

(u) Non

(*u*) Non erat Æetes, ad quem despecta rediret:
Non (*x*) Ipsea parens, Chalciopeque soror.
Tale nihil timeo: (*y*) sed nec Medea timebat.
(*z*) Fallitur augurio spes bona sæpe suo.
Omnibus invenies, quæ nunc jactantur in (*a*) alto,
Navibus (*b*) a portu lene fuisse fretum.
Fax quoque me terret: quam se peperisse cruentam
Ante diem partus est tua visa parens.
Et vatum timeo monitus: quos igne Pelasgo
Ilion arsuram præmonuisse ferunt.
Utque favet (*c*) Cytherea tibi, quia (*d*) vicit, habetque
Parta per arbitrium (*e*) bina tropæa tuum;
Sic (*f*) illas vereor: quæ, (*g*) si tua gloria vera est,
Judice te causam non tenuere duæ.
Nec dubito, quin, te si prosequar, arma parentur.
Ibit per gladios (hei mihi!) noster amor.
An fera Centauris indicere bella coegit
(*h*) Atracis (*i*) Hæmonios Hippodamia viros?

INTERPRETATIO.

Non erat Æetes, ad quem spreta reverteretur: non mater Ipsea & soror Chalciope. Nihil tale metuo; sed nec Medea metuebat. Spes bona sæpe decipitur omine suo. Comperies mare fuisse mite a portu omnibus navibus quæ nunc agitantur in aperto mari. Fax quoque, quam sanguinolentam mater visa est partu emisisse ante diem puerperij, mihi terrorem incutit. Et metuo responsa vatum; quæ ajunt prædixisse Trojam flagraturam igne Pelasgo. Et quemadmodum Cytherea tibi est æqua, quia superior discessit, & consecuta est duo Tropæa per judicium tuum; sic timeo illas, quæ duæ, si honor tuus non est fictus, causa exciderunt te arbitro. Nec dubito, quin, si te comiter, arma commoveantur. Hei mihi! noster amor feretur per enses. An Hippodamia Atracis adegit viros Hæmonios denuntiare fæva bella Centauris?

NOTÆ.

(u) *Non erat*) Erat quidem; Sed ad quem accedere auderet Medea, non erat: quanquam accessisse, imo ipsum regno pulsum restituisse eam scripsit Apollodorus.

(x) *Ipsea*) Hic maxime variant codices: unde corruptum locum esse licet conjicere; eo præsertim, quod nullus, quod quidem sciam, illo nomine hanc Medeæ matrem appellaverit. Reponendum itaque, ex Hesiodo, Apollonio, Apollodoro, Hygino, *Idya*: Quæ est communis opinio; tametsi aliam nonnulli meminerunt.

(y) *Sed nec*) Argute profecto. Exemplo nihil metuentis Medeæ, se posse destitui dicit Helena.

(z) *Fallitur*) *Non ea eveniunt quæ bene speravimus; contra sæpe cedunt male omnia.*

(a) *Alto*) *In mari, procul a terris.*

(b) *A portu*) Hac comparatione innuit, non esse statim primæ rerum speciei credendum.

(c) *Cytherea*) *Venus.*

(d) *Vicit*) *Per te, qui ipsi pulcritudinis palmam detulisti.*

(e) *Bina*) De Junone & Pallade.

(f) *Illas*) Junonem & Palladem.

(g) *Si tua*) *Si verum est quod ad tuam gloriam dicis, te, de pulcritudine, Dearum litem diremisse.*

(h) *Atracis*) Atrace, seu Atracia Thessaliæ urbe oriunda; nisi forte Atracia pro Thessalia generatim posita. Nam quod Antonius Atracis fluvij Hippodamiam filiam faciat nullibi potui reperire.

(i) *Hæmonios*) *Thessalos*: Pirithoum, scilicet, Theseum, Herculem, Lapithoum; qui, ut vidimus in Phyllide, Centauro, in Hippodamiæ & Pirithoi nuptiis, mulieribus vim parantes partim interfecerunt, partim fugaverunt.

Tu fore tam justa lentum Menelaon in ira,
Et geminos *(k)* fratres, Tyndareumque putas;
Quod bene te jactas, & fortia facta recenses;
A verbis facies dissidet *(l)* ista suis.
Apta magis Veneri, quam sint tua corpora Marti,
Bella gerant fortes: tu, Pari, semper ama.
Hectora, quem laudas, pro te pugnare jubeto:
(m) Militia est operis altera digna tuis.
(n) His ego, si *(o)* saperem, pauloque audacior essem,
Uterer: utetur, si qua puella sapit.
Aut ego deposito *(p)* faciam fortasse pudore;
Et dabo *(q)* conjunctas *(r)* tempore victa manus.
Quod petis, ut furtim præsentes plura loquamur;
(s) Scimus quid captes, colloquiumque voces.
Sed nimium properas; & adhuc tua messis *(t)* in herba est.
Hæc mora *(u)* sit voto forsan amica tuo.
(x) Hactenus *(y)* arcanum furtivæ conscia mentis
Littera jam lasso pollice *(z)* sistat opus.
Cætera per socias Clymenen Æthramque loquamur,
Quæ mihi sunt comites *(a)* consiliumque duæ.

INTERPRETATIO.

Tu arbitraris Menelaum & fratres gemellos & Tyndareum futurum tardum in vindicta tam justa? Quod magnifice te effers; & enumeras strenua facinora; iste vultus dissentit a suis vocibus. Tua corpora sint magis idonea Veneri quam Marti. Strenui sequantur arma; tu, Pari, semper ama. Fac Hector, quem celebras, pro te certet; altera militia est digna tuis laboribus. Ego, si saperem & essem paulo cordatior uterer his: utetur puella si qua sapit. Aut ego fortasse utar pudore profligato; & aliquando superata porrigam manus connexas. Quod postulas; ut in conspectu clam plura fabulemur: novimus quid quæras, & vocites colloquium. Sed nimium festinas & tua messis est adhuc in herba. Forsitan hæc dilatio sit grata tuo desiderio. Hactenus epistola particeps animi secreti modum faciat operi furtivo. pollice jam defesso. Aperiamus reliqua per socias Clymenen & Æthram quæ duæ sunt mihi comites & consilium.

NOTÆ.

(k) *Fratres)* *Meos, Castorem & Pollucem.*

(l) *Ista)* Quæ amorem, non bellum præ se fert.

(m) *Militia)* Amoris *scil.* Enimvero *militat omnis amans, & habet sua castra Cupido.*

(n) *His)* Operis, *scil.*

(o) *Caperem)* *Si mihi & voluptati meæ consulerem, remque meam facere vellem.*

(p) *Faciam)* *Tuis bonis, & in amoribus, tua opera utar.* Sed unus & alter codex venuste habent *sapiam.*

(q) *Conjunctas)* Quales eorum solent esse qui sese dedunt & submittunt.

(r) *Tempore)* *Aliquando; Tandem,*

(s) *Scimus)* Difficile non fuit; cum dixeris Paris,

Excipe me lecto, nocte silente, tuo.

(t) *In herba)* Adeoque tempus ejus remotum. Metaphoræ vero sensus apertus est.

(u) *Sit)* Pro *erit.* Vides muliebre ingenium; & quam bene Ovidio perspectum fuerit.

(x) *Hactenus conscia)* *Cui hactenus mentis meæ secreta commisi.* Hæc omnia ex Amandi arte.

(y) *Arcanum opus)* *Secreta scribendi officium*

(z) *Sistat)* *Finiat.*

(a) *Consiliumque)* Quibus adeo omnia licet tuto concredere. Scilicet, ut multa alia per internuncios melius geruntur res istæ.

EPISTOLA DECIMAOCTAVA.

ARGUMENTUM.

Hellespontiacum mare septem tantum stadiis Europam ab Asia dividit. Sestos in Europa, Herus patria: & Abydo in Asia, ex qua fuit Leander, adversa urbes sunt. Cum autem Leander Abydenus Sestiam puellam Hero misere deperiret, per Hellespontum noctu ad eam natare consueverat. Sed maris tempestate interclusus, jam prateritis septem diebus, ad amicam Hero, per audacem nautam ea tempestate Seston navigantem, hanc epistolam misit: in qua primum amorem suum firmum & stabilem esse ostendit. Deinde queritur, quod natandi facultas ob ferventissimum maris astum ei sit ablata. Demum vero pollicetur se brevi venturum: & quamvis mare non fuerit tranquillum, se tamen periculis potius vitam suam commissurum, quam illius jucundissimo conspectu, atque colloquio cariturum.

LEANDER HERONI.

Mittit (b) Abydenus, quam (c) mallet ferre, salutem,
(d) Si cadat ira maris, (e) Sesta puella, tibi.
Si mihi Di (f) faciles & sunt in amore (g) secundi,
(h) Invitis oculis hæc mea verba leges.
Sed non sunt faciles: nam cur mea vota morentur,
(i) Currere me (k) nota nec patiantur aqua?
(l) Ipsa vides cælum pice (m) nigrius; & freta ventis
Turbida, perque cavas vix adeunda rates.
Unus, & hic audax, a quo tibi littera nostra
Redditur, e portu navita movit iter.

INTERPRETATIO.

Puella Sesta, Abydenus mittit tibi salutem quam praoptaret ferre, si impetus maris pemitteret. Si Dij sint mihi benigni & propitij in amore, leges hac mea verba oculis reluctantibus. Sed non sunt benigni: nam cur distineant mea vota; nec sinant me natare aqua assueta? Ipsa cernis calum obscurius pice; & maria turbata ventis, & vix tangenda navibus. Unus nauta, & hic audax a quo epistola nostra tibi exhibetur solvit e portu.

NOTÆ.

(b) *Abydenus*) *Leander; ex Abydo urbe.*

(c) *Mallet*) *Malit* melius ad verbum sequens *cadat* responderet.

(d) *Si cadat*) *Si fluctus maris, seu tempestas sedata fuerit.*

(e) *Sesta*) Mallet Clar. Heinsius, *Sesti*, sicut alibi *Lesbi*, si per antiquos libros liceret. Non immerito certe; nam aliud hujusce formationis nomen haud facile invenias. Statio, Hero *Sestias* dicitur; quam *Sestiam* etiam analogice dixeris. Cæterum in Puteaneo codice, manu recentiore legebatur hoc distichon; cujus loco excerpta Dousæ.

Quam cuperem solitas, Hero, tibi ferre per undas,
Accipe Leandri, dum venit ipse, manum.

(f) *Faciles*) *Exorabiles & propitij.*

(g) *Secundi*) *Faventes.*

(h) *Invitis*) *Ita ut, quod opto, malueris me, quam epistolam videre.*

(i) *Currere*) *Natare.*

(k) *Nota*) *Assueta.*

(l) *Ipsa vides*) Vide vero quam apte Poeta omnia connectit, & facile ad singula descendit.

(m) *Nigrius*) Scilicet aquis tempestate turbatis nigricat mare.

N Af-

Ascensurus eram: nisi quod, cum vincula proræ
  Solveret, (n) in speculis omnis (o) Abydos erat.
(p) Non poteram celare meos, velut ante, parentes:
  Quemque tegi volumus, non latuisset amor.
Protinus hæc scribens, *Felix*, *i*, *littera*, dixi,
  Iam tibi formosam porriget (q) illa manum.
Forsitan admotis etiam tangere labellis;
  Rumpere dum (r) niveo (s) vincula dente volet.
Talibus exiguo dictis mihi murmure verbis,
  Cætera (t) cum charta dextra locuta mea est.
(u) Ah quanto mallem, quam scriberet, (x) illa nataret,
  Meque per assuetas sedula ferret aquas?
Aptior illa quidem placido (y) dare verbera ponto.
  Est tamen & sensus apta ministra mei.
(z) Septima nox agitur, spatium mihi longius anno,
  (a) Sollicitum (b) raucis (c) ut mare (d) fervet aquis.
(e) His ego si (f) vidi mulcentem pectora somnum
  Noctibus; (g) insani (h) sit mora longa freti.
Rupe sedens aliqua specto tua littora tristis:
  Et quo non possum corpore, mente feror.

INTERPRETATIO.

Ingressurus eram; nisi quod cum revelleret funes prora, tota Abydos erat in speculis. Non poteram dissimulare meis parentibus amorem ut antea; & quem volumus celari, non occultatus esset. Statim hæc scribens, proficiscere *dixi*, beata epistola: illa jam tibi præbebit pulcram manum: forte etiam tangeris labiis adductis, dum cupiet solvere linum dente candido; *Talibus verbis a me prolatis parvo murmure, manus mea protulit reliqua cum charta. Ah quanto mallem illa maria agitaret quam pingeret; & diligens me portaret per aquas solitas!* il*la quidem magis idonea* est *percutere mare tranquillum. Est tamen etiam idonea ministra animi mei. Nox septima currit, tempus mihi prolixius anno, postquam mare turbidum æstuat aquis sonantibus. Si ego somno delinitus fui his noctibus, longa mora mare sævum æstuet. Mœstus insistens saxo aliquo prospicio tua littora: & vehor animo quo non possum corpore.*

NOTÆ.

(n) *In speculis*) *In locis editioribus, unde discedentem navem prospicerent.*

(o) *Abydos*) Pro Abydenis.

(p) *Non poteram*) *Navem*, inquit, *non ascendi, quia, ascendendo, amorem nostrum, ut antea, non poteram celare meos parentes.*

(q) *Illa*) *Hero, amica mea.*

(r) *Niveo*) *Nivis instar albo.*

(s) *Vincula*) Linum, quo constringebantur tabellæ.

(t) *Cum charta*) Id est, *Scripsi.*

(u) *Ah*) Alii *At.*

(x) *Illa*) *Manus mea.*

(y) *Dare verbera*) *Natare.*

(z) *Septima nox spatium*) *Appositio.*

(a) *Sollicitum*) *Commotum.*

(b) *Raucis*) *Frementibus.*

(c) *Ut*) *A quo tempore.* Optime.

(d) *Fervet*) *Æstuat.*

(e) *His*) Septem, *scil.* noctibus.

(f) *Vidi somnum*) *Dormivi*,

(g) *Insani*) *Æstuantis & furentis.*

(h) *Sit mora*) *Ita ut te videre non possim.*

(i) Lu-

(*i*) Lumina quin etiam summa (*k*) vigilantia turre,
Aut videt, aut (*l*) acies nostra videre putat.
Ter mihi deposita est in sicca vestis arena.
Ter grave tentavi carpere nudus iter.
Obstitit inceptis tumidum (*m*) juvenilibus æquor:
Mersit & adversis (*n*) ora natantis aquis.
At tu de rapidis (*o*) immansuetissime ventis,
Quid mecum (*p*) certa prælia mente geris?
In me, si nescis, Borea, non æquora, sævis.
(*q*) Quid faceres, esset ni tibi notus amor?
Tam gelidus (*r*) cum sis, non te tamen, improbe, quondam
Ignibus (*s*) Actæis incaluisse negas.
(*t*) Gaudia rapturo si quis tibi (*u*) claudere vellet
Aerios aditus; quo paterere modo?
Parce precor; (*x*) facilemque move moderatius auram.
Imperet (*y*) Hippotades (*z*) sic tibi triste nihil.
(*a*) Vana peto, precibusque meis (*b*) obmurmurat ipse:
Quasque (*c*) quatit, nulla parte (*d*) coercet aquas.

INTERPRETATIO.

Quin etiam oculi nostri cernunt, aut arbitrantur cernere faces accensas in fastigio turris. Amictus ter mihi demissus est in arida arena. Ter nudus conatus sum ingredi molestam viam. Mare inflatum cohibuit ausa juvenilia: & obruit vultus natantis undis oppositis. At tu immitissime de ventis furentibus, quamobrem moves certamina mecum animo obfirmato? Furis in me, Aquilo, si ignoras, non adversus *æquora. Quid ageres, nisi amor esset tibi cognitus? Cum sis tam frigidus, proterve, non tamen diffiteris te flagrasse olim ignibus Actais. Si quis cuperet denegare accessus aerios tibi carpturo gaudia; quomodo ferres? Ignosce, quæso, & age lenius auram placidam. Sic Hippotades nihil te jubeat quod grave sit: frustra precor, & ipse obstrepit meis petitionibus: & nullo modo mulcet aquas quas commovet.*

NOTÆ.

(i) *Lumina*) Facem intelligit, quam in summa turri Hero accendebat, ut ad ejus lucem Leander natatum dirigeret.

(k) *Vigilantia*) *Accensa*.

(l) *Acies*) Oculorum, *scil.* acies. *Oculi*.

(m) *Juvenilibus*) Ineptum profecto & juvenile fuit inceptum: attamen *audax* intellige.

(n) *Ora natantis*) *Mea*.

(o) *Immansuetissime*) Boream compellans, convenientissimo nomine appellat: est enim vehementissimus.

(p) *Certa*) *Obstinata*. Jam per septem dies & noctes maria turbabat.

(q) *Quid faceres*) Quasi dicat, *multo magis sævires*.

(r) *Cum*) Puteaneus habet *quod*; deinde num pro non; ut hæc per interrogationem legantur.

(s) *Actæis*) *Atheniensibus*, Orithyiæ Erechthei filiæ; quam amasse Borean supra vidimus.

(t) *Gaudia*) Ex amore *scil.*

(u) *Claudere*) *Ut ne ad amicam ire posses*.

(x) *Facilem*) *Mobilem*, *Levem*.

(y) *Hippotades*) Æolus ventorum Deus, Hippotæ, ex Egesta, Segesta, aut Acesta ejus filia, nepos.

(z) *Sic*) Adjurantis. *Ita nihil tibi imperet Æolus quod displiceat: ut jam moderatius auram moveris.*

(a) *Vana*) Non vana quidem, sed *in vanum*; *frustra*.

(b) *Obmurmurat*) *Contra murmurat*.

(c) *Quatit*) *Concitat*; *Turbat*, *Commovet*.

(d) *Coercet*) *Mulcet*; *Placat*.

N 2 Nunc

Nunc daret (e) audaces utinam mihi (f) Dædalus alas!
(g) Icarium quamvis hic prope littus adest.
Quidquid erit, patiar: liceat modo corpus in auras
Tollere; quod (h) dubia sæpe pependit aqua.
Interea, dum (i) cuncta negant ventique fretumque,
Mente (k) agito furti tempora prima mei.
Nox erat incipiens (namque est meminisse voluptas)
Cum foribus patriis egrediebar amans.
Nec mora: deposito pariter cum veste timore,
Jactabam liquido brachia (l) lenta mari.
Luna fere (m) tremulum præbebat lumen eunti,
Ut comes in nostras officiosa vias.
Hanc ego (n) suspiciens, *Faveas*, *Dea candida*, dixi;
Et (o) subeant animo (p) Latmia saxa tuo.
(q) Non sinat Endymion te pectoris esse severi,
Flecte, precor, (r) vultus ad mea furta tuos.
(s) Tu, Dea, mortalem cælo delapsa petebas.
Vera loqui liceat: quam sequor, ipsa (t) Dea est.

INTERPRETATIO.

Utinam Dædalus nunc mihi exhiberet alas temerarias! quanquam littus Icarium hic prope est. Quidquid erit, feram: detur modo efferre in aerem corpus, quod sæpe fluctuavit aqua incerta. Interea dum venti & mare recusant omnia; animo revolvo prima tempora mei furti. Nox erat ingruens (namque voluptati est recordari) cum amans discedebam domo paterna. Nec mora; metu pariter cum amictu, ablato, agebam mobilia brachia per mare fluidum; Luna tanquam comes obsequiosa prope modum lumen mobile exhibebat in nostrum iter natanti. Ego hanc venerans, Benigna sis, *dixi*; Dea splendida; & rupes Latinæ obvertentur menti tuæ. Endymion non patietur te esse cordis duri. Converte quæso, faciem tuam ad mea furta. Tu, Dea, devecta cælo quærebas mortalem. Fas sit vera dicere: quam peto, ipsa est Dea.

NOTÆ.

(e) *Audaces*) Non alæ, sed homo audax est qui pennis sibi non datis utitur.

(f) *Dædalus*) Qui sibi & Icaro filio fabricatis alis, Minois iram effugit.

(g) *Icarium*) Dictum est ab Icaro, qui contra patris jussa, cum altius volasset, cera qua pennæ continebantur, liquefacta in maris Ægæi partem illam decidit, quæ ab ipso nomen obtinuit. Quod vero istud Leander meminit, perinde est ac si dixisset, *Quamvis periculosissimum esse aera tentare, me admoneat propinquum littus Icarium.*

(h) *Dubia*) Cuique adeo non satis tuto vitam Leander crediderat.

(i) *Cuncta*) Vossianus habet *vota*.

(k) *Agito*) Id est, *Animo omnia quæ primo nostro congressu acta sunt, recolo.*

(l) *Lenta*) *Mollia, Natatu flexibilia, quæque remorum modo lentari & flecti possent.*

(m) *Tremulum*) *Propter aquæ motum.*

(n) *Suspiciens*) *Hanc Lunam venerans.*

(o) *Subeant*) *Ut inde quid sit amor recordans, mihi amanti faveas.*

(p) *Latmia*) Montis Latmi, in Caria, ubi cum Endymione Luna concubuisse dicitur.

(q) *Non sinat*) Quasi dicat, *Quemadmodum, votis tuis & amori faventem cupis habere Endymionem; ita tu aliorum meo præsertim amori indulgeas.*

(r) *Vultus*) Diceret ad alium *flecte cor*: sed ad Lunam argute, (verbi *flecte* sensu nonnihil diverso) *vultus*, dixit: quia nimirum ejus lumine opus habebat.

(s) *Tu Dea*) Rationem addit cur sibi favere Luna debeat, argumento a minori desumto.

(t) *Dea*) Cujus pulcritudo, aliaque cum Dearum pulcritudine comparari possint.

Non-

Neu referam mores cælesti pectore dignos;
Forma nisi in veras non cadit illa Deas:
A Veneris facie non est (u) prior ulla, tuaque.
Neve meis credas vocibus, ipsa vides.
Quanto, cum fulges radiis argentea puris,
Concedunt (x) flammis sidera cuncta tuis,
Tanto formosis formosior omnibus illa est.
Si dubitas, (y) cæcum (z) Cynthia lumen habes.
Hæc ego, vel certe non his diversa, locutus.
Per mihi (*a*) cedentes nocte ferebar aquas.
Unda (*b*) repercussæ radiabat imagine Lunæ,
Et nitor in (*c*) tacita nocte (*d*) diurnus erat:
Nullaque vox, nostras nullum veniebat ad aures,
Præter dimotæ corpore murmur aquæ.
(*e*) Alcyones solæ memores Ceycis amati
Nescio quid visæ sunt mihi (*f*) dulce queri.
Jamque fatigatis (*g*) humero sub utroque lacertis,
Fortiter in summas erigor altus aquas.
Ut procul aspexi (*h*) lumen, (*i*) *Meus ignis* (*k*) *in illo est,*
Illa meum, dixi, *littora* (*l*) *lumen habent*.

INTERPRETATIO.

Neve commemorem mores dignos pectore cælesti; illa pulcritudo non datur nisi veris Deabus. Post vultus Veneris, & tuos, nulli sunt splendidiores. Neve fidem adhibeas meis verbis, ipsa cernis. Quanto omnes ignes cælestes vincuntur tuis ignibus, cum candida splendes radiis nitidis: tanto illa est pulcrior omnibus pulcris. Si dubitas Cynthia habes aciem obtusam. *Ego hac fatus vel certe non his aliena, vehebar nocte per aquas mihi transitum præbentes. Aqua fulgebat specie luna repercussa, & splendor diurnus erat in nocte silente: & nullus sonus, nullus strepitus illabebatur in aures nostras, nisi aqua impulsa. Solæ Alcyones non oblitæ Ceycis dilecti sunt mihi visæ queri nescio quid suave. Et jam brachiis defessis sub utroque humero, sublimis strenue efferor in supremas aquas. Ut longe vidi lumen*, Meus ignis est in illo *dixi*; illa littora, tenet lumen meum.

NOTÆ.

(u) *Prior*) Pulcritudine, *scil.*

(x) *Flammis*) *Lumini.*

(y) *Cæcum lumen habes*) *Cæcutis: Cæca es.*

(z) *Cynthia*) Diana: a Cynthio Deli monte.

(a) *Cedentes*) Aqua, nimirum solidis corporibus non negat transitum.

(b) *Repercussa*) *Reflexbie*. Lumen dicitur repercuti, cum ab aliqua corporis soliditate remittitur.

(c) *Tacita*) Cujus nec silentium; nec per Lunam irradiatio, ventis, aut strepitu aquarum turbabatur. Sed vide mihi, quæso; quam artificiose animo exspatietur noster autor: quamque bene jucundissimis rebus narrationem suam ornet.

(d) *Diurnus*) *Nox ut dies clara erat.*

(e) *Alcyones*) Aves sunt, ab Alcyone, Ceycis uxore, in eam avem mutata, sic dictæ: quæ dum nidificant tranquillum æquor dicunt habere. Sed de tota hac fabula videbimus postea in Metamorphosi.

(f) *Dulce*) Id est. *Voce, utut lugubri; dulci tamen & suavi.*

(g) *Humero*) Ibi vero & in humerorum brachiorumque commissura, ex natationis labore dolor primum sentitur.

(h) *Lumen*) Ex face, quæ in turri accensa erat.

(i) *Meus ignis*) Amor.

(k) *In illo*) Propter amicam, *scil.*

(l) *Lumen*) Amicam intelligit.

Et ſubito laſſis vires rediere lacertis:
  Viſaque, quam fuerat, (*m*) mollior unda mihi.
Frigora ne poſſim gelidi ſentire (*n*) profundi,
  Qui calet in cupido pectore, præſtat amor.
Quo magis accedo, propioraque littora fiunt,
  Quoque (*o*) minus reſtat; plus libet ire mihi.
Cum vero poſſum cerni quoque; protinus addis
  Spectatrix animos, ut valeamque facis.
Tunc etiam nando dominæ placuiſſe laboro,
  Atque oculis (*p*) jacto brachia noſtra tuis.
Te tua vix prohibet nutrix deſcendere in (*q*) altum,
  Hoc quoque enim vidi: nec mihi verba dabas.
Nec tamen effecit, quamvis retinebat (*r*) euntem,
  Ne fieret prima pes tuus udus aqua.
Excipis amplexu, feliciaque oſcula jungis;
  Oſcula (Di magni!) trans mare digna peti.
Eque tuis demtos humeris mihi tradis amictus,
  Et madidam ſiccas æquoris (*ſ*) imbre comam:
Cætera nox & nos, & turris conſcia novit,
  Quodque mihi (*t*) lumen per vada monſtrat iter.
Nec magis illius numerari gaudia noctis,
  Hellespontiaci quam maris (*u*) alga poteſt.
Quo brevius ſpatium nobis ad furta dabatur,
  Hoc magis eſt cautum, ne foret illud iners.

INTERPRETATIO.

Et ſtatim vires recurrerunt in brachia defeſſa: & aqua mihi viſa facilior quam fuerat. Amor qui viget in pectore avido, efficit ne poſſim tangi frigoribus maris frigidi. Quo magis appropinquo, & littora fiunt viciniora; & quo minus supereſt, plus mihi libet natare. Cum vero poſſum quoque videri; ſtatim ſpectatrix auges animos, & cauſa es ut valeam. Tunc etiam conor gratum eſſe Dominæ natando, & moveo lacertos noſtros tuis oculis. Nutrix tua vix te arcet in mare currere. Vidi enim hoc quoque; nec mihi imponebas. Nec tamen conſecuta eſt, quamvis reprimebat currentem, ne pes tuus fieret humidus prima aqua. Accipis complexu, & connectis beata ſuavia: ſuavia (Dii magni!) digna peti trans mare. Et porrigis mihi veſtes detractas humeris tuis: & comprimis capillos humidos rore maris. Nox, & nos, & turris teſtis, & lumen quod mihi oſtendis viam per maria, ſcit reliqua. Nec magis deliciæ illius noctis poſſunt numerari, quam alga æquoris Helleſpontiaci. Quo tempus brevius nobis concedebatur ad furta; eo magis eſt proviſum ne illud eſſet inutile.

NOTÆ.

(m) *Mollior*) *Qua facilius cederet.*
(n) *Profundi*) Maris.
(o) *Minus*) Spatij, *ſcil.* ad ripam uſque.
(p) *Jacto*) *Cum arte per oſtentationem moveo.*
(q) *Altum*) *Mare.*
(r) *Euntem*) *Te;*
(ſ) *Imbre*) *Aqua:* quomodo & Virgilius loquutus eſt.
(t) *Lumen*) Fax; de qua jam ſæpe.
(u) *Alga*) Herba eſt quædam nullius fere uſus, maris ejectamentum.

Jan-

Jamque, (x) fugatura (y) Tithoni conjuge noctem,
Prævius Auroræ (z) Lucifer ortus erat.
Oscula congerimus properata sine ordine raptim,
Et querimur (a) parvas noctibus esse moras.
Atque ita, (b) cunctatus monitum nutricis amaræ,
Frigida deserta littora turre peto,
Digredimur flentes: repetoque ego (c) virginis æquor:
Respiciens dominam, dum licet, usque meam.
Si qua fides vero est; veniens huc esse natator;
Cum redeo, videor naufragus esse mihi.
Hoc quoque (d) si credas; ad te via (e) prona videtur.
A te cum redeo, clivus (f) inertis aquæ.
Invitus repeto patriam: quis credere possit?
Invitus certe (g) nunc moror urbe mea.
Hei mihi! cur animo juncti, secernimur undis?
Unaque mens, tellus non habet una duos?
Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos:
Tam tua terra mihi, quam tibi nostra placet.
Cur ego (h) confundor, quoties confunditur æquor?
Cur mihi causa (i) levis ventus (k) obesse potest?

INTERPRETATIO.

Jamque, uxore Tithoni profligatura noctem, Lucifer præcursor Auroræ lucebat. Cumulamus raptim suavia accelerata sine ordine, & querimur exigua spatia dari noctibus. Atque ita moratus admonitus nutricis severæ, vado ad littora gelida, turre derelicta. Disjungimur lugentes; & ego ineo mare virginis, respiciens indesinenter meam Dominam, dum datur. Si qua est fides vero; mihi videor huc accedens esse natator, cum revertor, videor esse naufragus. Hoc quoque si credas: iter videtur declive ad te: cum revertor a te, videtur collis aquæ immobilis. Nolens revertor in patriam: quis possit credere? Nunc certe nolens maneo in urbe mea. Hei mihi! quamobrem connexi mente, sejungimur aquis? Animus quoque unus habet duos, terra non habet? Vel Sestos tua me capiat, vel mea Abydos te: tua tellus tam mihi arridet, quam tibi nostra. Quamobrem ego perturbor quoties mare perturbatur? Quamobrem ventus, levis causa, potest mihi nocere?

NOTÆ.

(x) *Fugatura*) Id est. *Cum Aurora noctis umbras discutere deberet.* Matutinum tempus circumscribit.

(y) *Tithoni conjuge*) Aurora.

(z) *Lucifer*) Stella est errans, quam Venerem quoque appellamus, quæ ortum Solis quia præcedit, *Phosphorus* & *Lucifer*; quia ejusdem occasum sequitur, *Hesperus* nominatur.

(a) *Parvas*) *Noctes breves esse.*

(b) *Cunctatus*) Quid hoc in loco significet vox ista, res ipsa declarat. De discessu Leandrum admonebat nutrix; ille interim manebat. Gellius dixit *tollerare & cunctari dolores.*

(c) *Virginis æquor*) *Hellespontum*; ab Helle puella in illud mare delapsa ita dictum.

(d) *Si credas*) Forte (*vix credas.*) Heinsius.

(e) *Prona*) *Declivis; facilis; minimeque adeo laboriosa.*

(f) *Inertis*) *Concreta; Crassa; Obstantis; lavia, & natatu difficilis.*

(g) *Nunc*) *Cum ad te præsertim, manere non possum.*

(h) *Confundor*) *Turbor; quod ad amicam difficile iter fore cognoscam.*

(i) *Levis*) In vocis ambiguitate ludit.

(k) *Obesse*) Cum cœlum & maria turbat.

Jam nostros *(l)* curvi norunt delphines amores:
Ignotum nec me *(m)* piscibus esse reor.
Jam *(n)* patet attritus solitarum limes aquarum;
Non aliter, multa quam via pressa rota.
Quod mihi non esset, nisi *(o)* sic iter, ante querebar:
At nunc per ventos *(p)* hoc quoque deesse queror.
Fluctibus immodicis *(q)* Athamantidos æquora *(r)* canent,
Vixque manet portu tuta carina suo.
Hoc mare, cum primum de *(ſ)* virgine nomina mersa,
Quæ tenet, est nactum: tale fuisse puto.
Et satis amissa locus hic infamis ab Helle est:
(t) Utque mihi parcat, *(u)* crimine nomen habet.
(x) Invideo Phryxo; quem per freta tristia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ovis.
Nec tamen officium pecoris *(y)* navisve requiro:
Dummodo, quas *(z)* findam corpore, dentur aquæ.
(a) Arte egeo nulla: fiat modo copia nandi,
Idem navigium, navita, *(b)* vector, ero.

INTERPRETATIO.

Delphines pandi jam cognoscunt meos amores: & arbitror me nec incognitum esse piscibus. Jam callis aquarum consuetarum conspicitur notatus non aliter quam iter tritum frequenti rota. Dolebam antea quod via mihi non daretur nisi sic: at nunc doleo hanc quoque denegari per ventos. Maria Athamantidos albicant vastis undis, & navis vix stat secura in portu suo. Arbitror hoc mare tale fuisse cum primum invenit nomina quæ habet de puella obrupta. Et hic locus est satis infamatus ab Helle perdita; & quamvis mihi ignoscat, habet nomen culpa. Æmulor Phryxo, quem securum aries aureus vellere lanifero portavit per maria luctuosa. Nec tamen expeto servitium pecoris seu navis: dummodo aquæ præbeantur quas sulcem corpore. Nulla arte opus habeo: modo præbeatur locus natandi: idem ero navis, nauta, vector.

NOTÆ.

(l) *Curvi*) Repando quoque dorso illi pinguntur.

(m) *Piscibus*) Aliis, *scil.* qui homines, ut Delphini non amant.

(n) *Patet*) Hyperbole.

(o) *Sic*) *Per natatum*. Alii habent *sic iterare*.

(p) *Hoc*) *Cum per ventorum furorem maria sulcare nequeam.*

(q) *Athamantidos æquora*) *Hellespontus:* fuit enim Athamas Helles pater, ipsaque adeo Athamantis.

(r) *Canent*) *Albescunt*; ex spuma.

(ſ) *Virgine*) Helle; quæ, accepto a patre ariete aureo, cum Phryxo fratre novercales insidias fugiens, in mare quod trajiciendum fuit, periculi magnitudine perterrita, decidit: quod & ab ea nomen accepit *Hellespontus*.

(t) *Utque*) *Quamvis*.

(u) *Crimine nomen*) Alii *nomine crimen*; quod nec invenustum.

(x) *Invideo*) Quia ille, quantumvis tristia fuerint, maria tamen potuit transnatare.

(y) *Navisve*) Tacite explicat quid fuerit decantatus ille aries, navis *scil.* cujus ille insigne fuit.

(z) *Findam*) *Findere possim*.

(a) *Arte*) Nautica *scil.* Multum hic variant codices: at quam cum vulgatis retinuimus, lectionem, potior est.

(b) *Vector*) Patet ex textu, per vectorem eum intelligi oportere qui vehitur: quanquam & pro eo qui vehit idem noster Auctor usurpavit, in fastis.

Nec

Nec (c) ſequar aut (d) Helicen, aut, qua (e) Tyros utitur, (f) Arĉton:
(g) Publica non curat ſidera noſter amor.
(h) Andromedan alius ſpectet, claramve (i) Coronam,
Quæque micat gelido (k) Parrhaſis (l) Urſa polo,
At mihi, quas (m) Perſeus & cum (n) Jove (o) Liber amarunt,
Indicium dubiæ (p) non placet eſſe viæ.
Eſt aliud lumen multo mihi certius iſtis;
Non erit in tenebris quo duce noſter amor.
(q) Hoc ego dum ſpectem, Colchos, & in ultima Ponti,
Quaque viam fecit (r) Theſſala pinus, eam:
Et juvenem poſſim ſuperare (ſ) Palæmona nando,
Miraque quem ſubito reddidit herba (t) Deum.

INTERPRETATIO.

Nec aſpiciam aut Helicen, aut Arĉton, qua Tyrus utitur: noſter amor non curat ſydera quæ ſunt omnium. Alius intueatur Andromedan, ſeu lucidam Coronam, & urſam qua Parrhaſis fulget axe gelido. At mihi non placet, quas Perſeus, & Liber cum Jove dilexerunt, eſſe duces itineris incerti. Eſt mihi aliud lumen multo certius iſtis: quo duce noſter amor non verſabitur in caligine. Modo illud aſpiciam, proficiſcar Colchos, & in remotiſſima Ponti, & qua navis Theſſala aperuit iter: & poſſim vincere juvenem Palæmona natando, & quem herba admirabilis protinus effecit Deum.

NOTÆ.

(c) *Sequar*) *Illius intuitu & obſervatione iter meum dirigam.*

(d) *Helicen*) Quod nulla arte egere ſe dixit, explicat. Notum eſt vero ſyderibus iter ſuum nautas dirigere. Helicen quod attinet, Urſa eſt major ſignum ſeu ſydus Septentrionale, quod & Septentrio dicitur; in quod ſydus Calyſto Lycaonis filia a Jove mutata eſt, poſtquam Junonis, aut Dianæ ira, Urſæ formam induiſſet.

(e) *Tyros*) Pro nautis Tyriis & Phœnicibus, Syriæ, ad Mediterraneum, incolis.

(f) *Arĉton*) Urſa eſt minor, ſydus etiam Septentrionale, alio nomine *Cynoſura* dictum: quo potiſſimum utebantur Tyrij & Phœnices propter Thaletem natione Phœnicem qui huic *Arĉtos* nomen primus, & ab illo alij impoſuerunt.

(g) *Publica non curat*) *Sed amica lumine tanquam Cynoſura ducitur.*

(h) *Andromedan*) Hanc Cephei filiam Perſeique conjugem Minervæ beneficio, & Perſei gratia, inter ſydera collocatam fuiſſe Poetæ finxerunt: quam obſervaſſe dicuntur nautæ Ægyptij.

(i) *Coronam*) Sydus ex Ariadnæ corona in cælum a Libero patre translata: quam ſequutos eſſe Cretenſes quidam volunt.

(k) *Parrhaſis*) *Arcadica*; nam Arcadiæ pars eſt Parrhaſia: ubi & urbs fuit eo nomine; mons quoque *Parrhaſus*.

(l) *Urſa*) Major *ſcil.* quæ Calliſto eſt Arcadica, Lycaonis, Arcadiæ regis filia.

(m) *Perſeus*) Andromedan, quam a Ceto liberavit, amavit.

(n) *Jove*) Calliſtonem vitiavit,

(o) *Liber*) Ariadnen Bacchus uxorem habuit, de cujus corona mentionem fecit Ovidius.

(p) *Non placet*) A ſe ſolo amatam amicam ſuam itineris vult habere directricem. Atque hæc ſunt & elegantiſſima, & ex intimo naturæ ſinu deprompta.

(q) *Hoc ego*) Argonautarum tangit expeditionem; cui parem, duce amica, poſſe ſuſcipere ſe profitetur.

(r) *Theſſala*) Jaſonis & Argonautarum navis.

(ſ) *Palæmona*) Hic, *Melicertes* etiam dictus, Athamantis fuit filius, in Deum marinum mutatus: cujus fabulam poſtea in Metam. videbimus.

(t) *Deum*) Glaucus eſt, Piſcator, qui deguſtata quadam herba, ad cujus contactum piſces, in ripa poſitos, ſubito collectis viribus in aquam exilire viderat, ipſe in mare ſeſe præcipitavit, Deuſque factus eſt.

Sæpe

Sæpe per assiduos languent mihi brachia motus,
Vixque per immensas fessa trahuntur aquas.
His ego cum dixi, *Pretium non vile laboris*
Jam dominæ vobis colla tenenda dabo:
Protinus illa valent, atque ad sua præmia tendunt;
Ut celer (u) Eleo carcere missus equus.
Ipse meos igitur (x) servo, (y) quibus uror, amores:
Teque, magis cælo digna puella, sequor.
Digna quidem cælo, sed adhuc tellure morare:
Aut dic ad Superos & mihi qua sit iter.
(z) Hic es, (a) & exiguum misero contingis amanti:
(b) Cumque mea fiunt turbida mente freta.
Quid mihi, quod lato non separor æquore, prodest?
Num minus hoc nobis tam brevis obstat aqua?
An malim (c) dubito toto procul orbe remotus
(d) Cum domina longe spem quoque habere mea.
Quo propius nunc es, (e) flamma propiore calesco:
Et res non semper, (f) spes mihi semper adest.

INTERPRETATIO.

*Sæpe lacerti mihi sunt debiles per agitationes continuas, & vix lassi moventur per vasta æquora. Cum ego illis dixi, jam ex*hibebo vobis præmium non leve laboris, colla amplectenda Dominæ; *illi statim sunt validi, atque adnituntur ad suam mercedem: ut equus emissus carceribus Eleis. Ergo ego intueor amores meos, quibus ardeo; & te aspicio, puella magis digna cælo. Digna es quidem cælo, sed mane adhuc in terra; aut doce qua via sit mihi etiam ad Divos. Hic es; & minimum conjungeris infelici amanti: & maria commoventur cum mente mea. Quid me juvat, quod non disjungor vasto mari? Num minus ea tam arcta aqua nobis officit? Nescio an malim, longe dissitus toto orbe habere quoque spem procul cum Domina mea. Quo propius nunc es, ardeo igne propiore: & res non semper mihi præsens est, spes est semper.*

NOTÆ.

(u) *Eleo*) In Elide juxta Pisam, in Peloponneso, celebrari solitos fuisse ludos Olympicos nemo nescit. Carceres vero erant in Circo locus unde equi ad cursum emitterentur: Adeoque quid sit *carcer Eleus*, clarum est.

(x) *Servo*) Tanquam sydera *Observo; quibus cursus meos dirigam.*

(y) *Quibus uror*) Quique adeo ignes sunt, & sydera.

(z) *Hic*) In terris; non in cœlo.

(a) *Et exiguum*) *Et, quamvis remota non sis, modice tamen & raro es cum amante.* Dolens & querens istud dicit.

(b) *Cumque*) Dixisset si per carminis leges licuisset, *Cum fretis turbatur mens mea.*

(c) *Dubito*) Quia tanta impatientia non teneretur, si remotior amica esset; uti quidem postmodum indicat.

(d) *Cum domina longe*) Nimirum, si domina, spes quoque longe esset.

(e) *Flamma propiore*) *Ardentiore, & impatientiore amore*: quæ causa est, ut dixi, cur, num ab amica remotior esse mallet, dubitaret: nam quo majus desiderium, eo gravior privatio. Hic vero aliquantulum immoratum esse non pigebit credo virum Philosophum; postquam cognoverit motus etiam animi violentissimos privatione quoque posse sedari: salutemque in desperatione inveniri: usque adeo verum est quod alicubi legisse videor, in orbem omnia, in orbe recurrere, ubi extrema quæque sese contingant: ut maximus etiam dolor, maximæ etiam Epicureorum voluptati, indolentiæ dico, sit proximus. Quanquam prolixiori disquisitione hæc omnia opus habent.

(f) *Spes*) quæ est desiderii aculeus, sine quo statim elanguescit. Quis enim, nisi stultus & excors est adolescentulus aut fœmina, in eo hæreat, quod plane esse non potest?

Pæne

Pæne manu, quod amo, (tanta eſt vicinia) tango:
Sæpe ſed (heu!) lacrymas (g) hoc mihi *pæne* movet.
(h) Velle (i) quid eſt aliud (k) fugientia prendere poma,
(l) Spemque ſuo refugi fluminis ore ſequi?
Ergo ego te nunquam, niſi (m) cum volet (n) unda, tenebo.
Et me felicem (o) nulla videbit (p) hiems?
Cumque minus firmum nil ſit, quam ventus & unda,
In ventis & aqua ſpes mea ſemper erit?
(q) Æſtus adhuc tamen eſt: (r) quid cum mihi (ſ) læſerit æquor
(t) Plias & (u) Arctophylax (x) Oleniumque pecus?

INTERPRETATIO.

Tango propemodum manu, (tanta eſt propinquitas,) quod amo: ſed heu! hoc propemodum ſæpe mihi cies lacrymas. Quid eſt aliud captare poma elabentia, & petere ore ſuo ſpem fluvii dilabentis? Ergo ego nunquam te amplectar, niſi cum fluctibus libebit, & nulla tempeſtas me aſpiciet beatum? Et cum nihil ſit minus conſtans quam ventus & aqua, ſpes mea ſemper erit in ventis & aqua? Attamen æſtas eſt adhuc: quid erit cum Plias & Arctophylax & pecus Olenium turbaverit mihi mare?

NOTÆ.

(g) *Hoc pæne*) *Quod pæne tango.* Gal. *Ce preſque eſt ce qui me faſche.* Illud eſt quod dixi, quo major eſt ſpes, majus eſt deſiderium: nec ſæpe tantum eſt ex objecti privatione dolor, ſi ejus tantum valorem conſideres, quam ex eo, quod maxime illud ſperans & expectans perdideris: quia, ſcilicet tum maxime ſpiritus ſunt in maximo motu. Atque hinc eſt, quod plerumque, quietis ſenſibus, quid nos turbare potuerit, attoniti miramur: quanquam cauti & Philoſophorum præceptis imbuti, eundem toties non errant errorem.

(h) *Velle*) Tantali pœnæ hoc ſuum deſiderium comparat; cum & ipſe in mediis aquis, ut videtur, id eſt, prope in amicæ ſinu, ea non poſſit potiri.

(i) *Quid eſt aliud*) Perinde ac ſi dicat, *Idem eſt.*

(k) *Fugientia*) De Tantalo alicubi noſter Ovidius.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat.

Et Seneca in Hercule furente:

In amne medio faucibus ſiccis ſenex
Sectatur undas, abluit mentum ſenex;
Fidemque cum jam ſæpe decepto dedit,
Perit unda in ore: poma deſtituunt famem.

Alia plurima Poetæ; ſive ut avaros inſectentur: ſive ut alia ingenii humani mala arguant.

(l) *Spemque*) Id eſt, Ex ſpe ſua, fugientia flumina captare; ut loquitur Horatius.

(m) *Cum volet unda*) Alluſio ad Tantali fugientia flumina.

(n) *Unda*) *Mare:* cum tranquillum erit.

(o) *Nulla videbit*) Id eſt, *Per eam mihi non licebit.*

(p) *Hiems*) *Tempeſtas, aut maris æſtus, & turbatio.*

(q) *Æſtus*) *Æſtatis tempus*; quo placidius eſt mare.

(r) *Quid cum*) *Multo minus ad amicam ire licebit.*

(ſ) *Læſerit*) *Turbaverit.*

(t) *Plias*) Pleides, Atlantis ex Pleione nymphæ filiæ; in cœlum translatæ ſydus faciunt, quod ortu & occaſu pluvias & tempeſtates ciere vulgo dicitur.

(u) *Arctophylax*) Stella eſt, quæ & Bootes dicitur, Urſæ majori quaſi comes & & cuſtos addita.

(x) *Olenium*) Capram intellige, cum hœdis, ſi voles, quos cum matre in cœlum, ob lactis ab ipſa præbiti, beneficium, Jupiter in cœlum tranſtulit, ſydusque, ſi credere fas eſt, fecit pluviale, & procelloſum. Dicta vero eſt capra Olenia ab Oleno Bœotiæ civitate, ubi nutrita fuit: vel ab Oleno quodam Vulcani filio, Ægæ & Ælices nympharum patre, quæ Jovis nutrices fuerunt. Sed Hyginum vide: unde fabularum iſtarum confuſionem, cognoſcere licebit, niſi mavis ſapienter contemnere.

Aut

Aut ego *(y)* non novi, quam sit temerarius; aut me
In freta non cautus *(z)* tunc quoque mittet Amor.
Neve putes id me, *(a)* quod abest, promittere *(b)* tempus;
(c) Pignora polliciti non tibi tarda dabo.
Sit tumidum paucis etiam nunc noctibus æquor;
Ire per invitas experiemur aquas.
Aut mihi continget felix audacia salvo:
Aut mors solliciti finis amoris erit.
(d) Optabo tamen, ut partes expellar in *(e)* illas;
Et *(f)* teneant portus naufraga *(g)* membra tuos.
Flebis enim, tactuque meum dignabere corpus:
Et, *Mortis*, dices, *huic ego (h) causa fui*.
Scilicet interius offenderis *(i)* omine nostri:
Litteraque invisa est hac mea parte tibi.
Desino; parce *(k)* queri: sed & ut mare finiat iram
Accedant, quæso, fac tua vota meis.
(l) Pace *(m)* brevi nobis opus est; dum transferor isto:
Cum tua contigero littora, perstet hiems,

INTERPRETATIO.

Aut ego nescio quantum amor sit inconsultus: aut ille imprudens me quoque tum in mare propellet. Et ne credas me polliceri illud tempus quia remotum est: exhibebo tibi pignora non remota promissi. Mare sit nunc inflatum aliquot adhuc noctibus; tentabimus transire per aquas reluctantes. Aut erit lata audacia mihi incolumi; aut interitus erit finis amoris anxii. Cupiam tamen ut ejiciar in illa littora: & artus naufragium passi subeant portus tuos. Nam lugebis, & cohonestabis meos artus tactu, & dices, Ego fui huic causa obitus: *Nimirum læderis præsagio nostræ mortis: & epistola mea est tibi odiosa hoc loco. Omitto; noli conqueri. Sed etiam, fac, oro, tuæ preces jungantur meis, ut æquor deponat furorem. Opus est nobis exigua tranquillitate; donec illud transvehor: tempestas duret postquam pervenero ad tua littora.*

NOTÆ.

(y) *Non novi*) Diceremus Gallice; *On il faudra que j'oublie bien jusque ou va la temerité de l'Amour, ou, &c.* Quod loquendi genus potest quandoque aliquam parere obscuritatem. Sensus est hoc in loco, velle Leandrum, nisi temerarium esse Amorem oblitus fuerit, atque adeo temerarius esse ipse desierit, procelloso mari sese per hyemem committere.

(z) *Tunc*) Syderibus concitato mari.

(a) *Quod abest*) Plurimi nimirum remoto periculo strenui videntur.

(b) *Tempus*) *Vel me potius illo tempore.*

(c) *Pignora*) Innuit se, quanquam turbato mari, ad amicam brevi venturum.

(d) *Optabo tamen*) Unus Patavinus habet, *Et tamen optabo ut*; quod, rejecta tamen particula *ut*, probat Heinsius. Dicit Leander, si moriendum fuerit, se optaturum, ut fluctibus, ad amicæ ripam deferatur.

(e) *Illas*) *Amicæ.*

(f) *Teneant*) *Ad eos perveniant.*

(g) *Membra*) *Mea*, scil.

(h) *Causa*) *Quia propter mei amorem tam turbidum mare est ausus ingredi.*

(i) *Omine*) Ille vero tempestate jactatus in aquis periisse dicitur.

(k) *Quæri*) *Quod mihi male videar ominari.*

(l) *Pace*) Maris tranquillitate.

(m) *Brevi*) *Quia longe non est via, & bene nato.*

Illic

Illic est aptum nostræ (n) navale (o) carinæ;
Et melius nulla stat mea puppis (p) aqua.
Illic me (q) claudat Boreas, ubi dulce morari.
(r) Tunc piger ad nandum, tunc ego (s) cautus ero.
(t) Nec faciam (u) surdis (x) convitia fluctibus ulla:
(y) Triste nataturo nec querar esse fretum.
Me pariter venti teneant, pariterque (z) lacerti:
Per causas istic impediarque duas.
Cum patietur hiems, (a) remis ego corporis (b) utar.
Lumen (c) in aspectu tu modo semper habe.
Interea pro me pernoctet epistola tecum;
Quam precor ut minima prosequar ipse mora.

INTERPRETATIO.

Illuc est idoneum navale nostræ navi: & mea puppis nulla aqua manet tranquillius. Aquilo me illic cohibeat, ubi est jucundum manere. Tunc ego ero segnis ad natandum: ego tunc ero prudens. Nec probra ulla objiciam surdis undis: nec dolebo mare esse asperum naturo. Venti me pariter moreantur, & pariter brachia tua; & istic detinear per duas causas. Cum tempestas finet, ego utar remis corporis. Tu modo pone semper lumen in prospectu. Interea litera pernoctent tecum pro me; quas opto ut ipse subsequar minimo spatio.

NOTÆ.

(n) *Navale*) Locus est ubi stare possunt naves, adversus tempestatem.

(o) *Carina*) Seipsum navi comparat.

(p) *Aqua*) Amicæ sinum, intelligit.

(q) *Claudat*) Id est, *Flatibus suis ita betum commoveat mare, ut redire nequeam, sed cum anima manere cogar.*

(r) *Tunc*) Cum per venti violentiam apud amicam manere coactus fuero.

(s) *Cautus*) *Qui me furentibus undis concredere noluero.*

(t) *Nec faciam*) Imo votis ullis nequidem iratum mare placere studuerit, qui per ejus iram ad amicam detineatur.

(u) *Surdis*) *Quasi meas preces non audiant*, intellige.

(x) *Convitia*) Innuit Leander iratis fluctibus se, quoniam ad amicam iter præcluderent, convitia fecisse plurima.

(y) *Triste*) *Adversum.*

(z) *Lacerti*) *Mei* scil. Se cupit, ut voluntate propria, ita & maris ira, seu ventis, ad amicam retineri.

(a) *Remis*) Brachiis, *scil.* & pedibus. *Ad te nabo.*

(b) *Utar*) *Ut ad te eam*, scilicet.

(c) *In aspectu*) *In turri*, scil. *ut lumine natatum possim dirigere.*

EPISTOLA DECIMANONA.

ARGUMENTUM.

Hero, accepta Leandri epistola, respondet: id agens, ut se ardenter redamare significet, & ad mutuos amplexus amatorem vocat. Desidiam vero interdum accusat: ut ostendat, quam sincero & continuo amore semper eum amet. Aliquando mari irascitur. Nonnunquam timet, ne Leander alio suum animum transtulerit. Verum, statim amoris suspicionem in amantium consuetudinem, qui omnia timent, rejicit & conjecturam minuit. Demum suadet, ut non nisi tranquillo freto se committat.

HERO LEANDRO.

QUam mihi misisti verbis, Leandre, salutem,
Ut possim missam (*a*) rebus habere, veni.
Longa mora est nobis (b) omnis, quæ gaudia differt.
Da veniam (*c*) fassæ; non patienter amo.
Urimur igne pari: sed sum tibi (*d*) viribus impar.
Fortius ingenium suspicor esse viris.
Ut corpus, teneris ita mens infirma puellis.
Deficiam; parvi temporis adde moram.
Vos, modo venando, modo rus (e) geniale colendo,
(*f*) Ponitis in varia tempora longa mora.
Aut fora vos retinent, aut (*g*) unctæ dona palæstræ.
Flectitis aut fræno colla (*h*) sequacis equi.
Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo.
Diluitur (*i*) posito serior (*k*) hora mero.

INTERPRETATIO.

UT mihi liceat per res salute frui, quam me impertitus es verbis, Leandre, adesto. Omne spatium quod remoratur voluptatem, est nobis prolixum. Ignosce confitenti; amo sollicite. Ardemus flamma æquali; sed sum te minor fortitudine. Arbitror animum esse validiorem viris. Ut corpus est imbecille mollibus puellis, ita est animus. Differ exiguo tempore, linquar animo. Vos interdum venando, interdum colendo agrum amœnum, collocatis tempora prolixa in diversa mora. Vel fora vos morantur, vel munera nitida palestræ, vel subigitis fræno cervices equi docilis. Interdum capitis avem reti, interdum piscem hamo: hora vespertina delinitur vino admoto.

NOTÆ.

(a) *Rebus*) *Effectu*.

(b) *Omnis*) Etiam brevissima.

(c) *Fassæ*) *Mihi amoris impatientiam confitenti*.

(d) *Viribus*) *Animi robore, ad resistendum Amori*.

(e) *Geniale*) *Amœnum & lætum*, naturæ enim & voluptatis Deus est Genius.

(f) *Ponitis*) Pergit in reddendis rationibus, quamobrem minus sint viri impatientes.

(g) *Unctæ*) Oleo sese perfundere solitos esse athletas tritum est, inde unctæ dicuntur Palæstræ.

(h) *Sequacis*) *Fræno parentis*.

(i) *Posito*) Promto & apposito.

(k) *Hora*) Id est, Viri etiam sub noctem vino sese oblectant.

(l) His

(l) His mihi (m) submotæ, vel si minus acriter (n) urar,
Quod faciam, superest, præter amare, nihil.
Quod superest, facio: teque, o mea sola voluptas,
Plus quoque, (o) quam reddi quod mihi possit, amo.
Aut ego cum cara de te nutrice susurro;
Quæque tuum miror causa moretur iter:
Aut mare prospiciens, odioso concita vento
Corripio verbis æquora pœne (p) tuis:
Aut ubi sævitiæ paulum gravis unda remisit;
Posse quidem; sed te nolle venire, queror.
Dumque queror; lacrymæ per amantia lumina manant:
Pollice quas tremulo conscia siccat anus.
Sæpe tui specto si sint in littore passus:
Impositas (q) tanquam servet arena (r) notas.
Utque rogem de te & scribam tibi si quis Abydo
Venerit, aut quæro, si quis Abydon eat.
Quid referam, quoties dem vestibus oscula, quas tu
Hellespontiaca ponis iturus aqua?
Sic ubi lux acta est, & (ſ) noctis amicior hora
Exhibuit pulso (t) sidera clara die;
Protinus in summo (u) vigilantia lumina tecto
Ponimus, assuetæ signa notamque viæ.

INTERPRETATIO.

Nihil restat quod agam, mihi prohibitis istis rebus, quamvis etiam minus vehementer arderem, præter amare. Ago quod conceditur; & te amo, o meum unicum suavium, plus etiam quam quod mihi queas retribui. Aut ego submisse de te loquor cum dilecta nutrice: & stupeo qua causa distineat tuum discessum. Aut prospectans æquor arguo propemodum tuis vocibus maria turbata vento invidioso: aut, ubi fluctus odiosi parum de asperitate deposuerunt; conqueror te posse quidem sed nolle accedere. Et dum queror lacrymæ fluunt oculis amore correptis; quas anus conscia abstergit pollice tremente. Sæpe exquiro num conspiciantur tua vestigia in littore; quasi sabulum retineat signa impressa: & ut interrogem de te, *exquiro num aliquis accesserit Abydo, ut scribam tibi, aut num aliquis eat Abydon. Quid memorem quoties deosculer amictus, quos tu deponis nataturus mari Hellespontiaco? Sic ubi dies præteriit, & hora gratior noctis prodidit fulgentia sidera, die exacto; statim admovemus facem pervigilem in fastigio tecti, indicium & notam itineris soliti.*

NOTÆ.

(l) *His*) Venatione, Agricultura, Aucupio, Piscatu, &c.

(m) *Submotæ*) Id est, *quæ illis negotiis & studiis non possim detineri*. Alii habent *submotis*.

(n) *Urar*) Amore, *scil.*

(o) *Quam reddi*) Venuste: Plus amare se dicit, quam possit amari.

(p) *Tuis*) *Quibus verbis maris æstum accusasti, iisdem prope de eo queror.*

(q) *Tanquam servet*) Quod tamen non facit: Sed ab Amantibus, Cupientibus, Timentibus, Sperantibus, omni denique perturbatis affectu, quælibet finguntur, & creduntur.

(r) *Notas*) Hic vestigia intelliguntur.

(ſ) *Noctis amicior hora*) *Nox*.

(t) *Sidera*) Lunam, &c.

(u) *Vigilantia*) *Accensa*.

(x) To-

(x) Tortaque versato ducentes stamina fuso
(y) Fœminea tardas (z) fallimus arte moras.
Quid loquar interea tam longo tempore, quæris?
Nil, nisi Leandri nomen, in ore meo est;
(a) Jamne putes exisse domo (b) mea gaudia, nutrix?
An vigilant (c) omnes? & (d) timet ille suos?
Jamne suas humeris illum deponere vestes;
(e) Pallade jam pingui tingere membra putes?
Annuit (f) illa (g) fere: non nostra quod oscula curet:
Sed (h) movet obrepens somnus (i) anile caput.
Postque moræ minimum, *Jam certe (k) navigat*, inquam;
Lentaque (l) dimotis brachia jactat aquis.
Paucaque cum (m) tacta (n) perfeci stamina terra,
An medio possis (o) quærimus esse freto.
Et modo prospicimus: timida modo voce precamur,
Ut tibi det faciles utilis aura vias.
Auribus (p) interdum voces captamus, & omnem
Adventus strepitum credimus esse tui.

INTERPRETATIO.

Et trahentes fila intorta fuso versato, decipimus studio muliebri longa tempora. Petis quid dicam interea tam prolixo spatio? Nihil nisi nomen Leandri est in ore meo. Jamne credas Voluptatem meam domo prodiisse, nutrix? An omnes sunt experrecti? & ille metuit suos? Jamne credas illam exuere amictus suos humeris; *&* jam urgere artus pingui olivo? *Illa ut plurimum annuit: non quod moveatur nostris suaviis; sed somnus subiens agitat caput anile. Et post exiguum spatium*, Jam certe, natat, *dico*; & movet lacertos flexiles aquis depulsis. *Et postquam pauca fila traxi terra percussa, petimus an possis esse medio æquore. Et modo prospectamus, modo oramus voce pavida, ut ventus propitius tibi præbeat iter expeditum. Nonnunquam aucupamur sonos auribus, & arbitramur omnem susurrum esse tui accessus.*

NOTÆ.

(x) *Tortaque*) *Nentes*, uno verbo.

(y) *Fœminea*) Nere enim proprium est fœminarum.

(z) *Fallimus moras*) *Tædium ex tua mora minuimus.*

(a) *Jamne putes*) Verba Herus ad nutricem.

(b) *Mea gaudia*) Leandrum, *scil.*

(c) *Omnes*) *Sui* scil. *aut Abydeni, qui Leandri discessum impediant.*

(d) *Timet*) Ne sint discessus oculati testes.

(e) *Pallade*) *Oleo*; cujus usum prima Pallas, seu Minerva homines docuisse dicitur. Eo autem ungebantur natatores, ne aquarum frigiditate nervi rigescerent, atque eorum potius facilior motus esset.

(f) *Illa*) Nutrix.

(g) *Fere*) Pro *fere semper*: ut alibi.

(h) *Movet*) Dormitantis vero caput annuenti modo simili movetur.

(i) *Anile*) Nutricis.

(k) *Navigat*) *Leander meus* scil. Verba sunt quæ ad anum dixisse se prædicat Hero.

(l) *Dimotis*) Scilicet inter natandum aqua hinc inde quodammodo dimovetur.

(m) *Tacta*) Clar. Heinsius *tracta* reponendum censet; deinde ex uno aut altero codice pro *terra* reponit *tela*; quod illi maxime, eo præsertim, uti quidem videtur, arrisit, quod satis, ut ille ait, quid *tacta terra* sibi velit, non sit assequutus. Quanquam vero argute Vir clarissimus, locum tamen non necesse habeam sollicitare. Quippe notum est fila trahentibus fœminis propemodum necessarium esse, ut filo producto, terram tangant prius fuso, quam illud evolvant.

(n) *Perfeci stamina*) *Nevi fila.*

(o) *Quærimus*) Ex nutrice, *scil.*

(p) *Interdum*) Puteaneus *incertas.*

Sic ubi (*q*) deceptæ pars est mihi maxima noctis
   Acta; subit furtim lumina fessa sopor.
Forsitan invictus, mecum tamen, (*r*) improbe, dormis:
   Et quanquam non vis ipse venire, venis.
Nam modo te videor prope jam spectare natantem:
   Brachia nunc humeris humida ferre meis:
Nunc dare, quæ soleo, madidis velamina membris:
   Pectora nunc juncto (*ſ*) nostra fovere sinu.
Multaque præterea, linguæ reticenda modestæ:
   Quæ fecisse juvat, facta referre pudet.
(*t*) Me miseram! brevis est hæc & non vera voluptas:
   Nam tu cum somno semper abire soles.
Firmius o cupidi tandem coeamus amantes:
   Nec careant vera gaudia nostra fide.
Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?
   Cur toties a me, lente natator, abes?
Est mare (confiteor) nondum tractabile nanti:
   Nocte sed hesterna lenior aura fuit.
Cur ea præterita est? cur non (*u*) ventura timebas?
   Tam bona cur periit, nec tibi rapta via est?
(*x*) Protinus ut similis detur tibi copia cursus;
   Hoc melior certe, quo prior, (*y*) illa fuit.

INTERPRETATIO.

Sic postquam pars maxima noctis decepta est mihi præterita, somnus sensim in oculos lassos irrepit. Forsitan coactus, cubas tamen mecum proterve; &, quamvis ipse non cupias accedere, accedis. Nam modo videor aspicere te jam prope nantem; modo admovere udos lacertos meis humeris: Modo porrigere amictus quos sum assueta porrigere *artubus humidis: modo calefacere pectora nostra gremio admota. Et multa insuper prætermittenda lingua honestæ: quæ prodest fecisse; cum acta sunt pudet narrare. Hei mihi! hæc gaudia sunt brevia & minus sincera. Nam tu soles semper recedere cum sopore. O Conjungamur denique certius avidi amantes: nec voluptas nostra sit sine certa fide. Quamobrem ego gelida transegi tot noctes desertas? Quamobrem toties sejungeris a me tarde natator? Æquor nondum est moderabile natanti: sed ventus fuit placidior nocte hesterna. Quamobrem ea effluxit? Quamobrem non reformidabas futura? Quamobrem iter tam facile tibi subtractum, nec correptum est? Quamvis continuo par tibi concedatur facultas natandi; illa fuit profecto eo commodior, quo prior.*

NOTÆ.

(q) *Decepta*) *Decipere noctem* est, aliquid agendo, tædium ejus levare. Vide tamen annon satius sit vocem istam ad puellam ipsam referre, quæ decepta sit, & frustra amantem expectaverit.

(r) *Improbe*) Contumelia amatoria.

(ſ) *Nostra*) Quidam habent *vestras* quod placuit clar. Heinsio.

(t) *Me miseram*) Distichon hoc suspectum habet idem Heinsius.

(u) *Ventura*) Ventum, *scil.* & tempestatem.

(x) *Protinus ut*) *Quamvis statim, & sine mora tibi detur, ut ad me venire possis.*

(y) *Illa*) Prior copia. Priorem ad se veniendi opportunitatem eo meliorem fuisse dicit, quod prior fuerit.

(z) At cito mutata est jactati forma profundi:
(a) Tempore, cum properas, sæpe minore venis:
Hic, puto, (b) deprensus (c) nil, quod querereris, haberes;
Meque tibi amplexo nulla noceret hiems.
Certe ego (d) tum ventos audirem (e) lenta sonantes,
Et nunquam placidas esse precarer aquas.
Quid tamen evenit, cur sis metuentior undæ?
(f) Contemptumque prius, nunc vereare, fretum?
Nam (g) memini, cum te sævum veniente minaxque
Non minus, aut multo non minus, æquor erat.
Cum tibi clamabam, *Sic tu (h) temerarius esto*,
Ne misera virtus sit tua flenda mibi.
Unde novus timor (i) hic? quoque illa audacia fugit?
Magnus ubi est spretis (k) ille natator aquis?
Sis tamen (l) hoc potius, quam (m) quod prius esse solebas:
Et facias placitum per mare tutus iter.
Dummodo sis idem: dum sic, ut scribis, amemur:
(n) Fammaque (o) non fiat frigidus illa cinis.

INTERPRETATIO.

At brevi conversa est facies maris turbati: sæpe, cum festinas accedis tempore breviorr. Hic correptus, nihil credo contingeret, quamobrem doleres; & nulla tempestas obesset tibi me complexo. Certe ego tum auscultarem secura ventos obstrepentes, & nunquam orarem æquora esse tranquilla. Quid tamen accidit, quamobrem sis timidior fluctuum; Et nunc expavescas mare spretum antea? Nam recordor cum te accedente fretum non minus erat, aut non multo minus asperum & periculosum: cum tibi inculcabam, sic tu esto audax, ne virtus tua sit lugenda, mihi infelici. *Unde hic metus subitus? Et quo illa confidentia recessit? Ubi est ille peritus natator contemtis undis? Sis tamen potius hoc, quam quod consueveras esse antea: & securus viam ingrediaris per æquor tranquillum: Dummodo sis idem: dummodo ita diligamur ut scribis: & ille ignis non fiat cinis gelidus.*

NOTÆ.

(z) *At cito*) Objectio est & excusatio ex parte Leandri: quasi dicat Hero: *Tu moræ causam facis non bene sedatum mare, veritus ne intra breve tempus intumesceret.*

(a) *Tempore*) Responsio est Herus: quasi dicat, *Utcumque maris tumorem reformidares; cum tamen paululum de ira sua remitteret, poteras venire: nam sæpe tempore minore fretum tranas.*

(b) *Deprensus*) Proprie & optime deprehendi dicuntur nautæ tempestate oppressi,

(c) *Nil*) Nihil equidem, cum Leander ipse ventis ad amicam retineri in epistola sua optaverit.

(d) *Tum*) *Cum me amplecteveris.*

(e) *Lenta*) *Minime sollicita, & quieta.* Alii habent *læta*.

(f) *Contemtumque*) Vide quantus ea de re ipse Leander in epistola sua fuerit.

(g) *Memini cum te veniente*) *Memini ejus temporis, quo, cum ad me venires.*

(h) *Temerarius*) *Qui ad me, obstantibus ventis, magno cum periculo venis.*

(i) *Hic*) *Cum jam non audeas venire.*

(k) *Ille*) *Leander, qui ad me adversantibus undis venire solitus erat.*

(l) *Hoc*) Timidus.

(m) *Quod prius*) Audax.

(n) *Flamma*) Amor.

(o) *Non fiat*) *Non prorsus extinguatur.*

Non

Non ego tam ventos timeo mea vota morantes,
Quam (*p*) similis vento ne tuus (*q*) erret amor:
(*r*) Ne non sim tanti, (*ſ*) superentque pericula causam:
Et videar merces esse labore minor.
Interdum metuo, (*t*)patria ne lædar; & impar
(*u*) Ducar Abydeno (*x*) Thressa puella (*y*) toro.
Ferre tamen possum patientius omnia; quam si
(*z*) Otia nescio qua pellice captus agas:
In tua si veniant alieni colla lacerti:
Sitque novus nostri finis amoris amor,
Ah potius peream, quam (*a*) crimine vulnerer isto:
(*b*) Fataque sint culpa nostra priora tua!
Nec quia (*c*) venturi dederis mihi signa doloris,
Hæc loquor; aut (*d*) fama sollicitata nova:
Omnia sed vereor: (quis enim securus amavit?)
Cogit & absentes plura timere (*e*) locus.
Felices illas, sua quas (*f*) præsentia nosse
Crimina vera (*g*) jubet, falsa timere vetat!

INTERPRETATIO.

Ego non tam metuo auras obstantes meis desideriis, quam ne amor tuus par aura vagetur: ne non tanti ducar, & discrimina vincant causam; & videar esse præmium levius opera. Nonnunquam timeo ne mihi noceat patria, & puella Thracia credar indigna lecto Abydeno. Possum tamen pati tolerantius qualibet, quam si moreris correptus nescio qua pellice: si aliena brachia amplectantur tuum collum; & novus amor sit finis nostri amoris. Ah prius interream quam lædar isto flagitio: & mors nostra prævertat tuum crimen! Neque hæc dico quod mihi præbueris indicia futuri doloris, vel inducta rumore novo: Sed omnia paveo: (quis enim quietus amavit?) Et locus subigit absentes plura metuere. Beatas illas, quas sua præsentia cogit cognoscere veras culpas, prohibet metuere vanas!

NOTÆ.

(p) *Similis vento*) Levis & incostans, *scil.*

(q) *Erret*) *Ad aliam transferatur.*

(r) *Ne non sim tanti*) Supple *metuo*, aut *timeo*. Gall. *Je crains que vous ne pensez que je n' en vaux pas la peine.*

(ſ) *Superentque*) Id est, *Tanta tibi videantur pericula, ut mei causa ea nolis adire.*

(t) *Patria ne lædar*) *Mihi damno sit patria tua ignobilior.*

(u) *Ducar* (Alii *dicar.*

(x) *Thressa*) Hæc est Puteani lectio, quam optimam censuit clar. Heinsius, qui insuper Thracias mulieres despectas fuisse, exemplo Temistoclis, Timothei, aliorum, quibus Thressæ matres objectæ sunt, multis denique probat. Alii codices habent *Sesta*, quæ forte vera est lectio.

)y) *Toro*) Alii habent *viro*.

(z) *Otia agas*) *Cesses, Moreris.*

(a) *Crimine*) *Si aliquam aliam amaveris.*

(b) *Fataque*) *Mors.*

(c) *Venturi dederis*) Id est, *Mihi ullo modo quicquam patefeceris, ex quo mauere me dolorem hunc conjecerim.*

(d) *Fama sollicit.*) Id est, *Quod fama aut nuntio ullo, sinistra de amore tuo audiverim.*

(e) *Locus*) Remotus, *scil.* aut loci distantia.

(f) *Præsentia*) Siqua sint tamen.

(g) *Jubet*) Ni jubeat, cogit certe præsentia cognoscere quæ coram fiunt.

Nos tam (*h*) vana movet, quam (*i*) facta injuria fallit:
Incitat & (*k*) morsus error (*l*) uterque pares.
O utinam venias! aut ut ventusve paterve,
Causaque sit (*m*) certæ fœmina nulla moræ!
Quod si (*n*) quam sciero; moriar (mihi crede) dolendo.
(*o*) Jamdudum (*p*) peccas, si mea (*q*) fata petis.
Sed neque peccabis, frustraque ego terreor (*r*) istis:
Quoque minus venias, invida pugnat (*ſ*) hiems.
Me miseram! quanto planguntur littora fluctu!
Et latet (*t*) obscura condita nube dies!
Forsitan ad pontum (*u*) mater pia venerit Helles,
(*x*) Mersaque (*y*) roratis (*z*) nata fleatur aquis:
An (*a*) mare ab inviso (*b*) privignæ nomine dictum
Vexat in æquoream versa (*c*) noverca Deam?
Non favet, (*d*) ut nunc est, teneris (*e*) locus iste puellis.
Hac Helle periit; hac ego lædor aqua.
At tibi (*f*) flammarum memori, Neptune, tuarum
Nullus erat ventis impediendus amor:

INTERPRETATIO.

Offensa falsa tam nos cruciat, quam oblata latet: & utraque ignorantia ciet æquales cruciatus. O utinam accedas! aut vel aura, vel pater, nulla puella sit causa longæ cunctationis! Quod si aliquam cognovero; obibo) mihi crede) dolore. Jam diu delinquis, si quæris meam mortem. Sed neque delinques, & ego falso moveor istis; & tempestas æmula obstat quo minus accedas. Me infelicem! quantis undis littora pulsantur! dies quoque absconditur tectus nube atra! forsitan mater pia Helles descendit ad mare; & filia submersa lugeatur aquis effusis; An noverca mutata in Deam marinam percellit æquor cognominatum ab odioso nomine privignæ? Iste locus qualis nunc est non est propitius mollibus puellis. Helle hac aqua interiit; ego hac sollicitor. At, Neptune, nullus amor erat tibi prohibendus recordanti ignes tuos.

NOTÆ.

(h) *Vana*) Id est, quæ non facta sed ficta est.

(i) *Facta*) *Si qua facta sit tamen*, supple.

(k) *Morsus*) *Animi curas doloresque*.

(l) *Uterque*) Cum tibi crimina falsa affingo, deinde quæ vera sunt, cum nescire me cogito.

(m) *Certæ*) Alii habent *tantæ*; quod prope idem est, quoad sensum, nisi quod illud majorem significat impatientiam.

(n) *Quam*) *Fœminam*, scil. *quæ te a me avellat*.

(o) *Jamdudum*) *Valde* vel *jamdiu* exponunt. Hæc est vis vocis, ut rei certam & exploratam veritatem notet.

(p) *Peccas*) *Me occidis*.

(q) *Fata petis*) *Mortem quæris*.

(r) *Istis*) Suspicionibus.

(ſ) *Pugnat hyems*) *Obstat tempestas*.

(t) *Obscura*) *Quam obscura*.

(u) *Mater pia*) Nephele est, quam forte tempestatem ciere dicit Hero.

(x) *Mersaque*) De submersa Helle nota fabula. quam etiam ante vidimus.

(y) *Roratis*) *Instar roris effusis*: allusio est ad nubem quæ græce Nephele dicitur; ex qua ros aut pluvia decidit.

(z) *Nata*) Helle.

(a) *Mare*) Hellespontum.

(b) *Privignæ*) Helles.

(c) *Noverca*) Ino est, Athamantis altera uxor, adeoque Helles noverca, quæ in Leucothean seu Matutam, Deam marinam transmutata est.

(d) *Ut nunc est*) Ita tumidus.

(e) *Locus iste*) Hellespontus.

(f) *Flammarum*) *Amorum*.

(g) Si neque (*h*) Amymone, nec laudatissima forma
Criminis est (*i*) Tyro fabula vana tui,
(*k*) Lucidaque (*l*) Alcyone, (*m*) Circeque & Alymone nata,
Et (*n*) nondum nexis angue Medusa comis,
Flavaque (*o*) Laodice, cæloque recepta (*) Celæno,
Et quarum memini (*p*) nomina lecta mihi.
Has certe pluresque canunt, Neptune, poetæ
Molle latus lateri composuisse tuo.
Cur igitur toties vires expertus amoris,
Assuetum nobis (*q*) turbine claudis iter?

INTERPRETATIO.

si neque Amymone, nec Tyro celeberrima pulcritudine est fabula inanis tui vitii, & splendida Alcyone, & Circe, & Alymonis filia, & Medusa capillis nondum implicitis Serpentibus, & flava Laodice, & Celæno reposita cœlo, & quarum recordor nomina lecta a me. Certe Poetæ prædicant has & plures conseruisse tenerum latus lateri tuo. Quamobrem ergo toties vim passus amoris, obstruis nobis viam solitam tempestate?

NOTÆ.

(g) *Si neque*) Id est, *Siquidem verum est te amasse hanc, illam*, &c.

(h) *Amymone*) Una fuit ex Danai filiabus a Neptuno compressa; ex qua Nauplium suscepit, patrem Palamedis.

(i) *Tyro*) Fuit hæc Salmonei filia, quæ ex Neptuno, Enypei fluvii formam induto, Pelian, Neleumque uno partu edidit.

(k) *Lucida*) Quippe in cœlum translata; qua re ab aliis ejusdem nominis distinguitur.

(l) *Alcyone*) Fuit una ex Pleiadibus Atlantis filia; ex qua etiam Neptunus filios duos, & filiam unam suscepit.

(m) *Circeque & Alymone*) Non expediunt se ex hoc loco interpretes, qui haud dubie mendosissimus est. Monstra lectionum in vetustis codicibus apparent. Pro *Circe* plerique *Ceyce*, *Criceque*, *Ceyceque*, pro Alymone scripti *Avenone*, *Aveone*, *Arreone*, *Aneone*, *Anonone*, *Ameone*, *Amemone*, *Amione*, *Augone*, *Amimone*, *Alcione*, *Avetione*, *Arnione*, *Amintone*, *Allenone*, *Avione*, *Anthone*, *Amioone*, *Antheone*, *Acteone*, *Anthonoe*, & quid non? sed ita ut plerique *Aveone*, aut *Anione* agnoscant. Puteaneus *Ceuceque & Aveone nata*. Scribo *Calyceque Ecatheone nata*. Hyginus fabula 157. ubi Neptuni filios recenset, *Cygnus ex Calyce Hecatonis filia*. ubi Hecatæonis videtur rescribendum. Scholiastes Theocriti Idyll. 16. Κύκνον λέγει τὸν Ποσειδῶνος καὶ Κάλυκος; vel, ut aliæ editiones habent, Καὶ οἱ Lego Καλύκης. Addit autem, *Hecatæone nata*, ut ab altera Calyce, Endymionis matre, filia Æoli distinguat. Certe Cygni matrem, quocumque tandem appellatam nomine hic intelligi ab Ovidio non est dubium. Si quis meliora protulerit, is Musas singulari beneficio demerebitur. *Heinsius*.

(n) *Nondum Nexis*) Medusæ crines, quorum pulchritudine præsertim ipsa Neptuno placuerat. Pallas indignata, quod in templo sibi dicato ille fugientem assecutus esset & compressisset, in serpentes convertit.

(o) *Laodice*) Plures eo nomine memorantur, interque eas Priami una, alia Agamemnonis, tertia Cygni filia. Fuit & eo nomine nympha, Apis & Niobes mater, itemque aliæ. Quam vero Neptunus amaverit non liquet, nisi forte Laodicen Priami.

(*) *Celæno*) Hæc est ex Pleiadibus una, Alcyones soror, quam etiam amasse Neptunum testatur Apollodorus. Antea vero vidimus Pleiadas cœlo receptas sydus efficere; quod Latini *Vergilias* appellant.

(p) *Nomina*) Nomina sunt profecto, & ea quidem fabulosa, ut nimia profecto in his discutiendis videatur Criticorum diligentia.

(q) *Turbine*) Turbo ventus est validissimus & vorticosus: Adeoque non tam hic ventus, cui proprie non imperat Neptunus, quam ejus effectum, maris *scil.* commotio est intelligenda. Duo scripti habent *turbide*.

Parce, ferox; latoque mari (r) tua prælia misce:
Seducit terras hæc (s) brevis unda (t) duas.
Te decet aut magnas magnum jactare carinas;
Aut etiam totis classibus esse trucem.
Turpe Deo pelagi, juvenem terrere natantem:
Gloriaque est (u) stagno quolibet ista minor.
Nobilis (x) ille quidem est, & clarus origine: sed (y) non
A tibi (z) suspecto ducit Ulysse genus.
Da veniam, servaque duos; natat (a) ille: sed isdem
Corpus Leandri, spes mea pendet aquis.
(b) Sternuit & lumen: posito nam scribimus illo.
Sternuit; & nobis prospera signa dedit.
Ecce merum nutrix (c) faustos instillat in ignes:
Crasque erimus plures, inquit, & ipsa bibit.
Effice nos plures (d) evicta per æquora (e) lapsus,
O penitus toto corde recepte mihi.
(f) In tua castra redi, socii desertor Amoris.
Ponuntur (g) medio cur mea membra toro?
Quod timeas, non est: (h) auso Venus ipsa favebit:
(i) Sternet & æquoreas (k) æquore nata vias.

INTERPRETATIO.

Ignosce, fave; & exerce tua certamina in vasto æquore. Hæc aqua quæ separat terras est exigua. Tibi ingenti pulchrum est aut agitare ingentes naves; aut etiam esse terribilem totis classibus: Indecorum est *Deo maris pavorem incutere adolescenti nauti: & laus ista est inferior quovis stagno. Ille equidem est generosus, & stirpe generosa: sed non repetit originem ab Ulysse tibi inviso. Ignosce, & duos salvos præstato: Ille nat; sed corpus Leandri, & spes mea natat in iisdem aquis. Lucerna etiam strepuit; nam scribimus illa admota. Strepuit, & nobis fecit læta omina. Ecce nutrix immittit vinum in flammas felices; & ait:* cras erimus plures, *& ipsa potat. Fac nos plures esse progressus per maria superata, o profunde infixe mihi toto animo. Revertere in tua castra, desertor socii amoris. Quamobrem mei artus collocantur in medio lecto? Non est quod reformides: ipsa Venus juvabit audentem: & orta mari muniet iter marinum.*

NOTÆ.

(r) *Tua prælia*) *Undas tuas, alias aliis impinge.*

(s) *Brevis*) Quæ adeo ea non est ubi sua prælia Neptunus bene miscere possit.

(t) *Duas*) Europam & Asiam.

(u) *Stagno*) Id est, *Gloria quam in quolibet turbando stagno, aut parva aqua posses habere.*

(x) *Ille*) Leander.

(y) *Non ducit*) *Adeoque illi infensus esse non debet.*

(z) *Suspecto*) Alii Neptuno suspectum volunt fuisse Ulyssem propter Palamedem nepotem, qui ejus insidiis periit; alii propter Polyphemum filium, ab eodem Ulysse, etiam cum patris contemtu excæcatum, Ob utramque caussam fuerit.

(a) *Ille*) Quasi dicat, *solum quidem.*

(b) *Sternuit*) *Strepitum ad sternutantis modum edidit.*

(c) *Faustos*) *Fausta significantes.*

(d) *Evicta*) *Tuis lacertis superata.*

(e) *Lapsus*) Gall. *Ayant coulé.*

(f) *In tua castra*) *Ad me* scil. Metaph. a militibus.

(g) *Medio*) *Quod non fieret, si tu adesses.*

(h) *Auso*) *Tibi*, scil.

(i) *Sternet*) *Componet; Placabit.*

(k) *Æquora nata*) Ex maris spuma orta dicitur.

Ire

Ire liber medias ipsi mihi sæpe per undas:
Sed solet hoc maribus tutius esse fretum.
(l) Nam cur, hoc vectis (m) Phryxo Phryxique (n) sorore,
Sola (o) dedit vastis fœmina nomen aquis?
Forsitan ad reditum metuas ne tempora desint,
Aut (p) gemini nequas ferre laboris onus.
At nos (q) diversi medium coeamus in æquor:
Obviaque in summis oscula demus aquis:
Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes.
Exiguum, sed plus, quam nihil, (r) illud erit.
Vel pudor hic utinam, qui nos clam cogit amare,
Vel timidus famæ (s) cedere vellet amor!
Nunc (t) male res junctæ (u) calor & reverentia (x) pugnant.
Quid sequar (y) in dubio est: hæc decet; ille juvat,
(z) Ut semel intravit Colchos (a) Pagasæus Jason;
Impositam celeri (b) Phasida puppe tulit.
Ut semel (c) Idæus Lacedæmona venit adulter;
Cum (d) præda rediit protinus ille sua.

INTERPRETATIO.

Sæpe mihi ipsi fert animus vadere per aquas medias: Sed hoc mare consuevit esse tutius masculis. Nam quamobrem Phryxo & germana Phryxi actis hoc freto, sola puella imposuit nomen profundis aquis? Forte timeas tempus ut detur ad regressum, aut non valeas tolerare molestiam duplicis laboris. At nos dissiti conveniamus in medium mare; & suavia præbeamus concurrentia in extremis aquis. Atque ita unusquisque revertamur iterum ad suas sedes. Illud erit minimum, sed amplius quam nihil. Utinam vel hic pudor qui nos subigit furtim amare, vel amor pavidus vellet concedere famæ! Nunc amor & pudor res male collata certant. In incerto est quid agam: hic est decorus; ille utilis. Postquam Jason Pagasæus iniit Colchos, avexit Phasida injectam in navem velocem. Postquam adulter Idæus semel accessit Lacedæmona; ille statim reversus est cum rapina sua.

NOTÆ.

(l) *Nam cur*) Exemplo probat mare de quo loquebatur puellis minus favere.

(m) *Phryxus*) Athamantis & Nepheles fuit filius, qui conscenso aurei velleris ariete, Pontum, cum sorore, transfretare aggressus est.

(n) *Sorore*) Helle.

(o) *Dedit*) Ab ipsa vero Hellespontus dictus est.

(p) *Gemini*) Veniendi, & abeundi, *scil.*

(q) *Diversi*) *Qui in diversis mundi partibus commemorantur.*

(r) *Illud*) In medium æquor coiisse, ibique oscula dedisse.

(s) *Cedere*) *Ita ut pudor Amori, Amor omnia famæ permitteret, Amori per Pudorem, famæ per Amorem omnia liceret; Amor, a Pudore concessa, famæ traderet. Pudor, quæ Amor faceret, non curaret, Amor, quæ fama vulgaret, contemneret nosque adeo securi nostro palam gauderemus Amore.*

(t) *Mala*) *Voluptatis nostræ dispendio.*

(u) *Calor*) Amor.

(x) *Pugnant*) Quia dissuadet Pudor quod Amor imperat.

(y) *In dubio est*) *Dum Pudor & Amor pugnant, utri obsequar dubito.*

(z) *Ut*) *Postquam.* Innuit Hero, se a Leandro, ut a Jasone Medea, abduci velle.

(a) *Pagasæus*) *Thessalicus*; ab urbe Thessaliæ Pagasis.

(b) *Phasida*) Medeam; a Phaside Colchorum fluvio.

(c) *Idæus*) Paris; de quo supra.

(d) *Præda*) Helena.

Tu, quam ſæpe petis quod amas, tam ſæpe relinquis:
Et quoties *(e)* grave ſit puppibus ire, natas.
(f) Sic tamen, o juvenis tumidarum victor aquarum,
Sic facito ſpernas, ut vereare, fretum.
Arte laboratæ merguntur ab æquore puppes:
Tu tua plus remis brachia poſſe putes?
Quod cupis, hoc nautæ *(g)* metuunt, Leandre, natare.
(h) Exitus hic fractis puppibus eſſe ſolet.
Me miſeram! *(i)* cupio non perſuadere, quod hortor:
Siſque, precor, monitis fortior ipſe meis.
Dummodo *(k)* pervenias, excuſſaque ſæpe per undas
Injicias humeris brachia laſſa meis.
Sed mihi, cæruleas quoties obvertor ad undas,
Neſcio quæ pavidum *(l)* frigora pectus habent.
Nec minus heſternæ *(m)* confundor imagine noctis,
Quamvis eſt ſacris *(n)* illa piata meis.
(o) Namque ſub Auroram, jam *(p)* dormitante lucerna,
(Somnia quo cerni tempore *(q)* vera ſolent)
Stamina de digitis cecidere ſopore remiſſis:
Collaque pulvino noſtra ferenda dedi.
Hic ego ventoſas nantem delphina per undas
Cernere non dubia ſum mihi viſa fide.

INTERPRETATIO.

Tu tam ſæpe deſeris quod amas, quam ſæpe inviſis: & quoties durum eſt navibus progredi, natas. Vide tamen, o juvenis domitor aquarum turbatarum, ita contemnas mare, ut timeas. Naves artificioſe constructæ obruuntur mari: credaſne tuos lacertos amplius valere quam remos? Quod optas natare, Leandre, nautæ hoc timent. Hæc ſors conſuevit eſſe navibus eliſis. Me infelicem! opto non efficere quod moneo: & oro ipſe ſis animoſior meis præceptis; Dummodo pertingas, & immittas humeris meis lacertos defeſſos ſæpe agitatos per aquas. Sed quoties converto oculos ad aquas glaucas, neſcio quæ frigora meum occupant cor trepidum. Nec minus turbor ſimulacris noctis heſternæ, quanquam illa eſt piata meis ſacris. Namque ſub Auroram, lampade jam extincta, (quo tempore ſomnia certa ſolent videri) fila exciderunt digitis laxatis ſomno: & præbui noſtras cervices ſuſtinendas pulvino. Hic ego ſum mihi viſa ſed haud incerta! aſpicere delphinum natantem per aquas ventis agitatas:

NOTÆ.

(e) *Grave*) Id eſt, navibus periculoſum.

(f) *Sic*) Repetitione movet affectum.

(g) *Metuunt*) Quia tantum poſt naufragium natatu maria conantur trajicere.

(h) *Exitus hic*) Enimvero navibus fractis, perturbatum mare natare nautæ coguntur.

(i) *Cupio*) Quia, per Amoris impatientiam Leandrum, etiam turbato mari, vellet venire.

(k) *Pervenias*) *Ad me* ſcil.

(l) *Frigora*) Ex metu.

(m) *Confundor*) *Somnio turbor.*

(n) *Illa*) Imago *ſcil:* noctis, aut ſomnium non nox, ut exiſtimavit Hubertinus. Solebant vero, ut ſomniis prænuntiata mala averterent, Diis ſacra facere.

(o) *Namque*) Somnium enarrare inſtituit.

(p) *Dormitante*) Id eſt, propemodum deficiente; quemadmodum, conſumto oleo, evenire ſolet.

(q) *Vera*) *Vera ſignificantia*: quæ tamen quatenus vera non inepte videri poſſint longum eſſet definire.

Quem,

Quem, postquam bibulis illisit fluctus arenis,
Unda simul *(r)* miserum vitaque deseruit.
Quidquid id est, timeo; nec tu mea somnia ride:
Nec nisi tranquillo brachia crede mari.
Si tibi non parcis, dilectæ parce puellæ,
Quæ nunquam, nisi te sospite, sospes erit.
Spes tamen est fractis vicinæ pacis *(s)* in undis.
Tum placidas tuto pectore finde vias.
Interea, nanti quoniam freta previa non sunt,
Leniat invisas littera missa moras.

INTERPRETATIO.

Quem, postquam unda afflixit bibulo sabulo, aqua & vita simul destituit infelicem. Quidquid idest metuo: nec tu contemne mea somnia: nec committe lacertos nisi mari quieto. Si tibi non indulges, indulge amatæ puellæ, quæ nunquam erit incolumis nisi te incolumi. Spes tamen datur quietis mox futura in fluctibus aliquatenus sedatis. Tum scinde iter quietum securo pectore. Interea, quandoquidem maria non sunt aperta nananti, epistola transmissa mulceat moras odiosas.

NOTÆ.

(r) *Miserum*) Delphinum *scil.* quo Leander repræsentatur.

(s) *In undis fractis*) Id est, quæ jam non ita intumescunt. Nisi *in* per *ex* malueris exponere, deinde per *fractis* violenter agitatas undas intellexeris; ut tantam perturbationem necessario consequi debeat tranquillitas.

EPSITOLA VIGESIMA.

ARGUMENTUM.

Profectus ad sacra Dianæ Acontius, quæ in Delo, insula maris Ægei, omnium Cycladum clarissima, frequenti virginum conventu celebrabantur, in amorem Cydippes, puellæ nobilis, adolescens exarsit. Sed cum illam ob generis imparitatem non auderet sollicitare, novam commentus fraudem, in pulcherrimo pomo scripsit duos hosce versus: Juro tibi sane per mystica sacra Dianæ, Me tibi venturam comitem, sponsamque futuram, *atque illud ad pedes puellæ projecit: quæ fraudis inscia, cum imprudens legeret, paciscitur cum Acontio. Nam, quæ ante Deos in templo Deliæ Dianæ dicerentur, rata esse, lex erat. Cum autem paulo post pater, hujusce rei inscius, illam alij despponderet, subita febri correpta est. Quare hac epistola Acontius conatur eidem persuadere, hunc morbum a Diana immissum esse; propterea quod non impleret, quæ Dea præsente promisisset.*

(a) ACONTIUS CYDIPPÆ.

(b) PONe metum: *(c)* nihil hic iterum jurabis amanti,
Promissam satis est te semel esse mihi.

INTERPRETATIO.

Mitte timorem: nihil hic denuo jurabis amanti. Sufficit te mihi esse sponsam semel.

NOTÆ.

(a) *Acontius*) Juvenis fuit ex insula Cea, in mari Ægæo.

(b) *Pone metum*) *Ne verearis hanc meam epistolam legere, quasi aliquam juramenti formulam contineret.*

(c) *Nihil hic jurabis*) *Ut antea fecisti, in templo Dianæ, ubi contra animi tui propositum fidem mihi tuam obstrinxisti.*

Ter-

Perlege: discedat (*d*) sic corpore (*e*) languor ab (*f*) isto,
Qui meus est, (*g*) ulla parte dolente, dolor.
Quid pudor (*h*) ora subit? nam, sicut in æde Dianæ,
Suspicor ingenuas erubuisse genas.
Conjugium pactamque fidem, non crimina, posco:
(*i*) Debitus ut conjux, non ut adulter amo.
Verba (*k*) licet repetas, quæ (*l*) demtus ab arbore fœtus
Pertulit ad castas, me jaciente, manus;
Invenies illic (*m*) id te spondere, quod opto,
(*n*) Te potius, virgo, (*) quam meminisse Deam.
Nunc quoque (*o*) idem timeo: sed (*p*) idem tamen acrius illud
Assumsit vires; auctaque (*q*) flamma (*r*) mora est.
Quique fuit nunquam parvus, nunc tempore longo,
Et (*s*) spe, quam dederas tu mihi, crevit amor.
Spem mihi tu dederas: meus hic tibi credidit ardor:
Non potes (*t*) hoc factum teste negare Dea.
Adfuit, & præsens, ut (*u*) erat, tua verba notavit:
Et visa est mota dicta probasse coma.

INTERPRETATIO.

Perlege: sic morbus tuus, qui est meus dolor, aliquo membro tuo *afflicto, abeat ab isto* tuo *corpore. Quamobrem rubor irrepit in vultum? Nam conjicio genas verecundas rubore suffusas fuisse, sicut in templo Dianæ. Peto connubium & fidem promissam, non flagitia: amo ut conjux legitimus, non ut adulter. Quamvis denuo proferas voces, quas fructus raptus ab arbore pertulit ad tuas manus pudicas, me mittente; ibi comperies te illud polliceri, quod cupio te, virgo, potius recordari quam Deam. Nunc etiam metuo idem; sed tamen illud idem vehementius collegit vires; & ignis crevit tempore. Et amor qui nunquam fuit levis, nunc auctus est prolixa mora, & spe quam tu mihi feceras. Tu mihi spem feceras: hic meus amor tibi fidem adhibuit; non tibi licet inficiari hoc actum* esse *Dea conscia. Interfuit & ut aderat, observavit tuas voces: & visa est prolata approbasse capillis agitatis.*

NOTÆ.

(d) *Sic*) *Ut te legeris*, scil. De isto genere jam sæpe vidimus.

(e) *Languor*) Febris.

(f) *Isto*) *Tuo*.

(g) *Ulla parte dolente*) Id est, *si aliqua tui parte ægrotaveris*. Dicit se ægrotante domina pariter ægrotare.

(h) *Ora*) Alij habent *ante*.

(i) *Debitus*) *Ex pacto legitimus, modoque debito, & honesto. Ut sponsus*.

(k) *Licet*) *Licitum est*.

(l) *Demtus ab arbore fœtus*) *Pomum*; in quo versus, de quibus in argumento, Acontius scripserat.

(m) *Id te spondere*) Matrimonium *scil.*

(n) *Te potius*) *Ut*, scil. *promissa serves, mihique nubas*.

(*) *Quam meminisse Deam*) Quia ab ea amissam febrem auctum iri metueret.

(o) *Idem*) Ne scilic. *amori meo nolis respondere*.

(p) *Idem tamen*) Istud non videntur omnino exposuisse, quidam quos vidi, Interpretes. Referendum istud *idem* ad *opto*. Votum & desiderium suum, (ut ejus quod pollicita erat matrimonij recordaretur Cydippe,) adepque amorem suum sumsisse vires, atque crevisse testatur Acontius.

(q) *Flamma*) Amor.

(r) *Mora*) *Tempore*.

(s) *Spe*) Ea vero fovet Amorem, qui desperatione sæpius extinguitur.

(t) *Hoc factum*) Matrimonij sponsionem intellige.

(u) *Erat*) *Erant* in Puteaneo & Patavino legitur: quod optimo sensu ad *verba* refertur, quæ inscia pronunciavit Cydippe, qualia erant intellexit Diana.

De-

Deceptam dicas nostra te fraude licebit;
Dum fraudis nostræ causa feratur amor.
Fraus mea quid petiit, nisi uti tibi jungerer uni?
(x) Id me, quod quereris, conciliare potest.
(y) Non ego (z) natura, nec sum tam callidus usu:
Solertem tu me, (crede) puella, (a) facis.
Te mihi compositis (b) (si quid tamen egimus) a me
Adstrinxit verbis ingeniosus Amor.
Dictatis ab eo feci (c) sponsalia verbis:
(d) Consultoque fui juris amore vafer.
Sit fraus huic nomen facto; dicarque dolosus:
(e) (Si tamen est, quod ames velle tenere, dolus.)
(f) En iterum scribo, mittoque rogantia verba.
Altera fraus hæc est: quodque queraris, habes.
Si noceo quod amo; fateor, sine fine nocebo;
Teque petam: caveas tu licet ipsa peti.
Per gladios alii placitas rapuere puellas:
Scripta mihi caute littera crimen erit?

INTERPRETATIO.

Tibi dabitur dicere te delusam fuisse nostro dolo, modo amor dicatur causa doli nostri. Quid quæsivit meus dolus, nisi ut tibi soli connecterer? Illud quod arguis potest me tibi adjungere. Ego non sum tam versutus natura, nec experientia: tu, (crede) puella, me facis ingeniosum. Amor solers colligavit te mihi verbis a me constructis, (si quid tamen præstitimus.) Scripsi sponsalia vocibus ab eo suggestis; & fui juris peritus amore interrogato. Dolus sit nomen huic facinori & dicar fraudulentus (si tamen fraus est velle possidere quod ames.) Ecce denuo scribo, & mitto verba precantia. Hic est alter dolus; & habes quod expostules. Si officio quia amo; confiteor, semper officiam; & te requiram; quamvis tu ipsa fugias requiri. Alii abstulerunt amatas puellas per enses; epistola a me callide exarata erit flagitium?

NOTÆ.

(x) *Id me*) Distichon hoc valde mendosum, aut Ovidianæ venæ non esse censuit clar. Heinsius: quod tamen ita commodissime exponi posse arbitror: *Id*, nempe *tibi jungi: quod tibi querimoniæ causam præbuisse putas, idipsum est quod potest nos conciliare.* More suo in ambiguo ludit Ovidius: Enimvero per matrimonium conjunguntur corpore & conciliantur, qui forte animo sunt valde alieni.

(y) *Non ego*) Amorem, non se, fraudis autorem facit.

(z) *Natura*) *Versutus* dicitur, cujus per naturam mens celeriter versatur: *Callidus* vero, cujus, tanquam manus opere, sic animus usu concalluit.

(a) *Facis*) Quasi dicat, *non sum*.

(b) *Si quid*) Versuum, quibus Cydippen deceperat, autorem vult videri Amorem.

(c) *Sponsalia*) Versus illos intelligit, quibus futurarum nuptiarum repromissio, quam faceret Cydippe continebatur. *Les fiançailles.*

(d) *Consultoque*) *Jurisperito Amore interrogato, qui me nuptiarum solemnia verba docuit, vafer fui.*

(e) *Si tamen*) Acutus est ubique Ovidius. Hic Acontii fraudem falsa definitione diluere nititur.

(f) *En iterum*) Vide quam ingeniose proterm in scribendo super pomo Acontii fraudem cum posteriori epistolæ scriptione confundat; atque utrobique idem crimen quasi ex Cydippes persona supponat; ut ex eo quod in posteriori nullum videatur, tacite in priori nullum esse concludatur.

Di faciant, (g) possim plures imponere (h) nodos;
Ut tua sit nulla libera parte fides.
Mille doli restant: clivo (i) sudamus in imo.
Ardor inexpertum (k) nil sinet esse meus,
Sit dubium, possisne capi, (l) captabere certe.
(m) Exitus in Dis est: (n) sed capiere tamen.
(o) Ut partem effugias, non omnia (p) retia falles:
Quæ tibi, quam credis, plura tetendit Amor:
Si non proficiant artes, veniemus ad arma;
Inque (q) tui cupido rapta ferere sinu.
Non sum, qui soleam Paridis reprehendere factum:
Nec quenquam; qui, (r) vir possit ut esse, (ſ) fuit.
(t) Nos quoque: sed taceo; mors hujus pœna rapinæ
(u) Ut sit, erit, quam te non habuisse, (x) minor.
(y) Aut esses formosa minus, peteŕere modeste.
Audaces (z) facie cogimur esse tua.
Tu facis (a) hoc, oculique tui; quibus ignea cedunt
Sidera; qui flammæ causa fuere meæ.

INTERPRETATIO.

Utinam per Deos mihi liceat te pluribus nodis implicare! ut tua fides nullo modo sit soluta. Mille fraudes supersunt; hæremus in collis aditu. Amor meus nihil patietur intentatum. Incertum sit an possis capi; certe captaberis. Eventus est penes Deos: sed tamen capieris. Quamvis evites partem, non tamen eludes omnes casses quos amor tibi posuit plures quam reris. Si doli non prosint, recurremus ad arma; & correpta abduceris in gremio tui avido. Non sum qui consueverim carpere admissum Paridis; nec ullum, qui fuit vir ut posset esse. Nos quoque te rapiemus: sed silentio premo. Quamvis interitus sit merces hujus raptus, minus erit gravis quam te caruisse. Vel esses minus pulcra, posceréris modeste: cogimur esse temerarii forma tua. Tu hoc præstas, & tui oculi, quibus astra radiantia sunt inferiora, qui fuerunt causa mei ardoris.

NOTÆ.

(g) *Possim plures*) *Plures possim tibi ponere nodos.* Mureti codex venuste. *Heinsius.*

(h) *Nodos*) *Ad fidem tuam adstringendam.* Unum posueras, cum dolo Cydippen ad jurandum induxeras.

(i) *Sudamus*) Quasi diceret, *in primo limine inepte substiti: jam progrediar, aliaque tentabo.*

(k) *Nihil sinet*) *Donec votis meis, teque potiar.*

(l) *Captabere*) Captare est conari accipere. *Tascher de prendre & d'avoir.*

(m) *Exitus in Dis est*) *Penes Deos est; qui qualem daturi sint finem, ignoro.*

(n) *Sed capiere*) Est quasi ejus, quod dixit, correctio, exitum in Dis esse: ut ipsi Amoris impetu minores esse videantur.

(o) *Ut*) *Quamvis.*

(p) *Retia*) Metaphora a Venatoribus sumta, in manus suas venturam tandem Cydippen dicit Acontius.

(q) *Tui cupido*) Alij *meo cupido*: multi *mei cupido*: Heinsius legit *mea cupidi.*

(r) *Vir possit ut esse*) Quis vero damnaverit eum qui vir esse cupiat? At vero alius sensus est: atque is damnari debet qui vir & fortis & audax est, ut per vim maritus cujusquam fiat puellæ.

(ſ) *Fuit*) Vir *scil.* fortis, &c.

(t) *Nos quoque*) Deest verbum; sed intelligitur Acontium quoque Virum sese præbere velle, Cydippenque capturum.

(u) *Ut*) *Quamquam.*

(x) *Minor*) Pœna *scil.*

(y) *Aut*) Quantus est in hac oratione impetus! Vel ex ista vocula intelligitur.

(z) *Facie*) *Pulcritudine.*

(a) *Hoc*) *Ut simus audaces, &c.*

Hoc

Hoc flavi faciunt crines, & eburnea cervix;
(b) Quæque precor veniant in mea colla manus:
Et decor, & vultus (c) fine rufticitate pudentes:
Et, (d) Thetidi quales vix rear effe, pedes.
Cætera fi poffem laudare, beatior effem:
Nec dubito, totum quin fibi par fit opus.
Hac ego compulfus, non eft mirabile, forma,
Si (e) pignus volui vocis habere tuæ.
Denique, (f) dum captam tu te cogare fateri,
Infidiis efto (g) capta puella meis.
Invidiam patiar: paffo (h) fua præmia dentur.
Cur fuus a tanto crimine fructus abeft?
(i) Hefionen (k) Telamon, Brifeida cepit Achilles:
Utraque victorem victa fecuta fuum.
(l) Quamlibet accufes, & fis irata licebit;
Irata liceat dum mihi poffe frui.
Iidem, qui facimus, factam (m) tenuabimus iram:
Copia (n) placandi fit modo parva tui.
Ante tuos flentem liceat confiftere vultus.
Et liceat lacrymis addere verba fuis.

INTERPRETATIO.

Capilli flavi hoc præftant, & collum candidum: & manus quæ oro implicent mea colla: & gratia, & facies pudica fine afperitate; & pedes, quales ægre credam habere Thetidem. Si liceret celebrare reliqua, effem felicior: nec fum incertus, quin totum opus fit fibi fimile. Non eft novum fi ego permotus hac tua pulcritudine expetivi habere pignus tuæ vocis. Denique dummodo tu inducaris agnofcere te correptam, efto puella correpta dolis meis. Feram odium: merces fua concedatur ferenti. Quamobrem tantum fcelus fua caret utilitate? Telamon rapuit Hefionem, Achilles Brifeida; utraque fuperata comitata eft fuum victorem. Licebit quantumvis arguas, & fis infenfa: modo mihi liceat gaudere infenfa. Nos iidem qui movemus iram, minuemus motam: modo concedatur exigua facultas tui mulcendæ. Concedatur lacrymantem ftare coram tuis oculis: & detur adhibere voces fuis lacrymis:

NOTÆ.

(b) *Quæque*) Plurimi *quafque*.

(c) *Sine rufticit.*) Ineptus eft etiam & rufticus quidam pudor.

(d) *Thetidi*) Cujus tamen candidiffimi fuerunt pedes; nam ab Homero ἀργυρόπεζα dicitur. Fuit autem Thetis Nerei filia, Achillis mater.

(e) *Pignus*) Matrimonii fponfionem in pomo fcriptam.

(f) *Dum*) *Modo ut*. Gall. *Pourveu que*.

(g) *Capta.*) Vide quam ingeniofe in vocum ambiguitate ludat, facile captam, feu deceptam fe fateretur Cydippe; non item captam feu obligatam, ut Acontio nubere teneretur.

(h) *Sua præmia dentur*) *Mihi nubat*.

(i) *Hefionem*) Laomedontis fuit filia, Telamoni in Trojæ expugnatione ideo data, quod Pergama primus confcendiffet.

(k) *Telamon*) Æaci fuit filius, Herculis in expugnatione Trojæ focius, unus etiam ex Argonautis.

(l) *Quamlibet*) *Quantumvis, quantumlibet*. Gall. *Plaignez-vous de moy tant qu'il vous plaira*.

(m) *Tenuabimus*) *Minuemus*. Gall. *Nous vous appaiferons*.

(n) *Placandi*) Meliores cum Puteaneo *placandi*. Recte. Alterum *placandæ* Latine vix dicitur. *Heinfius*. Optime.

Usque

Utque solent famuli, cum verbera sæva verentur,
Tendere submissas ad tua crura manus.
(*o*) Ignoras tua jura: (*p*) voca; cur arguor absens?
Jamdudum dominæ more venire jube.
Ipsa meos scindas licet imperiosa capillos,
Oraque sint digitis livida facta tuis;
Omnia perpetiar: tantum fortasse timebo,
Corpore lædatur ne manus ista meo.
Sed neque (*q*) compedibus, nec me compesce catenis:
Servabor firmo vinctus amore tui.
Cum bene se quantumque volet satiaverit ira:
Ipsa tibi dices: *Quam patienter amat!*
Ipsa tibi dices, ubi videris omnia (*r*) ferre;
Tam bene qui servit, serviat iste mihi.
Nunc reus infelix absens agor: & mea, cum sit
Optima, non ullo causa tuente perit.
(*s*) Hoc quoque, (*t*) quod jus est, (*u*) sit scriptum injuria nostrum
(*x*) Quod de me solo (*y*) nempe queraris, habes.
(*z*) Non meruit (*a*) falli mecum quoque (*b*) Delia; si non
Vis mihi promissum reddere, redde Deæ.

INTERPRETATIO.

Et ut solent servi, cum timent flagra rigida, porrigere manus victas ad tuos pedes. Nescis tua jura: arcesse: quamobrem absens accusor? Impera accedere more jamdin domina. Quamvis tu aspera laniet meos crines, & facies sit facta fusca tuis digitis; perferam omnia: solummodo metuam, ne forte manus tua violetur meo corpore. Sed nec me coerceas compedibus, neque vinculis: custodiar constrictus valido amore tui. Postquam ira se bene expleverit & quantum libuerit, ipsa tibi dices, Quam tolerantes amat! *Postquam adverteris me omnia pati; ipsa tibi dices,* Iste qui tam bene servit, mihi serviat. *Nunc miser absens arguor; & quamvis causa mea sit justissima, profligatur nemine eam defendente. Hoc quoque, scriptum nostrum quod est jus, fit injustitia; nimirum habes quod queraris de me solo. Delia non digna est decipi quoque mecum: si nolis mihi præstare pollicitum, præstato Deæ.*

NOTÆ.

(o) *Ignorat*) Se servum esse significat.

(p) *Voca*) *Quia non debes damnare nisi citata parte*, explicat bonus alioqui commentator. Non bene, meo quidem judicio; ut sequentia satis demonstrant. Sed sensus est, *Non jure tuo in servum uteris, qua absentem accuses, cum ipsum vocare, præsentemque male multare liceat.*

(q) *Compedibus*) Quibus retinentur fugitivi servi.

(r) *Ferre*) *Me* scil.

(s) *Hoc quoque*) Variant equidem hoc in loco codices; plerique tamen cum in sensum bonum conspirent, quamobrem totum hoc distichon adulterinum crediderit clariss. Hei nsius, plane non video.

(t) *Quod jus est*) Nempe ille etiam est in culpa, qui, alterius jussu, male aliquid facit.

(u) *Sit scriptum*) *Illud scriptum nostrum in pomo, fit injuria in te.*

(x) *Quod de me solo*) Istud non intellexit Antonius, nec exposuit Hubertinus: Ironice pronuntiandum esse arbitror, ut intelligat Acontius, non de se, sed de Amore esse querendum.

(y) *Nempe*) Ironiæ vox maxime apta.

(z) *Non meruit*) Jam serio ad rem venit.

(a) *Falli*) Falluntur, aut falli dicuntur Dij, cum ea quæ, iis testibus, promittimus, postea non præstamus.

(b) *Delia*) Diana, a Delo insula, ubi nata & culta dicitur.

Ad-

Adfuit; & vidit, cum tu (c) decepta (d) rubebas:
Et (e) vocem memori condidit aure tuam.
Omina (f) re (g) careant: nihil est violentius (h) illa,
Cum sua, (i) quod nolim, numina læsa videt.
(k) (Testis erit (l) Calydonis aper: (m) nam scimus, ut ille
Sit magis in (n) natum sæva reperta parens.
Testis & (o) Actæon, quondam fera creditus (p) illis,
Ipse dedit leto cum quibus ante feras.
Quæque superba (q) parens, saxo per corpus oborto,
Nunc quoque (r) Mygdonia flebilis adstat humo,
Hei mihi, Cydippe! timeo tibi dicere verum;
Ne videar (s) causa falsa monere mea:
Dicendum tamen est: (t) hoc est (mihi crede) quod ægra
Ipso nubendi tempore sæpe jaces.
Consulit ipsa tibi: neu sis perjura laborat:
Et salvum (u) salva te cupit esse fide.

INTERPRETATIO.

Adfuit, & aspexit, cum tu delusa erubescebas: & servavit aure memori verba tua: Præsagia sint sine effectu, nihil est impetuosius illa, quando, quod nolim, cernit sua numina spreta. Aper Calydonius erit testis: nam novimus quomodo mater sit inventa crudelior in filium quam ille. Testis etiam Actæon, olim fera habitus illis canibus cum *quibus ipse prius feras morti tradidit.* Testis *quoque mater arrogans quæ, petra per corpus suborta, nunc etiam miserabilis manet terra Mygdonia. Hei mihi Cydippe! vereor tibi verum proferre, ne videar vana commemorasse commodo meo. Attamen proferendum est: hoc est (mihi crede) quod sæpe ægrota decumbis ipso nubendi tempore. Illa tibi cavet: & operam dat ne sis perjura: & cupit te esse incolumem fide intemerata.*

NOTÆ.

(c) *Decepta*) *Verbis in pomo scriptis capta.*

(d) *Rubebas*) Quod consciæ mentis, quocumque tandem modo, signum est.

(e) *Vocem*) *Cum te futuram uxorem meam jurasti.*

(f) *Re*) *Effectu.*

(g) *Careant*) Quasi dicat; *Nihil tibi a Diana male eveniat.*

(h) *Illa*) *Diana.*

(i) *Quod nolim*) Sibi nempe Cydippen sponsam cupiebat.

(k) *Testis erit*) Barbarum & insulsum hoc distichon, judicio suo; ex scholio quopiam conflatum esse putat Heinsius.

(l) *Calydonis aper*) Hunc, ira Dianæ ab Oeneo in sacrificiis neglectæ, regione vastandæ causa immissum, ante vidimus.

(m) *Nam scimus*) Quidam codices habent, *sic sævus*; quod miror cur non assumserit Heinsius, cum versus insulsitatem, quam dixerit maximam, tollat.

(n) *Natum*) Meleagrum; de quo in Dejanira.

(o) *Actæon*) De eo in cervum ira Dianæ mutatum, & a canibus suis laceratum postea in Metam. videbimus.

(p) *Illis*) Canibus vel sociis: quod ex sequenti versu intelligitur.

(q) *Parens*) Niobe est, Tantali filia, quæ, cum ex Amphione plurimos genuisset liberos, sese, fœcunditate, Latonæ præponere non dubitavit: quamobrem, interfectis omnibus liberis, ipsa, Deæ ira, in saxum trasformata est. Qua de re fusius in Metam.

(r) *Migdonia*) Regio est minoris Asiæ, ubi mons Sipylus, quem frequentasse Nioben videbimus postea in Metamorph.

(s) *Causa mea*) *In meum commodum.*

(t) *Hoc est*) Id est, Dianæ perjuro violatæ numine evenit.

(u) *Salva*) *Perjurio non violata,*

tode

Inde fit, ut, quoties exiftere perfida tentas,
Peccatum toties corrigat illa tuum.
Parce (x) movere feros animofæ virginis arcus.
Mitis adhuc fieri, fi patiare, poteft.
Parce, precor, (y) teneros corrumpere febribus artus.
Serveiur facies ifta fruenda mihi:
Serventur vultus ad noftra (z) incendia nati,
Quique fubeft niveo lætus in ore (a) rubor.
Hoftibus e fi quis, ne fias noftra, repugnat,
(b) Sic fit, ut (c) invalida te folet effe mihi.
Torqueor ex æquo, vel te (d) nubente, vel ægra;
Dicere nec poffum, quid (e) minus ipfe velim.
(f) Maceror interdum, quod fim tibi caufa dolendi:
Teque mea lædi calliditate puto.
In caput hæc noftrum dominæ perjura quæfo
Eveniant: pœna tuta fit illa mea.
Ne tamen ignorem, quid agas; ad (g) limina crebro
Anxius huc illuc diffimulanter eo.
Subfequor ancillam furtim famulumve, requirens
Profuerint fomni quid tibi, quidve cibi.
Me miferum! quod non medicorum (h) juffa miniftro,
(i) Effingoque manus, infideòque toro:
Et rurfus miferum! quod, me procul inde remoto,
Quem minime vellem, forfitan (k) alter adeft.

INTERPRETATIO.

Inde oritur ut quoties conaris effe infida, illa toties arguit crimen tuum. Noli concutere fævos arcus virginis generofæ. Poteft adhuc fieri lenis fi velis. Noli quæfo perdere membra mollia febribus: ifti cultus cuftodiantur mihi poffidendi. Cuftodiatur facies facta ad noftros ardores; & rubor vivus qui fubeft in vultu candido. Si aliquis ex hoftibus meis obnititur ne fias noftra, fic fit, ut confuevi effe te ægrota. Crucior pariter vel te nubente, vel te invalida: nec poffum ipfe dicere quid minus cupiam. Crucior nonnunquam quod fim tibi caufa morbi: & credo te affligi mea verfutia. Hæc, oro, perjuria dominæ cadant in noftrum caput, illa fit fecura meo fupplicio. Ne tamen nefciam quis fit tuus ftatus; fæpius follicitus huc illuc occulte accedo ad tuas fores. Sector occulte famulam vel fervum petens quantum te fomni, vel quantum tibi juverint. Me infelicem! quod non porrigo quæ medici imperaverunt, & demulceo manus, & lectum premo: Et iterum infelicem! quod, me procul inde repulfo, alius forte adeft, quem minime cuperem.

NOTÆ.

(x) *Movere*) *In te convertere.*
(y) *Teneros*) *Tuos* fcil.
(z) *Incendia*) Amorem.
(a) *Rubor*) Febri vero fincerus color corrumpitur.
(b) *Sic*) Peffime *fcil.* fe ex febri Cydippes magno affici dolore innuit.
(c) *Invalida te*) *Te ægrotante.*
(d) *Nubente*) *Alii quam mihi* fcil.
(e) *Minus*) *Vel aliis nubas, vel ægrotes.*
(f) *Maceror*) *Doleo.*
(g) *Limina*) *Tua* fcil.
(h) *Juffa*) Medicinas *fcil.* & remedia.
(i) *Effingoque*) Ideft, demulceo, leviterque tergeo, quo fenfu Poeta nofter alibi, itemque Virgilius & Cicero ufurpaverunt.
(k) *Alter*) Sponfus *fcil.*

Ille

Ille manus istas & fingit, & assidet ægræ,
(*l*) Invisus Superis, cum Superisque mihi.
Dumque suo tentat salientem pollice venam;
Candida (*m*) per causam brachia sæpe tenet:
Contrectatque sinus; & forsitan oscula jungit.
Officio merces plenior ista suo est.
(*n*) Quis tibi permisit nostras (*o*) præcidere messes?
(*p*) Ad sepem alterius quis tibi (*q*) fecit iter?
Iste sinus meus est: mea turpiter oscula sumis.
A mihi promisso corpore tolle manus.
Improbe, tolle manus: quam tangis, nostra futura est.
Postmodo si facias istud, adulter eris.
Elige de (*r*) vacuis, quam non sibi vindicet alter,
Si nescis, dominum res habet (*ſ*) ista suum.
Nec mihi credideris: recitetur (*t*) formula pacti.
Neu falsam dicas esse; face (*u*) ipsa legat.
Alterius thalamo, tibi nos, tibi dicimus, exi.
Quid facis hic? exi: non vacat (*x*) iste torus.
Nam quod habes & tu (*y*) humani verba altera (*z*) pacti,
Non erit idcirco par tua causa meæ.

INTERPRETATIO.

Ille odiosus Divis & mihi cum Divis demulcet manus istas, & assidet ægrotanti. Et dum scrutatur pollice suo venam micantem: sæpe tractat lacertos niveos per causam, & tangit pectus; & forte figit suavia. Istud præmium est majus officio suo. Quis tibi concessit decerpere nostras messes? Quis tibi viam struxit ad sepem alterius? Istud pectus meum est.; impudice, carpis mea suavia. Remove manus a corpore mihi sponso. Remove manus, proterve; quam tangit ventura est nostra. Si postmodo istud agas, eris adulter. Elige de liberis, quam alter non suam asserat. Si ignoras res ista habet dominum suum. Nec mihi fidem adhibueris: pronuntietur formula conventi. Bone dicas fuisse deceptam, fac ipsa legat. Nos tibi, tibi dicimus egeedere cubiculo alterius: Quid hic agis? Egredere, iste lectus non est vacuus. Nam quod tu etiam habes verba alia conventi; tua causa non erit ideo æqualis mea.

NOTÆ.

(l) *Invisus Superis*) *Dianæ præsertim, quod ille contra fidem a te datam, matrimonio sibi jungi postulat.*

(m) *Per causam*) Id est, *specie tentandi venam*. Gall. *Sous le pretexte de vous tater le poulx*.

(n) *Quis tibi*) Rivalem alloquitur.

(o) *Præcidere*) Quidam *præcerpere*, vulgati *decerpere*, alij aliter.

(p) *Ad sepem*) Alij *ad spem*: minus bene.

(q) *Fecit iter*) *Ut ejus audeas messem demetere*. Negant & increpant ejusmodi interrogationes.

(r) *Vacuis*) *De iis puellis, quas sponsus nullus sibi devinxerit: nullus occupaverit.*

(ſ) *Ista*) Cydippe.

(t) *Formula*) Versus, *scil.* de quibus in argumento.

(u) *Ipsa*) Ut, *scilicet*; Acontio fidem suam de novo obstringat.

(x) *Iste*) *Domina mea Cydippes, qui meus est.*

(y) *Humani*) Quod non testibus, aut approbantibus Diis, imo aversa Diana præsertim, intercessit.

(z) *Pacti*) A patre inscio desponsatam Cydippen in argumento vidimus.

(*a*) Hæc mihi se pepigit: pater hanc tibi, (*b*) primus ab illa:
Sed propior certe, quam pater, ipsa sibi est.
Promisit pater hanc: hæc (*c*) adjuravit amanti.
Ille homines, hæc est (*d*) testificata Deam.
(*e*) Hic metuit mendax, timet (*f*) hæc perjura vocari.
Num dubites, hic sit major, an ille metus?
Denique, ut amborum conferre pericula possis,
Respice ad eventus: hæc (*g*) cubat; ille valet.
Nos quoque dissimili (*h*) certamina mente subimus.
Nec spes par nobis, nec timor (*i*) æquus adest.
Tu (*k*) petis ex tuto: gravior mihi morte (*l*) repulsa est:
Idque ego jam, quod tu (*m*) forsan amabis, amo.
Si tibi justitiæ, si recti cura fuisset;
Cedere debueras (*n*) ignibus ipse meis.
Nunc quoniam ferus hic pro causa pugnat iniqua;
(*o*) Ad quid, Cydippe, littera nostra redit?
Hic facit ut jaceas, & sis suspecta Dianæ.
Hunc tu, si sapias, limen adire vetes.
(*p*) Hoc faciente subis tam sæva pericula vitæ.
Atque utinam pro te, qui movet illa cadat!

INTERPRETATIO.

Hæc se devinxit mihi: pater alter ab illa tibi hanc promisit: *Sed profecto ipsa sibi est propinquior quam pater. Pater pepigit hanc: hæc juravit amanti. Ille testes adhibuit homines, hæc Deam. Hic timet dici fallax, hæc metuit* appellari *perjura. Anne sis incertus, hic an ille timor sit major? Denique ut possis comparare discrimina amborum, converte animum ad exitus: hæc jacet; ille firma utitur valetudine. Nos quoque pugnam inimus dispari animo: Nec spes nobis est æqualis, nec metus similis. Tu ambis secure: repudiatio est mihi molestior interitu. Et ego jam diligo, quod tu forte diliges. Si te æqui, si justi amor tenuisset; tu ipse debueras cedere meis amoribus. Nunc quandoquidem hic inhumanus certat pro causa injusta; quo spectat Cydippe nostra epistola? Hic causa est ut ægrotes, & sis invisa Dianæ. Si sapias, tu prohibeas hunc accedere ad fores. Dum facit, inis tam crudelia discrimina vitæ. Atque utinam ille pro te occumbat qui illorum causa est!*

NOTÆ.

(a) *Hæc*) Cydippe.

(b) *Primus*) Non dicit *primus omnino*, sed *primus ab illa*.

(c) *Adjuravit*) Pro *valde* aut *omnino juravit*: quod multo amplius est, quam promittere.

(d) *Testificata*) *In testimonium vocavit*. quo sensu etiam simplici utimur *testari*.

(e) *Hic*) Cydipppe pater.

(f) *Hæc*) Cydippe.

(g) *Cubat*) Febri lecto affixa.

(h) *Certamina*) Ad obtinendam Cydippen.

(i) *Æquus*) *Pars Æqualis*.

(k) *Petis ex tuto*) Quid hoc sibi velit ex opposito intelligitur: quasi dicat, *Nihi mali tibi ex repulsa imminet*.

(l) *Repulsa*) Matrimonialis *scil.*

(m) *Forsan amabis*) *Adeoque forsan non amabis*.

(n) *Ignibus*) Amoribus.

(o) *Ad quid*) quasi dicat, *Vides quo spectet mea epistola: vides me tibi bene consulere, qui te ex injustis manibus eripiam*,

(p) *Hoc faciente*) *Illo meo rivali ad te veniente, & conjugium tuum petente*.

Quem

Quem si reppuleris, nec quem Dea damnat, (q) amaris,
Et tu continuo, certe ego salvus ero.
Siste metum, virgo; (r) stabili potiere salute.
Fac modo polliciti conscia templa (ſ) colas.
Nec bove mactato cælestia numina gaudent;
Sed, quæ præstanda est (t) & sine teste, fide.
Ut valeant aliæ, ferrum patiantur & ignes:
Fert aliis tristem succus amarus opem.
Nil opus est istis; tantum perjuria vita:
Teque simul serva, meque, datamque fidem.
Præteritæ veniam dabit ignorantia culpæ.
(u) Exciderint animo fœdera lecta tuo.
(x) Admonita es modo voce mea, modo (*) cassibus istis;
Quos quoties tentas (y) fallere, (z) ferre soles.
His quoque vitatis, (a) in partu nempe rogabis,
Ut tibi luciferas offerat illa manus.

INTERPRETATIO.

Quem si rejeceris, nec amaveris quem Dea improbat; & tu statim, ego certe sospes ero. Depone timorem, puella; frueris firma valetudine. Fac tantum frequentes ædes conscias promissi. Nec numina cælestia lætantur bove immolato, sed fide quæ etiam est exsolvenda sine arbitris. Aliæ subeant ferrum & ignes ut valetudini restituantur: succus amarulentus subministrat aliis ingratum auxilium. Nihil opus est istis; tantum fuge perjuria: & te simul libera, & me & fidem obligatam. Inscitia excusabit peccatum præteritum: fœdera lecta elapsa fuerint memoria tua. Admonita es modo verbis meis, modo istis retibus; quæ quoties conaris effugere, soles gestare. His etiam delusis, nimirum in partu orabis, ut illa tibi præbeat manus luciferas.

NOTÆ.

(q) *Amaris*) *Amaveris*.

(r) *Stabili*) *Firma*.

(ſ) *Colas*) Ad templa Cydippen suam remittit, ut locus etiam ipsam moveat, & ad fidem exsolvendam hortetur.

(t) *Et sine teste*) *Quamquam nulli testes adfuissent*.

(u) *Exciderint*) Fere quasi dicat, *Ponatur (ut ignorantia excuseris) animo excidisse fœdera*. Sciebat Aconitus ea non excidisse, sed, ut Cydippe faciliorem ad pœnitentiam, deinde ad veniam, viam sterneret, ultro excidisse ea fœdera concedit; vel potius eam excusationem suggerit.

(x) *Admonita es*) Adeoque ignorantia excusari non poteris.

(*) *Cassibus*) Alii habent *casibus*. *Cassibus* vero alibi noster, atque Tibullus, in rebus amatoriis usi sunt. Hic per casses morbos intelligitur, quo a violanda fide Cydippen Diana absterrebat.

(y) *Fallere*) *Effugere*. Quomodo vero febrim effugeret, aut effugere conaretur Cydippe, quæ de ea nequidem cogitabat, multum diuque frustra cogitavi: tandem tamen animum subiit, metonymice per *tentare fallere*, fallere simpliciter, per *fallere* negligere, aut non cogitare esse intelligendum.

(z) *Ferre*) Nimirum in febrem incidebat Cydippe, quoties incogitans alii quam Acontio nubere studebat.

(a) *In partu*) Quia parturientibus Diana, Lucina, seu Lucifera, (ut in duobus numis argenteis, cum emblemate Dianæ tædam gerentis, habera se testatur clar. Heinsius) adesse, fœtumque in lucem educere, dicitur.

(*b*) Audiet; &, repetens quæ sint audita, requiret
Ipsa, tibi de quo conjuge partus eat.
(*c*) Promittes votum; (*d*) scit te promittere falso.
Jurabis: scit te fallere (*e*) posse Deos.
Non agitur de me: cura (*f*) majore laboro.
Anxia sunt vitæ pectora nostra tuæ.
Cur modo te (*g*) dubiam pavidi flevere parentes,
Ignaros (*h*) culpæ quos facis esse tuæ?
Et cur ignorent? matri licet omnia narres.
Nil tua, Cydippe, facta (*i*) ruboris habent.
Ordine fac referas, ut sis mihi cognita primum,
Sacra (*k*) pharetratæ dum facis (*l*) ipsa Deæ.
Ut, te conspecta, subito (*m*) (si forte notasti)
Restiterim fixis in tua membra (*n*) genis:
Ut, te dum nimium miror, (nota certa (*o*) furoris)
Deciderint humero pallia lapsa meo.
(*p*) Postmodo (*q*) nescio qua venisse (*r*) volubile malum,
Verba ferens (*f*) doctis insidiosa (*t*) notis.

INTERPRETATIO.

Auscultabit, & revocans in memoriam quæ fuerint audita, ipsa interrogabit de quo marito hic tibi sit partus. Pacisceris votum: novit te pacisci inaniter: Jurabis; novit te posse decipere Deos. Non agitur de me: angor sollicitudine majore: noster animus est sollicitus de vita tua. Quamobrem parentes timidi, quos reddis nescios tui criminis, modo te luxerunt salutis incertam? Et quamobrem nesciant? Licet omnia referas matri. Admissa tua, Cydippe, nihil habeat pudendum. Fac commemores ordine, quomodo primam deveneris in meam notitiam, dum ipsa das operam sacris Deæ pharetratæ: quomodo te visa protinus, (si forte advertisti) hæserim vultu defixo in tuos artus: quomodo, dum te nimium suspicio, (certum indicium amoris) pallia delapsa humero meo defluxerint. Postmodo nescio qua pomum rotundum ad te devolutum esse, verba continens dolosa callidis signis;

NOTÆ.

(b) *Audiet*) *Cum ejus opem imploraveris scilicet: dixerisque, ut illa altera Terratii,* Juno Lucina, fer opem, serva me obsecro.

(c) *Promittes votum*) Mos eorum antiquissimus, qui a Diis aliquid impetrare student. Cæterum cum aliquo contemtu legenda sunt hæc verba, ut etiam vocis sono frustra vota promissuram esse Cydippen, intelligatur.

(d) *Scit*) *Quia ante teste ea te mihi nupturam juraveras: quod tamen non præstitisti.*

(e) *Posse*) Gall. *Que vous estes capable de vouloir tromper le Dieux.*

(f) *Majore*) *Quia propter Dianæ iram, de te sum maxime sollicitus.*

(g) *Dubiam*) *In mortis discrimine, ex febri, positam.*

(h) *Culpa*) De perjuro, eoque violata Diana intelligit.

(i) *Ruboris*) *Pudoris*, ut habent alii. Id est nihil habent facta tua, quamobrem pudendum sit.

(k) *Pharetrata*) Arcu & sagittis, adeoque pharetra instructam fuisse venatricem Deam, notum est.

(l) *Ipsa*) Otiose hoc in loco positam hanc vocem animadvertit clar. Heinsius, proque ea *ade* quam, litterarum cognatione omissam credit, restituit.

(m) *Si forte notasti*) Nisi hæc esset parenthesis, judicio suo Poeta non consuluisset.

(n) *Genis*) *Oculis*. De qua voce antea.

(o) *Furoris*) *Amoris*.

(p) *Postmodo*) *Fac referas*, supple.

(q) *Nescio qua*) Parte templi, *scil.*

(r) *Volubile*) Nimirum volubile est rotundum pomum, seu malum.

(f) *Doctis*) *Callide scriptis*. Sed contra omnium membranarum fidem *ductis* legendum esse contendit clar. Heinsius.

(t) *Notis*) Versus intelligit, de quibus jam sæpe.

(u) Quod

(u) Quod quia sit lectum sancta præsente Diana,
Esse tuam vinctam numine teste fidem.
Ne tamen ignoret, quæ sit sententia scripto;
Lecto tibi quondam nunc quoque verba (x) refer.
Nube, precor, (y) dicet, cui te bona numina jungunt:
Quem fore jurasti, sit gener ille mihi.
Quisquis is est, placeat; quoniam placet ante Dianæ.
(z) Talis erit mater; (*) si modo mater erit.
Sed tamen inquirat, qui sim qualisque, jubeto:
Inveniet vobis consuluisse Deam,
Insula (a) Coryciis quondam celeberrima Nymphis
Cingitur Ægæo nomine (b) Cea mari.
Illa mihi patria est: nec, (c) si generosa probaris
Nomina, despectis arguor ortus avis.
Sunt & opes nobis; sunt & sine crimine mores:
(d) Amplius utque nihil, me tibi jungit amor.
(e) Appeteres talem vel non jurata maritum:
(f) Juratæ vel non talis habendus erat.
(g) Hæc tibi me in somnis jaculatrix scribere (h) Phœbe,
Hæc tibi me vigilans scribere jussit Amor.
E quibus (i) alterius mihi jam nocuere sagittæ:
(k) Alterius noceant ne tibi tela, cave.

INTERPRETATIO.

Quod quia sit lectum sacra Diana adstante, tuam fidem esse obligatam Dea teste. Ne tamen nesciat quæ sit significatio scripto; repete nunc quoque verba olim a te lecta. Nube, quæso, inquit, cui boni Dii te addicunt; ille sit mihi gener quem jurasti futurum. Quisquis ille est, gratus sit; quandoquidem fuit ante Dianæ. Talis erit mater; si saltem erit mater. Sed tamen moneto exquirat qui sim & qualis: comperiet Deam vobis favisse. Insula nomine Cea, olim nobilissima Nymphis Coryciis clauditur mari Ægæo. Illa est mihi patria: nec, si laudaveris nomina nobilia, dicor satus avis contemptis. Sunt etiam nobis divitiæ: sunt etiam mores sine probro: & quamvis nihil esset *amplius, amor me tibi connectit. Non jurata etiam cuperes talem maritum; talis erat possidendus etiam a non jurata. Phœbe venatrix mihi imperavit per somnia hæc tibi scribere; Amor experrectus mihi im*peravit *tibi hæc scribere: e quibus tela alterius jam mihi obfuerunt; vide ne jacula alterius tibi officiant.*

NOTÆ.

(u) *Quod*) Pomum *scil.*

(x) *Refer*) Ut eo iterum astringeretur ejus fides, verba jubet referre.

(y) *Dicet*) *Mater tua* scil.

(z) *Talis*) Id est, quæ talia dicet.

(*) *Si modo mater erit*) *Si vero & materno erga te affectu fuerit.*

(a) *Coryciis*) Musæ intelliguntur a Coryco Parnassi, (itemque Ciliciæ) antro, sic dictæ.

(b) *Cea*) Cea, seu Ceos, insula est maris Ægæi, juxta Eubœam.

(c) *Si generosa*) Id est, *Si a generosis parentibus ortum ducere, in honore ponas.*

(d) *Amplius utque nihil*) Id est, *ut nihil magnis me tibi vel jungat vel jungere possit*

(e) *Appeteres*) *Appetere deberes.*

(f) *Jurata vel non*) *Vel non jurata.*

(g) *Hæc*) *Quæ in epistola mea leguntur.*

(h) *Phœbe*, Diana, Phœbi soror, Venatrix adeoque jaculatrix Dea.

(i) *Alterius*) Amoris *scil.*

(k) *Alterius*) Dianæ, si eam perjuro violaveris.

(*l*) Juncta salus nostra est: miserere meique tuique.
Quid dubitas unam ferre duobus opem?
Quod si contigerit, cum jam data (*m*) signa sonabunt,
(*n*) Tinctaque votivo sanguine (*o*) Delos erit;
Aurea ponetur (*p*) mali felicis imago,
(*q*) Causaque versiculis scripta (*r*) duobus erit:
Effigie pomi testatur Acontius hujus,
(*s*) *Quæ fuerint in eo scripta, fuisse rata.*
Longior (*t*) infirmum ne lasset epistola corpus.
(*u*) Clausaque consueto sit (*x*) sibi fine, vale.

INTERPRETATIO.

Salus nostra est connexa e miserere & mei, & tui. Quamobrem cunctaris unum præbere auxilium duobus? Quod si evenerit, cum jam data signa audientur, & Delos erit imbuta sanguine votivo, effigies aurea appendetur pomi salutaris, & causa erit exarata duobus versiculis: Acontius profitetur imagine hujus pomi confirmata fuisse quæ fuerint exarata in eo. *Ne littera prolixiores fatigent corpus debile, & sint tibi absoluta fine solito, Vale.*

NOTÆ.

(l) *Juncta*) Quam ingeniose.

(m) *Signa*) Tibiis, aliisque instrumentis musicis in sacrificiis utebantur.

(n) *Tinctaque*) Id est, Quando in Delo Dianæ festa sacrificiis celebrabuntur.

(o) *Delos*) Ægei maris insula, ubi nata & culta Diana.

(p) *Mali*) *Pomi.* Ludit vero in vocibus Poeta.

(q) *Causa*) Cur, *scil.* Deæ appendatur pomi imago.

(r) *Duobus*) Qui sequuntur; quosque adeo diverso caractere excudendos curavi.

(s) *Quæ fuerint*) Sponsionem *scil.* matrimonialem.

(t) *Infirmum*) *Tuum* scil.

(u) *Clausaque*) Epistolas hac voce *Vale* claudere consueverant.

(x) *Sibi*) Alii habent *tibi*: atque illa altera lectio est a clar. Heinsio.

EPISTOLA VIGESIMAPRIMA.

ARGUMENTUM.

Cum intellexisset Cydippe, hanc sibi febrem Dianæ indignatione contigisse, in Acontii vota contra paternam voluntatem concedere maluit, quam diutius torqueri. In primis respondet, se non ausam fuisse mentem suam clare exprimere: ne, ut in pomo, iterum juraret. Deinde, narrando quomodo insidiosum illud pomum acceperit, in ipsum Acontium invehitur.

CYDIPPE ACONTIO.

PErtimui, scriptumque tuum (*a*) sine murmure legi:
Juraret ne quos inscia lingua Deos.
Et puto, (*b*) captasses iterum: nisi, ut ipse fateris,
Promissam scires me satis esse semel.

INTERPRETATIO.

E*Xpavi, & tacite legi tuam epistolam; ne lingua imprudens juraret aliquos Deos. Et, credo, insidiatus esses, nisi ut ipse agnoscis, scires satis esse me semel sponsam.*

NOTÆ.

(a) *Sine murmore*) Ne iterum inscia voto aliquo sese obstringeret.

(b) *Captasses*) *Me iterum decipere tentasses.*

Nec

Nec lectura fui: sed, si tibi (c) dura fuissem,
Aucta foret sævæ forsitan ira Deæ.
(d) Omnia cum faciam, cum dem pia thura Dianæ;
Illa tamen justa plus tibi parte favet.
(e) Utque cupis credi, memori te vindicat ira,
Talis in (f) Hippolyto vix fuit illa suo.
At (g) melius virgo favisset virginis annis;
(h) Quos vereor paucos ne velit esse mihi.
(*) Languor enim causis non apparentibus hæret:
Adjuvor & nulla (i) fessa medentis ope.
Quam tibi nunc gracilem vix hæc rescribere, quamque
Pallida vix cubito membra (k) levare putas?
Huc timor accedit, ne quis nisi conscia nutrix
(l) Colloquii nobis sentiat esse vices.
Ante fores sedet hæc: quid agamque rogantibus (m) intus;
Ut possit tuto scribere, *Dormit*, ait.
Mox ubi secreti longi causa optima somnus
Credibilis tarda desinit esse mora.

INTERPRETATIO.

Nec volui legere, sed si tibi sæva fuissem, forte ira crudelis Deæ crevisset. Quamvis omnia præstem, quamvis thura pia exhibeam Dianæ; ille tamen plus æquo tibi indulget. Et, sicuti optas tibi fidem haberi, te vindicat ira memori. Illa vix talis fuit, erga suum Hyppolitum. At virgo justius indulsisset ætati virginis; quam timeo ne cupiat mihi esse brevem. Morbus enim permanet causis incognitis. Et exhausta nullo medici auxilio reficior. Quantum macilentam arbitraris me nunc tibi hæc rescribere, quantumque ægre sustinere artus pollentes cubito? His adde metum, ut quis nisi nutrix conscia cognoscat nobis esse vices colloquii: Hæc stat ante januam: &, ut possim secure scribere, dicit petentibus quid faciam intus, stertit. Mox ubi somnus causa optima prolixi secreti cessat esse verisimilis longo spatio.

NOTÆ.

(c) *Dura*) *Quæ epistolam tuam legere dedignata essem.*

(d) *Omnia*) Sacra, *scil.* in honorem Dianæ.

(e) *Utque cupis credi*) Ita vero ille prædicaverat, & in epistola sua scripserat.

(f) *Hippolyto*) Fuit ille Thesei, & Hippolytes Amazonis filius, ob eximiam castitatem Dianæ carus: cujus historiam passim, postea etiam apud Ovidium reperies.

(g) *Melius*) *Justius, cum ipsa virgo sit, sicut & ego virgo sum.*

(h) *Quos vereor*) Codices omnes, præter unum aut alterum, quia post hunc versum deficiunt, ideo plurimi, sequentes versus Ovidii esse negant: quæ ratio quanquam satis firma non videtur, attamen cum Ovidianæ elegantiæ non satis respondeat tota epistola, suo non caret pondere.

(*) *Languor*) Febris.

(i) *Fessa*) *Defecta viribus, & vi morbi exhausta.*

(k) *Levare*) Solent nimirum qui morbo aut languore aliquo caput præsertim aut corpus non valent erigere, illud cubito sustentare.

(l) *Colloquii nobis*) *Me tibi vicissim rescribere cognoscat.*

(m) *Intus*) Ex restitutione Heinsiana est vox ista, cujus loco alii *inter* exhibebant; *rogabant inter*, pro *interrogabant*: unde hos versus sollicitare, atque Ovidio abrogare, aggressi sunt nonnulli: cum ea figura quam Tmesim vocant, hæc in voce præsertim, & in fine versus usum esse Poetam, qui oratione plana & æquabili gaudet, non sit verisimile.

Jamqne venire videt quos non admittere durum est;
Excreat; & ficta dat mihi signa nota.
Sicut eram, properans verba imperfecta relinquo,
Et tegitur trepido littera *(n)* cauta sinu.
Inde meos digitos iterum repetita fatigat,
Quantus sit nobis, aspicis ipse, labor.
(o) Qua peream, *(p)* si dignus eras, ut vera loquamur:
Sed melior justo, quamque mereris, *(q)* ego.
Ergo te propter toties incerta salutis
(r) Commentis pœnas doque dedique tuis?
Hæc nobis formæ te laudatore superbæ
Contingit merces? & placuisse nocet?
Si tibi deformis, quod mallem, visa fuissem;
Culpatum nulla corpus egeret ope.
Nunc laudata gemo: nunc me certamine *(ſ)* vestro
Proditis; & proprio vulneror ipsa *(t)* bono.
Dum neque tu cedis, nec se putat ille secundum;
Tu votis obstas illius, ille tuis.
Ipsa, velut navis, jactor: quam *(u)* certus in altum
Propellit Boreas, (x(æstus & unda refert.
Cumque *(y)* dies caris optata parentibus instat,
Immodicus pariter corporis ardor inest:

INTERPRETATIO.

Et jam cernit accedere quos difficile est non intromittere: expuit; & mihi facit indicia signo simulato: festinans, sicut eram, desero verba nondum absoluta: & Epistola tecta absconditur gremio timido. Inde repetita iterum lassat meos digitos. Ipse cernis quantum sit nobis labor. Qua epistola *interream, si, ut verum dicamus, dignus eras: sed ego sum indulgentior æquo, & quam dignus es. Ergo toties dubia salutis propter te exsolvo & exsolvi pœnas tuis figmentis? Hoc nobis obvenit præmium pulchritudinis eximiæ, te approbante; & officit gratam fuisse? Si, quod mallem, visa tibi fuissem turpis, corpus vituperatum nullo opus haberet auxilio. Nunc celebrata affligor: nunc me perditis vestra pugna; & ipsa lædor proprio bono. Dum nec tu cedis, nec ille se credit inferiorem; tu officis desideriis illius, ille tuis: ego agitor, tanquam navis quam asper Boreas rapit in apertum mare, æstus & unda repellit. Et cum dies expetita dilectis parentibus adest, calor sæviens corporis insit pariter:*

NOTÆ.

(n) *Cauta*) *Quæ caute & secreto scripta est.*

(o) *Qua*) Epistola *scil.* Scripti habent *Quæ.*

(p) *Si dignus eras*) *Si merueris.*

(q) *Ego*) Hanc vocem ex Naugerio reposuit Heinsius. Alii habent *ero*: quod certe non displicet.

(r) *Commentis*) *Dolis*. De scriptura in pomo intelligit, cujus sensum saltem in superioris epistolæ argumento vidimus.

(ſ) *Vestro*) De Acontio & ejus rivali loquitur; quanquam ille tantum erat in culpa.

(t) *Bono*) Forma *scil.*

(u) *Certus*) *Vehemens.*

(x) *Æstus & unda*) Id est unda æstuosa: unda quæ est æstus. *Le flux de la mer*. Hac etiam figura quæ per duo unum significat usus est Virgilius, cum dixit, *molemque & montes insuper altos.*

(y) *Dies*) Qua fieri debent nuptiæ.

Et

Et mihi conjugii tempus crudelis ad ipsum
(z) Persephone nostras pulsat acerba fores.
Jam pudet: & timeo, quamvis mihi conscia non sim,
(a) Offensos videar ne meruisse Deos.
Accidere (b) hoc aliquis casu contendit: & alter
Acceptum Superis hunc negat esse virum.
Neve nihil credas: in te quoque dicere famam,
Facta veneficiis pars putat ista tuis.
Causa latet: mala nostra patent; (c) vos pace movetis
Aspera submota prælia; plector ego.
(d) Dicam nunc, solitoque tibi me (e) decipe more:
Quid facies odio, sic ubi amore noces?
Si lædis, quod amas, hostem (f) sapienter amabis.
Me precor, ut serves, perdere (g) velle velis.
Aut tibi jam (h) nulla est speratæ cura puellæ,
Quam ferus indigna tabe perire sinis.
Aut Dea si frustra pro me tibi sæva rogatur,
Quid mihi te jactas? gratia nulla tua est.

INTERPRETATIO.

& sub ipsum tempus sævi conubii aspera Proserpina mihi contutis nostram januam. Jam erubesco, & quamvis mihi non sim conscia, metuor ne videar meruisse Deos infestos. Aliquis affirmat hoc evenire fortuito; & alius negat hunc virum esse gratum Diis: Et ne arbitreris famam nihil quoque jacere in te, quidam arbitrantur ista parata veneficiis tuis. Causa occultatur, damna nostra apparent: vos pace profligata miscetis dura certamina: ego punior. Jam dicam; & me falle more tibi consueto: quid agas odio, cum ita officias amore? Si malo afficit quod amas, amabis hostem utiliter. Oro ut me velis perimere, ut incolumem præstes. Aut nulla est jam tibi cura puella sperata, quam pateris, crudelis, interire tabe immerita:] aut si Dea crudelis frustra a te colitur pro me, quid te mihi prædicas? Gratia tua est nulla?

NOTÆ.

(z) *Persephone*) Proserpina est, Plutonis conjux, inferorum Domina ac regina, Jovis & Cereris filia: de qua Tibullus,

At mihi Persephone nigram denuntiat horam:

unde hic noster Ovidii locus intelligitur.

(a) *Offensos videar*) Sensus patet, sed est phrasis insolens.

(b) *Hoc*) *Quod ita in ipso nuptiarum puncto ægrotem.*

(c) *Vos pace*) Isthoc propemodum sensu dixit Horat. *Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.*

(d) *Dicam nunc*) Heinsius legit *I jam nunc*; quo revera sensus melior, minusque intricatus efficitur. Quid si legas? *Dic jam nunc.*

(e) *Decipe*) *ita ut ex iis, quæ in te sunt, contraria consequantur effecta; ex Amore quæ sunt odii, ex odio quæ sunt amoris.*

(f) *Sapienter*) Quid hæc vox hoc in loco significet, ex opposito intelligitur.

(g) *Velle velis*) Locum manifeste corruptum arbitratur clar. Heinsius, vultque τὸ *velle* perperam ex *velis* proxime sequenti, inculcatum, cum ultimas duas sillabas in *perdere* librarius geminare neglexisset: Legit vero Ille *perdere, dure, velis.*

(h) *Nulla*) Erat tamen Acontii in eo gratia: quod, quomodo Deam placaret Cydippe indicaverat. Sed ex materia subjecta tantum intelligenda est ista negatio.

Elige

Elige quid (*i*) fingas, (*k*) non vis placare Dianam;
Immemor es nostri: non potes; illa tui est.
Vel nunquam mallem, vel non mihi tempore (*l*) in illo
Esset in Ægæis cognita Delos aquis.
Tunc mea (*m*) difficili deducta est æquore navis;
Et fuit ad cœptas hora (*n*) sinistra vias,
Quo pede processi! quo me pede (*o*) limine movi!
(*p*) Picta citæ tetigi quo pede texta ratis!
Bis tamen adverso redierunt (*q*) carbasa vento.
Mentior ah demens! ille (*r*) secundus erat.
Ille secundus erat, qui me referebat euntem;
Quique parum felix impediebat iter.
Atque utinam constans contra mea vela fuisset!
Sed stultum est venti de levitate queri.
Mota (*s*) loci fama properabam visere Delon;
Et facere (*t*) ignava puppe videbar iter.
Quam sæpe, ut tardis, feci convitia remis;
Quæstaque sum vento lintea parca dari!
Et jam transieram (*u*) Myconon, jam Tenon & Andron:
Inque meis oculis (*x*) candida Delos erat.

INTERPRETATIO.

Dispice quid ponas; non vis delinire Dianam.; nostri oblitus es; nequis illa est, tui oblita. *Vel mallem nunquam mihi Delos esset cognita in mari Ægeo, vel non esset* cognita *illo tempore. Tunc mea navis solutn est mari infausto; & hora fuit inauspicata ad iter propositum. Quo pede sum progressa! quo pede limine discessi! Quo pede pressi fabricam pictam navis velocis! Vela tamen bis retroacta vento resflante. Ah mentior insana! Ille erat propitius. Ille erat propitius qui revehebat me proficiscentem, & qui probibebat iter infaustum. Atque utinam firmus fuisset adversus mea vela! Sed ineptum est conqueri de inconstantia venti. Illecta celebritate loci festinabam invisere Delon; & videbar iter facere lentu navi. Quam sæpe increpui remos: tanquam lentos; & sum questa vela exigua tradi vento! Et jam prætericram Myconon, jam Tenon & Andron, & Delos splendida erat in conspectu.*

NOTÆ.

(i) *Fingas*) Non tantum argumento quod Dilemma vocant Acontium urget Cydippe, quo argumenti genere, utrumvis eligat adversarius, utrobique premitur; sed insuper ex duobus argumenti membris quod causæ suæ faveat non posse assumere eum dicit.

(k) *Non vis plac.*) Hæc est Cydippes argumentatio. *Aut non vis, aut non potes placare Dianam: Prius si dicas; Ergo immemores nostri, nec nos curas: Posterius si fingas; Ergo Diana est tui immemor, nec te curat.*

(l) *In illo*) *Quo tibi, verbis in pomo scriptis, fidem meam obstrinxi.*

(m) *Difficili*) *Infausto.*

(n) *Sinistra*) *Inauspicata & infelix.*

(o) *Limine*) *Domo.* Habent vero hæ, cum administratione conjunctæ Interrogationes, & dolorem, & detestationem.

(p) *Picta texta ratis*) Pro *navem pictam.*

(q) *Carbasa*) *Velas* totaque adeo navis.

(r) *Secundus*) Quia malum, quod in insula Delo Cydippe evenire debuit, avertebat.

(s) *Loci fama*) Apollinis & Dianæ natalibus, & oraculo præsertim fuit celebris Delos insula; quæ, cum ante erratica fuisset, & sub aquis latuisset, repente Latonæ locum ad pariendum quærenti sese ostendit.

(t) *Ignava*) *Lente procedente.*

(u) *Myconon*) Myconos una est Cycladum; in mari Ægæo. Tenos est alia, itemque Andros.

(x) *Candida*) Δῆλος manifestum & clarum significat.

Quare

Quam procul ut vidi, *Quid me fugit*, *insula*, dixi?
Laberis in magno nunquid, ut ante, mari?
Institeram terræ, cum jam prope luce peracta
(y) Demere purpureis Sol juga vellet equis:
(z) Quos idem solitos postquam revocavit ad ortus,
Comuntur nostræ matre jubente comæ.
Ipsa dedit gemmas digitis, & crinibus aurum.
Et vestes humeris induit ipsa meis.
Protinus egressæ Superis, quibus insula sacra est,
Flava salutatis thura merumque damus.
Dumque parens aras votivo sanguine tingit,
Festaque fumosis ingerit (a) exta focis;
Sedula me nutrix alias quoque ducit in (b) ædes,
Erramusque vago per loca sacra pede.
Et modo porticibus spatior, modo (c) munera regum
Miror: & in cunctis stantia (d) signa locis.
Miror & innumeris structam (e) de cornibus aram,
(f) Et de qua pariens arbore nixa Dea est.
Et quæ præterea (neque enim meminive libetve,
Quidquid ibi vidi, dicere) Delos habet.
Forsitan hæc spectans, a te spectabar, Aconti;
Visaque simplicitas est mea posse capi.

INTERPRETATIO.

Quam ut procul aspexi, quamobrem inquam me vitas insula? *Numquid fluctuas vasto mari ut antea? Imposita eram terra, cum, jam prope die finito, Sol vellet detrahere juga equis purpureis: quos postquam sol idem reduxit ad ortus consuetos, capilli nostri ornantur matre imperante. Ipsa apposuit gemmas digitis, & aurum capillis, & ipsa admovit vestimenta humeris meis. Continuo profectæ exhibemus flava thura & vinum Diis salutatis, quibus insula est dicata. Et dum mater imbuit altaria sanguine votivo, & immittit viscera festa aris famosis, nutrix diligens me ducit quoque in alia templa, & vagamur pede errones, per sacra loca. Et modo deambulo porticibus, modo suspicio dona Regum, & statuas positas in omnibus locis. Stupeo etiam altare positum de cornibus innumeris & de arbore qua Dea partum emittens fulta est. Et quæ insuper (neque enim aut recordor, aut placet referre quidquid ibi sum intuita) Delos habet. Forte hac inspiciens a te aspiciebar, Aconti; & mea simplicitas visa est posse falli.*

NOTÆ.

(y) *Demere*) Periphrasis est vespertini temporis.

(z) *Quot idem*) Id est *postero die*.

(a) *Exta*) Eo nomine, pluralis numeri tantum appellantur viscera maxime extantia aut apparentia. *Les entrailles*.

(b) *Ædes*) Sacras, *scil.* ut patet.

(c) *Munera*) Quæ in honorem numinum apposita erant.

(d) *Signa*) *Statuas*.

(e) *De cornibus*) De hac apud Callimachum in hymno Apollinis, quam Apollo ipse construxisse dicitur, cornua ex venatione Diana suppeditante.

(f) *Et de qua*) Oleæ ac palmæ innixam parientem Latonam 6. Metam. docet noster Poeta.

In

In templum redeo (*g*) gradibus sublime Dianæ.
(*h*) Tutior hoc ecquis debuit esse locus?
Mittitur ante pedes malum cum carmine (*i*) tali.
Hei mihi juravi nunc quoque pæne tibi.
Sustulit hoc nutrix, mirataque, Perlege, dixit.
(*k*) Insidias legi, magne poeta, tuas.
(*l*) Nomine conjugii dicto, confusa pudore
Sensi me totis erubuisse genis:
(*m*) Luminaque in gremio veluti defixa tenebam;
Lumina propositi facta (*n*) ministra tui.
Improbe, quid gaudes? aut quæ tibi gloria parta est?
Quidve vir elusa virgine laudis habes?
Non ego constiteram sumta (*o*) peltata securi;
Qualis in Iliaco (*p*) Penthesilea solo.
(*q*) Nullus Amazonio cælatus balteus auro,
Sicut ab Hippolyte præda relata tibi est.
(*r*) Verba quid exultas, tua si mihi verba dederunt;
Sumque parum prudens capta puella dolis?

INTERPRETATIO.

Revertor in templum Dianæ gradibus excelsum: quisnam loco debuit hoc esse tutior? Pomum jacuit ante pedes cum tali carmine. Hei mihi! nunc quoque propemodum tibi juravi. Nutrix hoc sustulit, & stupens, perlege, inquit. Fraudes tuas legi Poeta egregie. Nomine connubii prolato, pudore turbata, adverti me erubuisse totis genis: & tenebam oculos quasi immotos in sinu: oculos factos famulos tui incepti. Proterve, quid lætaris? Aut quænam laus tibi est comparata? Quidve vir reportas gloria puella decepta? Ego non accesseram pelta instructa, securi correpta, qualis Penthesilea in terra Iliaca. Nullum balteum pictum auro Amazonio reportatum est tibi spolium tanquam ab Hippolyte. Quid triumphas, si verba tua me fefellerunt; & puella parum cauta sum decepta tuis fraudibus.

NOTÆ.

(g) *Gradibus*) Diis enim superis in locis excelsis templa ponebantur.

(h) *Tutior*) Acontium arguit qui sibi in templo insidiatus fuerit.

(i) *Tali*) Græcum carmen quale fuerit nemo hactenus tradidit.

(k) *Insidias*) Heinsio suspectus est hic versus: quamobrem non dixit: sed apparet satis.

(l) *Nomine conjugii*) Hinc vides Acontii non fuisse duos illos versus, quo in superioris epistolæ argumento vidimus.

(m) *Lumina*) *Oculos.*

(n) *Ministra*) Operam suam in legendis Acontii versibus præbuerant.

(o) *Peltata*) *Pelta armata*. Fuit vero pelta scutum quo peculiariter Amazones utebantur.

(p) *Penthesilea*) Regina fuit Amazonum, securis inventrix; quam in bello Trojano Achilles occidit.

(q) *Nullus*) Sensus est Acontio prædam nullam a Cydippe expectandam, qualem ab Hippolyte Amazone Hercules reportavit. Desumtum est istud ex hujus Herois Historia, cui Eurystheus, ut sibi Amazonis illius balteum afferret, imperavit.

(r) *Verba*) Dare verba alicui significat etiam fallere. Dissimulata fere ea ambiguitate ludit Poeta.

Cydippen pomum, (*f*) pomum Schœneida cepit.
  Tu nunc (*t*) Hippomenes ſcilicet alter eris.
At fuerat melius, (ſi te (*u*) puer iſte tenebat,
  Quem tu neſcio quas dicis habere faces,)
More bonis ſolito ſpem (*x*) non corrumpere fraude.
  Exoranda tibi, non (*y*) capienda fui.
Cur, cum me peteres, (*z*) ea non profitenda putabas,
  Propter quæ nobis ipſe petendus eras?
Cogere cur potius, quam perſuadere volebas,
  Si poteram audita conditione capi?
Quid tibi nunc prodeſt (*a*) jurandi formula juris,
  Linguaque præſentem teſtificata Deam?
Quæ jurat, mens eſt: nihil conjuravimus illa.
  Illa fidem dictis addere ſola poteſt.
Conſilium prudenſque animi ſententia jurat,
  (*b*) Et niſi judicii vincula nulla valent.
Si tibi conjugium volui promittere noſtrum;
  Exige polliciti debita jura tori:
Sed ſi nil dedimus, præter ſine pectore vocem;
  Verba ſuis fruſtra viribus orba tenes.
Non ego juravi: legi jurantia verba.
  Vir mihi non iſto more (*c*) legendus eras.

INTERPRETATIO.

Pomum fefellit Cydippen, pomum fefellit Schœneida. Nimirum tu jam eris alter Hippomenes. At fuerat melius, (ſi iſte puer, quem tu ais gerere neſcio quas tædas, te urgebat,) ritu bonis familiari, non temerare ſpem dolis. Fui tibi precibus conſequenda, non fallenda. Quamobrem cum me ambires, non credebas ea confitenda, propter quæ ipſe eras nobis ambiendus? Quamobrem malebas vim facere quam perſuadere, ſi poteram pellici cognita cognitione? Cujus nunc eſt tibi utilitatis formula ſacramenti, & lingua teſtata Deam præſentem? Animus eſt qui jurat; nihil juravimus cum illo. Ille ſolus poteſt facere fidem prolatis. Conſilium & conſcia ſententia mentis jurat, & nulla vincula niſi voluntatis ſunt firma. Si volui tibi polliceri noſtrum connubium; repete jura debita lecti promiſſi, ſed ſi nihil exhibuimus niſi ſonum ſine voluntate; fruſtra habes voces deſtitutas ſuo valore. Ego non juravi; legi verba jurantia. Non eras mihi vir legendus iſto modo.

NOTÆ.

(f) *Schœneida*) *Atalantam Schœnei filiam*; de qua poſtea in Metam.

(t) *Hippomenes*) Hic fuit cujus dolo, aureis pomis currenti projectis, Atalanta tandem victa eſt.

(u) *Puer*) Cupido; quem ignorare virgo fingit.

(x) *Non corrumpere*) Sed potius aperte ambire, & ſibi ſponſam petere.

(y) *Capienda*) *Fraude circumvenienda.*

(z) *Ea non prof.*) Genus, puta, divitias, aliaque ejuſmodi quæ ambientes proci ſolent prætendere.

(a) *Jurandi*) *Formula juriſjurandi.* Gall. *Le ferment conçu dans les propres termes du Droit.*

(b) *Et niſi judicii*) Id eſt, & nullus, niſi qui attendit, & judicio ſuo utitur, ſacramento alligatur.

(c) *Legendus*) *Eligendus. Ludus verborum.*

(c) De-

(d) Decipe sic alias: succedat epistola pomo.
Si valet hoc; (e) magnas divitis aufer opes.
Fac jurent reges sua se tibi regna daturos;
Sitque tuum, toto quicquid in orbe placet.
Major es hac ipsa multo (mihi crede) Diana,
Si tua tam (f) præsens littera numen habet.
Cum tamen (g) hæc dixi, cum me tibi (h) firma negavi,
Cum bene promissi causa (i) peracta mei est;
Confiteor, timeo sævæ (k) Latoidos iram:
Et corpus lædi suspicor (l) inde meum.
Nam quare, quoties (m) socialia sacra parantur,
Nupturæ toties languida membra cadunt?
Ter mihi jam veniens positas Hymenæus ad aras
Fugit: & e thalami limine (n) terga dedit,
Vixque manu (o) pigra toties (p) infusa (q) resurgunt
(r) Lumina: (s) vix moto corripit igne faces,
Sæpe coronatis stillant unguenta capillis,
Et (t) trahitur multo splendida (u) palla (x) croco.

INTERPRETATIO.

Sic falle alias; epistola sequatur pomum. Si hoc est firmum, tolle magnas divitias locupletis. Fac Reges jurent se tibi tradituros sua regna, & tuum fiat quicquid arridet in toto mundo. Multo major es, (mihi crede) hac ipsa Diana, si tuum scriptum habet numen tam certum. Postquam tamen hæc dixi, postquam constanter me tibi recusavi, postquam causa promissi mei est bene perorata; fateor, metuo iram crudelis Latoidos; & suspicor meum corpus inde affligi. Nam quamobrem quoties sacra conjugalia adornantur, toties artus tabidi languent nupturæ? Jam ter Hymenæus accedens ad altaria mihi admota recessit: & vertit terga e limine cubiculi. Et lumina toties instillata manu segni ægre accenduntur: vix tædas capit igne concusso. Sæpe odores fluunt coma redimita, & palla fulgens multo croco trahitur.

NOTÆ.

(d) *Decipe*) Ab absurdo. Acontii dolum arguit.

(e) *Magnas*) *Eodem dolo divitias extorque*. Ineptam ut videtur. Acontii rationem irridet. At vero in superioris epistolæ argumento legem vidimus, qua Cydippes ratiocinatio tollitur.

(f) *Præsens*) *Certum & propitium*.

(g) *Hæc*) ea omnia intellige, quæ, ut Acontii dolum eluderet; dixit Cydippe.

(h) *Firma*) Pro *firmiter*.

(i) *Peracta*) *Achevée de plaider*.

(k) *Latoidos*) Dianæ, Latonæ filiæ. Patronymicum est Græcum, a Λατώ, Latona x in α demore mutato.

(l) *Inde*) A Dianæ ira.

(m) *Socialia*) Nuptiarum.

(n) *Terga dedit*) *Abivit*. Nuptiæ interruptæ sunt.

(o) *Pigra*) *Lassa*; toties accedendo.

(p) *Infusa*) Oleum nempe infunditur lampadibus.

(q) *Resurgunt*) *Accenduntur*.

(r) *Lumina*) *Faces Nuptiales*.

(s) *Vix moto*) Hypallage, *pro vix motis & adhibitis facibus corripit ignem*.

(t) *Trahitur*) *Et longa cyclade verrit humum*. Propert.

(u) *Palla*) Vestis est proprie muliebris exterior, qua palam utebantur.

(x) *Croco*) Lutei coloris esse crocum; atque eo colore, non modo nubentium flammeum, seu capitis tegumentum, sed alia quoque nuptiis dicata vestimenta fuisse alii observaverunt.

Cum

Cum tetigit limen, lacrymas mortisque timorem
Cernit; & a cultu multa (y) remota suo.
Projicit ipse suas (z) deducta fronte coronas,
Spissaque de (a) nitidis tergit (b) amoma comis.
Et pudet in tristi lætum consurgere turba:
Quique erat in palla, transit in ora (c) rubor:
At mihi (væ miseræ!) torrentur febribus artus:
Et (d) gravius justo pallia pondus habent.
Nostraque plorantes video super ora parentes:
Et, face pro thalami, fax mihi mortis adest.
Parce laboranti, picta (e) Dea (f) læta pharetra;
Daque salutiferam jam mihi (g) fratris opem.
Turpe tibi est, (h) illum causas depellere leti;
Te contra (i) titulum mortis habere meæ.
Nunquid, in umbroso cum velles fonte lavari,
Imprudens (k) vultus ad tua labra tuli?
(l) Præteriine tuas de tot cælestibus aras?
Atque tua est nostra (*) spreta parente parens;
Nil ego peccavi, nisi quod (m) perjuria legi;
Inque parum fausto carmine docta fui.

INTERPRETATIO.

Cum Hymenæus pervenit ad limen videt lacrymas & metum leti, & multa aliena ab ornatu suo. Ipse deripit fronte contracta sua serta & abstergit densa amoma de unctis capillis. Et festivam pudet exultare in mœsta turba: & rubor qui erat in palla transmittitur in vultum: At (væ miseræ:) membra mihi æstuant febribus; & pallia sunt æquo graviora. Et video parentes flentes super nostram faciem. Et tæda leti mihi adest pro tæda nuptiarum. Ignosce ægrotanti, Dea gaudens pharetra decora: & mihi jam præbe auxilium salutiferum fratris. Indecorum est tibi, illum removere causas mortis; te contra esse causam mei obitus. Anne cum velles ablui in fonte opaco, inscia converti oculos ad tua balnea? Omisine altaria tua de tot cælestibus? Anne & mater tua contemta est a nostra matre? Ego nihil admisi, nisi quod legi perjuria; & fui perita in carmine infelici.

NOTÆ.

(y) *Remota*) Enimvero cum lacrymis aut timore Hymenæus a nubentibus puellis non solet excipi.

(z) *Deducta*) *Contracta*, unde tristitia seu mœstitia cognoscitur.

(a) *Nitidis*) *Unguento delibutis.*

(b) *Amoma*) Pro quovis unguento. Est vero Amomum exoticus frutex, antiquis, in odoribus preciosus, ex cujus floribus Hymenæi corollæ.

(c) *Rubor*) Aliquid ex rubeo habet croceus color.

(d) *Gravius*) Propter debilitatem ex febri.

(e) *Dea*) Diana.

(f) *Læta Pharetra*) *Pharetrata.*

(g) *Fratris*) Apollinis, qui Medicæ præest.

(h) *Illum*) *Apollinem fratrem tuum.*

(i) *Titulum mortis habere*) *Causam esse mortis meæ.*

(k) *Vultus*) Immeritam se a Diana plecti queritur Cydippe: quæ nec ipsam nudam, sicut Actæon viderit, nec alio modo in ipsam peccaverit.

(l) *Præteriine*) Istud fecit Oeneus Calydoniæ rex; in cujus rei vindictam Diana

Oeneos ultorem spreta per agros
Misit aprum.

ut ipse loquitur Ovidius.

(*) *Spreta*) Alludit ad fabulam Niobes: cujus omnis proles, quod ea sese Latonæ præferre non dubitasset, Apollinis & Dianæ sagittis confecta est.

(m) *Perjuria*) Versus, qui perjuro locum præbuerunt.

Tu

(n) Tu quoque pro nobis, si non *(o)* mentitis amorem,
Thura *(p)* feras: prosint, quæ nocuere, manus.
Cur, quæ succenset, quod adhuc tibi pacta puella
Non tua sit; *(q)* fierine tua possit, agit?
Omnia de viva tibi sunt speranda: *(r)* quid aufert
Sæva mihi vitam, spem tibi Diva mei?
Nec tu credideris illum, cui destinor uxor,
Ægra superposita membra fovere manu.
Assidet ille quidem, quantum permittitur ipsi:
Sed *(ſ)* meminit nostrum virginis esse torum.
Jam quoque nescio quid de me sensisse videtur.
Nam lacrymæ causa sæpe latente cadunt.
Et minus audacter blanditur, & oscula (*) rara
Accipit, & timido me vocat ore suam.
Nec miror sensisse, notis cum prodar apertis.
In *(t)* dextrum versor, cum venit ille, latus.
Nec loquor, & tecto simulatur *(u)* lumine somnus;
(x) Captantem tactus rejicioque manum,
Ingemit, & tacito suspirat pectore: *(y)* meque
(z) Offensam, quamvis non mereatur, habet.
Hei mihi, quod gaudes, & te juvat ista *(a)* voluptas!
Hei mihi, quod sensus sum tibi fassa meos!

INTERPRETATIO.

Tu quoque, si non simulas amorem; adole thura pro nobis; manus quæ obfuerunt juvent. Quamobrem illa *quæ irascitur, quod puella tibi promissa non sit tua, efficis ne tua queat fieri? Omnia sunt tibi expectanda de vivente; quamobrem Dea crudelis tollit mihi vitam, tibi spem mei? Nec tu arbitratus fueris illum cui conjux addicor, calefacere artus morbidos manu admota. Ille quidem assidet, quantum ipsi conceditur; sed recordatur nostrum lectum esse virginis. Videtur jam quoque nescio quid olfecisse de me: nam lacrimæ sæpe* illi *defluunt causa occulta. Et minus libere me delinit, & sumit rara suavia, & me dicit suam ore pavido. Nec miror eum olfecisse, cum indicer signis manifestis. Quando ille accedit me averto in dextrum latus. Nec loquor, & somnus fingitur clausis oculis, & repello manum quærentem me tangere. Gemit; & suspirat pectore secreto; & me invenit infensam, quamvis immeritus. Me miseram, quod lætaris, & istud gaudium tibi prodest! Me miseram, quod tibi aperui mea cogitata!*

NOTÆ.

(n) *Tu quoque*) Jam ad Acontium sese convertit Cydippe.

(o) *Mentiris*) *Simulas quem non sentis Amorem.*

(p) *Ferat*) *Ad Dianæ altaria*, scil. *quo mihi fiat propitia.*

(q) *Fierine*) Videlicet Acontio non potuisset nubere mortua Cydippe.

(r) *Quid*) *Propter quid? Cur?*

(ſ) *Meminit*) Illibatam omnino virginitatem esse testatur.

(*) *Rara accipit*) Accipiebat tamen: quod durum Acontio.

(t) *Dextrum*) Alii dabent *lævum*, seu eodem; nam utrumlibet assumas, pari modo; Cydippem a sponso sese avertisse, intelligitur.

(u) *Lumine*) *Oculis.*

(x) *Captantem tactus*) *Volentem me tangere.*

(y) *Meque*) Imo *me quod*. Heinsius.

(z) *Offensam*) Imo *infensam*, quod ex illo intelligitur.

(a) *Voluptas*) Heinsius corrigit *simultas.*

(b) Si

(*b*) Si mihi lingua foret; tu nostra justius ira,
Qui mihi tendebas retia, dignus eras.
Scribis, ut invalidum liceat tibi visere corpus.
Es procul a nobis: (*c*) & tamen inde noces.
Mirabar, quare tibi nomen Acontius esset.
Quod faciat longe vulnus, (*d*) acumen habes.
Certe ego convalui nondum de vulnere tali;
Ut jaculo, scriptis eminus icta tuis.
Quid tamen huc venias? anne ut miserabile corpus,
Ingenii videas (*e*) bina (*f*) tropæa tui.
Concidimus macie; color est sine sanguine, qualem
In pomo (*g*) refero mente fuisse tuo.
Candida nec misto (*h*) sublucent ora rubore,
Forma (*i*) novi talis marmoris esse solet.
Argenti color est inter convivia talis,
Quod tactum gelidæ frigore pallet aquæ.
Si me nunc videas, visam prius esse negabis;
(*k*) Arte nec est, dices, ista petenda mea:
(*l*) Promissique fidem, ne sim tibi juncta, remittes,
Et cupies illud non meminisse Deam.
Forsitan & facies, jurem ut contraria rursus:
Quæque legam, mittes altera verba mihi,
Sed tamen aspiceres vellem, prout ipse rogabas,
Et discas sponsæ languida membra tuæ.

INTERPRETATIO.

Si liceret mihi dicere: tu qui mihi ponebas laqueos potius merebaris nostram iram. Scribis, ut tibi concedatur invisere corpus infirmum. Longe es a nobis; & tamen inde officis. Stupebam quamobrem nomen tibi esset Acontius; habes aciem qua plagam impingat e longinquo. Certe ego nondum valetudini sum restituta ex tali plaga, vulnerata ex longinquo tuis litteris, tanquam jaculo. Quamobrem tamen huc accedas? Anne ut aspicias corpus flebile, bina tropæa tui ingenii? Penitus languescimus macie; color est exsanguis, & pallidus: qualem recordor fuisse in pomo tuo. Nec facies nivea splendet suffuso rubore. Species nuper politi marmoris consuevit esse talis. Color argenti inter epulas, quod pallet madefactum frigore aquæ gelidæ, est talis. Si me nunc aspicias, negabis antea fuisse aspectam; nec dices, ista est ambienda meis dolis: & remittes fidem polliciti, ne sim tibi connexa; & optabis Deam non recordari illius. Forsitan etiam efficias ne rursus jurem opposita; & mihi mittas alia verba quæ legam. Sed tamen optarem videres, sicuti ipse orabas, & cognosceres artus infirmos tuæ sponsæ.

NOTÆ.

(b) *Si mihi lingua foret*) Locus corruptus. *Si me digna forem* argute elegantissimus Gronovius. *Heinsius*. Annon tamen sic possemus exponere, *Si mihi lingua foret*, id est, *Si mihi dicere liceret*.

(c) *Et tamen inde*) Quasi dicat; *Cur patiar ut propius accedas?*

(d) *Acumen*) *Cupidinem*. Quasi dicat. *Tu revera es jaculum*. Alludit ad nominis significationem; ἀκόντιον enim jaculum est latine.

(e) *Bina*) Prius cum ipsam versibus in pomo scriptis fefellit: posterius cum in eandem Dianæ iram excitavit.

(f) *Tropæa*) Signa sunt victoriæ, & hostis profligati ab hostium conversione & fuga græce sic dicta.

(g) *Refero mente*) *Animo reputo; in memoriam revoco.*

(h) *Sublucent*) Optime expressit.

(i) *Novi*) *Non a longo tempore secti, aut politi*. Album vero marmor intelligitur.

(k) *Arte*) *Dolis*.

(l) *Promissi*) Matrimonialem sponsionem.

Q (m) Du-

(*m*) Durius & ferro cum sit tibi pectus, Aconti;
Tu veniam (*n*) nostris vocibus ipse petas.
Ne tamen ignores, ope qua revalescere possim:
Quæritur a (*o*) Delphis fata canente Deo.
(*p*) Is (*q*) quoque (*r*) nescio quam nunc, (*ſ*) ut vaga fama susurrat,
(*t*) Neglectam queritur (*u*) testis habere fidem.
(*x*) Hoc Deus & (*y*) vates, hoc & mea (*z*) carmina dicunt,
(*a*) At desunt voto (*b*) carmina nulla tuo.
Unde tibi favor hic? nisi quod nova forte reperta est,
Quæ (*c*) capiat magnos littera lecta Deos.
(*d*) Teque tenente Deos, numen sequor ipsa Deorum:
Doque libens victas in tua vota manus.
Fassaque sum matri deceptæ fœdera linguæ,
Lumina fixa tenens plena pudoris humo.
Cætera cura tua est: (*e*) plus hoc quoque virgine factum.
Non timui tecum quod mea charta loqui.
Jam satis invalidos calamo lassavimus artus;
Et manus officium longius ægra negat.
Quid nisi, quod cupio me jam conjungere tecum,
Restat, ut adscribat littera nostra? *Vale.*

INTERPRETATIO.

Quamvis cor geras immitius etiam ferro, Aconti; tu ipse peteres veniam nostro nomine. Ne tamen nescias quo auxilio possim valetudini restitui: exquiritur a Deo prædicante fata Delphis. Ille quoque nunc, ut incerta fama murmurat, queritur nescio quam negligere fidem testis; Deus & vates, & mea carmina hoc prædicant. Ah! nulla carmina desituunt tua vota. Unde tibi hæc gratia? nisi quod forsitan novum scriptum inventum, quod lectum implicet magnos Deos. Te habente etiam Deos, ipsa consequor numen Deorum; & sponte trado manus superatas in tua desideria. Et aperui matri fœdera linguæ ludificatæ, desigens in terram oculos pudore suffusos. Reliqua cura est tua: hoc quoque factum ultra quam deceat virginem, quod mea charta non metuit tecum sermonem habere. Jam satis fatigavimus stylo membra infirma; & manus morbida recusat prolixius servitium. Quid superest ut nostra epistola adjiciat, Vale, nisi quod opto me jam tecum copulare?

NOTÆ.

(m) *Durius & ferro cum*) Putat ab auctore scriptum fuisse cl. Heinsius, *Durius et ferro jam*. Quidam pro *cum*, *si*, exhibent; quod idem Heinsius non adnotavit.

(n) *Nostris vocibus*) Adeoque & nomine.

(o) *Delphis*) Delphi, urbs Phocidis ad Parnassum montem, Apollinis oraculo celebris.

(p) *Is*) Apollo. Versum vero hunc, cum tribus sequentibus, quos ut inexplicabiles aliis discutiendos remisit Micylius, alii reliquerunt, ita explicare conabor, ut aliorum etiam judicio meam quoque explicationem libentissime subjiciam.

(q) *Quoque*) *Sicut & Diana.*

(r) *Nescio quam*) Puellam *scil.*

(ſ) *Ut vaga fama*) Dixerat *nescio quam*, quæ tamen eam se esse sciebat, adeoque ne mendacii argueretur, si ex se loqui videretur, *ut vaga fama susurrat*, addit.

(t) *Neglectam habere*) *Negligere* Terent. in Eunucho, *qui nos, nostramque adolescentiam habent despicatam.*

(u) *Testis*) Apollo; perjurii Cydippes, una cum sorore Diana conscius. Sensus itaque totius Distichi hic est, *Is quoque Apolo testis queritur nescio quam puellam (ut quidem fama loquitur) habere fidem neglectam.*

(x) *Hoc*) Neglectam esse fidem.

(y) *Vates*) Acontius *scilicet.*

(z) *Carmina*) Latenter indicat versus suos incerta manu aut etiam stylo scriptos, neglectam Dianam arguere, quæ morbum immiserit.

(a) *At*) Lego *Ah!*

(b) *Carmina nulla*) Ludit in vocibus homonymia, quæ incantationem, vaticinium, & versus significat: atque his omnibus usus est Acontius.

(c) *Capiat*) *Sicuti capta sum.*

(d) *Teque ten.*) *Quandoquidem Deos ipsos etiam tenes, propitios habes, & iis uteris.*

(e) *Plus hoc*) *Ultra quam virginem deceat.*

P. OVI-

P. OVIDII NASONIS

AMORUM LIBER I.

EPIGRAMMA.

QUI modo Nasonis fueramus (a) quinque libelli,
Tres sumus: (b) *hoc* (c) *illi* (d) *prætulit auctor opus*.
(e) *At jam nulla tibi nos sit legisse voluptas*,
(f) *Et levior demtis pœna duobus erit*.

INTERPRETATIO.

NOs qui fueramus nuper quinque libelli Nasonis, tres sumus: auctor magis probavit hoc opus illo. Quamvis jam nulla tibi contingat voluptas nos legisse; at labor minor erit duobus sublatis.

NOTÆ.

(a) *Quinque*) Hinc patet Ovidium plura, quam vulgaverit, Amorum volumina scripsisse; multaque ab ipso recognita & castigata fuisse. Quod iis laudabili exemplo esse potest qui lituras metuunt.

(b) *Hoc*) Opus, *scil*, trium libellorum.

(c) *Illi*) Quod quinque habebat.

(d) *Prætulit*) *Magis probavit*.

(e) *Ut*) *Quamvis*.

(f) *At levior*) Modestissima est Poetæ oratio; & benevolentiæ captandæ maxime idonea.

ELEGIA I.

Quod a Cupidine pro bellis amores scribere coactus sit.

ARma (*a*) gravi numero violentaque bella parabam
(*b*) Edere, (*c*) materia (*d*) conveniente (*e*) modis.
(*f*) Par erat (*g*) inferior versus: risisse Cupido
Dicitur, atque unum (*h*) surripuisse ipedem.

INTERPRETATIO.

COgitabam proferre arma & bella, sævo metro grandiloquo, materia accommodatæ modulationibus. Versus posterior erat æqualis: Cupido perhibetur risisse, atque furtim sustulisse unum pedem.

NOTÆ.

(a) *Gravi*) Heroico carmine, *scil.* quod est grandiloquum, & auctoritate plenum.

(b) *Edere*) *Versibus meis scribere*.

(c) *Materia*) Eo nomine appellatur argumentum, seu res, de qua in opere, Poemate pura, aliquo agitur.

(d) *Conveniente*) Enimvero Heroicum carmen dignitatem habet & pondus, magnis rebus, qualia sunt arma & bella describendis aptum.

(e) *Modis*) *Metrorum modulationibus*.

(f) *Par*) *Primo similis*.

(g) *Inferior*) *Secundus*.

(h) *Surripuisse*) *Clam & furtim rapuisse*, ut Amoribus non bellis convenientem versum efficeret, atque ita Poetam ad se perduceret.

(i) *Pedem*) Pes est in versu syllabarum & temporum certa dimensio. In Hexametro, ut nomen ipsum indicat, sex numerantur, ex quibus unum si detrahas Pentameter efficitur Elegiacus, scribendis Amoribus aptus.

(k) Quis tibi, læve puer, dedit (l) hoc in carmina juris?
(m) Pieridum vates, non tua turba, sumus.
(n) Quid, si præripiat flavæ Venus (o) arma Minervæ;
(p) Ventilet accensas flava Minerva (q) faces?
Quis probet (r) in silvis (ſ) Cererem (t) regnare jugosis?
Lege (u) pharetratæ virginis arva coli?
Crinibus insignem quis acuta (x) cuspide Phœbum
Instruat, (y) Aoniam Marte movente (z) lyram?
Sunt tibi magna, puer, (a) nimiumque potentia regna,
Cur opus affectas, ambitiose, (b) novum?
An, quod ubique, tuum? tua sunt (c) Heliconia (d) Tempe?
(e) Vix etiam Phœbo jam lyra tuta sua est?
(f) Cum bene surrexit versu nova pagina primo;
(g) Attenuat (h) nervos protinus ille meos.

INTERPRETATIO.

Quis tibi tribuit hoc imperii in versus, puer crudelis? Nos *Poetæ sumus cœtus musarum non tuus. Quid, si Venus auferat arma flammæ Minervæ: Minerva flava agitet tædas inflammatas? Quis laudet Cererem imperare in silvis montosis? Agros subigi lege virginis pharetra instructæ? Quis armet Phœbum decorum crinibus, mucrone acuto, Marte pulsante lyram Aoniam? Obtines magna imperia, puer, & nimium valida. Quamobrem, ambitiose, appetis insolitum opus? An tuum est quodcunque est ubique? Tempe Heliconia suntne tua? Vix etiam sua lyra est jam secura Phœbo? Cum nova pagina bene aucta est versiculo primo, ille statim minuit chordas meas.*

NOTÆ.

(k) *Quis*) In Amorem invehit Poeta.

(l) *Hoc*) *Ut illis pedes possit amputare.*

(m) *Pieridum*) *Musarum.* A Pierio monte dictæ Musæ Pierides.

(n) *Quid si*) Unumquemque negotia resque suas curare debere, non in aliena involare, ab absurdo amori probari pergit Poeta.

Que seroit-ce si Venus ostoit le casque a la blonde Pallas?

(o) *Arma*) Belli, ut sapientiæ Deam esse Minervam, notius est, quam, ut cognoscatur, eam opus sit casside, scuto, & lancea instruere, aut noctua stipare.

(p) *Ventilet*) Ut magis accendat. Quod Veneris est officium.

(q) *Faces*) Amoris intellige, quibus hominum corda vulnerat.

(r) *In silvis*) Ubi Diana regnat.

(ſ) *Cererem*) Frugum Deam.

(t) *Regnare*) Difficile est ibi feliciter provenire segetes, ubi ligna, montes, feræ, &c.

(u) *Pharetratæ*) Dianæ.

(x) *Cuspide*) *Hastas* qua in Bello Deus Mars utitur.

(y) *Aoniam*) Aonia Bœotiæ est pars montana, Musis sacra; unde, quamobrem lyra Aonia dicatur, perspicuum est.

(z) *Lyram*) Quæ non Martis, seu Apollinis seu Phœbi est instrumentum.

(a) *Nimiumque potentia*) Jus enim habet cæcus puer etiam in Deos Dominos.

(b) *Novum*) Versus facere.

(c) *Heliconia*) Vireta quæ ad Heliconem, Bœotiæ montem, Musis virginibus sacrum, sunt.

(d) *Tempe*) Vallis est Thessaliæ, inter Olymdum & Ossam montes, juxta Peneum fluvium lætissima: cujus nomine amœnissima quæque loca vocantur.

(e) *Vix*) Siquidem singulis sua præripere Amor instituat, jamque ad Musicam artem furtivas manus admoverit.

(f) *Cum bene*) *Cum vehementi spiritu bella scribere institui, primumque versum signavi.*

(g) *Attenuat*) *Minuit.* Enimvero Pentameter Hexametro uno pede est brevior.

(h) *Nervos*) *Vires*; quæ per nervos exeruntur.

Nec

Nec mihi materia est *(i)* numeris levioribus apta,
Aut puer, aut longas *(k)* comta puella comas.
(l) Questus eram; pharetra cum protinus ille soluta
(m) Legit in exitium spicula facta meum:
(n) Lunavitque *(o)* genu sinuosum fortiter arcum;
Quodque canas, vates, (p) accipe, dixit, *opus*.
Me miserum! *(q)* certas habuit puer ille sagittas.
(r) Uror; & in *(ſ)* vacuo pectore regnat Amor.
(t) Sex mihi *(u)* surgat opus numeris; in *(x)* quinque *(y)* residat.
Ferrea cum vestris bella valete modis.
(z) Cingere *(a)* litorea *(b)* flaventia tempora *(c)* myrto,
(d) Musa, per *(e)* undenos emodulanda pedes.

INTERPRETATIO.

Nec materiam habeo idoneam modis tennioribus, seu puerum, seu puellam cujus sint ornati prolixi capilli. Conquestus eram; cum ille continuo repetita pharetra dispexit sagittas paratas in meam ruinam; & genu tetendit strenue arcum curvatum; & inquit, Tene, poeta, opus quod cantes. *Hei mihi! ille puer habuit spicula certa. Ardeo; & Amor imperat in corde inani. Opus mihi initium ducat sex pedibus, in quinque desinat. Bella dura discedite cum vestris modis. Musa fingenda per numeros undenos redimitor tempora flaventia myrto littorea.*

NOTÆ.

(i) *Numeris levioribus*) De versu Elegiaco loquitur, qui propter Pentametrum præsertim levior hoc in loco dicitur.

(k) *Comta comas*) Pro *comtas habens comas*. Græcismus; cujusmodi sæpe Horatius utitur.

(l) *Questus eram*) *Quod, nulla mihi ad elegos occurrente materia, vires ad scribendum heroicum carmen subtraxisset.*

(m) *Legit*) *Delegit*: Gall. *Il choisit des fleches*.

(n) *Lunavit*) *Curvavit*.

(o) *Genu*) Qui arcus tractant, quantum sibi, ex genu, virium in intendendis iis accedat, optime norunt. Hinc noster Metam. 5.

Oppositoque genu curvavit flexile cornu.

(p) *Accipe*) intelligendum est, eo tempore quo saggitam immisit, & Poeta vulneratus est, istud dixisse Amorem.

(q) *Certas*) Certæ dicuntur Cupidinis sagittæ, quod nunquam a scopo aberrent.

(r) *Uror*) Amore *scil.* Cupidinis ictus sagitta.

(ſ) *Vacuo*) *Antequam vulneraretur libero.*

(t) *Sex*) Tot sunt in Hexametro pedes.

(u) *Surgat*) Elegos scripturum se, versibus Hexametris, & Pentametris constantes, materia jam ab Amore large præbita indicat Ovidius.

(x) *Quinque*) Numeros *scil.* seu pedes, quibus Pentameter clauditur.

(y) *Residat*) Videtur vero Hexameter pedem & cursum suum in Pentametro sistere.

(z) *Cingere*) Musam compellat, quam lubentem & hilarem cupit habere.

(a) *Littorea*) *Littora amante*.

(b) *Flaventia*) Musis flavi crines affinguntur.

(c) *Myrto*) Quæ Veneri dicata est, atque in sertis, coronis, & odoribus adhibetur.

(d) *Musa*) Erato præsertim intelligitur, a cavendis Amoribus nomen græce sortita: nisi mavis Elegiam cum Poeta appellare.

(e) *Undenos*) Undecim vero in Hexametro & Pentametro, seu versu Elegiaco, numerantur pedes. *Undenos* autem dixit, non *undecim* signate, quia recurrunt alterna carmina.

ELEGIA II.

Quod primo amore correptus, in triumphum duci se a Cupidine patiatur.

ESse quid hoc dicam, quod tam mihi (*a*) dura videntur
(*b*) Strata, neque in lecto (*c*) pallia nostra (*d*) sedent?
Et vacuus somno noctem, (*e*) quam longa, peregi;
Lassaque versati corporis ossa dolent?
(*f*) Nam puto sentirem, si quo tentarer amore.
An subit, & tacita callidus arce nocet?
(*g*) Sic erat: hæserunt tenues in corde (*h*) sagittæ:
Et possessa ferus pectora (*i*) versat Amor.
(*k*) Cedimus; an subitum luctando accendimus ignem?
Cedamus; leve fit, quod (*l*) bene fertur, onus.
Vidi ego jactatas mota face crescere flammas:
Et vidi nullo concutiente mori.
Verbera plura ferunt, quam quos (*m*) juvat (*n*) usus aratri,
Detrectant pressi dum juga (*o*) prima boves.
Asper equus duris (*p*) contunditur ora (*q*) lupatis:
Frena minus sentit, quisquis (*r*) ad arma facit.

INTERPRETATIO.

QUid credam hoc esse quod lectus mihi videtur tam durus, neque vestimenta nostra maneant in eo? Et transmisi noctem quam prolixa est insomnem; & corporis agitati ossa defessa dolent? Nam credo advertere m, si aliquo amore correptus essem. An irrepit; & versutus officit dolo furtivo? Sic erat: spicula exigua steterunt cordi infixa: & amor sævus concutit corda obsessa. Cedimusne? an augemus flammam repentinam agitando? Cedamus: sarcina quæ æquo animo fertur fit levis. Ego adverti flammas agitatas augeri face concussa: & adverti extingui nemine jactante. Tauri læsi dum recusant prima juga, patiuntur plura flagra quam quos consuetudo aratri non lædit. Equus indomitus læsa habet ora asperis lupatis: Ille minus premitur freno, quisquis aptus est ad arma.

NOTÆ.

(a) *Dura*) Ita videntur iis qui noctem insomnem ducunt.

(b) *Strata*) Vestimenta sunt, quibus lectus sternitur.

(c) *Pallia*) *Vestes*.

(d) *Sedent*) Qui dormire nequit, sese sæpius versando & agitando omne tandem stragulum excutit.

(e) *Quam longa*) Fuit *scil. Tant qu'elle a esté longue*.

(f) *Nam puto*) Quam ingeniose, vides, dum dissimulat, Amoris ostendit calliditatem qui furtim in amantium animos obrepit.

(g) *Sic*) *Furtim animum meum irrepserat*.

(h) *Sagittæ*) Amoris *scil.* quibus ad amandum impellitur.

(i) *Versat*) *Quocumque cupit, violenter agit*.

(k) *Cedimus? an*) *Utrum melius est?*

(l) *Bene*) *Patienter*.

(m) *Juvat*) *Non lædit*.

(n) *Usus*) *Consuetudo*.

(o) *Prima*) Solent juvenci qui nunquam jugum tulerunt, illud impatienter accipere, & excutere; unde etiam verberantur.

(p) *Contunditur ora*) *Ora contusa habet*. Græcismus.

(q) *Lupatis*) Sunt lupata fræna asperiora, quibus pulli & indomiti equi coercentur.

(r) *Ad arma facit*) *Bello aptus est*, adeoque freno obtemperat.

Achius

Acrius invitos, multoque ferocius urget,
Quam qui (*s*) servitium ferre fatentur, amor.
En ego confiteor: tua sum nova præda Cupido.
Porrigimus vinctas ad tua jura manus.
(*t*) Nil opus est bello: pacem veniamque rogamus.
Nec tibi laus, armis victus inermis, ero.
(*u*) Necte comam myrto: (*x*) maternas (*y*) junge columbas.
Qui (*z*) deceat, currum (*a*) vitricus ipse dabit.
Inque dato curru, populo clamante (*b*) triumphum,
Stabis; & (*c*) adjunctas arte (*d*) movebis aves.
Ducentur juvenes capti, captæque puellæ:
Hæc tibi magnificus pompa triumphus erit.
Ipse ego præda recens factum modo vulnus habebo:
Et nova (*e*) captiva (*f*) vincula mente feram.
(*g*) Mens bona ducetur manibus post terga retortis,
Et Pudor, & castris quidquid Amoris obest.
(*h*) Omnia te metuent: ad te sua brachia tendens
Vulgus, *Io*, magna voce, *Triumphe*, canet.

INTERPRETATIO.

Amor urit vehementius, & multo crudelius reluctantes, quam qui profitentur tolerare servitutem. Ecce ego agnosco: sum tua recens præda, o Cupido: tendimus manus connexas ad tua imperia. Nihil opus est bello: oramus pacem & veniam. Nec futurus sum tibi gloria nudus armis superatus. Redimito capillos myrto; jugato columbas maternas. Ipse vitricus præbebit currum qui deceat; Et sedebis in curru tradito, populo vociferante triumphum; & reges perite aves jugatas. Juvenes correpti & puellæ correptæ vehentur. Hæc pompa erit tibi splendidus triumphus. Ipse ergo rapina nova, habebo plagam modo impactam; & gestabo novas catenas animo captivo. Mens sana transvehetur manibus revinctis post terga, & pudor, & quicquid nocet castris amoris. Omnia te timebunt: vulgus ad te porrigens suos lacertos, cantabit elata voce. Io Triumphe.

NOTÆ.

(s) *Servitium*) Sui itaque juris non est qui amat.

(t) *Nihil opus*) *Quia me tibi dedo.*

(u) *Necte comam*) Cupidinem hortatur, ut se ad triumphum, cujus elegantissimam descriptionem in sequentibus habemus, accingat.

(x) *Maternas*) Matri Veneri consecratas, quæ ejus etiam currum trahere finguntur.

(y) *Junge*) *Ut currum tuum trahat.*

(z) *Deceat*) Nimirum triumphantibus convenit Matris currus: Amori etiam, qui fera bella gerit.

(a) *Vitricus*) Mors; qui cum Venere Cupidinis matre concubuit.

(b) *Triumphum*) *Io Triumphe* vox erat militum suum Imperatorem cum lætitia prosequentium; quam vocem a Baccho) (qui & Triumphus Θρίαμβος dictus est) Auctore Varrone, ortam volunt; cum ea acclamatione erga Liberum patrem India potitum, usi sint primo ejus milites.

(c) *Adjunctas*) *Currui alligatas.*

(d) *Movebis*) Amori vero quantumvis puero nihil est difficile.

(e) *Captiva*) Raro vero captivorum mens capitur.

(f) *Vincula*) Vincti in triumphum ducebantur captivi.

(g) *Mens bona*) Enimvero sanus non est, qui cæco Deo servit.

(h) *Omnia*) Plus est multo quam si dixisset *omnes*: nam in bruta, & inanimata etiam Amoris imperium Poetæ protulerunt.

(i) Blanditiæ comites tibi erunt, *(k)* Errorque, furorque;
Aſſidue partes turba ſecuta tuas.
His tu militibus ſuperas hominesque Deosque:
Hæc tibi ſi demas *(l)* commoda, *(m)* nudus eris.
Læta triumphanti de ſummo *(n)* mater *(o)* Olympo,
Plaudet; & oppoſitas ſparget in ora *(p)* roſas.
Tu, *(q)* pennas gemma, *(r)* gemma *(ſ)* variante capillos,
Ibis in auratis *(t)* aureus ipſe *(u)* rotis.
Tum quoque non paucos (ſi te bene novimus) ures:
Tum quoque præteriens vulnera multa dabis.
(x) Non poſſunt (licet ipſe velis) ceſſare ſagittæ.
(y) Fervida vicino flamma *(z)* vapore nocet.
(a) Talis erat domita Bacchus *(b)* Gangetide terra.
(c) Tu *(d)* gravis alitibus; tigribus ille fuit.
Ergo, ego cum poſſim ſacri pars eſſe triumphi,
Parce tuas in me *(e)* perdere, victor, opes.
Aſpice *(f)* cognati felicia Cæſaris arma,
Qua vicit, victos protegit ille manu.

INTERPRETATIO.

Illecebra, & error, & furor, turba ſemper addicta tuis partibus, erunt tibi comites. Tu vincis his militibus & homines & Deos: ſi tibi ſubtrahas has copias, vacuus eris. Mater feſtiva tibi triumphanti gratulabitur ex ſupremo Olympo; & mittet in vultus roſas admotas. Tu gemma diſtinguente pennas, gemma decorante comam, veheris curru ſplendido, ipſe ſplendidus. Tum quoque (ſi bene te novimus) inflammabis multos: tum quoque tranſiens infliges multas plagas Spicula (quamvis ipſe cupias) non poſſunt quieſcere. Flamma ardens officit calore propinquo. Talis erat Bacchus tellure Gangetide ſubacta. Tu es onerosus avibus: Ille fuit tigribus. Ergo, cum poſſim eſſe pars ſacri triumphi, noli victor male conſumere adverſus me tuas vires. Intuere proſpera arma Cæſaris conſanguinei: Ille tuetur ſubactos manu qua ſubegit.

NOTÆ.

(i) *Blanditiæ*) —— *Venuſtas, Gaudium, Jocus, ludus, ſermo, ſuavis ſententia.* Plaut.
que omnia Amorem maxime nutriunt.

(k) *Error*) Hinc licet cognoſcere, quam ſit Cupido puer amabilis.

(l) *Commoda*) *Quæ tibi ſunt uſui.*

(m) *Nudus*) *Inermis & ſine viribus.* Veriſſime.

(n) *Mater*) Venus.

(o) *Olympo*) Mons eſt Theſſaliæ, ob cujus altitudinem cœlum ipſum Olympus a Poetis dictus eſt.

(p) *Roſas*) Quæ Veneri ſunt ſacræ.

(q) *Pennas*) *Alas.*

(r) *Gemma*) Alii habent *gemina*: ut idem quod Maro dixerit Poeta noſter, *paribus alis*.

(ſ) *Variante*) *Diſtinguente & ornante.*

(t) *Aureus*) *Pulcher.*

(u) *Rotis*) *Curru.*

(x) *Non poſſunt*) Quam facile & pronum ſit in amorem prolabi, indicat.

(y) *Fervida*) *Etſi*, inquit, *facularum tuarum ignis hominum cordibus non applicetur, vicino tamen vapore urit.*

(z) *Vapore*) *Calore.*

(a) *Talis*) *Qualis tu es*, ſupple *triumphator*.

(b) *Gangetide*) Terram Indicam intelligit, a Gange maximo fluvio ſic dictam.

(c) *Tu gravis*) Differentia inter Bacchum & Cupidinem hæc fuit, quod illius currus tigribus, hujus columbis traheretur.

(d) *Gravis*) Nimirum gravis eſt animalibus currum trahentibus qui in eo ſedet.

(e) *Perdere*) Fruſtra vero ille ſuas vires exerceat, qui in victum inſurgat.

(f) *Cognati*) A Venere per Æneam, & Julum genus ducere gentem Juliam voluerunt Principum adulatores.

ELE-

ELEGIA III.

Ad Amicam.

JUsta præcor: quæ me nuper *(a)* prædata puella est,
Aut amet, aut faciat cur ego semper amem.
Ah nimium volui! tantum patiatur amari.
Audierit nostras tot *(b)* Cytherea preces.
Accipe, per longos tibi qui deserviat annos:
Accipe, qui pura norit amare fide.
Si me non veterum commendant magna parentum
Nomina; nec nostri sanguinis auctor eques;
Nec meus innumeris *(c)* renovatur campus aratris;
Temperat & sumtus parcus uterque parens;
At Phœbus, *(d)* comitesque novem, *(e)* vitisque repertor;
(f) Hoc faciant: &, me qui tibi donat, Amor;
Et nulli cessura fides: sine crimine mores:
Nudaque simplicitas, *(g)* purpureusque pudor.
Non mihi *(h)* mille placent: non sum *(i)* desultor Amoris
Tu mihi (*(k)* si qua fides) cura perennis eris.
Tecum, quos dederint annos mihi fila *(l)* sororum,
Vivere *(m)* contingat; teque *(n)* dolente mori.

INTERPRETATIO.

ÆQua oro: aut puella quæ nuper me cepit, amet, aut præstet, quamobrem ego semper amem. Ah! nimium expetivi tantum sinat se amari. Cytherea exaudiverit tot nostras petitiones. Recipe, qui tibi serviat per multos annos; recipe, qui sciat amare sincera fide. Si nomina magnifica antiquorum avorum non me decorant; nec eques est auctor nostri sanguinis; nec ager meus iteratur innumeris aratris, & parens uterque tenax modum facit impensæ; At Phœbus, & comites novem, & inventor vitis hoc agant: & amor qui me tuum facit: & fides nulli secunda: mores inculpati: & sincera ingenuitas; & pudor purpureus. Mille non me juvant: non sum desultor amoris. Tu (si quam mihi fidem habes) eris mihi cura perpetua. Obveniat mihi transigere tecum ætatem quam fila sororum indulserint: & excedere vita te afflicta:

NOTÆ.

(a) *Prædata*) *Suum fecit*. In eadem a re militari petita metaph. persistit.

(b) *Cytherea*.) Venus a Cytheris Insula ad quam mari emergens primum appulit.

(c) *Renovatur*, *Instauratur*, *Colitur*; *tametsi multa jugera non possideo*.

(d) *Comitesque*) Musæ.

(e) *Vitisque repertor*) Bacchus; qui adeo sordidarum potatiuncularum non est Deus, ut potius bonorum artium auctor sit; quem & carmina docentem in remotis rupibus vidisse, alicubi testatur Flaccus.

(f) *Hoc faciant*) *Me commendent*.

(g) *Purpureus*) Ab effectu; pudor enim rubore ora inficit.

(h) *Mille*) Puellæ, *scil*.

(i) *Desultor*) Proprie is est, qui ab uno in alium equum novit transultare. Quid sit vero desultor Amoris, satis ex eo quod dixit, *Non mihi mille placent*, intelligitur.

(k) *Si qua fides*) *Si mihi credis: Si meis verbis fidem adhibes*.

(l) *Sororum*) Parcarum; quæ lanificio suo, hominibus sortem assignare, & eorum vitam nere, creditæ sunt.

(m) *Contingat*) Optantis est.

(n) *Dolente*) Codex regius habet *moriente*, scripsisse Poetam putat Heinsius *obeunte*.

Te

Te mihi materiem (o) felicem in carmina præbe;
Provenient causa carmina digna sua.
Carmine (p) nomen habent (q) exterrita cornibus (r) Io;
Et (ſ) quam (t) fluminea lusit adulter ave:
(u) Quæque, super pontum (x) simulato vecta juvenco.
Virginea tenuit cornua (y) vara manu.
Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem:
Junctaque semper erunt (z) nomina nostra tuis.

INTERPRETATIO.

Dato te mihi materiam latam in versus; versus fluent digni sua causa. Io tremefacta cornibus, & quam adulter fefellit alite fluviali, nacta sunt famam versibus; & quæ ablata per æquor ficto tauro, corripuit cornua vara, manu puellari. Nos etiam pariter celebrabimur per omnes terras & laus nostra semper erit connexa tua.

NOTÆ.

(o) *Felicem*) Felix vero fuerit materia, si se amari patiatur, aut mutuo amore teneatur puella: Quod petit Poeta.

(p) *Nomen habent*) *Celebres facta sunt*. Significat vero Auctor amicam suam, si ipsa velit, carminibus suis nomen gloriamque consecuturam.

(q) *Exterrita cornibus*) Postquam in vaccam a Jove, Junonis metu transmutata est: Quam fabulam plenissime postea in Metam. videbimus.

(r) *Io*) Inachi Argivorum fluvii fuit filia; quam Jupiter amavit.

(ſ) *Quam*) Læda est, Castoris, & Pollucis mater, quam Jupiter Cygni forma indutus viriavit.

(t) *Fluminea*) Nimirum Cygni aquis & fluviis gaudent.

(u) *Quæque*) Europa est, Agenoris Phœnicum regis filia; quam Jupiter in taurum versus rapuit, ac in Cretam transportavit.

(x) *Simulato*) Ille enim qui Taurus videbatur Jupiter erat.

(y) *Vara*) *Introrsum & in se invicem curva*; qualia sunt plurima taurorum cornua.

(z) *Nomina*) Atque adeo laudes.

ÊLEGIA IV.

Amicam, qua arte, quibusve nutibus in cœna præsente viro uti debeat, admonet.

VIr tuus est epulas (a) nobis aditurus easdem.
Ultima cœna tuo sit, precor, illa viro.
Ergo ego dilectam tantum convitia puellam
Aspiciam? tangi quem juvet, alter erit?
Alteriusque sinus apte subjecta fovebis?
Injiciet collo, cum volet, ille manum?

INTERPRETATIO.

MAritus tuus venturus est nobiscum ad idem convivium. Oro illa sit ultima cœna marito tuo. Ergo ego conviva intuebor tantum puellam amatam? alius erit, cui gratum sit tangi. Et apposite subdita calefacies pectora alterius? Ille imponet manum collo, quando libetis?

NOTÆ.

(a) *Nobis*) Pro *nobiscum*, quod est in aliis. Græcismus; quo & Claudianus, & Lucretius, & ipse Cicero usus est.

(b) De-

(b) Desine mirari, posito, quod candida, vino
(c) Atracis *(d)* ambiguos traxit in arma viros.
Nec mihi *(e)* silva domus, *(f)* nec equo mea membra cohærent,
(g) Vix a te videor posse tenere manus.
Quæ tibi sint facienda tamen, cognosce: *(h)* nec *(i)* Euris
Da mea, nec *(k)* tepidis verba ferenda Notis.
Ante veni, quam vir; nec quid, si veneris ante,
Possit agi, video: sed tamen ante veni.
Cum (l) premet ille *(m)* torum, vultu comes ipsa modesto
Ibis, ut accumbas, clam mihi tange pedem.
Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem:
Excipe furtivas, & refer ipsa, *(n)* notas.
Verba superciliis sine voce loquentia dicam:
Verba leges *(o)* digitis, verba notata *(p)* mero.
Cum tibi succurret Veneris lascivia nostræ;
Purpureas tenero pollice tange genas.
Si quid erit, de me tacita quod mente *(q)* queraris;
Pendeat *(r)* extrema mollis ab aure manus:

INTERPRETATIO.

Ne mireris, quod splendida Atracis pellexit in arma viros bimembres vino admoto. Nec silva est *mihi sedes, nec mei artus sunt connexi equo: ægre videor posse abstinere manus a te. Disce tamen quæ sint tibi præstanda: nec trade meas voces rapiendas subsolanis, nec calidis austris. Adesto prius quam maritus: nec prospicio quid possit fieri, si ante adveneris: sed tamen ante veni. Postquam ille accubuerit, ipsa comes accedes facie verecunda, ut assideas; furtim premo mihi pedem. Me intuere, & nutus meos, & faciem garrulam: excipe signa clandestina & ipsa redde. Proferam superciliis verba significantia, sine voce: leges verba signata digitis,* leges *verba* signata *vino. Cum protervia Veneris nostra tibi obversabitur, tange genas purpureas molli pollice. Si quid erit quod pectore secreto de me doleat, manus tenera pendeat ab ultima auricula.*

NOTÆ.

(b) *Desine mirari*) Scopus est, ab exemplo, omnia posse amorem, aut ad omnia cogere posse zelotypiam, ostendere.

(c) *Atracis*) Patronymicum nomen est ab Atrace. Hippodamia vero, Pirithoi uxor intelligitur, de qua in Helenæ epistola: Cujus causa inter Centauros, & Herculem, Theseum, aliosque, grave jurgium, deinde & certamen fuit.

(d) *Ambiguos*) Centauros bimembres intelligit, qui partim homines, partim equi videbantur.

(e) *Silva*) Quæ centauris domo fuit.

(f) *Nec equo*) Sicut Centauris: *Non sum Centaurus*, uno verbo.

(g) *Vix a te*) Dicit se propemodum idem, quod Centauri fecerunt, incepturum, atque amicam marito suo erepturum.

(h) *Nec Euris*) Id est, *Nec ea quæ dicam contemne, aut eorum, obliviscere.* Proverbialis locutio, nostris etiam hominibus familiaris.

(i) *Euris*) Eurus ventus est ab Ortu spirans.

(k) *Tepidis*) Quia a meridie veniunt.

(l) *Premet.*) Alii habent *premit*; quod clar. Heinsius magis probavit.

(m) *Torum*) *Lectum*; in quo discumbere cibum sumturi veteres solebant.

(n) *Notas*) *Signa*; quibus invicem suos sensus, sine voce exprimunt amantes.

(o) *Digitis*) Quibus transversis, aut quoquo modo implicatis litteras formant amantes; ut ita sensus suos manifestent

(p) *Mero*) Vini guttulis super mensa, aut orbe diductis.

(q) *Quereris*) Alii *loquaris*.

(r) *Extrema*) *Est in aure ima*, inquit Plinius, *memoriæ locus, quem tangentes antestamur.*

Cum

Cum tibi, quæ faciam, mea lux, dicamve, placebunt;
Verſetur digitis anulus uſque tuis.
(ſ) Tange manu menſam, quo tangunt more precantes;
Optabis merito cum mala multa viro.
(t) Quod tibi miſcuerit, ſapias, (u) bibat ipſe jubeto:
Tu (x) puerum leviter poſce, quod ipſa velis.
Quæ tu reddideris, ego (y) primus pocula ſumam:
Et qua tu biberis, hac ego parte bibam.
Si tibi forte dabit, quos prægustaverit ipſe,
Rejice libatos illius ore cibos.
Nec premat impoſitis ſinito tua colla lacertis:
Mite nec in rigido pectore pone caput.
Nec (z) ſinus admittat digitos; (a) habileſve papillæ.
Oſcula præcipue nulla dediſſe velis.
Oſcula ſi dederis, fiam manifeſtus amator.
Et dicam, *Mea ſunt*: injiciamque manus:
Hæc tamen aſpiciam: ſed quæ bene (b) pallia celant,
Illa mihi (c) cæci cauſa timoris erunt.
Nec femori committe femur, nec crure cohære.
Nec tenerum duro cum pede junge pedem.

INTERPRETATIO.

Cum agam, vel loquar quæ tibi grata erunt, mea vita; anulus indeſinenter volvatur digitis tuis. Tene menſam manu quomodo tenent orantes; cum jure multa mala marito precaberis. Impera ipſe hauriat quod tibi temperaverit, ſapias: Tu pete furtim a ſervo quod ipſa cupias. Ego primus carpam pocula quæ tu reſtitueris, & ego bibam hac parte qua tu biberis. Si tibi forſitan porriget dapes quas ipſe deliberavit, ſperne tactas illius ore. Nec permitte urgeat tua colla brachiis admotis: Nec reclina blandum caput in ſinus aſperos. Nec pectus, vel turgidula mamillæ accipiant ejus digitos. Nolis præſertim obtuliſſe ulla ſuavia. Si præbueris ſuavia, fiam apertus amator, & dicam mea ſunt: *& immitam manus. Hæc tamen intuebor: ſed quæ veſtes bene tegunt, illa erunt mihi cauſa inſani metus. Nec conſere femur femori, nec tibiis conjungaris: nec compone mollem pedem cum pede aſpero.*

NOTÆ.

(ſ) *Tange*) Seneca controverſ. lib. 9. *In convivio conſtitit catenatus, qui cum languentes Prætoris oculos aſpexit, exiſtimans ipſum Prætoris beneficio dimitti, gratias iſti agere, & utriuſque manibus menſam teneat, Di*, inquit *immortales tibi parem gratiam referant.* Maximæ efficaciæ exiſtimabant antiqui eſſe eam orationem, quæ manibus ad aras admotis, funderetur. Virg. 6. Æn.

Talibus orabat dictis, araſque tenebat.

(t) *Quod tibi miſcuerit*) *Quem potum tibi præbuerit.*

(u) *Bibat ipſe jubeto*) Ex zelotypia iſtud præcipit; ne cum Amoris & grati animi indicio, a marito ſuo aliquid accipientem amicam videat.

(x) *Puerum*) Miniſtrum, qui pocula præbet.

(y) *Primus*) Quod ſolent amantes.

(z) *Sinus*) *Tuus* ſcil.

(a) *Habileſve*) Parvæ, rotundæ, & turgidulæ, non flaccidæ, aut pendentes; quales Horat. *putres*; Martialis, *pannoſas*; Propert. *inclinatas* appellat.

(b) *Pallia*) *Veſtes.*

(c) *Cæci*) *Maximi & inſani*; non enim Micylli interpretatio placet; qui occultum & latentem exponit.

Mul-

Multa miser timeo, quia feci multa proterve:
Exemplique metu torqueor ipse mei.

. . . .

Hoc tu non facies: sed ne fecisse puteris,
Conscia de gremio pallia deme tuo.
Vir bibat usque roga: precibus tamen oscula desint.
Dumque *(d)* bibit, furtim (si potes) adde *(e)* merum.
Si bene *(f)* compositus somno vinoque jacebit;
Consilium nobis resque locusque dabunt.
(g) Cum surges abitura domum, surgemus & omnes,
In medium turbæ fac memor agmen eas.
Agmine me invenies, aut *(h)* invenieris in illo.
Quidquid ibi poteris tangere, tange mei.
Me miserum! paucas monui quod prosit in horas.
Separor a domina nocte jubente mea.
Nocte vir *(i)* includet: lacrymis ego mœstus obortis,
Qua licet, ad sævas prosequar usque fores.
Oscula jam sumet: jam non tantum oscula sumet.
Quod mihi das furtim, jure coacta dabis.
Verum invita dato (potes hoc) similisque coactæ:
(k) Blanditiæ taceant; sitque maligna Venus.
Si mea vota valent, illum quoque nil juvet opto:
Sin minus, at certe te juvet inde nihil.
Sed quæcunque tamen noctem fortuna sequatur;
Cras mihi constanti voce *(l)* dedisse nega.

INTERPRETATIO.

Infelix plurima metuo, qui plurima admisi procaciter: & ipse crucior pavore mei exempli.

. . . .

Tu istud non admittes: sed ne crederis admisisse remove de tuo sinu vestes conscias. Precare virum indesinenter potet: tamen suavia destituant preces: & dum potat, infunde clanculum, si potes, merum. Si laute curatus somno & vino prostratus erit; res & locus nobis subministrabunt consilium. Cum surges repetitura domum, & omnes erigemur: vide ut sedula procedas in medium agmen turbæ. Me reperies, aut reperieris in illo agmine. Quicquid ibi poteris mei tangere, tange. Hei mihi! admonui quod juvet in paucas horas. Sejungor a domina mea, nocte cogente. Maritus eam *obserabit nocte: ego tristis lacrymis erumpentibus comitabor quatenus dabitur, usque ad duram januam. Jam* maritus *carpet suavia: jam non solum carpet suavia: concedes jure adacta quod mihi prabes clanculum. Verum prabe reluctans (potes hoc) & similis invitæ: illecebræ sileant: & Venus sit difficilis. Si mea desideria* aliquid *possunt, cupio etiam nihil illi prosit: sin minus; at certe nihil inde te delectet. Sed quæcunque tamen fortuna sequatur noctem; cras pernega mihi voce firma præbuisse.*

NOTÆ.

(d) *Bibit*) *Vult bibere.*

(e) *Merum*) Ut postea ebrius dormiat.

(f) *Compositus*) *Qui se molliter & laute cibo & vino cubaverit*, vel simpliciter intellige, *qui, ad dormiendum membra habet bene composita.*

(g) *Cum surges*) *Cum omnes surgemus, discessuri.* Non enim cupit, ut ante alios discedat amica.

(h) *Invenieris*) *A me* scil.

(i) *Includet*) *Dominam meam* scil.

(k) *Blanditiæ*) Verbula, blandula, dulcicula.

(l) *Dedisse*) *Dare*. Simpliciter dicitur mulier, quæ sui copiam facit.

ELE-

ELEGIA V.

Corinnæ Concubitus.

ÆStus erat, mediamque dies exegerat (a) horam:
Appofui medio membra levanda toro.
Pars adaperta fuit, pars altera claufa feneftræ:
Quale fere filvæ lumen habere folent.
Qualia fublucent fugiente (b) crepufcula Phœbo:
Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies:
Illa verecundis lux eft præbenda puellis,
Qua timidus latebras fperet habere pudor.
(c) Ecce (d) Corrina venit, tunica velata (e) recincta,
Candida dividua colla tegente coma:
Qualiter in thalamos formofa (f) Semiramis (g) ifſe
Dicitur, & multis (h) Lais amata viris.

* * * * * * * * * * * * * * *

INTERPRETATIO.

ÆStas erat, & dies transvexerat horam mediam: emmifi medio lecto artus reficiendos. Pars feneftra fuit aperta, pars altera claufa: lumen propemodum quale filvæ confueverunt habere. Qualia crepufcula fublucent fole occidente, vel poftquam nox receffit, nec tamen dies inducta. Illud lumen eft exhibendum puellis pudibundis, quo pudor pavidus fperet habere latibula. Ecce Corinna adeft, operta tunica difcincta, capillis divifis velantibus colla nivea; qualiter pulcra Semiramis & Lais multis viris dilecta; perhibetur veniffe in thalamos.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

NOTÆ.

(a) *Horam*) Alii habent *umbram*. Eftque meridiei periphrafis.

(b) *Crepufcula*) Crepufculum vocatur lux dubia quæ folis ortum præcedit, vel ejus occafum fequitur.

(c) *Ecce*) Ex improvifo.

(d) *Corinna*) Amicæ Ovidii, ut ipfæ 4. Triftium teftatur, fictum nomen: quod forte illi ad celebrem illam Thebanam Corinnam alludens, modeftiæ & venerationis caufa impofuit. Quæ vero fuerit illa Corinna, Augufti filia, an alia, quid attinet enquirere?

(e) *Recincta*) *Difcincta*; aut fimpliciter *cincta*.

(f) *Semiramis*) Fuit hæc Nini Affyriorum regis conjux, animi magnitudine, & corporis elegantia celebris. De qua vide Diodorum.

(g) *Iffe* Quando *fcil.* Ninus eam uxorem accepit.

(h) *Lais*) Famofiffima fuit Corinthi meretrix, ad quam, ob infignem pulchritudinem potentiffimi ex Græcia commeabant.

ELEGIA VI.

Ad janitorem, ut fores sibi aperiat.

Janitor (*a*) indignum) dura religate catena,
(*b*) Difficilem (*c*) moto (*d*) carmine pande forem.
Quod precor, exiguum est: (*e*) aditu fac janua par vo
(*f*) Obliquum (*g*) capiat semadaperta (*h*) latus.
(*i*) Longus Amor (*k*) tales corpus tenuavit in usus;
(*l*) Aptaque subducto (*m*) pondere membra dedit:
Ille per excubias custodum)*n*) leniter ire
Monstrat: inoffensos dirigit ille pedes.
At quondam noctem, simulacraque (*o*) vana timebam:
Mirabar, tenebris siquis iturus erat.
Risit, (*p*) ut audirem, tenera cum matre Cupido;
Et leviter, *Fies tu quoque fortis*, ait.
Nec mora, (*q*) venit amor: non (*r*) umbras nocte volantes,
Non timeo (*f*) strictas in mea fata manus.
(*t*) Te nimium lentum timeo; tibi blandior uni:
Tu, me quo possis perdere, (*u*) fulmen habes.

INTERPRETATIO.

Janitor (indecorum) vincte sava catena, aperi duram janubm versatis cardinibus. Quod oro, parvum est: fac janua semadaperta admittat latus obliquum exigao introitu. Diutinus amor minuit corpus in tales usus; & fecit artus idoneos detracto onere. Ille docet incedere placide per vigilias custodum: ille regit pedes illæsos. At olim metuebam noctem, & imagines inanes: stupebam si quis erat incessurus per noctem. Cupido risit cum molli matre, ut potuerim audire, & inquit submisse. Tu quoque fies cordatus. *Et statim accessit amor. Non reformido spectra volantia nocte, non manus expeditas in meam mortem. Metus te nimis tardum; tibi soli blanditias dico: tu habes fulmen quo possis me interficere*

NOTÆ.

(a) *Indignum*) Servo, (qui ne fugeret compeditus tenebatur) adblanditur Naso, ut sibi januam aperiat.

(b) *Difficilem*) *Duram, inexorabilem.*

(c) *Moto*) *Verso.*

(d) *Cardine*) *Le Gond, le Pivot.* Ferramentum, est circa quod fores vertuntur.

(e) *Aditu*) *Ouverture.*

(f) *Obliquum*) Adverso pectore, nec pratente janua, sed sese obliquo, hac paulusum reserata cupit intrare.

(g) *Capiat*) *Penetrare sinat: Admittat.*

(h) *Latus*) *Meum* scil.

(i) *Longus*) Ille vero maciem inducit.

(k) *Tales*) Enimvero per angustum aditum facilius ille transeat, qui corpus habet exile & macrum.

(l) *Aptaque*) *Agilia.*

(m) *Pondere*) Alii habent *corpore.*

(n) *Leniter*) *Placide & sine strepitu*; ne sentiatur.

(o) *Vana*) Quippe quæ extra Imaginationem nihil sunt.

(p) *Ut audirem*) Dicit Poeta voce, quam ipse audierit, risisse Cupidinem & Venerem.

(q) *Venit Amor*) *Amare cœpi.* Sed Poetæ verba majus quid sonant.

(r) *Umbras*) Quæ, ut dixi extra phantasiam non sunt; sed tamen, quasi essent ab imperitis reformidantur.

(ſ) *Strictas*) *In meam necem paratas.*

(t) *Te*) Janitorem alloquitur, cujus in pandendis foribus tarditatem reformidabat.

(u) *Fulmen habes*) hoc dicit quia penes Janitorem erat januam aperire, aut obserare; adeoque Poetam ad amicam introducere, vel foras excludere.

Aspi-

Arma quis hæc timeat? quis non eat obvius illis?
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Lentus es? an somnus (qui se (*o*) male præbet amanti)
Verba dat in ventos (*p*) aure repulsa tua?
At (memini) primo, cum (*q*) me celare solebam,
Pervigil (*r*) in mediæ sidera noctis eras.
Forsitan & tecum tua nunc requiescit amica,
Heu melior quanto sors tua sorte mea!
(*s*) Dummodo sic, in me duræ transite catenæ.
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Fallimur? an verso sonuerunt cardine postes?
Raucaque concussæ (*t*) signa dedere fores?
Fallimur: impulsa est (*u*) animoso janua vento.
Hei mihi, quam (*x*) longe spem tulit aura meam!
Si satis es raptæ, Borea, memor (*y*) Orithyiæ,
Huc ades, & surdas flamine tunde fores.
Urbe silent tota: (*z*) vitreoque madentia rore
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
((*a*) Aut ego jam ferroque ignique (*b*) paratior ipse,
Quam face sustineo, tecta superba petam.)

INTERPRETATIO.

Quis metuat hæc arma? Quis non procedat obviam illis? Tempora noctis prætereunt: revelle seram a poste. Segnis es? an somnus, (qui male se exibet amanti) tradit ventis verba rejecta aure tua? At, recordor, cum primo consueveram me occultare, pervigil eras usque *in astra media noctis. Forte etiam nunc tua amica tecum cubat. Heu! quanto conditio tua potior est mea conditione? Dummodo ita fit, catenæ sevæ transmigrate in me. Tempora noctis prætereunt: revelle seram a poste. Decipimur? An postes crepuerunt cardine moto? & janua versata fecit indicia rauca? Decipimur janua pulsata est vento vehementi. Hei mihi, quam procul ventus abripuit spem meam! Aquilo si satis recordaris raptam Orithyiam, huc veni, & percelle flatu januam surdam. Tacent urbe tota: & tempora noctis rore glaciato humida prætereunt: resolve seram a poste. Aut ego jam ipse expeditior ferro & igni, & face quam gero, irruam in tecta superba.*

NOTÆ.

(o) *Male*) Hoc dicit, quia, cum ipse, propter Amorem, dormire non posset, janitorem dormientem inveniebat.

(p) *Repulsa*) *Quæ adeo nec penetrant, nec te movent.*

(q) *Me celare*). Alii habent te, quod clar. Heinsius probat. *Cum*, inquit, *alias clam te ad amicam me conferrebam, teque vel maximo veterno irretitum cupiebam, tam plus nimio vigilabas: nunc, quando minime est opus, alto somno teneris.*

(r) *In media noctis*) *Usque dum media noctis apparerent sidera; usque ad mediam noctem.*

(s) *Dummodo sic*) Ea lege servum fieri cupit, ut cum amica possit requiescere.

(t) *Signa*) Scilicet strepitum edunt valvæ seu portæ cum aperiuntur.

(u) *Animosa*) *Iracundo & vehementi.*

(x) *Longe spem*) Spem inanem fuisse queritur.

(y) *Orithyiæ*) Quam, Erechthei, Athenarum regis, filiam, Boreas amavit.

(z) *Vitreoque*) Glacies nempe vitri habet similitudinem.

(a) *Aut*) Heinsio suspectum est hoc distichon.

(b) *Paratior*) *Promptior quam tu ad aperiendum.*

Nox, & Amor, vinumque, nihil moderabile suadent;
Illa pudore vacat: Liber Amorque metu.
(*c*) Omnia consumsi: nec te precibusque minisque
Movimus, o foribus surdior ipse tuis.
Non te formosæ decuit servare puellæ
Limina: sollicito carcere dignus eras.
(*d*) Jamque (*e*) pruinosos (*f*) molitur (*g*) Lucifer axes;
Inque suum (*h*) miseros excitat (*i*) ales opus.
At tu, non (*k*) lætis detracta corona capillis,
Dura super tota limina nocte (*l*) jace.
Tu dominæ, cum te projectam mane videbit,
Temporis absumti tam male testis eris.
(*m*) Qualiscunque vale, (*n*) sentique abeuntis (*o*) amorem,
Lente, nec admisso turpis amante: vale.
Vos quoque crudeles rigido cum limine postes,
Duraque conservæ ligna valete fores,

INTERPRETATIO.

Nox & amor & vinum nihil tractabile in animum inducunt: Illa caret pudore: Bacchus & amor timore. Omnia profudi, nec te flexímus precibus & minis, o surdior ipse tua janua. Non oportuit te custodire limina pulcræ puellæ: dignus eras anxio carcere. Jamque Lucifer versat polos pruina conspersos; & gallus excutit miseros mortales *in suum opus. At vos serta derepta coma infelici, jacete tota nocte in aspero limine, Vos testes eritis Dominæ temporis tam male perditi, cum mane vos cernet abjecta. Qualiscunque* Janitor *vale, & segnis percipe amorem discedentis; &, inhoneste: non introducto amante, vale. Vos quoque postes duri cum limine aspero, & conserva janua, lignum crudelia, valete.*

NOTÆ.

(c) *Omnia consumsi*) Quibus flecti homo possit.
(d) *Jamque*) Pulcherrima matutini temporis periphrasis.
(e) *Pruinosos*) *Pruina, seu rore congelato aspersos.*
(f) *Molitur*) *Præparat & movet.*
(g) *Lucifer*) Eo nomine appellatur stella Veneris, cum Solis ortum præcedit.
(h) *Miseros*) Mortales *scil.*
(i) *Ales*) Gallus gallinaceus, qui adventantem diem cantu suo prænuntiat.
(k) *Lætis*) Quia ipsi amica potiri non licuit.
(l) *Face*) Coronam compellat, quam, ad amicam non admissus, super limen relinquere nugator amans cogitat.
(m) *Qualiscumque*) Sive bonus, sive malus, &c. Janitorem alloquitur.
(n) *Senti*) *Percipe, Cognosce.*
(o) *Amorem*) Erga Dominam.

ELEGIA VII.

Ad pacandam amicam, quam verberaverat.

(*a*) ADde manus in vincla meas, meruere catenas)
Dum furor omnis abit, si quis amicus ades.

INTERPRETATIO.

IMplica meas manus vinculis amice: si quis ades (digna sunt catenis) donec omnis vesania excesserit.

NOTÆ.

(a) *Adde*) Amicum compellat.

Nam

Nam furor in dominam temeraria brachia movit.
Flet mea vesana læsa puella manu.
(*b*) Tunc ego vel caros potui violare parentes;
Sæva vel in sanctos verbera ferre Deos.
Quid? (*c*) non & clypei dominus (*d*) septemplicis (*e*) Ajax
Stravit deprensos lata per arva greges?
Et, (*f*) vindex (*g*) in matre, patris malus ultor Orestes,
Ausus in (*h*) arcanas poscere tela Deas?
(*i*) Ergo ego (*k*) digestos potui laniare capillos?
Nec dominam (*l*) motæ dedecuere comæ?
Sic formosa fuit; talem (*m*) Schœneida dicunt
(*n*) Mænalias arcu sollicitasse feras.
Talis (*o*) perjuri promissaque velaque Thesei
Flevit præcipites (*p*) Cressa tulisse Notos.
Sic, nisi (*q*) vittatis quod erat (*r*) Cassandra capillis,
(*s*) Procubuit templo, casta Minerva, tuo.

INTERPRETATIO.

Nam vesania agitavit lacertos temerarios in dominam Puella mea lacrymat, verberata manu furiosa. Tunc ego potui etiam ladere dilectos parentes: intentare dura flagra etiam in sacros Deos. Quid? annon & Ajax dominus scuti septemplicis mactavit greges correptos per vastos campos? Et Orestes pravus ultor patris, vindex in matre, ausus petere jacula in Deas secretas? Ergo ego sustinui scindere comam compositam: nec capilli turbati dedecuerunt dominam? Si pulcra fuit: Talem Schœneida perhibent arcu vexasse feras Menalias.. Talis Cretensis luxit austros veloces abstulisse & pollicita & vela perjuri Thesei. Talis Cassandra, nisi quod erat coma vitta redimita, prostrata est in tuo templo, pudica Minerva.

NOTÆ.

(b) *Tunc ego*) Ad se excusandum aptissima oratio.

(c) *Non & clyp.*) Astute exemplo lenire studet quod purgare non potest.

(d) *Septemplicis*) Et boum septem tergoribus.

(e) *Ajax*) Telamonius est, qui Ira insanus quod sibi Achillis arma Ulysses eloquentia sustulisset, permulta pecora, credens se Ulyssem & Atridas peremisse, occidit.

(f) *Vindex*) Ab Ægystho Thyestis filio, Clytemnestræ, Agamemnonis uxoris, consensu, ipse Agamemnon Orestis pater interfectus est.

(g) *In Matre*) Clytemnestra: quam ipse Orestes occidit.

(h) *Arcanas*) Furias; quas solus videbat, aut videre credebat.

(i) *Ergo*) Indignantis est.

(k) *Digestos*) *Domina mea compositos & ornatos crines.*

(l) *Motæ*) *Laniatæ.*

(m) *Schœneida*) Atalantam intelligit, de qua jam nonnulla vidimus. Sed notandum quod cum duæ fuerint; altera venatrix, Arcadica Jasii filia; altera Bœotica, cursu celebris, Schœnei filia, Poeta hoc loco, quod vulgo solent, nomina confundit; Schœneique facit filiam quæ fuit Jasii.

(n) *Mænalias*) *Arcadicas*; nam Mænalus mons est Arcadiæ.

(o) *Perjuri*) Qui Ariadnen cujus ope evaserat, cuique fidem suam obstrinxerat, in Naxo insula reliquit.

(p) *Cressa*) Ariadne est, Minois, Cretensium regis filia.

(q) *Vittatis*) *Vittis coercitis*; Sacerdotum more.

(r) *Cassandra*) Priami Trojanorum regis fuit filia.

(s) *Procubuit*) Ab Ajace Oilei filio in templo Palladis fuit vitiata.

Quis mihi non, *(t) Demens*, quis non mihi, *(u) Barbare* dixit;
(x) Ipſa nihil pavido lingua retenta metu.
Sed taciti fecere tamen convitia vultus.
Egit me *(y)* lacrymis ore ſilente reum.
Ante meos humeris vellem cecidiſſe lacertos:
(z) Utilius potui *(a)* parte carere mei.
In mea veſanas habui diſpendia vires:
Et valui pœnam fortis in ipſe meam.
Quid mihi vobiſcum, *(b)* cædis ſcelerumque miniſtræ?
Debitæ ſacrilegæ vincla ſubite manus.
An, ſi pulſaſſem minimum de plebe *(c)* Quiritem,
Plecterer? in dominam jus mihi majus erit?
Peſſima (d) Tydides ſcelerum monumenta reliquit.
Ille Deam primus perculit; *(e)* alter ego.
Sed minus ille nocens: *(f)* mihi, quam profitebar amari,
Læſa eſt: Tydides ſævus in *(g)* hoſte fuit.
(h) I nunc, magnificos victor molire triumphos,
Cinge comam lauro; votaque *(i)* redde Jovi:
Quæque *(k)* tuos currus comitatus turba ſequetur,
Clamet; *Io forti victa puella viro*,

INTERPRETATIO.

Quis mihi non dixit, *furioſe, quis mihi non* dixit, *inhumane? Ipſa nihil* dixit: *lingua repreſſa* eſt *pavore timido. Sed tamen facies muta probra objecit. Me arguit lacrymis, ore tacente. Optarem prius defluxiſſe brachia mea humeris. Melius potui deſtitui mei parte. Potens fui robore inſano in meà damna: & ipſe ſtrenuus fui in meum ſupplicium. Quid mihi vobiſcum famulæ necis & flagitiorum? Manus ſceleſtæ ferte catenas meritas. An, ſi tetigiſſem viliſſimum Romanum de plebe punirer? poteſtas major mihi erit in dominam? Tydides præbuit peſſima exempla flagitiorum. Ille primus percuſſit Deam, ego poſt illum. Sed ille in minori culpa: violata eſt a me, quam dicebam amari: Tydides crudelis fuit in hoſte. Abi jam, victor appara ſplendidos triumphos, redimito capillos lauro; & perſolve vota Jovi: & comitatus turba quæ proſequetur tuos currus, vociferetur.* Io puella ſuperata viro ſtrenuo.

NOTÆ.

(t) *Demens*) Seipſum, de ſeipſo querens, compellat.

(u) *Barbare*) Vellet Poeta, ut etiam contumelioſis verbis, aliquis ab incœpto deterruiſſet, cum amicam ſuam verberaret.

(x) *Ipſa*) Puella, *ſcil* nihil dixit.

(y) *Lacrymis*) Nimirum lacrymæ verberantis crimen arguebant.

(z) *Utilius*) *Utiliter* meliores.

(a) *Parte*) Brachiis; *ſcil.* quæ ſi non habuiſſet, iis amicam non verberaſſet.

(*b*) *Cædis*) Ea voce crimen ſuum auget.

(c) *Quiritem*) *Romanum*. De cujus vocis ætymologia, adi, ſi placet celeberrimum Voſſium in *Quiritari*.

(d) *Tydides*) Diomedes eſt Tydei filius, qui bello Trojano Venerem, Æneam filium ſuum protegentem, vulneravit.

(e) *Alter ego*) *Qui* ſcil. *Deam percuſſi*. Amicam laudat, & cum Dea aſtute comparat; ut facilius a muliebri & levi ingenio veniam impetret.

(f) *Mihi*) *A me*.

(g) *Hoſte*) Enimvero inter hoſtium corpora fuit Venus, Diomedi etiam incognita.

(h) *I nunc*) Seipſum alloquitur & irridet, quod amicam verberando vicerit.

(i) *Redde*) Victorum & triumphantium more.

(k) *Tuos currus comitatus*) Appoſitio. Triumphantem *ſcil.* currus, multaque turba ſequebantur. Alii tamen habent *comitantum*; alii aliter.

(l) An-

(*l*) Ante eat effuso tristis captiva capillo,
(*m*) Si finerent læsæ, candida tota, genæ.
(*n*) Aptius impressis erat os livere labellis,
Et (*o*) collo (*p*) blandi dentis habere notam.
Denique, si tumidi ritu torrentis agebar,
(*q*) Cæcaque me prædam fecerat ira suam;
Nonne satis fuerat timidæ inclamasse puellæ,
Nec nimium rigidas (*r*) intonuisse minas?
Aut tunicam (*s*) summa deducere (*t*) turpiter (*u*) ora
Ad mediam? mediæ (*x*) zona (*y*) tulisset opem.
At nunc (*z*) sustinui, raptis a fronte capillis,
Ferreus ingenuas ungue notare genas.
Adstitit illa (*a*) amens albo & sine sanguine vultu,
Cæduntur (*b*) Pariis qualia saxa jugis.
Exanimes artus, & membra trementia vidi;
Ut cum (*c*) populeas ventilat aura (*d*) comas:
Ut leni Zephyro gracilis (*e*) vibratur arundo:
Summave cum (*f*) tepido (*g*) stringitur unda Noto.

INTERPRETATIO.

Mœsta captiva præcedat sparsa coma, tota nivea, si gena violata pateretur. Convenientius erat os lividam esse labiis infixis: & collo gestare signa mitis dentis: Denique si more torrentis turgidi, rapiebar, & ira præceps me fecerat suam prædam; nonne satis fuerat vociferando objurgasse meticulosam puellam, nec increpuisse minas nimium asperas? aut deripere indecore tunicam extrema ora ad mediam? cingulum auxilio fuisset media. At nunc sævus potui coma a fronte disjecta ungue signare genas liberales. Illa turbata constitit facie candida & exsangui, qualia marmora secantur in clivis Pariis. Intuitus sum artus exsangues, & membra trepidantia; ut cum ventus agitat frondes populeas; quemadmodum levis calamus concutitur miti Zephyro: vel cum aqua prima crispatur austro calido.

NOTÆ.

(l) *Ante*) Ut in triumphali pompa assolent captivi.

(m) *Si finerent*) Enimvero ex ictibus livor inducitur.

(n) *Aptius*) Satius dicit fuisse, osculis quam ictibus, livorem in amicæ ora inducere.

(o) *Collo*) Amicæ *scil.*

(p) *Blandi*) Solent qui vehementi tenentur amore, non modo osculari, sed etiam dentibus notas imprimere.

(q) *Cæcaque*) Non modo ira, sed omnis affectus cæcus est, cui adeoque non est credendum.

(r) *Intonuisse*) *Alta & vasta voce clamando minatam esse.*

(s) *Summa*) Ea, scilicet, quæ humeros tegit.

(t) *Turpiter*) Id vero turpe est; sed verberasse turpius.

(u) *Ora*) *Extremitate.*

(x) *Zona*) Cingulum; quo hodieque utuntur nostrates puellæ.

(y) *Tulisset*) Ita ut tota tunica lacerata non fuisset.

(z) *Sustinui*) *Non erubui.*

(a) *Amens*) Alii habent *gemens, demens.* Heinsius legit *tremens pavido & sine sang. Amens,* id est, *turbata, nec sui compos*, ex metu.

(b) *Pariis*) Paros insula est maris Ægæi, ex qua marmor album petebatur.

(c) *Populeas*) Populus, arbor est notissima, cujus folia etiam lenissima aura facile moventur & agitantur.

(d) *Comas*) Eo nomine etiam folia & frondes arborum appellantur; videntur enim quasi earum capilli.

(e) *Vibratur*) *Agitatur, concutitur.*

(f) *Tepido*) Quia a meridie spirat.

(g) *Stringitur*) *Crispatur, ac veluti in rugas contrahitur tremulas.*

 (h) Su-

Illa magas artes, *(i)* Æææque carmina novit,
Inque *(k)* caput (l) liquidas *(m)* arte *(n)* recurvat aquas.
Scit bene quid *(o)* gramen, quid *(p)* torto *(q)* concita *(r)* rhombo
(ſ) Licia, quid valeat *(t)* virus amantis equæ.
Cum voluit, toto *(u)* glomerantur nubila cælo.
Cum voluit, puro *(x)* fulget in orbe dies.
Sanguine (*(y)* ſi qua fides) (z) ſtillantia ſidera vidi:
(a) Purpureus Lunæ ſanguine vultus erat.
Hanc ego nocturnas *(b)* verſam volitare per umbras
Suſpicor, & pluma corpus anile tegi.
Suſpicor; & *(c)* fama eſt: oculis quoque *(d)* pupula duplex
(e) Fulminat, & gemino lumen ab *(f)* orbe *(g)* venit.
Evocat antiquis *(h)* proavos atavoſque ſepulcris:
Et ſolidam *(i)* longo carmine ſindit humum.

INTERPRETATIO.

Illa ſcit artes magicas, & incantamenta Ææa, & retorquet arte magica *aquas fluidas in fontes* ſuos. *Probe novit quid fila acta verſato rhombo, quid virus equæ furentis poſſit. Quando libuit, nubes volvuntur toto cœlo. Quando libuit dies ſplendet in orbe lucido. Intuitus ſum, (ſi qua* mihi *fides) aſtra rorantia cruore: facies Lunæ erat rubra ſanguine. Ego ſuſpicor hanc mutatam volare per tenebras nocturnas, & corpus anile veſtiri pluma. Suſpicor, & rumor eſt. Pupilla quoque gemina oculis micat, & lux oritur ab orbe duplici. Elicit antiquis tumulis proavos & atavos, & ſcindit terram duram prolixo incantamento.*

NOTÆ.

(i) *Ææaque carmina*) *Incantationes*; quibus *Ææa* ſeu Colchica Circe, itemque Medea celebris fuit.

(k) *Caput*) *Fontem & ſcaturiginem.*

(l) *Liquidas*) *Rapidas* alii.

(m) *Arte*) Sua *ſcil.* magica.

(n) *Recurvat*) Nihil non tribuerunt Poetæ incantationibus.

(o) *Gramen*) *Herbarum vires*; quibus in veneficiis uti dicebantur.

(p) *Torto*) *In girum acto*.

(q) *Concita*) *Valde commota*. Nimirum concitato Rhombo concitantur & involuta licia.

(r) *Rhombo*) Rombus hoc in loco magicum inſtrumentum denotat, filis quibuſdam implicitum, quo ad nefarias artes utebantur.

(ſ) *Licia*) Fila ſunt quibus, in laneficio, implicantur ſtamina, *la trame*; in magicis artibus hominum mentem retineri credebant.

(t) *Virus am.*) Venenum, autore Servio, ex equarum inguinibus defluens, quo tempore amoris furore tenentur.

(u) *Glomerantur*) *In glomorum* (de plotons) *modo condenſantur*. Videntur vero nubes quandoq; tanquam globi, aliæ aliis impoſitæ.

(x) *Fulget*) Id eſt, Cœlum ſerenat.

(y) *Si qua fides*) *Eſt mihi*, ſupple.

(z) *Stillantia*) Ex Dipſadis veneficæ incantamentis, *ſcil.*

(a) *Purpureus*) Si non incantamentis, rubet certe quandoque Luna naturaliter; quod ſtulti illis adſcribunt.

(b) *Verſam*) In nocturnam avem tranſmutatam.

(c) *Fama eſt*) Adeoque magis credendum.

(d) *Pupilla*) Eſt pupula ſeu pupilla in oculo medius ille circulus, per quem lumen a corporibus ad nervum opticum tranſmittitur. *La prunelle de l'œil.*

(e) *Fulminat*) *Fulminis in modum ſplendet*. Nocendi vero vim multam eſſe in oculis voluerunt veteres.

(f) *Orbe*) Pupilla *ſcil.* quæ rotunda eſt.

(g) *Venit*) Alii habent *micat*.

(h) *Proavos Atavoſque*) Erat ergo Dipſas illa altera Medea, maximeque metuenda. Nugæ. Otioſus de more ludit Poeta.

(i) *Longo*) Nimirum multa opus eſt arte ut terra in diverſas partes diſtrahatur.

Hæc sibi (*k*) propoſuit thalamos (*l*) temerare pudicos:
(*m*) Nec tamen eloquio lingua (*n*) nocente caret.
Fors me (*o*) ſermoni teſtem dedit; illa monebat
Talia; (me (*p*) duplices (*q*) occuluere fores.)
Scis (r) here te, mea lux, juveni placuiſſe (ſ) beato.
Hæſit, & in vultu (t) conſtitit uſque tuo.
Et (u) cur non placeas? (x) nulli tua forma ſecunda eſt,
Me miſeram! dignus corpore (y) cultus abeſt.
Tam (z) felix eſſes, quam (a) formoſiſſima, vellem.
Non ego te facta divite pauper ero.
Stella tibi oppoſiti (b) nocuit contraria Martis.
Mars abiit; (c) ſigno nunc Venus apta tuo.
Profit ut (d) adveniens, en aſpice: dives amator
Te cupit; & curæ, quid tibi deſit, habet.
Eſt etiam facies, (e) quæ ſe tibi comparet, illi:
Si te non emtam vellet, emendus erat.

INTERPRETATIO.

Hæc in animum ſuum induxit violare caſta cubicula: nec tamen ſermo noxius linguam deſtituit. Caſus me teſtem fecit ejus eloquii? illa talia docebat: (geminæ fores me occultaverunt.) Noſti, mea vita, te heri gratam fuiſſe adoleſcenti opulento. Conſtitit, & ſine fine defixus fuit in facie tua. Et quamobrem grata ſis? pulcritudo tua nulli eſt inferior. Hei mihi! ornatus dignus deeſt corpore. Optarem tam dives eſſes, quam pulcherrima es. Ego non ero egena, te facta opulenta. Stella adverſa Martis oppoſiti tibi obfuit. Mars receſſit; nunc Venus favens ſigno tuo. En vide, quomodo accedens juvet: Opulentus amator te expetit; & exquirit quid tibi deſit. Eſt etiam illi forma, quæ ſe tibi exæquet: Si te acquiſitam non cuperet, erat acquirendus.

NOTÆ.

(k) *Propoſuit*) *In animum induxit; Imperavit.*

(l) *Temerare*) Uxori pellicem, marito adulterum inducendo.

(m) *Nec tamen eloq.*) Adeoque quod cogitavit etiam poteſt perficere.

(n) *Nocente*) Non bene appellatur eloqueos qui dicendi copia ad nocendum abutitur. Orator enim non modo dicendi peritus, ſed inſuper vir bonus eſſe debet.

(o) *Sermoni*) Quem lena cum puella, Naſonis amica habuit.

(p) *Duplices*, *Biſores*, *valvæ*. Gall. *Porte a deux battans.*

(q) *Occuluere*) Adeoque adfuiſſe aliquem qui dicta colligeret neſcivit anus venefica.

(r) *Here*) *Heri.*

(ſ) *Beato*) *Diviti*: Vulgus enim, utut peſſime, in divitiis tamen felicitatem collocat.

(t) *Conſtitit uſque*) Quod ſignum eſt animi irretiti.

(u) *Cur*) Alii *cui*.

(x) *Nulli ſecunda*) Adeoque prima.

(y) *Cultu*) Eo nomine omnis ornatus intelligitur, veſtes, annuli, gemmæ, &c.

(z) *Felix*) *Dives.*

(a) *Formoſiſſima*) *Es*, ſupple.

(b) *Nocuit*) Enimvero, ſi Diis placet, multum ad hujus aut illius commodum aut incommodum faciunt ſtellæ: atque ea omnia ſunt magis proſpecta, quæ ſtultitia eſt multorum homuncionum, aut verius muliercularum.

(c) *Signo nunc Venus*) Id eſt, *Tuum ſignum nunc eſt Venus; quæ tibi propitiam vitam tuam moderabitur.*

(d) *Adveniens*) *Vim ſuam erga te exercens; & reſpiciens.* Dixit Martem abiviſſe.

(e) *Quæ ſe tibi comp.*) Id eſt, *Quæ ob formæ elegantiam tecum poſſit conferri.*

Eſt-

(f) Erubuit; (g) *decet alba quidem pudor ora: sed iste*
Si simules, prodest: verus obesse solet.
Cum bene (h) dejectis gremium spectabis ocellis,
Quantum quisque ferat, (i) respiciendus erit.
Forsitan (k) immundæ! Tatio (m) regnante (n) Sabinæ
Noluerint habiles pluribus esse viris.
Nunc (o) Mars externis animos exercet in armis:
At (p) Venus (q) Æneæ (r) regnat in urbe sui.
(f) *Ludite formosæ; casta est, quam nemo rogavit:*
Aut si rusticitas non vetat, (t) ipsa rogat.
Has quoque, quas frontis (u) rugas in vertice portas,
Excute: (x) de rugis crimina multa cadent.

INTERPRETATIO.

Rubore suffusa est: Rubor equidem est decori vultui candido; sed, iste juvat si fingas; sincerus solet officere. Cum bene aspicies sinum oculis demissis, unusquisque erit honorandus quantum det. Forsitan impuræ Sabinæ Tatio imperante, noluerint esse aptæ pluribus viris: Nunc Mars detinet animos in armis peregrinis: At Venus imperium obtinet in urbe sui Æneæ. Ludite pulcræ: pudica est quam nemo oravit: aut, si morositas non obstat, ipsa orat. Dele etiam has rugas quas geris in suprema fronte; multa vitia defluent de rugis.

NOTÆ.

(f) *Erubuit*) Puella *scil.* Poetæ amica, cum anus solicitationes audiret.

(g) *Decet*) Quia rubore albam faciem distinguit. Illa vero sunt anus verba, quæ eruthuisse puellam senserat.

(h) *Dejectis*) Pudoris simulandi causa, ut eo magis capiatur amans; vel etiam, ut quale ille amoris pretium in sinu deponat, possit cognoscere. Solebant enim qui ad amicam commeabant, in ejus gremium dona sua mittere.

(i) *Respiciendus*) Id est, Amanti; pro donorum suorum ratione erit indulgendum. Optimum præceptum; nam & illud idem puellæ inculcat docta quædam meretrix apud Terentium. Nefariæ cruces!

(k) *Immundæ*) *Inurbanæ, inelegantes, impolitæ*. Sic de pudicis matronis loquuntur prostibula.

(l) *Tatio Regnante*) *Quo tempore rudes & inculti homines glandibus vescebantur*. Pudicitiam dicit imperitarum mulierum virtutem esse, cui assentientur quæ lenæ & veneficæ haberi volent. Fuit vero Tatius dux Sabinorum, qui cum Romulo bellum fortiter gessit.

(m) *Regnante*) In regni partem, fœdere post pugnam percusso receptus est.

(n) *Sabinæ*) *Sabinorum uxores aut puellæ*. Illum vero populum religione Deorum, & morum incorruptione apud plerosque autores celebratum invenias. Terras incolebant non longe a Roma, ad Septentrionem.

(o) *Mars externis*) *Non jam intra Romæ urbis mœnia, ut olim, aut bella, aut a Sabinis mutuata morum duritas exercetur.*

(p) *Venus*) *Amorum & deliciarum Dea.*

(q) *Æneæ*) Venerem Æneæ matrem fuisse, a quo Romani originem duxerunt, supervacaneum est repetere.

(r) *Regnat*) Adeoque in deliciis & amoribus vivendum: nam,

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

(f) *Ludite*) *Amoribus vestris operam date: amantes decipite*. Ejusmodi, non nisi veneficæ nomine suadere autum Poetam, monuisse, satis credo, prudentibus, & cautis fuerit.

(t) *Ipsa rogat*) Egregia vero fuerit castitas.

(u) *Rugas*) Puellæ dicta aversantis severum vultum lena adverterat.

(x) *De rugis*) Crimen fuisse innuit, quod ad impura dicta frontem puella corrugaverit: ipsamque innocentem fore, cum læto & hilari vultu tantas nequitias audiverit.

Pe-

Penelope (y) juvenum vires tentabat (z) in arcu:
Qui (a) latus argueret, (b) corneus arcus erat.
Labitur (c) occulte, fallitque volatilis ætas:
Ut celer (d) admissis labitur amnis aquis.
Æra (e) nitent usu: vestis bona quærit (f) haberi:
Canescunt turpi tecta relicta (g) situ.
Forma, nisi admittas, nullo exercente senescit:
Nec satis effectus unus & alter habent.
Certior e multis, nec tam invidiosa rapina est.
Plena (h) venit (i) canis de grege præda lupis.
Ecce, quid (k) iste tuus prætor (l) nova carmina vates
Donat? (m) amatoris (n) millia multa leges.

INTERPRETATIO.

Penelope experiebatur robur juvenum in arcu, arcus qui indicaret vires lateris, erat corneus. Anni furtim effluunt, & volucres decipiunt: ut rapidus fluvius defluit aquis ruentibus. Æra fulgent usu; vestis splendide vult tractari: domus desertæ albent obscœno squalore. Pulchritudo, nisi accipias amatores, evanescit, nemine colente: nec unus & alter habent satis utilitatis. Preda est tutior e pluribus, nec tam odiosa. Rapina ampla lupis canis contingit de grege. En, quid iste tuus Poeta præbet præter novos versus? leges multa millia ab amante.

NOTÆ.

(y) *Juvenum*) *Procorum*; de quibus in Penelope.

(z) *In arcu*) *Per arcum*. At vero, quod procos illudendi & coarguendi causa facit Penelope, illud perversa detorquet lena. Illa enim Ulyssis arcum procis tendendum dedit, sese illi nupturam affirmans, qui eo uti posset: verum non ea quam fingit anus causa, sed tantum, ut indignos & effeminatos nebulones, quos Ulyssis arcum nunquam tendere posse sciebat, stultitiæ argueret. Pessime igitur, quanquam non desint qui de Penelopes castitate, male sentient, ab exemplo puellam corrumpere conatur vetula.

(a) *Latus*) *Lateris vires ostenderet*.

(b) *Corneus*) *Ex corno arbore*.

(c) *Occulte*) Quam bene & vere. Plurima vero ejusmodi de tempore e Poetis habemus; quæ hic frustra congereremus.

(d) *Admissis*) *Concitatis*. Adeoque tanquam ex torrente hauriendum; properandum; tempore caute, & ad salutem, tot præsertim hostibus insidiantibus utendum; non eo ad nequitias & perniciem abutendum.

(e) *Nitent*) Hac comparatione, in puellæ animum studet lena inducere, ut turpiter cum licet corporis sui faciat copiam.

(f) *Haberi*) *Tractari*.

(g) *Situ*) Est proprie situs, ut Servius ait, lanugo quædam ex humore procreata. Sordes vero & squalor intelligitur, qui intra opaca relictarum ædium conspicitur.

(h) *Venit*) *Contingit*.

(i) *Canis*) *Canos pilos habentibus*: quod illis fert ætas. Cæterum his comparationibus puellam ad nequitiam, quam non vidit interpres, conatur lena perducere.

(k) *Iste*) Per contemtum; de Nasone.

(l) *Nova*, *Miranda* exponunt. Non bene credo, quia contra scopum. Simpliciter intelligo, & potius cum aliquo contemtu: quo tamen, sua laude Poeta non decipitur.

(m) *Amatoris*) Quicumque ille tandem fuerit.

(n) *Millia*) Carminum *scil. ut propterea Ovidio tuo nihil sit opus tam tenaciter adhærere*.

Ecce

Ipse (o) Deus vatum, (p) palla spectabilis aurea,
(q) Tractat inauratæ (r) consonas fila (ſ) lyre.
Qui dabit, ille tibi magno sit (u) major Homero.
Crede mihi; res est (x) ingeniosa, dare.
Nec tu, si quis erit (y) capitis mercede redemtus,
(z) Despice (a) gypsati (b) crimen inane pedis.
(c) Nec te decipiant (d) veteres (e) quinquatria ceræ. (')
(f) Tolle tuos tecum, pauper amator, avos.
(g) Quin, (h) quia pulcher erit, poscet sine munere (i) noctem;
Quod (k) det, (l) amatorem flagitet ante suum.

INTERPRETATIO.

Ipse Deus poetarum insignis palla aurea pulsat nervos concordes lyræ inauratæ. Qui afferet, ille tibi fit præstantior magno Homero. Credo mihi, afferre est res arguta. Nec tu, si aliquis erit redemptus pretio capitis, contemne vanum probrum pedis gypso illiti. Nec te fallant ceræ antiquæ quinquatria. Inops amator, aufer tecum tuos avos. Quin quia formosus erit, petet noctem fine pretio; poscat prius suum amatorem quod præbeat.

NOTÆ.

(o) *Deus vatum*) Apollo.

(p) *Palla spectab.*) *Adeoque, tum & ipse Deus vatum aurum amet, pretium ab amantibus non debes spernere:* Eo enim meo judicio, lenæ ad puellam oratio spectas; quam alio detorsit interpres. Cæterum monuit ille, ad Apollinis Palatini marmoreum simulacrum; quod auctore Augusto, tanto artificio fuerat fabrefactum, ut vivum esse, & plectra movere, & canere videretur, hoc in loco allusisse Poetam.

(q) *Tractat inaurata*) Adeoque aurum amat.

(r) *Consona*) *Consonantia*, ut harmoniam efficiant.

(ſ) *Fila*) *Nervos chordas.*

(t) *Lyræ*) Lyra instrumentum erat musicum, cujus figuram passim reperias.

(u) *Major*) *Cuique ad eo potius obsequaris.*

(x) *Ingeniosa*) *Adeoque Poetarum ingenia exæquant, aut superant.* Puellis certe plurimis, præsertim vero turpibus meretriculis, præter lucrum dulce nihil est.

(y) *Capitis mer.*) Servus aliquis, qui dives factus se a servitio redemerit.

(z) *Despice gypsati*) *Ne*, inquit, *illum servum inani causa despicias: vitium enim in servo, si quod sit, in pede gypsato est, quod vitium, cum aqua elui possit, nullum est.*

(a) *Gypsati*) Gypsum. *Duplatre*. Genus est calcis; quo docet Plinius, venalium servorum, trans mare ductorum, pedes illinebantur.

(b) *Crimen*) Alii *nomen*. Quod etiam optime est.

(c) *Nec te decipiant*) *Nulli propter nobilitatem obsequaris.*

(d) *Veteres ceræ*) Id est, Alicujus stemmata, genus, aut nobilitas: Ex cera enim fiebant majorum imagines, quæ in atrio, ad probandam & ostentandam nobilitatem & avorum seriem, collocabantur.

(e) *Quinquatria*) Varie hunc locum emendant. Quidam, per appositionem legunt *quinque atria*, ut sit numerus finitus pro infinito. Alii *plena atria*. Micyllus *veteris quicquam atria ceræ*. Lipsius *veteri cincta atria cera*. Alius *quæ cingunt atria ceræ*. Scriverius *circa atria ceræ*. Quod ultimum scripsisse Poetam probabilius est.

(f) *Tolle*) Quasi præsentem pauperem amatorem, non sine contemtu alloquitur Dypsas. Gall. diceret, *Va te promener avec tes ayeulx*.

(g) *Quin*) Mendosum hunc versum suspicatur clar. Heinsius. Quamobrem non video. Optimum vero sensum efficit particula *quin*; postquam enim posuit anus, plurimos, quos quidem repellendos monuit; ad puellam venturos, quorum alius veterem prosapiam, alius ingenium, aliaque jactaret; *quin insuper*, ait *omnium maxime rejiciendi venient, qui propemodum cum imperio omnia a te flagitent.*

(h) *Quia pulcher erit*) *Fastus enim inest pulcris, sequiturque superbia formam.* Ovid.

(i) *Noctem*) Quid sit noctem orare, aut petere non opus est exponere.

(k) *Det*) *Tibi* supple.

(l) *Amatorem*) Qui ipsum perverse amat.

(m) *Par-*

(m) Parcius exitio pretium, dum (n) retia tendis,
Ne fugiant. (o) captos (p) legibus ure tuis.
(q) Nec nocuit ſimulatus amor, ſine credat amari:
Sed cave, ne gratis hic tibi (r) conſtet amor.
Sæpe (ſ) nega noctes, capitis modo finge dolorem:
Et modo quæ (t) cauſas præbeat, (u) Iſis erit.
Mox (x) recipe; ut nullum patiendi colligat (y) uſum,
Neve relenteſcat ſæpe repulſus amor.
Surda ſit oranti tua janua, laxa ferenti.
(z) Audiat excluſi verba receptus amans.
Et, quaſi læſa prior, nonnunquam iraſcere læſo.
Vaneſcat culpa culpa (a) repenſa (b) tua.
Sed nunquam dederis ſpatioſum tempus in iram.
Sæpe ſimultates ira (c) morata facit.
Quin etiam diſcant oculi lacrymare coacti:
Et faciant udas (d) illa vel illa genas.

INTERPRETATIO.

Poſce modeſtius munera, dum ponis laqueos, ne amantes recedant: urge irretitus tuo modo. Nec obfuit amor fictus: patere ſe arbitretur diligi: ſed vide, ne hic amor tibi ſit fruſtra. Sæpe recuſa noctes: modo ſimula dolorem capitis: & modo Iſis erit quæ cauſas ſubminiſtret. Mox admitte, ut nullam contrahat dolendi conſuetudinem; & & ne amor ſæpe rejectus langueat. Fores tuæ ſint ſurdæ roganti, apertæ apportanti. Amans admiſſus audiat voces repulſi. Et quaſi prior violata, interdum ſuccenſe offenſo. Crimen comparatum cum tuo crimine diluatur. Sed nunquam conceſſeris longum ſpatium in iram. Ira producta ſæpe parit odia. Quin etiam oculi inviti doceantur lacrymas effundere: & illa vel illa reddant genas humidas.

NOTÆ.

(m) *Parcius*) Imo blanditiis, etiam harum venatricum retia teguntur.

(n) *Retia*) Tendunt itaque amatoribus ſuis, tanquam brutis. Salus eſt adoleſcentum, ut eas perpetuo oderint, mature has cruces cognoſcere.

(o) *Captos*) *Tuis illecebris irretitos.*

(p) *Legibus*, *Tuo modo*, Gall. *Comme il te plaira.*

(q) *Nec nocuit*) Vult etiam anus, ut ad capiendos juvenes, amorem ſimulet puella.

(r) *Conſt.*) *Sit. Cave*, inquit, *ne gratis & fruſtra, aut ſine pretio hunc amorem ſimules.*

(ſ) *Nega*) Ejus rei rationem reddet poſtea Naſo.

(t) *Cauſas*) Amatoris dimittendi, *ſcil.*

(u) *Iſis*) Inachi fluminis filia, ante Io appellata, a Jove in vaccam, Junonis metu, mutata, deinde apud Ægyptios priſtinæ formæ reſtituta, ubi pro Dea culta eſt. Ejus ſacra ad Romanos translata ſunt; quibus ſolennibus Romanæ mulieres per plurimos dies ſecubabant. *Simulat ſe a matre acceſſi ad rem divinam.* Terent.

(x) *Recipe*) Amatorem, *ſcil.*

(y) *Uſum*) Uſu vero & conſuetudine omnia fiunt tolerabilia.

(z) *Audias*) Ut ex rejecti deſperatione majorem ſuam credat felicitatem; largioraque poſtea munera afferat.

(a) *Reſponſa*) *Cum culpa comparata: perverſe compenſata extinguatur.*

(b) *Tua*) Heinſius legeret *ſua*. Codex unus habet *nova*; quod non diſplicet: ſenſum hujus loci ſaltem aperit.

(c) *Morata*) *Quæ diu duravit.*

(d) *Illa*) *Zelotypiam*) inquit, *vel quidvis aliud finge lacrymarum tuarum eſſe cauſam; quaſi non te amari crederes, ut ſe amari amans credat.* Vaferrimum conſilium.

(e) *Nec*,

(e) Nec, si quem falles, tu perjurare timeto:
Commodat (f) illusis numina surda Venus.
Servus & ad (g) partes sollers ancilla parentur;
Qui doceant, (h) apte quid tibi possit emi.
Et sibi pauca rogent: (i) multos si pauca rogabunt,
Postmodo de (k) stipula grandis acervus erit.
Et soror & mater, nutrix quoque (l) carpat amantem;
Fit cito per multas præda petita manus.
Cum te deficient poscendi munera causæ,
(m) Natalem (n) libo (o) testificare tuum:
Ne securus amet nullo rivale, caveto.
Non bene, si tollas prælia, durat amor.
Ille (p) viri toto videat vestigia lecto:
Factaque lascivis livida colla notis.
Munera præcipue videat, quæ miserit alter.
Si tibi nil dederit, (q) Sacra roganda (r) via est.

INTERPRETATIO.

Nec, tu, si quem deceperis metuas pejerare. Venus præbet numina surda deceptis. Famulus etiam & ministra callida instituantur ad partes; qui submoneant, quid tibi possit idonee comparari. Et sibi petant exigua: si exigua petent a pluribus, postmodo cumulus erit magnus de spicis collectis. Et soror, & mater, nutrix etiam expilet amatorem. Præda quæsita per plures manus celeriter congeritur. Cum causæ petendi dona tibi deerunt; indica tuum diem natalem placenta. Vide ne otiosus amoribus indulgeat sine æmulo. Amor male permanet si auferas certamina. Ille aspiciat indicia viri toto toro, & colla liventia signis procacibus. Aspiciat præsertim dona quæ alius præbuerit. Si nihil tibi obtulerit. Via Sacra est petenda.

NOTÆ.

(e) *Nec si quem*) Cujus generis sint hæc omnia nemo non videt, quæ tamen, ad præcavendum, scitu sunt pernecessaria.

(f) *Illusit*) *Perjurio deceptos non audit Venus*: &

Jupiter ex alto perjuria ridet amantum. Meliores vero habent *in lusus*. Neapolitanus *in ludos*.

(g) *Partes*) Partes dicuntur ea omnia quæ quisque Auctor in fabula ex persona quam tuetur, habet exequenda. Totum itaque suum artificium anus Comædiæ comparat; ubi ancillas opus sit habere astutas & expromta memoria, quæ utcumque opus sit dominæ consilio subserviant. *Qui sçachent bien jouer leur personnage.*

(h) *Apte*) Doceant apte, & quid possit emi apte.

(i) *Multos*) Amatores *scil. Quanquam*, inquit, *servi & ancillæ rogabunt pauca, tamen, quia multos rogabunt, & a multis accipient, brevi fient divites.*

(k) *Stipula*) Proprie culmus est, aut ea pars segetis, quæ, demessis spicis, in agro relinquitur, quamquam etiam pro ipsis spicis sumitur. Illis vero, quas post messores legunt egeni, dona, quæ ab amatoribus accipiunt servi seu ancillæ; comparat Dypsas anus.

(l) *Carpat*) *Arrodat; Ab amante aliquid auferat.*

(m) *Natalem*) Diem, *scil.*

(n) *Libo*) *Placenta ex farre & melle.* Mos erat autem, ut natali die discumbentibus liba apponerentur, a nulloque gustarentur prius, quam ab eo cujus natalis dies celebraretur: post cujus degustationem, omnes degustabant & bene precabantur.

(o) *Testificare*) *Ut, de more, Dona amans adferat.*

(p) *Viri*) Alterius amatoris.

(q) *Sacra*) Illa via Romæ a curia veteri versus amphiteatrum, ad arcem Capitolinam porrigebatur.

(r) *Via*) Id est, quænam merces in ea vendantur; quanti constent quas habere cupit, &c. ut intelligat amator eas emendas esse.

Cum

Cum multa abstuleris: ut non tamen omnia (s) donet;
Quod nunquam reddas, commodet (t) usque roga.
Lingua juvet, (u) mentemque tegat; (x) blandire, noceque.
Impia sub dulci melle venena latent.
(y) *Hæc si (z) præstiteris, (a) usu mihi cognita longo,*
(b) *Nec tulerint voces ventus & aura meas;*
Sæpe mihi dices vitæ bene: sæpe rogabis,
Ut mea defunctæ molliter ossa cubent.
(c) Vox erat in cursu, cum me mea prodidit umbra.
At nostræ vix se continuere manus,
Quin (d) albam raramque comam, lacrymosaque vino
(e) Lumina, rugosas distraherentque genas.
(f) Di tibi dent nudosque (g) lares, inopemque senectam,
Et (h) longas hiemes, (i) perpetuamque sitim.

INTERPRETATIO.

Postquam multa rapueria; ut tamen non det omnia, orato assidue mutuo det quod nunquam restituas. Lingua prosit', & animum celet: demulceto, & obesto. Dira toxica obducuutur suavi melle. Si hæc servaveris a me comprobata diutina experientia, nec ventua & aura rapuerint mea dicta; sæpe bene præcaberis mihi superstiti; sæpe orabia ut mea ossa mortuæ quiescant suaviter. *Verba profluebant cum umbra mea me retexit. At manus nostræ vix se represserunt. Quin discerperent capillos raros, & albos, & oculos mero profluos, & genas rugis contractas, Dii tibi faciant domum inanem, & senectutem vacuam; & protractas hyemes, & sitim continuam*

NOTÆ.

(s) *Donet*) *Donare videatur:* quod ipsum a dando absterreat.

(t) *Usque*) Meliores habent *ipsa*. Alii *ille*.

(u) *Mentemque tegat*) *Ita ut aliud clausum in pectore; aliud in lingua promptum habeas, quod gratum sit amatori.*

(x) *Blandire noceque*) *Per blanditias amatorem expila*. Vel *Noce, ne in tædia vertatur amor, qui his artibus retinetur.*

(y) *Hæc*) *Mea præcepta*, scil.

(z) *Præstiteris*) *Observaveris*.

(a) *Usu*) *Experientia*.

(b) *Nec tulerint*) *Nec te frustra admonuerim*.

(c) *Vox*) Anus *scil.* quæ multa alia deblaterasset; nisi Poetæ latentis umbram advertisset.

(d) *Albam*) *Canam*, nam anus erat.

(e) *Lumina*) *Oculos*; quos plerumque rubros & lacrymosos habent vinosi.

(f) *Di tibi*) Lenæ imprecatur Naso.

(g) *Lares*) *Domum omni bono vacuam*. Ponuntur enim Lares, Dies domestici, persæpe pro ipsa domo. Vel *nudos lares* expone *nullos*; quod in aliis reperitur codicibus.

(h) *Longas*) *Ut frigoribus & gelu conficiaris*; quo senea, ob sanguinis defectum, maxime uruntur.

(i) *Perpetuamque*) Nullum fere bibacissimæ Dipsadi majus potuit imprecari tormentum.

ELE-

ELEGIA IX.

Ad Atticum, amantem non oportere desidiosum esse, ut nec militem.

(*a*) Militat omnis amans, & (*b*) habet sua castra Cupido:
(*c*) Attice, crede mihi; (*d*) militat omnis amans.
Quæ bello est habilis, Veneri quoque convenit, (*e*) ætas,
Turpe senex miles, turpe senilis amor.
Quos petiere duces annos in milite forti,
Hos petit in socio (*f*) bella puella toro.
(*g*) Pervigilant (*h*) ambo: terra requiescit (*i*) uterque,
Ille fores dominæ servat, at iste ducis.
Militis officium (*k*) longa est via, (*l*) mitte puellam;
Strenuus (*m*) exemto fine sequetur amans.
Ibit in (*n*) adversos montes, (*o*) duplicataque nimbo.
Flumina: congestas exteret ille nives.
Nec (*p*) freta pressurus timidos (*q*) causabitur Euros;
Aptaque (*r*) verrendis (*ſ*) sidera quæret aquis.

INTERPRETATIO.

OMnis amator bellum gerit, & Cupido habet sua castra, fidem mihi habe, Attice: omnis amator arma tractat. Anni qui ad bellum sunt apti, apti sunt quoque ad Venerem. Miles senex est res indecora, amor senilis est indecorus. Quam ætatem Imperatores voluerunt in strenuo milite, hanc pulcra puella expetit in lecto jugali. Uterque noctes insomnes ducunt: ambo cubant humi. Ille custodit portam dominæ, at iste Imperatoris. Munus militis est prolixum iter: ablega puellam; fortis amator sine fine consequetur. Curret in colles oppositos, & torrentia aucta imbribus: ille calcabit nives cumulatas. Nec navigaturus culpabit Euros turgidos; nec requiret astra idonea aquis tranandis.

NOTÆ.

(a) *Militat*) En vero periculosius militat, quod hosti sese inermem tradit qui amat; eidemque maxime parcit.

(b) *Habet sua castra*) Id est, vere amor est bellum.

(c) *Attice*) Titus Pomponius est; ad quem multas epistolas scripsit Cicero; Poetæ sodalis, & amicus ita carus, ut cum eo seria, ludicraque omnia conferre solitus sit. Attici vero cognomen ideo sortitus est, quod cum diu Athenis vixisset, plane Atticus, lingua & morum elegantia videretur.

(d) *Militat*) Non parvam affert sententiæ gravitatem hæc repetitio.

(e) *Ætas*) Juventus *scil.*

(f) *Bella*) *Pulcra*)

(g) *Pervigilant*) *Noctem totam insomnem ducunt.*

(h) *Ambo*) Miles *scil.* & amator; atque equidem posterior, qui tota nocte cantando, aut ad amicæ fenestras conquerendo, vagatur.

(i) *Uterque*) Amator quidem ad amicæ fores.

(k) *Longa*) Atque longis itineribus plerumque defessi sunt milites.

(l) *Mitte*) *Longe ab amatore ablega.*

(m) *Exempto fine*) *Sine fide sequetur.* Amanti itaque, ut militi, longa erit via.

(n) *Adversos*) *Oppositos, Obstantes.*

(o) *Duplicataque*) Quales sunt torrentes.

(p) *Freta pressurus*) *Navigaturus*, puellæ causa.

(q) *Causabitur*) *Causam*, ne navem conscendat, dicet.

(r) *Verrendis*) *Remis impellendis, aut navi frangendis*. Id est, Absque omni consultatione maris discriminibus sese amans objiciet.

(ſ) *Sydera*) Antea vidimus sydera quædam pluviosa & procellosa esse; aut saltem pluviæ & tempestatis tempus indicare.

Quis,

Quis, nisi vel miles, vel amans, & frigora (*t*) noctis,
Et (*u*) denso mistas perferet imbre nives?
Mittitur infestos alter speculator in hostes:
In rivale oculos alter, ut hoste, tenet.
Ille graves urbes, hic duræ limen amicæ
Obsidet: hic (*x*) portas frangit, at ille (*y*) fores.
Sæpe soporatos invadere (*z*) profuit hostes;
Cædere & armata vulgus inerme manu.
(*a*) Sic fera Treicii ceciderunt agmina (*b*) Rhesi:
Et dominum capti deseruistis (*c*) equi.
(*d*) Sæpe maritorum somnus utuntur amantes;
Et sua sopitis (*e*) hostibus arma (*f*) movent.
(*g*) Custodum transire manus, vigilumque (*h*) catervas,
Militis, & miseri semper amantis opus.
Mars (*i*) dubius, (*k*) nec certa Venus; victique (*l*) resurgunt.
Quosque neges unquam posse jacere, (*m*) cadunt.

INTERPRETATIO.

Quis nisi vel miles, vel amator, usque toleret & frigora noctis, & nives confusas cum spissis nimbis? Alter dimittitur explorator in hostes infensos: alter defigit oculos in amulo, tanquam in hoste. Ille oppugnat urbes molestas, hic limen crudelis amicæ: hic proterit portas, at ille fores. Sæpe utile fuit adoriri hostes sopitos: & mactare vulgus nudum manu armis instructa. Sic acres copiæ Rhesi Threicii deletæ sunt: & equi correpti destituistis Dominum. Amantes utuntur sæpe sopore maritorum: & concutiunt sua arma hostibus somno oppressis. Effugere globos custodum, & manus excubitorum, est munus militis, & amantis semper miseri. Mars incertus, nec Venus fida; & subacti eriguntur: & quos credas nunquam posse interimi, opprimuntur.

NOTÆ.

(t) *Noctis*) Uterque vero, & miles & amans persæpe sub dio pernoctat.

(u) *Denso mistas*) Frigus propemodum & tristitiam hic versus advehit.

(x) *Portas*) Quæ in muris urbium, munitionum, atque castrorum.

(y) *Fores*) Id est, januas, aut ostia domorum privatarum. Ex hoc vero versu differentia patet, quæ inter Portas & januas, seu fores, intercedit.

(z) *Profuit*) Militi *scil.* Pergit in comparatione amantis & militis.

(a) *Sic*) Per soporem.

(b) *Rhesi*) Vide in Penelope.

(c) *Equi*) Rhesi *scil.* de quibus etiam in Penelope.

(d) *Sæpe marit.*) Ostendit, quomodo & amantes sopores hostium maritorum utantur.

(e) *Hostibus*) Maritis *scil.* quos sibi hostes ducunt amantes.

(f) *Movent*) *Admovent* arma, quibus acerbiora, quam quæ ferro, ingenuo viro vulnera fiunt.

(g) *Custodum trans.*) Quod amantibus incumbit.

(h) *Catervas*) Quibus premuntur milites.

(i) *Dubius*) Incertus enim belli exitus; quod diu cogitandum. *Les armes sont journalieres.*

(k) *Nec certa*) Muliere nihil levius; ut habet proverbium.

(l) *Resurgunt*) *Quondam etiam victis redet in præcordia virtus.* Virg.

(m) *Cadunt*) *Victoresque cadunt Danai.* Virg. Auæ omnia facile ad Amoris bella transferet, qui Phædriam Terentianum viderit.

Ergo

Ergo desidiam quicumque vocabit amorem,
(n) Desinat: ingenij est *(o)* experientis amor.
(p) Ardet in *(q)* abducta Briseide *(r)* mœstus Achilles.
(s) Dum licet, *(t)* Argolicas *(u)* frangite Troes opes,
Hector ab *(x)* Andromaches complexibus ibat in arma;
Et, galeam capiti quæ daret, uxor erat.
(y) Summa ducum *(z)* Attrides visa *(a)* Priameide *(b)* fertur
(c) Mænadis *(d)* effusis *(e)* obstupuisse comis.
(f) Mars quoque *(g)* deprensus *(h)* fabrilia vincula *(i)* sensit.
(k) Notior in cœlo fabula nulla fuit.
Ipse ego segnis eram, *(l)* discinctaque in otia natus:
Mollierant animos *(m)* lectus & umbra meos:

INTERPRETATIO.

Ergo quicunque nominabit amorem segnitiem id omittat: amor est ingenji multa molientis. Tristis Achilles flagrat in Briseide abrepta. Trojani proterite vires Argolicas, dum datur. Hector ibat in arma ab amplexibus Andromaches: & conjux erat qua aptaret cassidem capiti. Atrides dux ducum dicitur spectata Priameide hæsisse in sparsis capillis Mænadis. Mars quoque correptus sensit laqueos fabriles. Nulla fabula fuit magis vulgata cœlo. Ipse ego deses eram, & genitus in otia dissoluta: lectus & umbra enervaverant mea pectora.

NOTÆ.

(n) *Desinat*) *Scilicet vocarem amorem desidiam*, ut exponit Dominicus? Non. Quanquam enim optimos ejus commentarios plerumque sequimur; eos tamen quando ita ratio postulare videtur, relinquimus. *Desinat*; id est, *Ab amore desistat: Amoris castra ne sequatur.*

(o) *Experientis*) *Experti, Periti*; adeoque multa molientis.

(p) *Ardet Achilles*) Adeoque desidiosus non est Amor; qui Heroum etiam corda sibi mancipat; a quo percelluntur.

(q) *Abducta*) Ab Agamemnone: qua de re vide, si placet, Briseidis epistolam.

(r) *Mœstus*) Alij *magnus*; quod ad scopum facit. Mœstus vero imo & furiosus, ex Briseidis suæ raptu, factus est Achilles.

(s) *Dum licet*) Per Achillis Græcorum fortissimi absentiam *scil.* qui ut Homerus scribit, amore & ira amens pugna abstinuit; Qua re factum, ut Græcorum ingentem cladem Trojani ediderint: Eo alludit Poeta hoc versu.

(t) *Argolicas*) *Græcas.*

(u) *Frangite*) Græcos hostes mactando, quandiu ab Achille irato non defenduntur.

(x) *Andromaches*) Hectoris uxor fuit Andromache.

(y) *Summa*) *Caput & Dux.* Vocatur enim Agamemnon dux ducum seu Principum Græcorum qui Trojam expugnaverunt.

(z) *Atrides*) Agamemnon, Atrei filius.

(a) *Priameide*) Cassandra, Priami filia.

(b) *Fertur*) *Dicitur, Memoratur.*

(c) *Mænadis*) Cassandræ *scil.* vaticinantium more furentis & insanientis: μαίνεσθαι enim insanire est. Cassandram vero vatem fuisse dono Apollinis alibi diximus.

(d) *Effusis*) Furentium more *sparsis*.

(e) *Obstupuisse*) Ex Cassandræ forma, quam perdite amavit, attonitus.

(f) *Mars*) Ipse belli Deus minime desidiosus, quo Amorem desidiosum non esse maxime probatur.

(g) *Deprensus*) A Vulcano *scil.* Veneris marito, solis monitu.

(h) *Fabrilia*) Vulcani, qui rete ferreum, adeo exile, ac tenue, ut oculorum aciem fugeret in lecto Veneris tetendit; quo vinculo Mars & Venus Adulter in flagitio correpti sunt, deorumq; omnium ludibrio, expositi.

(i) *Sensit*) Adeoque amavit.

(k) *Notior*) Quippe ad turpe spectaculum omnes convolarunt, captisque illudere certaverunt.

(l) *Discincta*) *Mollia, dissoluta.* Enimvero togatis, opus aliquod molientibus, togam, ne impedimento sit, opus est cingere & colligere. Inde fit ut strenuos viros *præcinctos, accinctos*, inertes *descinctos* dixerint.

(m) *Lectus & umbra*) *Otium*, quod in lecto & umbra reperitur.

Impulit ignavum formosæ cura puellæ;
(*n*) Jussit & in castris (*o*) æra merere suis.
(*p*) Inde (*q*) vides agilem, nocturnaque bella gerentem.
Qui (*r*) nolet fieri desidiosus, amet.

INTERPRETATIO.

Amor pulcra puellæ excitavit desidiosum: & imperavit stipendia facere in castris suis. *Inde cernis* me *alacrem & moventem arma nocturna. Qui nolet fieri segnis, amet.*

NOTÆ.

(n) *Jussit* Cura puellæ *scil.* sive Amor.

(o) *Æra merere*) *Stipendia facere, Militare.*

(p) *Inde*) *Ex Amore, postquam me ille impulit.*

(q) *Vides*) Atticum alloquitur.

(r) *Nolet fieri*) Adeoque non tantum desidiosus non est Amor, sed insuper desidiam pellit, desidiososque fortes facit. Quod non modo de Amore, sed de omni affectu aut cupiditate verum est.

ELEGIA X.

Ad puellam, ne pro amore præmia poscat.

(*a*) QUalis, ab (*b*) Eurota (*c*) Phrygiis avecta carinis,
(*d*) Conjugibus belli causa duobus erat:
Qualis erat (*e*) Lede, quam plumis abditus (*f*) albis
Callidus in (*g*) falsa lusit (*h*) adulter ave:
Qualis (*i*) Amymone siccis errabat in agris,
(*k*) Cum premeret summi verticis (*l*) urna comam:

INTERPRETATIO.

QUalis erat abducta navibus Phrygiis ab Eurota, causa belli duobus maritis: qualis erat Lede, quam adulter astutus tectus plumis candidis fefellit in alite ficto: qualis Amymone vagabatur in campis aridis, cum hydria urgeret capillos supremi verticis.

NOTÆ.

(a) *Qualis*) Pulcherrima *scil.* Amicæ vero formam laudat primo Poeta, ne postea in ea præsidium quærat.

(b) *Eurota*) Fuit Eurotas fluvius Spartam alluens, unde avecta est Helena.

(c) *Phrygiis*) Paridis Phrygii, seu Trojani.

(d) *Conjugibus*) Menelao *scil.* & Paridi.

(e) *Lede*) Tyndari conjux, Castoris & Pollucis, itemque Helenæ mater, & Clytemnestræ.

(f) *Albis*) Cygni *scil.* de quo antea vidimus.

(g) *Falsa*) *Simulata, ficta:* Neque enim revera Jupiter Ledam decipiens Cygnus fuit.

(h) *Adulter*) Jupiter *scil.*

(i) *Amymone*) Una fuit ex 50. filiabus Danai, pulcritudine eximia, venandi studio sese oblectans.

(k) *Cum premeret*) *Cum aquam in urna capiti imposita portaret.* Tum vero Neptuno quem in auxilium, adversus Satyrum vim inferre volentem, vocaverat, placuisse dicitur; a quo, quod a Satyro metuebat, passa est.

(l) *Urna*) Vas est quo aqua ex puteis fluminibusve hauritur, adeoq; & continetur.

Talis

Talis eras; *(m)* aquilamque in te *(n)* taurumque timebam;
Et quidquid magno *(o)* de Jove fecit Amor.
Nunc timor omnis abest, animique *(p)* resanuit error:
Nec facies oculos jam *(q)* capit *(r)* ista meos.
Cur sim mutatus quæris? quia munera poscis.
Hæc te non patitur causa placere mihi.
Donec eras *(s)* simplex, animum cum corpore amavi:
Nunc mentis *(t)* vitio *(u)* læsa figura tua est.
Et *(x)* puer est & *(y)* nudus Amor: sine *(z)* sordibus *(a)* annos,
Et *(b)* nullas vestes, ut *(c)* sit apertus, habet.
(d) Quid *(e)* puerum Veneris pretio *(f)* prostare *(g)* jubetis?
Quo *(h)* pretium condat, *(i)* non habet ille *(k)* sinum.
Nec Venus apta feris, Veneris nec filius, armis.
Non decet imbelles *(l)* æra merere Deos.

INTERPRETATIO.

talis eras: & metuebam tibi aquilam & bovem, & quidquid Amor finxit de magno Jove. Nunc omnis metus recessit, & error mentis est emendatus: nec jam ista tua forma retinet meos oculos. Requiris quam ob rem sim mutatus? Quia petis dona. Hæc causa non sinit te mihi gratam esse. Quandiu eras ingenua, dilexi ingenium cum corpore: nunc forma tua imminuta est culpa ingenii. Amor est puer & nudus: habet ætatem avaritia expertem, & nullos amictus, ut sit patens. Quamobrem imperatis puerum Veneris prostitui pretio? ille non habet gremium, quo abdat munera. Nec Venus, nec puer Veneris idoneus sævis armis: indecorum est Deos imbelles æra merere.

NOTÆ.

(m) *Aquilamque*) Id est, *Ne ut olim ad Ganymedem, ita ad te rapiendam, Jupiter Aquilam mitteret.*

(n) *Taurumque*) A quo, seu potius a Jove in Tauro latitante, abducta est & vitiata Europa.

(o) *De Jove fecit*) illum enim in Cygnum, Taurum, Imbrem, aliaque Amor mutavit.

(p) *Resanuit*) Alij habent *evanuit arbor*. Illam vero alteram lectionem ex Gronovij observationibus restituit clar. Heinsius: qui Lactantium voce illa *resanuit* usum esse testatur.

(q) *Capit*) *In amorem pellicit*. Enimvero ingenium viro illam amare mulierem est indignum, cui propter pretium tantum gratus sit.

(r) *Ista*) Tua *scil.*

(s) *Simplex*) *Non petulans, procax, & avara; sed quæ amares tantum, ut amares.*

(t) *Vitio*) Avaritia *scil.*

(u) *Læsa*) Jamdudum equidem ille amat nos qui dona nostra amat, si Gnathoni Terentiano credimus: at non alius eo amore contentus fuerit, nisi qui fatui & insulsi Thrasonis mores & animum induerit.

(x) *Puer*) Adeoque simplex, & purus non vafer, nec subdolus; quales sunt turpes meretriculæ.

(y) *Nudus*) *Mundus* habet optimus Palatinus.

(z) *Sordibus*) *Avaritia*: qua homines fiunt & dicuntur sordidi.

(a) *Annos habet*) *Ætatem agit, Vivit.*

(b) *Nullas vestes*) Quibus alij ad fraudem & nequitiam uti solent.

(c) *Sit apertus*) Ejus omnia conspiciantur; nec aliud promtum, aliud in pectore clausum habere possit.

(d) *Quid*) *Propter quid? Quamobrem.*

(e) *Puerum Veneris*) Amorem, seu Cupidinem.

(f) *Prostare*) Corporis turpitudine quæstum facere, illudq; venale habere videtur Amor qui cum meretricula est.

(g) *Jubetis*) Contumeliose propemodum numero multitudinis usus est, quasi in meretricum numero amicam ponat.

(h) *Pretium*) Turpitudinis *scil.*

(i) *Non habet*) Quia nudus est, aut esse debet, si verus est.

(k) *Sinum*) In quem dona mittere solebant,

(l) *Æra merere*) Quod solent milites in bello. Alludit Poeta ad meretricis etymologiam, quæ a merendo dicitur:

Stat meretrix *(m)* certo *(n)* cuivis mercabilis ære;
Et *(o)* miſeras *(p)* juſſo corpore quærit opes.
(q) Devovet imperium *(r)* tamen hæc lenonis avari:
Et, quod vos facitis, ſponte coacta facit.
Sumite in exemplum pecudes ratione carentes.
Turpe erit ingenium mitius eſſe feris.
Non equa munus equum, non taurum vacca popoſcit:
Non aries placitam munere *(ſ)* captat ovem.
Sola viro mulier ſpoliis exultat ademtis:
Sola locat noctes: ſola locanda venit.
Et vendit, quod utrumque juvat, quod uterque petebat:
Et pretium, quanti gaudeat ipſa, facit,
Quæ Venus ex æquo ventura eſt grata duobus;
Altera cur illam vendit, & alter emit?
Cur mihi ſit damno, tibi ſit lucroſa voluptas,
Quam ſocio motu fœmina virque ferunt?
Non bene conducti vendunt perjuria teſtes:
Non bene ſelecti judicis *(t)* arca patet.
Turpe, reos *(u)* emta miſeros defendere lingua:
Quod faciat *(x)* magnas, turpe, tribunal opes.
Turpe, *(y)* tori reditu *(z)* cenſus augere paternos,
Et faciem lucro proſtituiſſe ſuam.

INTERPRETATIO.

Scortum cuivis proſtat venale definito pretio; & captat calamitoſas divitias coacto corpore. Hac tamen execratur dominium lenonis ſordidi; & facit invita, quod vos facitis ultro. Petite in exemplum bruta ratione deſtituta. Indecorum erit indolem leniorem eſſe brutis. Equa non petit pretium ab equo, non vacca a tauro: Aries non pellicit ovem amatam dono. Sola mulier lætatur ſpoliis dereptis viro: ſola locitat noctes: ſola proſtat conducenda. Et vendit quod ambobus prodeſt, quod ambo quærebant; & mercedem indicat quanti ipſa oblectetur. Quæ Venus futura eſt pariter jucunda duobus, quamobrem altera illam vendit, & alter pretio comparat? Quamobrem gaudia ſint mihi detrimento, tibi ſint quæſtui, quibus fœmina & vir gaudent motu communi? Arbitri emti perverſe vendunt perjuria: ſcrinium judicis perverſe apertum eſt. Indecorum eſt, tueri calamitoſos reos lingua pretio conducta; indecorum tribunal quod magnas divitias coacervet. Indecorum ampliare facultates patrias proventu lecti, & pretii cauſa in propatulo habuiſſe pulcritudinem ſuam.

NOTÆ.

(m) *Certo are*) *Conſtituta & decreta pecunia.*

(n) *Cuivis*) Viliſſimis adeo quibuſque hominibus.

(o) *Miſeras*) Imo miſerrimas, quæ animi & corporis jactura conſtant.

(p) *Juſſo*) A lenone *ſcil.* qua re nihil prope fingitur turpius.

(q) *Devovet*) *Execratur.*

(r) *Tamen*) Ut minus reprehendendæ ſint quæ coactæ peccant, quam quæ ultro in teterrimum illud vitium prolabuntur.

(ſ) *Captat*) *Allicit.*

(t) *Arca*) Quo dona, quibus ipſe judex corrumpatur, deferantur.

(u) *Emta*) Apud antiquos patroni opera gratuita clientum cauſas agebant.

(x) *Magnas*) Nimirum ea res venditam & proditam juſtitiam arguit.

(y) *Tori reditu*) Qualis eſt meretricularum, quæ in toro lucrum faciunt.

(z) *Cenſus*) Facultates a patre acceptas.

a Gra-

(*a*) Gratia pro rebus merito debetur (*b*) inemtis:
  Pro (*c*) male conducto gratia nulla toro.
Omnia conductor solvit: mercede soluta
  Non manet officio debitor ille tuo.
Parcite, formosæ, pretium pro nocte (*d*) pacisci.
  Non habet eventus sordida præda bonos.
(*e*) Non fuit (*f*) armillas tanti (*g*) pepigisse (*h*) Sabinas,
  Ut premerent (*i*) sacræ virginis arma caput.
(*k*) E quibus exierat, trajecit viscera ferro
  (*l*) Filius: & pœnæ causa (*m*) monile fuit.
(*n*) Nec tamen indignum est, a divite munera posci;
  Munera poscenti quod dare possit, habet.
(*o*) Carpite de plenis pendentes vitibus uvas:
  Præbeat (*p*) Alcinoi poma (*q*) benignus ager.
Officium pauper (*r*) numeret, studiumque, fidemque;
  Quod quis habet, dominæ conferat omne suæ.

INTERPRETATIO.

Gratia jure debetur pro rebus sine pretio paratis: gratia nulla pro lecto turpiter emto. Conductor solvit omnia: ille non est debitor merito tuo, pretio dato. Nolite, o pulcræ, pangere mercedem pro nocte. Turpis rapina non habet felices exitus. Non tanti fuit Sabinas pactas esse armillas, ut arma eliderent caput sacra Virginis. Natus transfodit gladio præcordia e quibus prodierat: & torquis fuit causa supplicij. Nec tamen est turpe dona peti ab opulento. Habet dona quibus possit donare petentem. Sumite racemos pendentes de plenis vitibus: fundus fertilis Alcinoi ferat poma. Inops præbeat obsequium, affectum & fidem: quo quisquam est beatus id omne comportet ad amicam suam.

NOTÆ.

(a) *Gratia debetur pro rebus inemtis*) Omnino: at nihil debemus illi, cui pretium persolvimus.

(b) *Inemtis*) *Non emtis.*

(c) *Male*) *Turpiter*, aut *pretio*, quod semper nimium est.

(d) *Pacisci*) Id est *petere*, & statuere.

(e) *Non fuit tanti*) Illud est quod dicimus, *ne valoit pas, n'estoit pas la peine; ne meritoit pas.*

(f) *Armillas*) Tarpejæ Vestalis historiam tangit; de qua & bello quod olim populus Romanus gessit cum Sabinis, sic loquitur Florus; *Sabinis proditæ portæ per virginem: nec dolo: sed puella pretium rei: quæ gerebant in sinistris petierat: dubium clipeos an armillas. Illi ut & fidem solverent & ulciscerentur clipeis obruere.* Poetæ itaque scopus est ab exemplo probare periculosum & noxium esse puellis pretium poscere, aut sordidam prædam consequi.

(g) *Pepigisse*) Quod fecit Tarpeia Vestalis.

(h) *Sabinas*) Sabinorum militum, qui armillas, *des bracelets* in sinistris suis habebant.

(i) *Sacræ virginis*) Vestalis ipsius, quæ sordidam prædam pacta erat.

(k) *E quibus*) Matris *scil.* Eriphyles.

(l) *Filius*) Alcmæon est Amphiarai vatis & Eriphyles filius, qui ideo matrem interfecit, quod Amphiaraum Thebano bello latitantem, in quo ille periturum se præviderat, infida, accepto a Polynice monili, prodiderat.

(m) *Monile*) Aureus torquis, olim a Venere Hermionæ datus; quem postea a Polynice Eriphyle Amphiarai uxor, mariti proditionis pretium accepit.

(n) *Nec tamen*) *Munera nec poscas: det munera canus amator.*

Ut foveat tepido mollia membra sinu.
Tibull.

(o) *Carpite*) Metaphora est continuata.

(p) *Alcinoi*) Hic rex fuit Phæacum hortos colens diligentissime.

(q) *Benignus*) *Fertilis. Benignos* enim appellamus liberales; *malignos* contra parcos & tenaces

(r) *Numeret*) *In pecunia loco ponat.*

Est quoque, carminibus meritas celebrare puellas,
(*s*) Dos mea; quam volui, nota fit (*t*) arte mea.
(*u*) Scindentur vestes, gemmæ frangentur & aurum:
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.
Nec dare, sed pretium posci dedignor & odi.
Quod nego poscenti, desine velle; dabo.

INTERPRETATIO.

Sunt etiam mea opes decorare carminibus dignas puellas: illa quam cupivi celebratur mea scientia. Vestimenta lacerabuntur, gemma & aurum terentur: gloria quam versus dabunt, erit perpetua. Nec refugio, & odio habeo donare, sed munus peti. Omitte expetere, prabebo quod recuso petenti.

NOTÆ.

(s) *Dos*). *Virtus, qua in amica gratiam uti possim.*
(t) *Arte*) Poetica, seu Musica.
(u) *Scindentur*) Hoc dicit ut artem suam; Poeticam *scil.* extollat.

ELEGIA XI.

Ad Napen, ut paratas tabellas ad Corinnam perferat.

COlligere (*a*) incertos, & in ordine ponere, crines
Docta, (*b*) neque ancillas inter habenda, Nape;
Inque (*c*) ministeriis furtivæ cognita noctis
Utilis, & dandis ingeniosa (*d*) notis.
Sæpe venire ad me dubitantem hortata Corrinnam,
Sæpe (*e*) laboranti fida reperta mihi;
Accipe, & ad dominam (*f*) peraratas mane tabellas
Perfer; & obstantes sedula (*g*) pelle moras.

INTERPRETATIO.

NApe perita cogere & componere capillos turbatos, neque reponenda in famularum numero; & inventa idonea in servitiis noctis clandestina; & callida in edendis signis, sape hortata Corinnam hasitantem ad me proficisci; sape inventa fidelis mihi dolenti; corripito & deferto ad dominam, tabellas mane perscriptas; & tolle diligens moras importunas.

NOTÆ.

(a) *Incertos*) *Turbatos, Incomtos.*
(b) *Neque habenda*) Id est, quæ inter ingenuas mulieres haberi mereatur.
(c) *Ministeriis*) Janua videlicet clanculum aperienda; aliisque ejus generis.
(d) *Notis*) *Signis; quibus, amoribus & votis meis, pleraque clanculum indicando, favisti.*
(e) *Laboranti*) Ex amore *scil.*
(f) *Peraratus*) *Exaratas, Conscriptas mane.*
(g) *Pelle*) A te remove.

Nec

Nec *(b)* silicum venæ, nec durum in pectore ferrum,
Nec tibi *(i)* simplicitas *(k)* ordine major inest.
Credibile est, & te *(l)* sensisse Cupidinis arcus.
In me militiæ signa *(m)* tuere *(n)* tuæ.
Si *(o)* quæret, quid agam, *(p)* spe noctis vivere, dices.
Cætera fert *(q)* blanda *(r)* cera notata manu.
(ſ) Dum loquor, hora fugit: *(t)* vacuæ *(u)* bene redde tabellas:
Verum *(x)* continuo fac tamen illa legat.
(y) Aspicias oculos, mando, frontemque legentis.
(z) E tacito vultu scire futura licet.
(a) Nec mora: perlectis *(b)* rescribat multa jubeto.
Odi cum late *(c)* splendida cera vacat.

INTERPRETATIO.

Nec venæ saxorum nec durum ferrum in pectore, nec simplicitas tibi inest major tua sorte. Verisimile est te etiam expertam esse tela amoris. Defende in me signa tua militia. Si petat quid faciam; respondebis vitam ducere spe noctis. Tabellæ miti manu scriptæ indicant reliqua. Dum loquor, tempus effluit. Apte tradito litteras otiosas: verum fac tamen illa legat protinus. Jubeo intuearis oculos & vultum legentis. Licet prospicere futura ex ore silente. Et statim; admoneto plurima rescribat perlectis. Doleo cum cera nitida late est vacua.

NOTÆ.

(b) *Silicum venæ*) Silex lapis est durus, ex quo ignis elicitur. Cum vero dicit Poeta Napæ non esse silicum venas, intelligit ipsam lapidum duritiem non habere; sed eam esse quæ Amoris etiam vires sentire potuerit.

(i) *Simplicitas*) Negat Poeta usqua adeo rerum omnium imperitam esse, ut quid Amor possit nesciat.

(k) *Ordine*) Servili *scil.* finguntur vero in Comœdiis servi & ancillæ ingenio astuto, & subdolo.

(l) *Sensisse Cupid. arcus*) *Amasse*.

(m) *Tuere*) *Defende*; militum more, qui sua signa studiose defendunt.

(n) *Tuæ*) Amoris; *scil. Militat enim omnis amans, & habet sua castra Cupido*.

(o) *Quæret*) Corinna *scil.*

(p) *Spe noctis*) *Sine qua morerer*.

(q) *Blanda*) Enimvero blandus & blandissimus est Amator, qui aliquid ad amica expetit.

(r) *Cera*) *Tabella cera illita*.

(ſ) *Dum loquor*) Correptio est Poetæ, ex amore impatientis.

(t) *Vacuæ*) *Alio negotio non implicatæ amicæ*. Res non est levis momenti punctum temporis ad aliquid præstolari. Unde callidus ille Syrus Terentianus, *In tempore veni, quod rerum omnium est primum*.

(u) *Bene*) *Opportune*.

(x) *Continuo*) Adeoque ne diutius otiosa sit.

(y) *Aspicias*) *Ut quacumque ex vultu amicæ, qui animi est speculum, cognoveris, mihi deinde referas*.

(z) *E*) Alii *&*, *ex*.

(a) *Nec mora*) Istud cupit Poeta, ut cum sibi a vestigio rescripserit amica, & eo tempore, quo ex sua epistola ipsius animus incaluerit, minus ipsa sibi propter affectuum commotionem cavere possit; ex quo facilius sit veras amicæ cogitationes cognoscere & arguere. Quietos oportet & maxime tranquillos scribere eos, qui bene & caute scribere voluit: nec modo scribere, sed omnia agere.

(b) *Rescribat multa*) Quod fit facile, cum per alicujus verba aut epistolam phantasia concaluit.

(c) *Splendida*) Erant illæ tabellæ optime politæ; adeoque splendidæ.

(*d*) Comprimat ordinibus versus, oculosque (*e*) moretur
Margine in extremo litera (*f*) rasa meos.
(*g*) Quid digitos opus est (*h*) graphio lassare tenendo?
Hoc habeat scriptum tota tabella, *Veni*.
(*i*) Non ego (*k*) victrices (*l*) lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media (*m*) ponere in æde morer.
(*n*) Subscribam, *Veneris fides sibi Naso ministras*
Dedicat: at nuper vile fuistis (*o*) acer.

INTERPRETATIO.

Denset versus ordinibus: & littera exarata in ultima ora detineat meos oculos. Quid opus est fatigare digitos stilo eum tractando? Integra tabella contineat hoc exaratum. Adesto. *Ego non cunctabor coronare tabellas victrices lauro, nec collocare in medio templo Veneris. Subsceibam;* Naso sacras facit famulas fideles Veneris: *at non itae pridem fuistis acer minimi pretii.*

NOTÆ.

(d) *Comprimat*) Id est, *Lineas*, seu versus ita ordinet, ut angusta sint inter binos versus spatia. *Qu'elle serre ses lignes*.

(e) *Moretur*) Adeoque ejus lineæ ad finem usque perducantur.

(f) *Rasa*) *Stylo exarata*.

(g) *Quid digitos*) Amatoria levitate sententiam mutat; cupitque sibi unico verbo rescribere amicam *Veni*.

(h) *Graphio*) *Stylo*.

(i) *Non morer*) *Non differam*.

(k) *Victrices*) *Quæ mihi ab amica noctem impetraverunt*.

(l) *Lauro*) Alludit ad morem Romanum. Solebant enim litteræ, quæ ab Imperatoribus, parta victoria, Romam mittebantur lauro redimiri, atque ita Consulibus reddi: Unde & laureatæ dicebantur.

(m) *Ponere*) Honoris causa; ut solebant qui alicujus Dei beneficio aut periculum effugerant, aut aliquid boni consequuti erant.

(n) *Subscribam*) De more etiam.

(o) *Acer*) Ex quo, sicut & aliis arboribus, itemque ebore, &c. tabellæ conficiebantur. Est autem acer arbor notissima, qua hodieque ad tabulas præsertim & instrumenta Musica conficienda utuntur. *De l'erable*.

ELEGIA XII.

Tabellas, quas miserat, execratur, quod amica noctem negaret.

Flete meos casus: (*a*) tristes rediere tabellæ.
Infelix hodie litera (*b*) posse negat.
Omina sunt aliquid: modo cum discedere vellet,
Ad limen (*c*) digitos restitit (*d*) icta Nape,

INTERPRETATIO.

Lugete meam calamitatem, lugubres tabellæ reverterunt. Flebilis epistola negat posse hodie. Præsagia sunt aliquid: cum modo Nape vellet proficisci, basi illisa pedes ad limen.

NOTÆ.

(a) *Tristes*) Quas, Poetæ tristitiam adferentes remisit amica.

(b) *Posse*) Noctem *scil.* dare.

(c) *Digitos*) Pedis *scil.* Multum vero ominibus ejusmodi tribuebant antiqui, ita ut Janum & Vestam iratos putarent, si quis ingrediens aut egrediens in limen incurrisset aut offendisset. Nec tamen inde credendum, usque adeo ineptum fuisse Poetam, ut ejusmodi nugis fidem haberet; verum ex hominum consuetudine loquitur.

(d) *Ista digitos*) Græcismus.

Missa

Missa foras iterum limen (*e*) transire memento
Cautius; atque (*f*) alte (*g*) sobria ferre pedem.
Ite hinc, (*h*) difficiles, funebria ligna, tabellæ:
Tuque negaturis cera referta notis.
(*i*) Quam puto de (*k*) longe (*l*) collectam flore (*m*) cicutæ
(*n*) Melle sub (*o*) infami (*p*) Corsica misit apis.
At, tanquam (*q*) minio, penitus medicata rubebas,
Ille color vere (*r*) sanguinolentus erat.
Projectæ (*ſ*) triviis jaceatis inutile lignum:
Vosque rotæ frangat prætereuntis onus.
Illum etiam, qui vos ex arbore vertit in usum,
Convincam (*t*) puras non habuisse manus.
Præbuit illa arbor misero suspendia collo:
Carnifici duras præbuit illa cruces.
Illa dedit (*u*) turpes (*x*) raucis (*y*) bubonibus umbras:
(*z*) Vulturis in ramis & (*a*) strigis ova tulit.

INTERPRETATIO.

Recorderis missa denuo foras transgredi limen prudentius: & sobria pedem tollere. Discedite morosæ tabellæ lignum triste: & tu cera plena lineis abnuentibus. Quam arbitror coactam de flore procera cicutæ apis Corsica digessit sub melle famoso. At prorsus rubebas tanquam illita minio. Ille color erat vere cruentus. Abjectæ tabulæ jaceatis lignum futile in triviis, & pondus rotæ transeuntis vos proterat. Probare etiam possim illum qui vos accomodavit ad usum ex trunco, non habuisse manus insontes. Illud lignum pro patibulo fuit collo infelici: illud suppeditavit sævas cruces tortori. Illa arbor præbuit obscœnas umbras raucis bubonibus: habuit ova vulturis & strigis in ramis.

NOTÆ.

(e) *Transire cautius*) *Ut ne caspites; nihil offendas.*

(f) *Alte*) Non in limen incurrat.

(g) *Sobria*) *Non titubans*; quod est ebrii.

(h) *Difficiles*) *Quæ ab amica difficili, ipsam difficilem dicitis.*

(i) *Quam*) Ceram *scil.*

(k) *Longe*) Nimirum ea usque ad hominis altitudinem assurgit.

(l) *Collectam*) Ab apibus, quæ mel & ceram ex floribus, aliisque colligunt.

(m) *Cicutæ*) Herba est venenata.

(n) *Melle sub*) Favi *scil.* quibus mel continetur, ex cera ab apibus conficiuntur.

(o) *Infami*) Amarum esse mel Corsicum scripsit Plinius, quod ex buxo, & taxo colligatur,

)p) *Corsica*) Ex insula Corsica, in mari Ligustico, inter Sardiniam & Italiam.

(q) *Minio*) Minium minerale est in coloribus laudatissimum. *Du vermeillon.*

(r) *Sanguinolentus*) Adeoque] feralis & tristis.

(ſ) *Triviis*) Trivia loca sunt, ubi tres viæ concurrunt. *Quarrefour*; quanquam proprie *quadrivium.*

(t) *Puras*) Sic Horat. Carmin. lib. 2. Ode 13. In arborem,

Ille & nefasto te posuit die.
Quicumque primum, & sacrilega manu.
Produxit arbor, &c.

(u) *Turpes*) Turpibus, avibus.

(x) *Raucis*) Puteaneus *rasis*; Arondelianus *raris*. Optime Heinſ. *ravis*. Ravum enim, ut idem optime observavit, obtusum est; seu ad colorem, seu ad sonum aut vocem referas: ut *raucis* & *ravis* hoc in loco unum & idem significent.

(y) *Bubonibus*) Bubo avis nocturna, funebris & mali ominis veteribus, hodieque etiam mulierculis. *Un hibou.*

(z) *Vulturis*) Rapacis avis qui præda & sanguine arborem inquinaverit,

(a) *Strigis*) Strix avis est nocturna, cantu certe lugubris. *Chevêche, Fresaye.*

(b) His

(*b*) His ego commisi nostros insanus amores,
(*c*) Molliaque ad dominam verba ferenda dedi?
Aptius hæ capiant (*d*) vadimonia (*e*) garrula ceræ,
Quas aliquis (*f*) duro (*g*) cognitor ore legat.
Inter (*h*) ephemeridas melius tabulasque jacerent,
In quibus absumtas fleret avarus opes.
Ergo ego vos (*i*) rebus (*k*) duplices (*l*) pro nomine sensi:
Auspicii (*m*) numerus non erat ipse boni.
Quid (*n*) precer iratus? nisi vos (*o*) cariosa senectus
Rodat, & immundo cera sit (*p*) alba situ.

INTERPRETATIO.

Ego demens bis credidi nostros amores & tradidi blandas voces deferendas ad dominam? Illa tabella convenientius contineant vadimonia loquacia, quas aliquis judex legat vultu aspero. Convenientius jacerent inter tabulas diarias, in quibus avarus lugeret divitias expensas. Ergo ego expertus sum vos duplices esse effectis pro ratione nominis? Ipse numerus non erat lati augurii. Quid orem infensus, nisi vetustas cariem inducens vos exedat, & cerá fit cana turpi squalore.

NOTÆ.

(b) *His*) Tabellis *scil.*

(c) *Mollia*) *Blanda, lasciva.*

(d) *Vadimonia*) Sponsiones ad certum diem sistendi de judicio.

(e) *Garrula*) *Inepte composita*; qualia sunt pleraque omnia quæ & hodierni repetunt barbara sua lingua scribæ forenses.

(f) *Duro*) *Severo & tristi*; quali esse solent judices.

(g) *Cognitor*) *Judex* cujus proprium est causas cognoscere.

(h) *Ephemeridas*) *Diarium* Latinis; qui liber est in quo singulis diebus acta, impensi etiam acceptique ratio refertur.

(i) *Rebus*) *Effectu & experientiâ.*

(k) *Duplices*) *Fallaces & dolosas*; *cum a vobis latissima omnia expectaverim, ea autem non præstiteritis.*

(l) *Pro nomine*) Id est, *secundum nominis vestri rationem*; vel, *prout nomen vestrum indicabat.* Diversis vero veniebant pugillares nominibus, alii duplices, alii triplices, quadruplices, &c.

(m) *Numerus*) Numero impari gaudere Deos superos voluerunt.

(n) *Precer*) *Imprecer.*

(o) *Cariosa*) Ligna vero vetusta, teredinibus roduntur, & vermiculantur; a quibus fit proprie caries.

(p) *Alba*) Qualia solent esse quæ situ & vetustate corrumpuntur.

ELEGIA XIII.

Ad Auroram, ne properet.

JAm super (*a*) Oceanum venit (*b*) a (*c*) seniore marito
(*d*) Flava (*e*) pruinoso quæ vehit (*f*) axe diem.

INTERPRETATIO.

JAm flava Aurora) *quæ affert diem curru rorido, venit super Oceanum a marito ætate provectiore.*

NOTÆ.

(a) *Super Oceanum*) Videtur vero & Sol & Aurora quasi ex Oceano prodire.

(b) *A seniore marito*) Heins. interpolatum a sciolo credit hunc versum, rescribitque *seniore relicto*, eo ducente manuscripto, ubi *licto* pro *relicto*, a properante manu exaratum fuerat.

(c) *Seniore*) Tithono *scil.* cujus Poetis decantatissima senectus.

(d) *Flava*) Aurora *scil.*

(e) *Pruinoso*) Matutino enim tempore, quo generatur pruina seu ros congelatus præcipue conspicitur.

(f) *Axe*) Pro *curru*. Synecdoche est partis pro toto.

Quo

Quo properas, Aurora? mane; (g) sic (h) Memnonis (i) umbris
Annua solenni cæde (k) parentet (l) avis.
Nunc (m) juvat in teneris dominæ jacuisse lacertis:
(n) Si quando, lateri nunc bene juncta meo est.
Nunc etiam somni (o) pingues, nunc frigidus (p) humor.
Et (q) liquidum tenui gutture cantat avis.
Quo properas, ingrata viris, ingrata puellis?
(r) Roscida purpurea (s) supprime (t) lora manu.
(u) Ante tuos ortus (x) melius sua sidera servat
Navita; ne media nescius (y) errat aqua.
Te surgit, (z) quamvis lassus, veniente viator:
Miles & armiferas aptat ad arma manus.
(a) Prima (b) bidente vides oneratos arva colentes.
Prima (c) vocas (d) tardos sub juga (e) panda boves.

INTERPRETATIO.

Quo festinat Aurora? Resiste: sic avis annua justa persolvat Manibus Memnonis solemni nece. Nunc mihi jucundum decumbere in mollibus brachiis dominæ nunc, si unquam, bene connexa est meo lateri. Nunc etiam somni humidi, nunc pavor frigidus: & avis suaviter canit molli gutture. Quo festinas injucunda viris, injucunda puellis? Attrahe habenas rore perfusas manu purpurea. Nauta certius observat sua sidera ante tuos ortus: nec insciens vagatur media aqua. Viator, quanquam defessus excutitur te accedente: & miles accomodat manus armigeras ad arma. Prima aspicis agricolas pressos bidente; prima mittis lentos boves sub curva juga.

NOTÆ.

(g) *Sic*) Particula est, qua sæpe precantes utuntur.

(h) *Memnonis*) Memnonem Tithoni & Auroræ filium, qui Trojanis in auxilium venerat Achiles interfecit: cumque mater Jovem oraret, ut aliquo honore filium interemtum donaret; ille rogi favillas, ejusque socios in aves vertit, quæ a Memnone, Memnonides cognominatæ, quotannis ad Memnonis sepulcrum inter se bella aspera gerentes, suo regi parentare dicuntur. Qua de re fusius in Metam.

(i) *Umbris*) *Manibus.*

(k) *Parentes*) Proprie est *parentare* parentibus justa celebrare.

(l) *Avis*) Pro *aves* Synecdoche.

(m) *Juvat*) *Me* scil.

(n) *Si quando*) *Si unquam*)

(o) *Pingues*) *Sunt* suppl. Id est, qui pinguedinem inducant. Gratior vero est & mollior, æstate præsertim, somnus matutinus, quia frigidior aer.

(p) *Humor*) Qui cerebrum irrigat.

(q) *Liquidum*) Pro *liquide*, clare.

(r) *Roscida*) *Rore perfusa.*

(s) *Supprime*) *Ut equi, qui currum tuum trahunt lentiori pede progrediantur.*

(t) *Lora*) *Habenas.* Gall. *Les renes de la bride.*

(u) *Ante tuos*) Hunc versum cum tribus sequentibus manu recentiori margini adscriptos habet Puteaneus.

(x) *Melius servat*) Omnino, siquidem adveniente majori luce stellarum fulgor evanescit.

(y) *Errat*) Quod sæpissime nautis de die eveniebat, priusquam pyxis nautica inventa esset.

(z) *Quamvis*) Pro *quantumvis*: quomodo Virgil. itemque Cicero loquuti sunt.

(a) *Prima*) Alii *Prima subire jubes oneratos arva colonos.* Alii *Prima bidente vides oneratos colla colonos.*

(b) *Bidente*) Bidens instrumentum est ad fodiendam terram, duos dentes habens.

(c) *Vocas*) Quia surgente Aurora, agricola boves ad opus rusticum educunt.

(d) *Tardo*.) *Tarde & lente incedentes.*

(e) *Panda*) *Incurva, subcurva.* Frequens epitheton.

Tu

Tu pueros somno (*f*) fraudas, (*g*) tradisque magistris;
Ut subeant teneræ verbera sæva manus.
(Atque (*h*) eadem sponsum (*i*) consulti (*k*) ante atria mittis,
(*l*) Unius ut verbi grandia damna ferat.)
Nec tu consulto, nec tu jucunda (*m*) diserto:
Cogitur ad lites surgere uterque novas.
Tu, cum fœminei possint cessare labores,
Lanificam revocas ad sua (*n*) pensa manum.
(*o*) Omnia perpeterer; sed surgere mane puellas
Quis, nisi cui non est ulla puella, ferat?
Optavi quoties, ne nox tibi cedere vellet;
Neu (*p*) fugerent vultus sidera mota tuos!
Optavi quoties, aut ventus frangeret (*q*) axem,
Aut caderet spissa nube retentus (*r*) equus!

INTERPRETATIO.

Tu surripis somnum pueris; & eos mittis ad præceptores: ut molles manus subjiciantur flagris crudelibus. Atque eadem abigis sponsum ante vestibula jurisperiti; ut referat ingentia detrimenta unius vocabuli. Tu neque es grata jurisperito, neque patrono: uterque cogitur surgere ad lites novas. Tu, cum muliebria opera possint intermitti, reducis manum lanificam ad sua pensa. Omnia perferrem: sed quis patiatur puellas mane lecto excuti, nisi cui nulla est puella? Quoties cupivi, ne nox tibi vellet locum dare; neve stella depulsa vitarent tuos oculos! Quoties cupivi aut ventus illideret currum, aut equus repressus densa nube rueret!

NOTÆ.

(f) *Fraudas*) Quia redeunte luce a præceptoribus excitantur.

(g) *Tradis*) Quod pueris durissimum.

(h) *Sponsum*) Alii *sponsos*, & *ferant*. Alii aliter; suspicatusque est clar. Heinsius a mala manu esse totum distichon. Cui tamen facile non assentitus fuero; nec quam dixit rationem probavero.

(i) *Consulti*) *Jurisperiti*; quorum consilia, & responsa circa res litigiosas exquiruntur. *Les Avocats consultans.*

(k) *Ante Atria*) Ubi expectandum *scil.* quod an sponso durum sit, quivis qui semel saltem expertus fuerit, facile cognoverit.

(l) *Unius ut*) Sensus est, *Ut consultus in lege aut in alio scripto unum verbum pro utilitate consultoris interpretetur; quod nisi fieret, maxima damna eum sequerentur*. Ita interpretatur Dominicus, deinde *ferat* positum putat pro *auferat*. Sensum vero videtur ille omnino contrarium induxisse. Poeta enim omnia adversus Auroram congerit. Crediderimque per *damna unius verbi* intelligenda esse damna, quæ sibi ex Consulti responso impendere Consultor cognoscit. Atque ita verbum *ferat* non ad consultum; sed ad consultorem referetur, proprieque pro se positum fuerit: ut ex Consulti responso, (nam invidiose loquutus est Poeta) deinde & Auroræ exortu mala omnia oriri intelligatur. Notandum vero quod insuper in transcursu consultos mordet, quod soleant illorum nonnulli pauculis verbis, quandoque obscuris, quibus tamen tanquam oraculo & sine responsione credendum sit, decreta sua proferre. Oppositio est etiam *unius* cum *Grandia*, *verbi*, cum *damna*: Gall. hunc versum ita interpreteris, *Afin qu'il s'en retourne accablé des pertes que luy causera un mot d'un Avocat.*

(m) *Diserto*) *Causidico*, ille est, qui, quod consultus dixit, apud judices defendit: cui diserto esse opus est. *Un Avocat qui plaide.*

(n) *Pensa*) *Ad lanam quæ ex colo pendet.*

(o) *Omnia*) *Quæ tu facis; aut, ad quæ homines cogis.*

(p) *Fugerent*) Ex vulgi opinione loquitur, qui moveri & fugere credit stellas, quarum fulgor majore soli luce extinguitur.

(q) *Axem*) *Currus tui* scil.

(r) *Equus*) *Tuorum aliquis.*

Invi-

Invida, quo properas? (quod erat tibi (t) filius ater,
(u) Materni fuerat pectoris ille color.
((x) Quid si non (y) Cephali quondam flagrasset amore?
An putat ignotam (z) nequitiam esse suam?)
(a) Tithono vellem de te narrare (b) liceret;
(c) Fabula non cœlo turpior ulla foret.
(d) Illum dum refugis, longo quia grandior ævo,
Surgis ad (e) invisas a sene mane rotas.
At si, quem malles, Cephalum complexa teneres;
Clamares, *Lente currite noctis equi*.
Cur ego plectar amans, si vir tibi marcet ab annis?
Num me nupsisti conciliante (f) seni?
Aspice, quot somnos (g) juveni (h) donarit amato
Luna: (i) neque illius forma secunda tuæ.
Ipse (k) Deum genitor, ne te tam sæpe videret,
(l) Commisit noctes in sua vota duas.
(m) Jurgia finieram: (n) scires audisse; (o) rubebat.
Nec tamen assueto tardius orta dies.

INTERPRETATIO.

Quo festinas livida? Quod filius tibi erat niger. ille fuerat color sinus materni. Quid si olim non arsisset amore Cephali? An credit lasciviam suam esse occultam? Cuperem fas esset Tithono de te loqui: non esset ulla fabula obscœnior in cœlo. Dum illum vitas, quia ætate provectior, mane excuteris a sene ad odiosos currus. At si amplexa foveres Cephalum, quem magis cuperes; vociferareris, segniter properate noctis equi: *Quamobrem ego amans puniar, si maritus tibi langueat senio? Anne nupsisti seni me adjungente? Vide quot somnos Luna permiserit juveni dilecto: neque illius pulcritudo fuit inferior tua. Ipse Deorum pater, ne te toties aspiceret, junxit duas noctes in sua desideria. Convitia absolveram: cognosceres audivisse; rubebat. Nec tamen dies fulsit serius solito*.

NOTÆ.

(s) *Quod erat*) Vide annon Auroræ properantiam indicet hic versus.

(t) *Filius*) Memnon Æthiops *scil.* de quo antea.

(u) *Materni pectoris*) Quod, quia invidum est, invidum & nigrum censetur.

(x) *Quid si*) Merito vero hoc distichon, cum Micyllo & Grutero, suspectum habuit clar. Heinsius; quod margini adscriptum, idque manu recentiori habet Puteaneus. Sensus vero est in amantes duriorem fore Auroram nisi ipsa Amoris spicula sensisset.

(y) *Cephali*) Fuit Cephalus Procris maritus, nostris etiam fabulis, sed fide erga conjugem, quam tamen inscius occidit, maxime notus. Illum Aurora amavit & rapuit.

(z) *Nequitiam*) *Lasciviam*.

(a) *Tithono*) Auroræ marito; de quo antea.

(b) *Liceret*) Alii *liberet*;

(c) *Fabula*) *Tua* scil. *o Aurora*.

(d) *Illum*) *Tithonum*.

(d) *Invisas*) *Mihi, & cunctis mortalibus*:

(f) *Seni*) *Tithono*.

(g) *Juveni*) Endymioni *scil.* cuidam pastori, quem perpetuo somno a Jove damnatum, quod Junonem concupivisset, Luna amasse dicitur. Argumentum est a juventute adversus Auroram.

(h) *Donarit*) Fabulam Poeta ad scopum suum accomodat.

(i) *Neque illius*) *Adeoque nec tibi, Aurora, causa est, cur amantes dormire non patiaris; cum æque pulcra Luna id patiatur*.

(k) *Deum genitor*) Jupiter; qui eo nomine sæpissime appellatur.

(l) *Commisit*) Quo tempore cum Alcmena cubuisse dicitur. Qua de re vide Plauti Amphitr. si lubet.

(m) *Jurgia*) *Convicia in Auroram*.

(n) *Scires*) *Quivis Auroram jurgia audisse, scire posset*.

(o) *Rubebat*) Quod ex pudore oritur, & dolore.

ELE.

ELEGIA XIV.

Puellam consolatur, cui præ nimia cura comæ deciderant.

DIcebam, (*a*) Medicare tuos desiste capillos.
(*b*) Tingere quam possis, jam tibi nulla coma est.
At, si passa fores, quid erat (*c*) spatiosius illis?
(*d*) Contigerant imum, qua patet usque, latus,
Quid, quod erant (*e*) tenues, & quos ornare (*f*) timeres;
(*g*) Vela (*h*) colorati (*i*) qualia (*k*) Seres habent?
(*l*) Vel pede quod gracili deducit aranea filum,
Cum (*m*) leve deserta sub trabe nectit opus?
Nec tamen ater erat, nec erat tamen aureus illis,
Sed, quamvis neuter, mistus uterque (*n*) color.
(*o*) Qualem clivosæ madidis in vallibus Idæ
Ardua derepto cortice cedrus habet.
Adde, quod & (*p*) dociles, & centum (*q*) flexibus apti
Et tibi (*r*) nullius causa doloris erant.
Non acus abrupit, non (*s*) vallus pectinis, illos:
(*t*) Ornatrix (*u*) tuto corpore semper erat.

INTERPRETATIO.

ADmonebam, Omitte inficere tuam comam. Jam nulli sunt tibi capilli quos possis meditari. At si sivisses, quid erat prolixius illis? Defluebant usque ad infimum latus quousque porrigitur. Quid, quod erant subtiles & quos fingere metueres; qualia Seres nigri habent vela? Vel quale *filum quod net aranea pede exili, cum tenue opus implicat sub tigno inculto: Nec tamen color illis erat niger, nec tamen erat illis aureus, sed quamvis neuter, uterque confusus. Qualem cedrus procera habet in vallibus humidis Idæ montosæ cortice detracto. Adjice, quod etiam faciles, & idonei centum orbibus, & tibi nullius doloris erant causa. Acus non scidit illos, non dens pectinis: ornatrix erat semper securo corpore.*

NOTÆ.

(a) *Medicare*) *Coloribus inficere.*

(b) *Tingere*) Heinsius mallet *fingere*, neque sine ratione.

(c) *Spatiosius*) Alii *speciosius*.

(d) *Contigerant*) *Demissi erant usque ad talos*; ut loquimur nos.

(e) *Tenues*) Non placent crassi.

(f) *Timeres*) Ne frangerentur, *scil.*

(g) *Vela*) Ex Serico confecta, *scil.*

(h) *Colorati*) *Subnigri*; ex solis ardoribus.

(i) *Qualia*) Tenuissima, *scil.*

(k) *Seres*) Populi Asiæ, inter Scytas & Chinenses: nisi potius eos Chinensis regni borealem partem incoluisse credideris.

(l) *Vel pede*) Amicæ capillos araneæ filis similes fuisse dicit.

(m) *Leve*) Non multi ponderis esse potest profecto filium tam subtile.

(n) *Color*) Capillorum, *scil.*

(o) *Qualem*) Colorem, *scil.*

(p) *Dociles*) *Faciles ornari & fingi.*

(q) *Flexibus*) *Orbibus, cincinnis.*

(r) *Nullius doloris*) Secus nonnullis evenit, quibus labor est maximus comam plerumque implicatam fingere.

(s) *Vallus*) Vallum pro dentibus posuit:

(t) *Ornatrix*) Ancilla est, quæ comam fingit.

(u) *Tuto*) Ornatrici irascuntur, quæ comam habent difficilem.

Ante

Ante meos sæpe est oculos (*x*) ornata; nec unquam
(*y*) Brachia derepta saucia fecit acu.
Sæpe etiam, nondum digestis mane capillis,
(*z*) Purpureo jacuit semisupina toro.
Tum quoque erat (*a*) neglecta decens: (*b*) ut (*c*) Threcia (*d*) Bacche,
Cum temere in viridi gramine lassa jacet,
Cum (*e*) graciles essent tamen, & (*f*) lanuginis instar;
Heu mala vexatæ (*g*) quanta tulere comæ!
Quam se præbuerant (*h*) ferro patienter & igni;
Ut fieret torto flexilis (*i*) orbe (*k*) sinus!
Clamabam, Scelus est, (*l*) istos scelus urere crines.
Sponte decent: capiti, (*m*) ferrea, parce tuo.
Vim procul (*n*) hinc remove: non est qui debeat uri;
(*o*) Erudit admotas ipse capillus acus.
Formosæ periere comæ: quas vellet Apollo,
Quas vellet capiti Bacchus inesse suo.
Illis contulerim, quas quondam nuda (*p*) Dione
(*q*) Pingitur humenti sustinuisse manu.

INTERPRETATIO.

Sæpe est comta ante meos oculos; nec unquam vulneravit lacertos ornatricis acus abrepta. Sæpe etiam mane, nondum composita coma cubuit semisupina lecto purpureo. Tum quoque inornata pulcra erat, ut cum Baccha Thracia, fessa negligenter jacet in herba virente. Quamvis tamen essent tenues, & instar lanuginis; heu quanta mala passi sunt capilli torti! Quam toleranter se tradiderant calamistro & igni; ut cincinni fierent faciles anulo crispato! Vociferabar; flagitium est, flagitium torrere tam pulcros capillos. Ultro sunt decori; crudelis ignosce tuo capiti. Longe hinc depelle violentiam; non est capillus, qui debet calamistro tangi; ipse admonet acus admotas. Pulcri capilli defluxerunt, quos Apollo cuperet, quos Bacchus cuperet adhærere suo capiti. Comparaverim illis quos olim nuda Dione pingitur pressisse manu humida.

NOTÆ.

(x) *Ornata*) Puella *scil.* amica: a qua sermonem avertit.

(y) *Brachia*) Ornatricis:

(z) *Purpureo*) *Ostro & purpura instrato.*

(a) *Neglecta*) *Inornata.*

(b) *Ut Thre.*) Illæ vero mulieres per furorem absolutis Bacchi sacris, colore & forma pulcriores videbantur.

(c) *Threcia*) Celebres fuerunt Threiciæ bacchæ, seu bacchantes mulieres, apud quas, Orpheus primum Bacchi sacra instituit.

(d) *Bacche*) Vox Græca est, mulierem significans Bacchi orgia celebrantem.

(e) *Graciles*) Capilli *scil.*

(f) *Lanuginis*) Lanugo dicuntur tenuissimi pili; quales pubescentium genis adnascuntur. *Le poil follet.*

(g) *Quanta*) Cum, verbi gratia, calamistro crispati sunt capilli, aut coloribus imbuti.

(h) *Ferro & igni*) Id est, ferro ignito, Calamistro.

(i) *Orbe*) Cincinnum intelligit, seu annulatum capillum. *Des Boucles.*

(k) *Sinus*) Res est cum cincinnis eadem, sed varie a Poeta, ut est ille copiosissimus, concipitur & exprimitur.

(l) *Istos*) *Tam pulcros.*

(m) *Ferrea*) *Dura, Crudelis.*

(n) *Hinc*) *A capite.*

(o) *Erudit*) *Docet*: quia jam eam habet formam, quam illi acus ipsæ præbere volunt.

(p) *Dione*) Oceani & Tethyos filia fuit, Veneris mater: at pro ipsa Venere etiam sumitur.

(q) *Pingitur*) Veneris e mari exeuntis tabulam Apelles pinxerat; quam, ut refert Plinius, divus Augustus in delubro patris Cæsaris dedicavit: Cujus tabulæ inferiorem partem corruptam qui reficeret non est inventus.

Quid

Quid male dispositos quereris periisse capillos?
Quid speculum mæsta (r) ponis, inepta, (ſ) manu?
Non bene (t) consuetis a te spectaris ocellis;
Ut placeas, debes immemor esse tui.
Non te (u) cantatæ læserunt (x) pellicis herbæ;
Non anus (y) Hæmonia perfida lavit aqua.
Nec tibi vis morbi nocuit; (procul omen abesto.)
Nec minuit densas (z) invida lingua comas.
Facta manu culpaque tua dispendia sentis.
Ipsa dabas capiti mista venena tuo.
Nunc tibi (a) captivos mittet Germania crines;
Culta triumphatæ munere gentis eris.
O quam sæpe, comas aliquo mirante, (b) rubebis:
Et dices, (c) *Emta nunc ego merce probor!*
(d) *Nescio quam pro me laudat nunc iste (e) Sycambram;*
Fama tamen memini cum fuit ista mei.
(f) Me miserum! lacrymas (g) male continet; oraque dextra
(h) Protegit, ingenuas (i) picta rubore genas.

INTERPRETATIO.

Quamobrem doles defluxisse comam male comtam? Quamobrem stulta deponis speculum tristi manu? Prave conspiceris a te oculis assuetis. Ut tibi placeas debet oblivisci tui. *Gramina incantata pellicis non te deformaverunt; non te vetula infida tinxit aqua Hæmonia. Nec tibi violentia morbi obfuit; (longe absit augurium) nec lingua livida revulsit capillos spissos. Pateris damna facta manu & crimine tuo. Ipsa admovebat toxica intrita capiti tuo. Nunc Germania tibi dabit capillos captivos; ornata eris dono nationis triumphatæ. O quoties rubore suffunderis, aliquo admirante capillos e & dices,* Ego nunc laudor, merce nummis comparata; Iste nunc probat nescio quem Sycambram; recordor tamen cum ista fuit laus mei. *Hei mihi! non reprimit lacrymas; & velat faciem manu, suffusa liberales genas rubore.*

NOTÆ.

(r) *Ponis*) Hoc faciunt quibus sua forma non placet.

(ſ) *Inepta*) Blandum convicium.

(t) *Consuetis*) *Qui consueverint te integris capillis pulcriorem aspicere.*

(u) *Cantatæ*) *Incantatæ.*

(x) *Pellicis*) Solent vero pellices ut facilius maritos sibi devinciant, omnibus modis matronas deformare.

(y) *Hæmonia*) *Thessala.* Fuit vero veneficiis famosa Thessalia.

(z) *Invida*) Multum invidiæ licuisse crediderunt veteres.

(a) *Captivos*) Hoc in Augusti gratiam dicit; cujus auspiciis Drusus Germaniam domuit.

(b) *Rubebis*) Ex pudore; *quod coma non sit tua.*

(c) *Emta*) Propert. externos capillos vocat.

(d) *Nescio quam*) Verba sunt puellæ.

(e) *Sycambram*) *Cujus hæc mea externa coma fuit.* Sycambri autem, seu Sygambri, populi fuerunt Germaniæ inter Rhenum & Visurgim.

(f) *Me miserum*) Dolet Poeta, quod ex amissa coma amica mœreat.

(g) *Male continet*) *Non continet.*

(h) *Protegit*) *Tegit.*

(i) *Picta genas*) Græcismus; pro *pictas habent genas.*

Su-

Sustinet (*k*) antiquos gremio spectare capillos,
(Hei mihi!) (*l*) non illo munera digna loco.
(*m*) Collige (*n*) cum vultu (*o*) mentem, reparabile damnum est.
Postmodo (*p*) nativa conspiciere coma.

INTERPRETATIO.

Non veretur aspicere veterem comam in sinu, (hei mihi!) dona non idonea illi loco. Erige animum cum facie: dispendium est reparabile. Postmodo spectaberis capillis sinceris.

NOTÆ.

(k) *Antiquos*) Qui defluxerant.
(l) *Non digna*) Id est, quæ non illo loco, sed in capite esse deberent.
(m) *Collige*) Nunc denuo puellam alloquitur.
(n) *Cum vultu*) Videtur vero dolore & mœstitia distrahi hominis vultus, usque adeo immutatur.
(o) *Mentem*) Nostri non sumus compotes per dolorem.
(p) *Nativa*) *Viva, naturali.*

ELEGIA XV.

Ad invidos, quod fama poetarum sit perennis.

(*a*) Quid mihi, Livor edax, ignavos objicis annos;
Ingeniique vocas carmen (*b*) inertis opus?
(*c*) Non me more (*d*) patrum, dum (*e*) strenua sustinet ætas,
(*f*) Præmia militiæ (*g*) pulverulenta sequi:
Nec me (*h*) verbosas leges ediscere: nec me
Ingrato (*i*) vocem (*k*) prostituisse (*l*) foro.

INTERPRETATIO.

Quamobrem, maligna invidia mihi exprobras ætatem desidiosam: & nominas carmen opus ingenii desidis? Cur exprobras, me non captare munera pulverulenta militia more majorum, dum anni virentes patiuntur: nec me perdiscere leges garrulas: nec me prostituisse vocem foro ingrato.

NOTÆ.

(a) *Quid*) *Propter quid.* Sed illud acrius est.
(b) *Inertis*) *Ignavi & pigri.*
(c) *Non sequi*) *Objicis mihi me non sequi*, &c.
(d) *Patrum*) *Majorum*; Romanorum *scil.* quorum maxima fuit prisca virtus bellica.
(e) *Strenua*) Juventutem intelligit; qua virente viri fortiores sunt.
(f) *Præmia militiæ*) Adeoque militiam ipsam: nam eo spectat oratio.
(g) *Pulverulenta*) Quia per pulverem & maximum laborem quæruntur, quæ in bello præmia dantur.
(h) *Verbosas*) *In quibus interpretandis, definiendis, & limitandis, multis verbis opus est.*
(i) *Vocem prostituisse*) Id est, *Ad agendas causas operam meam venalem habuisse; vel ad forum & lites animum adjecisse.* Sed invidiose & per contemtum loquitur Poeta.
(k) *Prostituisse*) Ad meretrices spectat hoc vocabulum; unde quam ingrata fuerit Poetæ ars causidicorum propter cavillationes & calumnias, plus satis intelligitur. Cæterum meminisse oportet, quod antea diximus, moris fuisse antiquis oratoribus, ut gratuita opera clientum causas agerent.
(l) *Foro*) *Au Palais. A la chicane*: nam propemodum ad dolum & calumniam deflectunt plerique litigatores.

(m) Mortale est, quod quæris, opus; (n) mihi fama perennis
 Quæritur: in toto semper ut orbe canar.
Vivet (o) Mæonides, (p) Tenedos dum stabit & (q) Ide;
 Dum rapidas (r) Simois in mare volvet aquas.
Vivet & (s) Ascræus, (t) dum (u) mustis uva tumebit:
 Dum cadet incurva falce resecta (x) Ceres.
(y) Battiades semper toto cantabitur orbe;
 Quamvis ingenio non valet, arte valet.
(z) Nulla (a) Sophocleo veniet jactura (b) cothurno,
 Cum Sole & Luna semper (c) Aratus erit.
Dum (d) fallax servus, durus pater, (e) improba lena
 Vivent, dum meretrix blanda; (f) Menandros erit,

INTERPRETATIO.

Laus quam sectaris est fragilis: mihi æternus honor expetitur; ut semper celebrer in omnibus terris. Mæonides celebrabitur, quandiu Tenedos & Ida manebit; quandiu Simois propellet aquas admissas in æquor. Celebrabitur etiam Ascræus, quandiu uva turgebit mustis; quandiu Ceres sternetur recisa falce recurva. Battiades semper celebrabitur per totum orbem terrarum; quanquam magnus non est ingenio, magnus est arte. Nullum damnum accedet Cothurno Sophocleo. Aratus semper erit cum Sole & Luna. Quandiu servus dolosus, pater severus, scelesta Lena, quandiu scortum illecebrosum durabunt, Menander perstabit.

NOTÆ.

(m) *Mortale est*) Responsio est Poetæ ad livorem & lividos, seu invidos.

(n) *Mihi*) *A me.*

(o) *Mæonides*) Homerus est; quem Strabo; a Mæonia regione Phrygiæ, ubi Smyrnam patriam habuisse dicit, eo nomine appellatum voluit. Cum vero maxima sit de Homeri patria dubitatio, alii, inter quos Plutarchus a Mæone Lydorum rege, qui illum filii loco eduxisse dicitur, sortitum fuisse nomen, scripserunt.

(p) *Tenedos dum stabis*) Id est, *semper*. Fuit vero Tenedos insula e regione Trojæ, cujus, itemque Idæ montis, ideo meminit Poeta, quod ab Homero ea loca, & quæ ibi gesta, celebrata fuerunt.

(q) *Ide*) Ide Græca Inflexione, seu Ida mons & sylva fuit Trojanorum in Phrygia.

(r) *Simois*) Fluvius est Troadis, seu agri Trojani fama quam natura major.

(s) *Ascræus*) Hesiodus est, ab Ascra patria, Bœotiæ oppido, sic dictus.

(t) *Dum mustis*) Quia de agricultura scripsit.

(u) *Mustis*) Mustum uvæ est liquor, antequam vinum fiat.

(x) *Ceres*) Id est, *segetes*; quibus præest quasque invenit Ceres.

(y) *Battiades*) Callimachus est, Batti filius, Poeta Græcus, cujus hymnos nonnullos, eosque pulcherrimos hodieque habemus.

(z) *Nulla Sophoc.*) Id est, *Sophoclis fama, quam cothurno, seu Tragœdiis sibi magnam fecit, semper durabit.*

(a) *Sophocleo*) Fuit Sophocles Poeta Græcus, Atheniensis, tragædiarum scriptor, qui gravius & grandiori stylo scripsit quam Euripides.

(b) *Cothurno*) Calceamentum est, quo in Tragædiis utebantur. Ponitur vero cothurnus pro tragico stylo.

(c) *Aratus*) Poeta fuit Græcus celebris, Solensis, ex Cilicia; cujus opus, de cœlo & stellis etiam hodie habemus.

(d) *Fallax*) Quales in Comœdiis plerumque finguntur.

(e) *Improba*) *Insatiabilis, impura, avara, perjura*, &c. quales sunt lenæ.

(f) *Menandros*) Fuit Menander Poeta Græcus: cujus virtutes præcipuas, seu in fingendis personis artem, quanquam obiter, attigit tamen Ovidius. Quatuor ex Menandro Latinas fecit Comœdias Terentius.

(g) Ennius (h) arte carens, (i) animosique (k) Accius oris,
Casurum nullo tempore nomen habent.
(l) Varronem (m) primamque ratem quæ nesciat ætas,
Aureaque (n) Æsonio (o) terga petita (p) duci?
Carmina sublimis tunc sunt peritura (q) Lucreti,
Exitio terras cum dabit (r) una dies.
(s) Tityrus, & (t) fruges, (u) Æneiaque arma legentur,
(x) Roma, triumphati dum caput orbis eris.
Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
Discentnr (y) numeri, culte Tibule, tui.
(z) Gallus & (a) Hesperiis, & Gallus notus (b) Eois,
Et sna cum Gallo nota (c) Lycoris erit.

INTERPRETATIO.

Etnnius arte destitutus, Accius oris sublimis, habent famam nunquam interituram. Quodnam seculum ignorabit Varronem & primam navem, & vellera aurea quæsita a duce Æsonio? Caemina elati Lucretii unc sunt interitura, cum una dies terras iu euiuam teabet. Tityrus & segetes & arma Æneia legentur, quandiu Roma eris Caput Orbis triumphati. Quandiu ignes & sagitta erunt tela Cupid:nis versus tui addiscentur polite Tibulle. Gallus & Lycoris sua cum Gallo erit claeus ad oetum & occasum

NOTÆ.

(g) *Ennius*) Poeta fuit Latinus antiquissimus, Calabria oriundus; cujus paucula fragmenta supersunt.

(h) *Arte carens*) Virgilium dicunt solitum dicere, se ex Ennii stercore aurum colligere. Monuit Quintilianus Ennium, sicut sacros vetustate lucos, adnotandum.

(i) *Animosi*) Grandi & sublimi stylo, qui scripsit.

(k) *Accius*) Hic tragœdias scripsit; duriusculusque, (quod vitium in tempora rejicit Quintilianus) Ciceroni, ferreus aliis visus est.

(l) *Varronem*) Plures eo nomine fuerunt viri doctrina celebres: hoc vero in loco de illo P. Terentio Varrone Attacino Intelligendum est, qui Argonautica scripsit, quæ tamen ad nostra tempora non pervenerunt.

(m) *Peimamque ratem*) Argo navem intelligit; quam primam fabulantur Poetæ, quod nova & majori forma constructa fuerit.

(n) *Æsonio*) Jasoni *scil.* Æsonis filio.

(o) *Terga*) Velius aureum intelligit; quod Varroni, itemque aliis Poematis materiam præbuit.

(p) *Duci*) Pro, *a duce*.

(q) *Luceeti*) Excellenti Poemate, quo totam Epicuri Philosophiam complexus est, notissimus Poeta Lucretius.

(r) *Una dies*) Forte ad illa Lucretii respexit.

Principio maria, ac terras, cœlumque tueee,
Horum uaturam teiplicem, tria corpora, Memmi,
Tres species tam dissimiles, tria talia texta.
Una dies dabit exitio.

(s) *Tityrus*) Per Tityrum, Virgilii Eclogas intellige, in guarum prima Tityrus Pastor inducitur.

(t) *Fruges*) Virgilii intelliguntur Georgica; quibus Agriculturam docuit.

(u) *Æneiaque*) Virgilii Æneis.

(x) *Roma*) Romam compellat ideo Poeta, quod etiam in Romani nominis gloriam Poema suum Virgilius scripserit.

(y) *Numeri*) *Versus*. Tibullo etiam æternam famam promittit.

(z) *Gallus*) Hic Cornelius Gallus Orator eximius & Poeta non medioeris fuit, Augusto familiaris, cujus tamen jussu, cum in proditionis suspicionem venisset, occisus est.

(a) *Hesperiis*) *Occidentalibus*.

(b) *Eois*) *Orientalibus*. Eos enim Græce, Aurora est.

(c) *Lyroris*) Fictum est amicæ nomen, quæ Volumnii liberta fuisse dicitur, Cytheris proprio nomine appellata.

Ergo, cum *(d)* ſilices, cum *(e)* dens *(f)* patientis aratri,
Depereant *(g)* ævo, carmina morte carent.
(h) Cedant carminibus Reges, Regumque Triumphi:
Cedat & auriferi ripa *(i)* beata *(k)* Tagi.
(l) Vilia *(m)* miretur vulgus; mihi *(n)* flavus *(o)* Apollo
Pocula *(p)* Caſtalia *(q)* plena miniſtret aqua.
(r) Suſtineamque coma metuentem *(ſ)* frigora myrtum:
Atque a ſollicito *(t)* multus amante legar.
(u) Paſcitur in vivis Livor: poſt *(x)* fata quieſcit,
Cum ſuus ex merito quemque tuetur honos.
Ergo, etiam cum me ſupremus *(y)* adederit ignis,
(z) Vivam, parſque mei magna (*) ſuperſtes erit.

INTERPRETATIO.

Igitur, cum ſaxa, cum dens duri aratri deterantur tempore, verſus ſunt immortales. Reges & Regum triumphi cedant carminibus; cedat etiam dives ripa Tagi auriferi. Vulgus ſuſpiciat contemnenda: aureus Apollo mihi præbeat pocula plena aqua Caſtalia. Et redimiar capillos myrto timenti frigora; & plurimus legar ab amante anxio. Invidia rodit viventes: deſinit poſt mortem, cum ſua laus defendit unumquemque pro merito. Ergo celebrabor etiam, poſtquam ultimus ignis me conſumſerit; & magna pars mei ſupererit.

NOTÆ.

(d) *Silices*) Qui tamen duriſſimi ſunt lapides.

(e) *Dens aratri*) Vomer. *Le ſoc de la charrue.*

(f) *Patientis*) utpote ferrei.

(g) *Ævo*) *longo tempore.*

(h) *Cedant*) Cedant vero, ſiquidem eorum gloria nonniſi per carmina durat.

(i) *Beata*) *Dives.* Carmina divitiis antepouit.

(k) *Tagi*) Tagus fluvius eſt Luſitaniæ, quem auriferas arenas volviſſe ſcripſerunt Plinius, aliique.

(l) *Vilia*) Qualia aurum, argentum, ſi Poetæ ſcopum ſpectes; & ſapientes audias.

(m) *Miretur*) *Amet.* Quo ſenſu, partim nihil admirari dixit Horatius rem eſſe prope unam & ſolam quæ poſſit facere & ſervare beatum.

(n) *Flavus*) Propter Solis radiorum fulgorem, qui ſunt ejus coma aurea.

(o) *Apollo*) Sol eſt, qui Muſis, & bonis artibus præeſſe creditur.

(p) *Caſtalia*) Fons fuit Caſtalius, in montis Parnaſſi radicibus, Muſis & Apollini ſacer; cujus aquæ hauſtibus vaticinandi & carmina ſcribendi facultatem dari voluerunt Poetæ.

(q) *Plena*) *Ut poſtea ore pleno, plenoque ex pectore verſus fundere poſſim.*

(r) *Suſtineam*) *Myrto Veneri ſacra arbore coroner, ut qui amatoria ſcripſerim.*

(ſ) *Frigora*) Maxime vero huic arbuſculæ frigus nocet.

(t) *Multus*) Pro *multum*. Sic ſæpe, etiam alij.

(u) *Paſcitur in vivis*) Hoc in ſuum ſolatium dicit; cui non ſit durum quod omnibus evenit pati; certus gloriam maximam poſt fata manſuram.

(x) *Poſt fata*) *Poſtquam impleta omnia quæ a fato ſeu Parcis de aliquo fando præſtituta ſunt. Poſt mortem* uno verbo.

(y) *Adederit*) *Adusſerit*, ut habent alii: *conſumſerit.* Veteris vero non fuit inſtituti apud Romanos, autore Plinio, cadavera cremare; terra enim condebantur. At poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tum demum illud eſt inſtitutum: a quo imperantibus Antoninis deſcitum volunt.

(z) *Vivam*) Fama *ſcil.* apud varias gentes immortali.

(*) *Superſtes*) Superſtes eſt qui poſt mortem ſtat.

P. OVI-

P. OVIDII NASONIS
AMORUM LIBER II.
ELEGIA I.

Quod pro gigantomachia amores ſcribere ſit coactus.

HOc (*a*) quoque compoſui, (*b*) Pelignis natus (*c*) aquoſis,
Ille ego (*d*) nequitiæ Naſo poeta meæ.
Hoc (*e*) quoque juſſit Amor: procul hinc, procul eſte ſeveræ:
Non eſtis (*f*) teneris apta (*g*) theatra (*h*) modis.
Me legat (*i*) in ſponſi facie non frigida virgo:
Et rudis ignoto tactus amore (*k*) puer.
Atque aliquis juvenum, quo nunc ego, (*l*) ſaucius (*m*) arcu
(*n*) Agnoſcat (*o*) flammæ conſcia ſigna ſuæ:
Miratuſque diu, *Quo*, dicat, *ab indice doctus*,
Compoſuit caſus (*p*) *iſte poeta meos?*
(*q*) Auſus eram (memini) (*r*) cæleſtia dicere bella,
Centimanumque (*ſ*) Gygen; & ſatis (*t*) oris erat:

INTERPRETATIO.

Ille ego Naſo poeta mea laſcivia, ortus Pelignis aquaticis, hoc quoque opus *perſcripſi: Amor hoc quoque imperavit: longe hinc, longe eſtote rigidæ: non eſtis ſpectatrices idoneæ mollibus verſibus. Puella non ſevera coram amatore me legat: & juvenis inexpertus correptus amore incognito. Atque aliquis adoleſcentum vulneratus ſagittis quibus ego nunc, agnoſcat notas conſcias ſui amoris: & diu miratus*, Quo, *dicat*, ab indice iſte pceta admonitus perſcripſit fortunam meam? *Auſus eram*, (*recordor*) *cantare bella cæleſtia, & Gygen Centimanum; (& ſatis erat ſpiritus)*

NOTÆ.

(a) *Quoque*) Hac voce utitur, quia ſuperiorem de amoribus librum conſcripſerat.

(b) *Pelignis*) Populi fuerunt Peligni ad Apenninum in media propemodum Italia, ſupra Romam; ubi fuit Sulmo Poetæ patria.

(c) *Aquoſis*) Propter aquas ex nivoſis montibus vi magna defluentes.

(d) *Nequitiæ*) Amores intelligit.

(e) *Quoque*) *Sicut & præcedentem librum*; in cujus prima Elegia dixit Poeta, Amorem verſibus ſuis pedem ſurripuiſſe.

(f) *Teneris*) *Mollibus & laſcivis*.

(g) *Theatra*) Pro ſpectatoribus, lictoribus, vel auditoribus poſuit; per Metonym.

(h) *Modis*) *Verſibus*.

(i) *In facie*) *Coram*.

(k) *Puer*) *Adoleſcens, Juvenis*. Illa vero voce ſæpius, præſertim in Amoribus, uti amant.

(l) *Saucius*) Amans.

(m) *Arcu*) Amoris *ſcil.* arcu, aut ſagitta, quæ ad amandum impellit.

(n) *Agnoſcat*) *Legendo mea carmina recognoſcat*.

(o) *Flammæ*) Amoris.

(p) *Iſte*) Ovidius *ſcil.*

(q) *Auſus*) Dicit Poeta, ſe Gygantomachiam ſcribere voluiſſe, ſed ab eo incœpto amoribus retractum.

(r) *Cæleſtia*) Quæ adverſus Deos Gigantes moliti ſunt, geſſeruntque.

(ſ) *Gygen*) Quidam hunc Gygantem, Apollodorum ſequuti, Gyan vocant: fuerunt vero Gygantes centimani tres Cœli & Terræ filij, Briareus nempe, Gyas, & Cœus.

(t) *Oris*) Dicit Poeta, ſe deſcribendæ gigantomachiæ parem fuiſſe.

Cum (*u*) male se (*x*) Tellus ulta est, (*y*) ingestaque (*z*) Olympo
(*a*) Ardua (*b*) devexum (*c*) Pelion (*d*) Ossa tulit.
(*e*) In manibus (*f*) nimbos, & cum Jove fulmen habenti,
Quod bene pro (*g*) cælo mitteret ille suo,
(*h*) Clausit amica fores: ego cum Jove fulmen (*i*) omisi.
(*k*) Excidit ingenio Jupiter ipse meo.
Jupiter, ignoscas: nil me tua tela juvabant.
Clausa tuo majus janua fulmen (*l*) habet.
Blanditias elegosque (*m*) leves (*n*) mea tela resumsi.
Mollierunt duras lenia verba fores.
Carmina (*o*) sanguineæ (*p*) deducunt (*q*) cornua Lunæ;
Et revocant niveos Solis euntis equos.
Carmine (*r*) dissiliunt abruptis faucibus angues,
Inque suos fontes versa recurrit aqua.

INTERPRETATIO.

cum terra se male vindicavit, cum Ossa excelsa imposita Olympo tulis Pelion declive. Amica obturavit januam mihi *habenti nimbos in manibus & cum Jove fulmen quod ille sapienter torqueret pro cœlo suo: ego deserui fulmina cum Jove. Ipse Jupiter effluxit meo animo. Jupiter des veniam; tua fulmina nihil mihi proderant. Fores obturata erant majus fulmen tuo. Me converti ad mitia verba, & tenues elegos mea arma: Blanditia flexerunt asperam januam. Carmina subtrahunt cornua Luna rubenti; & retroagunt equos candidos Solis currentis. Serpentes rumpuntur carmine, cervicibus elisis, & aqua conversa refluit in suas scaturigines.*

NOTÆ.

(u) *Male*) Gigantes vero adversus Deos non male modo & sceleste pugnarunt, sed infeliciter etiam qui victi sunt.

(x) *Tellus*) Dicitur vero Tellus, in sui ultionem contra Deos, pugnaturum genus gigantum genuisse.

(y) *Ingestaque*) *Imposita, superjecta*, scil. Ossa. Nam fœminini est generis hoc in loco mons Ossa; qui alibi est masculini. Dicuntur vero gigantes, quo tempore bellum cum Diis gesserunt, montes montibus ut cœlum ascenderent, imposuisse.

(z) *Olympo*) Mons est Olympus inter Thessaliam & Macedoniam altissimus.

(a) *Ardua*) *Alta & ascensu difficilie.*

(b) *Devexum*) *Inclinatum, pronum*; adeoque & altum: quicquid enim descendentibus declive est, ascendentibus est acclive.

(c) *Pelion*) Mons est Thessaliæ.

(d) *Ossa*) Mons est juxta Olympum.

(e) *In manibus*) Id est, *cum de iis omnibus scripturus essem, & pra manibus haberem.* Sed magnifice loquutus est Poeta.

(f) *Nimbos*) Nimbus pluviam repentinam & præcipitem significat, itemque nubem, qua Dij in terras descendere dicebantur.

(g) *Calo*) Quod invadere gigantes parauerant.

(h) *Clausit*) Exclusus ab amica fui.

(i) *Omisi*) Id est, *a scribenda gigantomachia destiti.*

(k) *Excidit*) Verissime dixit.

(l) *Habet*) Alij habent *erat*: quod clar. Heinsio placuit.

(m) *Leves*) Quibus non est sublimitas; quibusque adeo non gravia, sed levia & amatoria describuntur.

(n) *Mea tela*) Per oppositionem ad tela Jovis

(o) *anguinea*) *Sanguinei coloris.*

(p) *Deducunt*) *E cœlo ducunt*: quod suis carminibus & incantationibus quæ nunc Poeta confundit, facere Magos, Poetæ fabulati sunt.

(q) *Cornua*) Adeoque Lunam ipsam.

(r) *Dissiliunt*) *Rumpuntur*; ut loquitur Maro.

Car-

Carminibus cessere *(s)* fores: insertaque posti,
Quamvis *(t)* robur erat, carmine victa sera est.
Quid mihi profuerit *(u)* velox cantatus Achilles?
Quid pro me *(x)* Atrides alter & alter agent?
(y) Quique tot errando, quot bello, perdidit annos?
(z) Raptus & *(a)* Hæmoniis *(b)* flebilis Hector equis?
At facie teneræ laudata sæpe puellæ,
Ad vatem pretium carminis ipsa venit.
(c) Magna datur merces: heroum clara *(d)* valete
Nomina: *(e)* non apta est gratia vestra mihi.
Ad mea formosæ vultus adhibete puellæ
Carmina, *(f)* purpureus quæ mihi dictat Amor.

INTERPRETATIO.

Janua cessit carminibus: & sera infixa posti, quanquam robur esset, revulsa est carmine. Quid me juverit rapidus Achilles celebratus; quid uterque Atrides facient pro me: & qui tot consumsit annos erroribus quot bello: & Hector miserabilis raptatus equis Hæmoniis? At sæpe forma mollis puella cantata, ipsa accedit ad poetam præmium carminis: Amplum datur præmium. Nomina magnifica heroum discedite: vester favor mihi non est utilis. Pulcræ puellæ advertite oculos ad mea carmina, quæ formosus Amor mihi suggerit.

NOTÆ.

(s) *Fores*) Amicæ *scil.* carminibus laudatæ.

(t) *Robur*) *Ex robore*, arbore glandifera, durissima.

(u) *Velox*) Talis ab Homero inducitur.

(x) *Atrides*) Agamemnon & Menelaus, Atrei filij, Poetis, Homero præsertim decantatissimi: per quos Poemata epica intelliguntur, quibus ipsi præbuerunt materiam.

(y) *Quique tot*) Ulysses est, quem in Odyssea cecinit Homerus: qui decem annos in bello Trojano, totidem in reditu consumsit.

(z) *Raptus*) Raptatum bigis ab Achille circa muros Iliacos Hectorem pueris vix opus est indicare.

(a) *Hæmoniis*) Achillis Hæmonij, seu Thessali.

(b) *Flebilis*) *Dignus qui fleatur.*

(c) *Magna*) Siquidem amica ipsa detur.

(d) *Valete*) Illorum facta nolle se canere innuit.

(e) *Non gratia vestra*) *Sed amica gratia apta est.*

(f) *Purpureum*) *Roseo & pulcro colore.*

ELEGIA II.

Ad Bagoum, ut custodiam puellæ sibi commissæ laxiorem habeat.

QUem penes est dominam servandi cura, *(a)* Bagoe,
Dum perago tecum pauca, sed apta, vaca.

INTERPRETATIO.

BAgoe cui demandata est provincia custodiendi dominam, vacuus esto, dum absolvo tecum pauca, sed idonea.

NOTÆ.

(a) *Bagoe*) Spadonibus est quasi commune nomen; quibus antiquitus, ut & hodie apud Turcas; puellarum cura demandabatur.

Hesterna vidi spatiantem luce puellam,
(b) Illa, (c) quæ (d) Danai porticus agmen habet.
Protinus, ut placuit, misi, scriptoque rogavi.
Rescripsit trepida, *Non licet*, illa manu.
Et cur non liceat quærenti, reddita causa est;
Quod nimium dominæ cura molesta (e) tua est.
Si sapis, o custos, odium (mihi crede) mereri
Desine; quem metuit quisque, perisse cupit.
(f) Vir (g) quoque non sapiens: quid enim servare laboret,
Unde nihil, quamvis non tueare, perit?
Sed gerat ille suo morem furiosus amori:
(h) Et castum, multis quod placet, esse putet.
Huic (i) furtiva tuo libertas munere detur;
Quam dederis illi, reddat ut illa tibi.
Conscius esse velis: domina est (k) obnoxia servo.
Conscius esse (l) times: (m) dissimulare licet.
Scripta (n) leget secum: matrem misisse putato.
(o) Venerit ignotus: postmodo (p) notus eat.
Ibit ad (q) adfectam, quæ non languebit, amicam
(r) Visere; judiciis ægra sit illa tuis,

INTERPRETATIO.

Heri intuitus sum puellam deambulantem illa porticu, qua habet turbam Danai. Continuo, ut mihi *grata fuit, misi; & litteris oravi. Illa respondit manu timida* Non conceditur. *Et ratio data est petenti quamobrem non esset concessum; Quod custodia tua est nimium gravis dominæ. Si sapis, o custos, crede mihi, omitte mereri odium: unusquisque optat interiisse quem timet. Maritus etiam* est *ineptus: cur enim curet custodire unde nihil deteritur quanquam non custodias? Sed ille insanus indulgeat suo amori: & arbitretur pudicum quod multis arridet. Libertas secreta huic concedatur tuo beneficio: ut illa retribuat, quam illi tribueris. Velis esse conscius: domina est subdita servo. Metuis esse conscius: licet dissimulare. Si seorsum legat litteras; credito matrem misisse. Si accesserit incognitus; postmodo cognitus discedat. Accedat ad amicam ægram, quæ ægra non erit, visendi causa; illa sit ægra tuo judicio.*

NOTÆ.

(b) *Illa*) Porticu *scil.*

(c) *Quæ Danai*) Apollinis Palatini porticum intelligit, in qua quinquaginta Danaidum imagines erant: quam cum templo magnificentissimo, itemque bibliotheca Græca & Latina, in parte Palatinæ domus, Augustus excitavit.

(d) *Danai agmen*) De filiabus Danai quinquaginta, quæ maritos suos, una excepta interfecerunt, antea vidimus

(e) *Tua est*) Clar. Heinsius legit *curæ ast*: ne inconcinne duriterque geminatur hoc disticho *est*. Aliter tamen crediderim.

(f) *Vir*) *Maritus*; *qui uxorem servandam tibi credidit.*

(g) *Quoque*) Ut ita insipientem etiam custodem dicat.

(h) *Et castum*) Pudicam non posse esse quæ multis placeat, innuit.

(i) *Furtiva*) Quam nesciat maritus.

(k) *Obnoxia*) *Quæ perpetuo timet ne crimen prodas.*

(l) *Times*) Pro *si timet*: sed illud melius est.

(m) *Dissimulare*) *Simulare se non vidisse; ne conscius dicaris.*

(n) *Leges*) Pro *si legat puella*:

(o) *Venerit*) *Si venerit.*

(p) *Notus*) *Quilibet amicus ad puellam venisse a te fingatur*, quem noscas.

(q) *Adfectam*) *Ægrotam*: optime.

(r) *Visere*) *Ibit visere*; Græcismus bonis autoribus familiaris, pro *ad visendum*.

Si faciet tarde, ne te mora longa fatiget,
Impofita gremio ftertere fronte potes.
Nec tu, (*f*) linigeram fieri quid poffit ad (*t*) Ifin,
Quæfieris: (*u*) nec tu (*x*) curva theatra time.
(*y*) Confcius affiduos (z) commiffi (*a*) tollet honores:
Quis minor eft autem, quam tacuiffe, labor?
Ille placet, (*b*) verfatque domum, neque verbera fentit:
Ille (*c*) potens: (*d*) alii fordida turba jacent.
Huic, veræ ut lateant (*e*) caufæ, finguntur inanes:
Atque (*f*) ambo domini, quod probat una, (*g*) probant.
(*h*) Cum bene vir (*i*) traxit vultum, rugafque coegit;
Quod voluit fieri blanda puella, facit.
Sed tamen interdum tecum quoque jurgia nectat;
Et fimulet lacrymas, carnificemque (*k*) vocet.
Tu contra objiciens, quæ tuto diluat illa,
(*l*) In verum falfo crimine deme fidem.

INTERPRETATIO.

Si faciet lente: ne te tædeat longi fpatij, tibi licet dormire capite in finum dimiffo. Nec tu petiveris quid poffit geri ad Ifin liniferam; nec tu metue curva theatra. Confcius facinoris capiet perpetuos honores. Quæ autem eft levior opera quam filuiffe? Ille gratus eft, & gubernat domum, neque experitur flagra: ille potens, alii obfcœna turba contemnuntur. Ut veræ caufæ occultentur falfæ ab eo confcio *fimulantur: atque ambo domini approbant quod uni placet. Cum maritus multum contraxit faciem, & coacervavit rugas; mitis puella perficit quod cupivit fieri. Sed tamen moneat quoque nonnunquam rixas tecum: & fingat lacrymas & increpet tortorem. Tu contra exprobrans, quæ illa fecure diffolvat, tolle fidem in verum, ficto flagitio.*

NOTÆ.

(f) *Linigeram*) Quia ejus Sacerdotes lineis veftibus induti ejus facra celebrant. Legunt tamen alii *niligenam*, quod Io, Inachi filia, quæ Ifis eft, in vaccam a Jove transfmutata, apud Nilum in Ægypto priftinam formam receperit: Atque hanc lectionem non parum juvat, quod a quibufdam Ifis, Jovis Ægyptii regis filia, & eadem quæ Ceres dicta eft.

(t) *Ifin*) Id eft, in ejus templo; quod Romæ erat, in campo Martio juxta ovile: in quo multa ftupra, adulteria, & lenocinia fiebant.

(u) *Nec time*) *Sine ut ad theatra veniat domina.*

(x) *Curva*) In hemicycli formam ftructa fuerunt.

(y) *Confcius*) *Tu, vel quivis alius confcius:*

(z) *Commiffi*) *Adulterii.*

(a) *Tollet*) *Auferet, capiet*, a domina, adeoque & confervis.

(b) *Verfatque*) Id eft, *impune quicquid lubet poteft facere.* Pari modo dicimus gallice, *Il peut renverfer la maifon, mettre tout c'en deffus deffous.*

(c) *Potens, alii*) *Potens dominæ* habent nonnulli.

(d) *Alii*) Servi, *fcil.* contemnuntur.

(e) *Caufæ*) Quamobrem hoc aut illud Domina fecerit, huc aut illuc iverit; ne veras poffit maritus fufpicari.

(f) *Ambo domini*) Puella *fcil.* & cuftos commiffi confcius.

(g) *Probant*) *Approbant, in eo ftant*, eaque apud maritum utuntur.

(h) *Cum bene*) Inde rationem petit ad perfuadendum obfequium Bagoo erga dominam, quod poftquam maritus puellæ admodum iratus fuerit, ea tamen blanditiis fuis eum ad vota fua poffit perducere.

(i) *Traxit*) Id eft, *iratus eft*: trahitur enim nafus & corrugatur per iram.

(k) *Vocet*) Ut inde fibi fidum cuftodem credat maritus.

(l) *In verum*) Alii *in vero*: *in veri*: multumq; hic variant codices. Vult Poeta, ficta crimina dominæ objicere Bagoum, ut cum illa facile diluerit, fefeque probam & falfo accufatam probaverit, nulla verorum criminum aut accufationum ratio habeatur.

Sic

Sic tibi ſemper honos, ſic (*m*) curta (*n*) peculia creſcent,
Hæc (*o*) face, & exiguo tempore (*p*) liber eris.
Aſpicis (*q*) indicibus nexas per colla catenas:
(*r*) Squalidus (*ſ*) orba fide pectora carcer habet.
(*t*) Quærit aquas in aquis, & (*u*) poma fugacia captat
(*x*) Tantalus: (*y*) hoc illi garrula lingua dedit.
Dum nimium ſervat (*z*) cuſtos Junonius Io,
Ante ſuos annos (*a*) occidit; (*b*) illa Dea eſt.
Vidi ego compedibus (*c*) liventia crura gerentem,
Unde vir (*d*) inceſtum ſcire (*e*) coactus erat.
(*f*) Pœna minor merita: nocuit mala lingua duobus.
Vir doluit; famæ damna puella tulit.
Crede mihi: (*g*) nulli ſunt crimina grata marito:
Nec quemquam, quamvis audiat illa, juvant.

INTERPRETATIO.

Sic tibi ſemper gloria, ſic exigua peculia augebuntur: hac præſtato, & brevi ſpatio liber eris. Cernis indicibus vincula conſtricta per colla: carcer ſentus coercet pectora fide carentia. Tantalus quærit aquas in aquis & corpore tentat poma fugientia: lingua loquax hoc illi attulit. Dum cuſtos Junonius nimium invigilat Io, extinctus eſt ante ſuos annos, illa eſt Dea. Ego vidi habentem crura livida compedibus, a quo maritus coactus erat cognoſcere adulterium. Supplicium levius merito: prava lingua obfuit duobus. Maritus cruciatus eſt; puella paſſa eſt famæ diſpendia. Crede mihi: adulteria nulli ſunt marito accepta: nec cuiquam proſunt, quamvis illa cognoſcat.

NOTÆ.

(m) *Curta*) *Parva*. Alii *alta*.

(n) *Peculia*) Alii *pecunia*, deinde *creſcet*. Dicitur vero præſertim peculium illud omne quod induſtria ſua, & labore, ſervus poteſt lucrifacere.

(o) *Face*) Pro *fac*; antique.

(p) *Liber*) *Pecunia* & *favore domini libertatem conſequeris*.

(q) *Indicibus*) Falſis *ſcil.* quorumque non comprobatum aut approbatum indicium. At ex Poetæ ſcopo non fuit tam accuratum eſſe.

(r) *Squalidus*) *Padore & ſitu obſitus*.

(ſ) *Orba fide*) Tacite indicat perfidum fore Bagoum, ſi dominæ furta proderet.

(t) *Quærit*) *Tantalus a laboris, ſitiens, fugentia captat*.

Flumina. Horat.

(u) *Poma*) Fingitur quoque Tantalus, ſupplicii cauſa, poma apud inferos ad labia uſque pendentia habere, quæ eſurientis morſus fugiant.

(x) *Tantalus*) Fuit ille Jovis filius, adeo ad inferos detruſus, quod deorum ſecreta, quæ communis cœnæ uſu perceperat, mortalibus prodiderit.

(y) *Hoc*) Quod ita apud inferos plectatur.

(z) *Cuſtos*) Argus eſt, cui ſervandam Io vaccam ne ad eam Jupiter deſcenderet, Juno commiſit.

(a) *Occidit*) A Mercurio; Jovis juſſu interfectus eſt.

(b) *Illa*) Io *ſcil.* quæ Iſis eſt: cujus fabulam in Metam. videbimus.

(c) *Liventia*) Livor dicitur color ille ſubniger, quo plumbum, itemque contuſæ corporis partes conſpiciuntur.

(d) *Inceſtum*) Pro quovis adulterio poſuit.

(e) *Coactus*) Quaſi ipſe maritus neſcire maluiſſet.

(f) *Pœna*) Qua *ſcil.* multatus fuerat judex ille.

(g) *Nulli ſunt crimina*) Non tamen explicandum iſtud per id quod verba primo ſonant, quam per ſcopum: eſt vero ille dicere, non magis indicium, quam crimen quod eo proditur, placere.

Seu

Seu (*h*) tepet, indicium (*i*) securas prodis ad aures;
  Sive amat, officio fit (*k*) miser ille tuo.
Culpa nec (*l*) ex facili, quamvis manifesta, probatur,
  (*m*) Judicis illa sui tuta favore venit.
Viderit ipse licet; credet tamen (*n*) ipse (*o*) neganti:
  (*p*) Damnabitque oculos; & (*q*) sibi verba dabit.
(*r*) Aspiciat dominæ lacrymas; plorabit & ipse:
  Et dicet, *Pœnas* (*ſ*) *garrulus iste dabit*.
Quam dispar certamen (*t*) inis! tibi verbera victo
  Adsunt: in gremio judicis illa sedet.
Non scelus (*u*) aggredimur: non ad miscenda (*x*) coimus
  Toxica: non stricto fulminat ense (*y*) manus.
Quærimus, ut tuto per te possimus amare.
  Quid precibus nostris mollius esse potest?

INTERPRETATIO.

Sive languet, facit indicium ad aures negligentes; sive amat, ille fit miser tua sodalitate. Nec crimen, quanquam apertum, facile arguitur. Illa accedit secura gratia sui judicis. Quamvis ipse viderit; ipse tamen fidem habebit diffitenti; & coarguet oculos; & sibi imponet. videat lacrymas dominæ; ipse quoque flebit; & dicet, iste loquax pœnas exsolvet. *Quam inæqualem pugnam subis? flagra sunt parata tibi superato; illa sedet in sinu judicis. Non flagitium suscipimus, non convenimus ad parenda venena: manus non coruscat gladio nudato. Petimus, ut secure per te liceat amare. Quid potest esse mitius precibus nostris?*

NOTÆ.

(h) *Tepet*) Vir *scil.* qui frigide, aut omnino non amat uxorem.

(i) *Securas*) *Negligentes*: Vir enim qui uxorem non amat, ejus furta parum curat.

(k) *Miser*) Excruciatur vero qui uxorem amat, a qua non amatur, sed deluditur.

(l) *Ex facili*) Facile.

(m) *Judicis*) Mariti *scil.* qui; uxorem cum amat, sibi ipsi, ne in culpa ea sit, studet imponere.

(n) *Ipse*) Maritus *scil.* judex.

(o) *Neganti*) Uxori *scil.*

(p) *Damnabit*) Quasi lusciosi fuerint, quibus non fidendum.

(q) *Sibi verba dabit*) *Seipsum decipiet.*

(r) *Aspiciat*) *Si aspiciat*: sed illud longe melius.

(ſ) *Garrulus*) Judex *scil.*

(t) *Inis*) Si scil. *cum domina coram marito litem disceptare aggrediaris.*

(u) *Aggredimur*) *Ego & domina tua.*

(x) *Coimus*) *Concordamus.*

(y) *Manus*) *Nostra* scil.

ELEGIA III.

Ad Eunuchum servantem dominam.

(a) HEi mihi, quod dominam nec vir nec fœmina servas,
  Mutua nec Veneris gaudia nosse potes!

INTERPRETATIO.

H*Ei mihi, quod nec vir nec fœmina custodis dominam: nec potes cognoscere voluptatem Veneris!*

NOTÆ.

(a) *Hei mihi*) Hanc superiori elegiam adnectendam censebat Scaliger.

Qui

Qui primus pueris genitalia membra recidit,
Vulnera, quæ fecit, debuit ipſe pati.
Mollis in obſequium, faciliſque rogantibus eſſes;
Si tuus in quavis *(b)* prætepuiſſet amor.
(c) Non tu natus *(d)* equo, non fortibus utilis armis:
Bellica non dextræ convenit haſta tuæ.
Iſta mares tractent: tu ſpes depone viriles:
Sint tibi cum domina *(e)* ſigna ferenda tua.
Hanc imple meritis: hujus tibi gratia proſit.
Si careas illa, *(f)* quis tuus uſus erit?
(g) Eſt etiam facies, ſunt apti luſibus anni.
Indigna eſt pigro forma perire ſitu.
Fallere te potuit, quamvis habeare *(h)* moleſtus:
(i) Non caret effectu, quod voluere duo.
Aptius *(k)* ut fuerit precibus *(l)* tentaſſe, rogamus:
Dum bene *(m)* ponendi munera tempus habes.

INTERPRETATIO.

Qui primus amputavit partes genitales pueris, ipſe debuit ferre plagas quas inflixit. Eſſes pronus in officium & commodus orantibus, ſi amor tuus incenſus fuiſſet in aliqua puella. *Tu non es aptus equo, non idoneus ad arma virilia; haſta bellica non eſt accommoda tuæ dextræ. Mares iſta moveant; tu omitte ſpes viriles. Signa ſint tibi gerenda cum tua Domina. Hanc cumula officiis; hujus favor te juvet. Si illo deſtituaris, quid capies commodi? Adeſt etiam forma, ætas eſt idonea joci. Pulchritudo non meruit interire inerti ſitu. Potuit te decipere, quamvis exiſtimeris incommodus. Quod duo cupiverunt non caret ſucceſſu. Cum fuerit convenientius te felicitaſſe precibus, oramus; dum tibi tempus datur bene collocandi.*

NOTÆ.

(b) *Prætepuiſſet*) *Valde tepuiſſet. Si aliquam puellam amaſſes.*

(c) *Non tu natus*) Oſtendit, nihil niſi dominæ gratiam inire, Bagoo convenire.

(d) *Equo*) *Ut ſis eques.*

(e) *Signa*) *Cupidinis vexilla*; non Martis.

(f) *Quis tuus uſus*) *Quid inde tibi lucri accedet?*

(g) *Eſt etiam facies*) Ut indignum ſit nunc tam ſævam puellæ cuſtodiam adhiberi.

(h) *Moleſtus*) Id eſt, qui in ſervanda domina aſſiduus eſſet.

(i) *Non caret*) Probatio eſt ejus quod dixit, *fallere te potuit.*

(k) *Ut*) *Cum.*

(l) *Tentaſſe*) *Te*, ſcil. *Bagoe*; *ut amori noſtro favere velis.*

(m) *Ponendi munera*) Bene ponere aut collocare munus ſeu beneficium dicitur ille qui ei benefacit, a quo gratia referatur.

ELEGIA IV.

Quod amet mulieres, cujuſcumque formæ ſint.

NOn ego mendoſos auſim defendere mores;
(a) Falſaque pro vitiis (b) arma movere meis,

INTERPRETATIO.

Ego non auſim excuſare pravos meos *mores; & concutere injuſta arma pro meis vitiis.*

NOTÆ.

(a) *Falſa*) Pro *falſo.*

(b) *Arma* Ratione, *ſcil.* male & falſo contra verum pugnantes.

Con-

Confiteor ; si quid prodest delicta fateri:
In mea nunc (c) demens crimina fassus (d) eo.
Odi : (e) nec possum cupiens non esse, quod odi.
Heu quam, quæ studeas ponere, ferre (f) grave est!
Nam desunt vires ad me mihi (g) jusque regendum.
(h) Auferor ut rapida concita puppis aqua.
Non est certa meos quæ (i) forma irritet amores.
Centum sunt causæ, cur ego semper amem.
Sive aliqua est oculos in se dejecta modestos;
Uror: & insidiæ sunt pudor ille (k) meæ.
Sive (l) procax aliqua est; capior, quia rustica non est:
Spemque dat in molli mobilis esse toro.
Aspera si visa est, (m) rigidasque imitata Sabinas;
Velle, sed (n) ex alto dissimulare, puto.
Sive es docta; places raras dotata per artes:
Sive rudis; placita es simplicitate tua.

INTERPRETATIO.

Agnosce; si quid juvat agnoscere peccata: nunc insanus confessus ruo in mea delicta. Odi; nec volens possum non esse quod odi. Heu quam molestum est bajulare quæ coneris abjicere! Nam mihi desunt vires & potestas qua mihi imperem. Abripior tanquam navis impulsa aqua ruente. Non est certa aliqua pulcritudo quæ instiget meos amores: Centum sunt causæ quamobrem ego semper amem. Seu aliqua est demissa oculos verecundos in se, ardeo; & ille pudor sunt mei laquei. Seu aliqua est proterva: moveor, quia non est inepta: & spem præbet esse mobilem in molli lecto. Si visa est difficilis; & æmulata severas Sabinas; arbitror cupere sed multum dissimulare. Seu es docta, arrides ditata per egregias artes: seu inculta; juvas tua simplicitate.

NOTÆ.

(c) *Demens*) *Qui mihi ipsi mea confessione noceo*; vel simpliciter, *& in omnibus demens.*

(d) *Eo in crimina*) *Ea damno, contra ea facio.*

(e) *Nec possum cupiens*) Enimvero cupit qui amat, & quo tempore cupit, non potest non cupere: At vero potuit ille qui cum cupit non potest non cupidum dici, potuit, inquam causa, assidua & gravi spiritus adversus carnem lucta, providere & cavere ne hoc aut illo tempore, aut omnino ne cuperet.

(f) *Grave est*) Imo gravissimum; & quo magis studeas gravius, nisi ultra tendis, & denique superas. Cui rei remedium est tamen primum, studere ponere, & laborem velle ferre: nam cur adversus stimulum calces: deinde viribus uti, quæ, in viris fortibus, plerumque ferendo oneri pares sunt, sufficiunt certe cum per gratiam sustentantur. Frustra & in suam perniciem aliud quærat qui fuerit indocilis. Cæterum notandum est, non verum esse quod, suo more nequitiæ indulgens, Poeta tacite indicat, amorem vel cupiditatem, jugum esse, quod ferre necesse sit.

(g) *Jusque*) *Potestas.*

(h) *Auferor*) Aufertur equidem qui in profluentem attractus est. At vero cogitanti & præoccupanti, difficile utut sit, tamen adversus tam lenem primo aquæ fluxum niti non est impossibile. *Principiis, & longe quidem obsta*: tum virtuti idem illud facile videbitur, quod ignaviæ nunquam erit possibile.

(i) *Forma*) Pro formosa puella.

(k) *Meæ*) *Quibus capiar.*

(l) *Procax*) Ad omnia fere extenditur vox ista, quæ de meretrice improba dici possunt.

(m) *Rigidasque*) *Severas & castas.*

(n) *Ex alto*) *Ex longiquo, multum & callide.* Micyllus exponit. *Superbe, & cum fastidio.*

Est,

Eſt, quæ Callimachi præ noſtris ruſtica dicat
 Carmina: cui placeo, protinus ipſa placet.
Eſt etiam, quæ me vatem, & mea carmina culpet:
 Culpantis cupiam ſuſtinuiſſe femur.
Molliter (o) inceſſit; motu capit: altera (p) dura eſt,
 At poterit tacto mollior eſſe viro.
Hæc quia dulce canit, flectitque (q) facillima vocem,
 Oſcula cantanti rapta dediſſe velim.
Hæc (r) querulas (ſ) agili percurrit pollice chordas.
 Tam doctas quis non poſſit amare manus?
Illa placet geſtu, (t) numeroſaque brachia ducit,
 Et tenerum molli torquet ab (u) arte latus:
Ut taceam de me, qui cauſa tangor ab omni;
 (x) Illic (y) Hippolytum pone; (z) Priapus erit.
(a) Tu, quia tam longa es, veteres heroidas æquas:
 Et potes in toto (b) multa jacere toro.
Hæc habilis brevitate ſua: corrumpor utraque.
 Conveniunt voto longa breviſque meo.
Non eſt culta; ſubit (c) quid cultæ accedere poſſit.
 Ornata eſt; dotes exhibet illa ſuas.

INTERPRETATIO.

Eſt quæ affirmet carmina Callimachi dura eſſe præ noſtris illa cui ſum gratus continuo eſſe grata. Eſt etiam quæ me Poetam improbet, & meos verſus: optem foviſſe femur improbantis. Ambitioſe ambulat, motu pellicit: altera eſt rudis; at poterit eſſe lenior tacto viro. Hæc quia ſuaviter cantat, & molliſſime moderatur vocem, optem ſuavia furtiva obtuliſſe canenti. Hæc perſtringit molles nervos pollice habili: quis non poſſit diligere tam peritas manus? Illa grata eſt geſtu, & movet lacertos in numerum, & flectit molle latus ab arte laſciva: ut de me ſileam, qui moveor ab omni cauſa; illic ſiſte Hippolytum, erit Priapus. Tu, quia tam procera es, par es antiquis heroinis: & ampla potes cubare in toto lecto. Hæc agilis ſua brevitate: cupior utraque: Procera & parva ſunt accomoda deſiderio meo. Non eſt ornata; in mentem venit quid poſſit addi ornatæ. Culta eſt; illa exerit ſuas dotes.

NOTÆ.

(o) *Inceſſit*) Alii *incedit*.

(p) *Dura*) Quæ non molliter & fractis gradibus, ſed ruſtico more ambulat.

(q) *Facillima*) Pro *facillime*; quomodo eleganter loqui amat Horat.

(r) *Querulas*) Quibus amores cantantur queruli.

(ſ) *Agili*) Alii *habili*.

(t) *Numeroſaque*) *Quæ ad numerum moveantur*. Gall. *Qui vont en cadence*.

(u) *Arte*) Saltatoria *ſcil.*

(x) *Illic*) Ut ſaltant puellæ.

(y) *Hippolytum*) Fuit Hippolytus Theſei ex Hippolyte Amazonum regina filius, qui cum ob caſtitatem novercæ dolis perierit, pro quovis homine caſto a Poeta poſitus eſt.

(z) *Priapus*) Hortorum Deus eſt impuriſſimus, pro quovis incontinente.

(a) *Tu*) Quamvis alloquitur tanquam præſentem procera ſtatura puellam.

(b) *Multa*) Quæ majorem corpore lecti partem occupet. Optime vero ejus generis ſermone utimur.

(c) *Quid*) Pulchritudinis *ſcil.* ſi ad eam adjumentum fuerit.

(Can-

Candida me capiet, capiet me flava puella:
Est etiam fusco grata colore Venus:
Seu pendent nivea *(d)* pulli cervice capilli;
(e) Leda fuit nigra conspicienda coma.
Seu flavent; placuit croceis Aurora capillis.
Omnibus historiis se meus aptat amor.
Me nova sollicitat, me tangit *(f)* serior ætas;
(g) Hæc melior specie corporis: illa sapit.
Denique quas tota quisquam probet Urbe puellas;
Noster in has omnes *(h)* ambitiosus amor.

INTERPRETATIO.

Puella nivea me corrumpet, flava me corrumpet: Venus est etiam jucunda furvo colore. Sive coma nigra fluit collo candido; Leda fuit spectabilis capillis nigris. Sive flavet; Aurora grata fuit flava coma. Meus amor se accomodat omnibus historiis. Ætas juvenilis me movet, ætas provectior me capit: Hæc jucundior forma corporis; illa sapit. Denique quascunque puellas quisquam laudet tota urbe, amor noster his omnibus movetur.

NOTÆ.

(d) *Pulli*) *Nigri.*
(e) *Leda*) Helenæ mater, Tyndari uxor.
(f) *Serior*) *Provectior.*
(g) *Hæc*) Pro *altera*; refertur enim ad remotius.
(h) *Ambitiosus*) *Cupidus.*

ELEGIA V

Ad amicam corruptam.

NUllus amor *(a)* tanti est; (*(b)* abeas, *(c)* pharetrate Cupido)
Ut mihi sint toties maxima vota mori.
Vota mori mea sunt; cum te *(d)* peccasse recordor,
Hei mei, perpetuum nata puella *(e)* malum!
Non mihi *(f)* deceptæ nudant tua facta *(g)* tabellæ:
Non data furtive *(h)* munera crimen *(i)* habent.

INTERPRETATIO.

NUllus amor est tanti, (discedas Cupido pharetrate) ut toties exoptem obire. Hei mihi exopto obire, cum memini te flagitium admisisse, puella, pernicies essuas Tabellæ intercepta non mihi aperiunt tua peccata: dona exhibita clandestine non arguunt flagitium.

NOTÆ.

(a) *Tanti est*) Vehementer dolet Poeta, quod, cum in convivio quodam cum amica fuisset, & se dormire simulasset, eam viderit cuidam convivæ mutuum amorem, nutu, verbis, & osculis ostendere.
(b) *Abeas*) Amoris detrectat militiam.
(c) *Pharetrate*) Pharetram *scil.* gerit, qui ignitis suis saggitis totum prope orbem incendit.
(d) *Peccasse*) *Fidem mihi in amore non servasse.* Sermonem a Cupidine ad puellam convertit.
(e) *Malum*) Id est, *in malum & perniciem meam.*
(f) *Decepta*) *Intercepta.* Optimus Palatinus *delata*; quod cl. Heinsio placuit.
(g) *Tabellæ*) *Amatoriæ litteræ.*
(h) *Munera*) Quæ furtim potissimum si accipit puella, aliud concedere creditur.
(i) *Habent*) Intellige *nec mihi indicant*: nam eo spectat oratio.

O uti-

O utinam *(k)* arguerem sic, ut non vincere possem !
Me miserum ! quare *(l)* tam bona causa mea est ?
Felix, qui *(m)* quod amat, *(n)* defendere fortiter audet :
Cui sua, *Non feci*, dicere amica potest.
(o) Ferreus est, nimiumque suo *(p)* favet ille dolori,
(q) Cui *(r)* petitur victa palma *(ſ)* cruenta rea.
Ipse miser vidi, cum me dormire putares,
(t) Sobrius *(u)* apposito crimina vestra mero.
Multa supercilio vidi *(x)* vibrante loquentes.
Nutibus in vestris *(y)* pars bona vocis erat.
Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino
Mensa; nec in digitis *(z)* litera nulla fuit.
Sermonem agnovi, ((*a*) quid non videatur amanti ?)
Verbaque pro certis jussa valere *(b)* notis.
Jamque frequens *(c)* ierat mensa conviva remota :
(d) Compositi juvenes unus & alter erant.

INTERPRÉTATIO.

O utinam ita accusarem, ut possem non tenere causam : Me infelicem ! quamobrem mea causa est tam certa ? Beatus, qui audet strenue tueri quod amat ; cui amica sua potest dicere, Non feci. *Ille durus est, & plus æquo indulget suo dolori, a quo quæritur palma sanguinolenta rea damnata. Egomet infelix flagitia vestra sum intuitus, sobrius vino adbibito cum arbitrareris me sopitum esse.* Vos *intuitus sum multa dicentes moto supercilio. Pars multa vocis erat in vestris signis. Oculi tui & mensa exarata mero non siluerunt; nec nullum fuit scriptum in digitis. Intellexi sermonem, (quid non intelligatur ab amante ?) Et voces prædictas venire pro certis literis. Jamque plurimus conviva discesserat mensa seposita : unus & alter adolescentes dormiebant.*

NOTÆ.

(k) *Arguerem*) *in crimine tuo coarguendo iis uterer rationibus & indiciis, quæ facile posses refellere : ut te in culpa esse probare non possem.*

(l) *Tam bona*) Rara admodum querimonia. Sed jocus est, quem nemo non videt.

(m) *Quod amat*) *Quam puellam amat.*

(n) *Defendere*) Illud faciunt, qui ne amicam peccasse cognoscant, sibi student imponere, quod non potest qui crimen suis oculis vidit.

(o) *Ferreus*) *Sibi crudelis* : ut miserum esse intelligatur.

(p) *Favet*) *Indulget.*

(q) *Cui*) *A quo*. Ita & loquutus est Horat.

(r) *Petitur palma*) Id est, Qui postquam amicæ crimen certo cognovit, petit ut ipsa confiteatur.

(ſ) *Cruenta*) *Doloris, & mæstitia plena* : sed acriter expressit.

(t) *Sobrius*) Ut ex ebrietate nullus sit excusandi locus.

(u) *Apposito mero*) Id est, In convivio.

(x) *Vibrante*) Supercilii certe, & oculorum motu, plurimas animi cogitationes possumus exprimere.

(y) *Pars bona*) Id est, pleraque indicabant, quæ voce significare melius potuissetis.

(z) *Litera*) Antea diximus, in digitis etiam literas notare solitos amantes, quibus clanculum suis amoribus serviant.

(a) *Quid non videatur*) Scripti fere omnes, *quod non videatur agentem.*

(b) *Notis*) *Literis.*

(c) *Ierat*) *Abiverat.*

(d) *Compositi*) Quid hæc vox significet ex superioris libri versu intelligitur, *Si bene compositus vino somnoque jacebit.*

Im-

Improba tum vero jungentes oſcula vidi.
(*e*) Illa mihi (*f*) lingua nexa fuiſſe liquet.
Qualia nec fratri tulerit germana ſevero;
Sed tulerit cupido mollis amica viro:
Qualia credibile eſt, nec (*g*) Phœbum ferre Dianæ;
Sed Venerem Marti ſæpe tuliſſe (*h*) ſuo.
Quid facis, exclamo: quo nunc mea gaudia defers;
(*i*) Injiciam (*k*) dominas (*l*) in mea jura manus.
(*m*) Hæc tibi ſint mecum, mihi ſint communia tecum.
In bona cur quiſquam tertius iſta venit?
(*n*) Hoc ego; quæque (*o*) dolor linguæ dictavit: at (*p*) illi
Conſcia purpureus venit in ora pudor.
Quale coloratum (*q*) Tithoni conjuge cælum
Subrubet; aut ſponſo viſa (*r*) puella novo.
(*ſ*) Quale roſæ fulgent inter (*t*) ſua lilia miſtæ:
Aut ubi (*u*) cantatis Luna laborat equis:
Aut quod, ne longis (*x*) flaveſcere poſſit ab annis,
(*y*) Mæonis (*z*) Aſſyrium fœmina (*a*) tinxit ebur.

INTERPRETATIO.

Tum vero vos aſpexi nectentes ſuavia proterva. Mihi conſtat illa fuiſſe implexa lingua. Qualia nec ſoror dederit fratri rigido: ſed amica laſciva dederit amanti ſuo: qualia veriſimile eſt nec Phœbum præbere Dianæ: ſed Venerem ſæpe dediſſe Marti ſuo. Quid agis, vociferor: quo nunc exportas meam voluptatem? Immittam manus dominas in mea jura. Hæc tibi ſint mecum, mibi ſint tecum ſocia. Quamobrem quiſquam tertius accedit in iſta noſtra *bona? Ego hæc, & quæ dolor ſuaſit linguæ; at rubor ſanguineus illius vultum conſcium occupavit. Quale cœlum infectum ab uxore Tithoni ſubrubet, aut puella ſpectata a novo ſponſo. Qualiter roſæ confuſæ cum ſuis liliis ſplendent; aut ubi luna patitur equis incantatis; aut ebur Aſſyrium, quod mulier Mæonis infecit, ne luteum colorem poſſit contrahere longo tempore.*

NOTÆ.

(e) *Illa*) Oſcula *ſcil.*

(f) *Lingua*) Quod *columbatim, id eſt columbarum more oſcula jungere* dixit Catullus, labiis junctis, & utrimque vibrante lingua.

(g) *Phœbum*) *Apollinem*, fratrem Dianæ.

(h) *Suo*) *Ab ipſa Venere amato*: ut antea vidimus.

(i) *Injiciam*) Manus injectio eſt, quoties nulla judicis autoritate expectata rem nobis debitam vindicamus. *Servius*.

(k) *Dominas*) Domini eſt præcipue in ſervum manus injectio.

(l) *In mea jura*) Id eſt ea, quæ mei ſunt juris, & ſub mea poteſtate.

(m) *Hæc*) Oſcula *ſcil.*

(n) *Hoc*) *Dixi*, ſcil. *clamitans*.

(o) *Dolor*) Suaviter dixit; faciliuſque excuſatur quod quis ex dolore coactus loquitur.

(p) *Illi*) *Amica mea*, ſcil.

(q) *Tithoni conjuge*) Aurora.

(r) *Puella*) Solent vero puellæ nobiles & probæ viſo primo ſponſo erubeſcere.

(ſ) *Quale*) Pro *qualiter*.

(t) *Sua*) *Quibus decorantur*.

(u) *Cantatis*) *Incantatis*. De his vero Poetarum figmentis jam ſæpe vidimus.

(x) *Flaveſcere*) Ebur cum tempore flaveſcit, præſertim adipe unctum.

(y) *Mæonis*) *Lydia*. Eſt vero Mæonia, ſeu Lydia, Aſiæ minoris regio notiſſima.

(z) *Aſſyrium*) Aſſyria regio eſt Aſiæ minoris, quæ quia Indiæ, veteribus minus notæ, proxima, ſæpius pro ea ponitur. Notum vero ex India, vel ex Africa, ubi vivunt elephanti, nobis ebur, eorum dentes, afferri.

(a) *Tinxit*) *Rubrum fecit*.

His erat, aut alicui color ille simillimus horum:
Et nunquam casu pulcrior illa fuit.
(*b*) Spectabat terram; terram spectare decebat.
Mæsta erat in vultu; mæsta decenter erat.
Sicut erant (& erant culti), laniare capillos,
Et (*c*) fuit in teneras impetus ire (*d*) genas.
Ut faciem vidi, (*e*) fortes cecidere lacerti:
Defensa est (*f*) armis nostra puella suis.
Qui modo sævus eram, supplex ultro que rogavi
Oscula ne nobis (*g*) deteriora daret.
Risit, & ex animo dedit optima: qualia possent
Excutere irato tela (*h*) trisulca Jovi.
Torqueor infelix, ne tam bona sumserit (*i*) alter:
Et volo non (*k*) ex hac illa fuisse nota.
Hæc quoque, quam docui, multo meliora fuerunt,
Et quiddam visa est addidicisse novi.
Quod nimium placuere, (*l*) malum est: quod tota labellis
Lingua tua est nostris, nostra recepta tuis.
Nec tamen hoc unum doleo: non oscula tantum
Juncta queror, quamvis hæc quoque juncta queror:
Illa, nisi in lecto, nusquam potuere doceri.
Nescio quis pretium grande magister habet.

INTERPRETATIO.

Ille color erat his, aut horum alicui proximus: & fortuito illa nunquam fuit formosior. Intuebatur humum; decorum erat humum intueri. Tristis erat facies, condecore tristis erat. Ira suasit scindere comam qualis erat, (& erat comta,) & involare in molles genas. Ut vultum aspexi valida brachia elanguerunt: nostra puella tecta est suis armis. Qui modo ferox eram, supplex & sponte oravi, ne praberet nobis suavia pejora. Risit & ex animo suavissima obtulit, qualia possent revellere tela trifida Jovi infenso. Crucior miser; ne alter carpserit tam mollia; & cupio illa non fuisse hujus nota. Hac quoque fuerunt multo suaviora quam docui; & visa est addidicisse aliquid novi. Ingratum est quod nimium placuerunt; quod tota tua lingua est admissa nostris labiis, nostra est admissa tuis. Nec tamen hoc unum indignor; non modo conqueror nexa fuisse oscula; quamvis hac quoque nexa fuisse conqueror: illa nullibi potuerunt doceri, nisi in toro. Nescio quis praceptor habet ingentem mercedem.

NOTÆ.

(b) *Spectabat*) Ut mos est eorum qui sunt in scelere deprehensi.

(c) *Fuit*) *Mihi* scil.

(d) *Genas*) *Amica* scil.

(e) *Fortes*) *Mei: qui in amicam impetum facere parabam.*

(f) *Armis*) Pulcritudine *scil.*

(g) *Deteriora*) Illis *scil.* quæ alteri dederat.

(h) *Trisulca*) Trifidum voluerunt Poetæ Jovis fulmen.

(i) *Alter*) *Rivalis meus.*

(k) *Ex hac nota*) Id est, *tam suavia*. Nota pro reipsa ponitur.

(l) *Malum est*) Quia signum est ab alio eam didicisse.

ELEGIA VI.

In mortem Psittaci.

(a) PSittacus, (b) Eois (c) imitatrix ales (d) ab Indis,
Occidit, (e) exequias ite frequenter aves.
Ite, (f) piæ volucres; & plangite pectora pennis;
Et rigido teneras ungue notate genas,
(g) Horrida pro mœstis (h) lanietur pluma capillis;
Pro longa resonent carmina vestra (i) tuba.
Quid (k) scelus (l) Ismarij (m) quereris, (n) Philomela, (o) tyranni?
(p) Expleta est annis ista querela suis.
Alitis in raræ miserum (q) devertite funus.
Magna, sed (r) antiqui causa doloris (s) Itys.

INTERPRETATIO.

PSittacus avis æmula missa ab Indis ad ortum sitis interiit: alites venite frequentes ad pompam funeris. Adeste piæ aves, & percutite pectora pennis; & molles genas ungue sævo signate. Pluma hispida scindatur loco tristis comæ: carmina vestra audiantur pro longa tuba. Quid, Philomela, lamentaris flagitium Tyranni Ismarij? Ista querimonia cumulata est annis suis. Deflectite ad lamentabiles exequias raræ avis. Itys causa est *ampla doloris, sed* doloris *veteris.*

NOTÆ.

(a) *Psittacus*) *Un perroquet*. Eum puellæ dono dederat Poeta.

(b) *Eois*) Eos Aurora est; unde Eous, a, um quod est ab Aurora, seu Oriente. *Oriental.*

(c) *Imitatrix*) Nimirum Psittacus aliarum avium, itemque hominum voces imitatur.

(d) *Ab Indis*) Missus *scil.* quod in quibusdam codicibus legitur. Jam vero notiores sunt, mercibus suis Indi, quam ut de iis loquamur.

(e) *Exequias*) Exequias cohonestate; celebrate. Ad funeris pompam adeste. Gall. *Assistez aux funerailles.*

(f) *Piæ*) Pietas est in sepeliendis & componendis mortuis.

(g) *Horrida*) Præ mœstitia *erecta, & turbata; non composita.*

(h) *Lanietur*) Qui mos fuit in funeribus.

(i) *Tuba*) Nimirum ad eam majoris ætatis funera proferebantur, ut minoris ad tibiam.

(k) *Scelus*) Stuprum & linguæ abscissionem intelligit, quam a Tereo passa est Philomela: quam fabulam fuse in Metam. videbimus.

(l) *Ismarij*) *Threicij*; ab Ismaro monte Thraciæ.

(m) *Quereris*) In lusciniam mutata fuit Philomela, quæ flebilibus vocibus sortem suam queri videtur. Vult vero Poeta, ut dolorum suorum oblita Psittaci mortem defleat.

(o) *Philomela*) Pandionis Atheniensium regis fuit filia; cujus videsis historiam in Metam.

(o) *Tyranni*) Tereus est, rex Thraciæ.

(p) *Expleta*) Id est, *jam satis superque Terei facinus questa es, & tuo dolori paruisti.*

(q) *Devertite*) Cl. Heinsius legit *devertere*, quia ad Philomelam sermo est. Dominicus vero ita Philomelam compellasse Poetam putat, ut ejus sororem Prognen, doloris ejusdem participem intellexerit.

(r) *Antiqui*) Qui adeo minor esse debeat.

(s) *Itys*) Terei & Prognes fuit filius, quem mater, injuriæ, sibi, itemque sorori a Tereo oblatæ, ulciscendæ causa interemit, patrique epulandum apposuit.

V 2 (t) Omnes

(*t*) Omnes, quæ liquido (*u*) libratis in aere cursus;
Tu tamen alias, turtur (*x*) amice, dole.
Plena fuit vobis omni concordia vita,
Et stetit ad finem (*y*) longa tenaxque fides.
Quod fuit (*z*) Argolico (*a*) juvenis Phocæus Orestæ;
Hoc tibi, dum licuit, Psittace, turtur erat.
(*b*) Quid tamen ista fides? quid rari forma coloris?
Quid vox mutandis ingeniosa sonis?
Quid juvat, (*c*) ut datus es, (*d*) nostræ placuisse puellæ?
Infelix avium gloria, (*e*) nempe jaces.
Tu poteras (*f*) fragiles pennis (*g*) hebetare smaragdos,
Tincta gerens rubro (*h*) Punica rostra (*i*) croco.
Non fuit in terris vocum (*k*) simulacior ales:
Reddebas (*l*) blæso tam bene verba sono.
(*m*) Raptus es invidia. non tu fera bella movebas:
Garrulus, & placidæ pacis amator eras.

INTERPRETATIO.

Omnes, quæ volatis in aere fluido, tu tamen præ aliis turtur amice, lamentator. Perfecta vobis fuit unanimitas tota vita, & fides diutina & firma permansit usque ad finem. Quod juvenis Phocæus fuit Orestæ Argolico; hoc tibi erat turtur, Psittace, quandiu datum est. Quorsum tamen ista fides? Quorsum species preciosi coloris? Quorsum vox solers in fingendis sonis? Quid prodest, postquam oblatus es, gratum fuisse nostræ puellæ? Nimirum miser bonos alitum periisti. Tu, infectum habens rostrum puniceum croco rubro poteras obscurare pennis smaragdos fragiles. Non exititit in orbe avis melius imitans sermonem; tam apte referebas verba voce balbutiente. Sublatus es livore: tu non sciebas sæva bella: eras loquax & amator lenis concordiæ.

NOTÆ.

(t) *Omnes*) Alites *scil.*

(u) *Libratis cursus*) *Volatis*.

(x) *Amice*) Qui in eadem cavea, vel cum Psittaco apud Corinnam vixerit: vel quia ut Plinius dicit, Inter Psittacum & turturem magna est amicitia. Prior explicatio vera est.

(y) *Longa*) Fragmentum Patavinum habet *firma*.

(z) *Argolico*) Orestæ, Agamemnonis, Mycenarum, adeoque Argolidis, regis filio: Cujus & Pyladis amicitia celeberrima fuit.

(a) *Juvenis Phocæus*) Pylades est, Strophij Phocensis filius, indissolubili cum Orestæ amicitiæ vinculo conjunctus.

(b) *Quid tamen*) Profuit *scil.*

(c) *Ut*) *Postquam*; *statim atque*.

(d) *Nostra*) Corinnæ *scil.*

(e) *Nempe*) Istud cum magno dolore proferendum.

(f) *Fragiles*) Alij *virides*; qui color est Smaragdi gemmæ. Nec tam fragilis est Smaragdus: ut parum abfuerit, nisi clar. Heinsij auctoritati concessissem, quin hanc vulgatis codicibus receptam lectionem, reposuerim.

(g) *Hebetare*) Id est, eorum viridissimum colorem obscurare, & facere ut minus viridis appareret.

(h) *Punica*) Id est, *rubea cum splendore*.

(i) *Croco*) *Du saffran*.

(k) *Simulacior*) *Qui melius voces imitaretur, simularet, & redderet*. Hanc vero vocem ex aliquot manuscriptis restituit clar. Heinsius, cujus loco vulgari *simulantior* exhibebant.

(l) *Blæso*) Blæsus dicitur is, qui inter loquendum aut aliquam literam excludit aut male profert. Quomodo itaque *bene* reddebat voces Blæsus Psittacus? *Bene* non est *articulate*, sed *eleganter*, *lepide*, nam & ille Psittacorum conatus, & pronuntiandi difficultas, aut linguæ hæsitantia, ad venustatem & jucunditatem facit.

(m) *Raptus es invidia*) *per invidiam tibi mors accelerata*.

(n) Ecco

(*n*) Ecce coturnices inter sua (*o*) prælia vivunt:
Forsitan & fiant (*p*) inde frequenter anus.
(*q*) Plenus eras minimo: nec præ sermonis amore
In multos poteras (*r*) ora vacare cibos,
Nux erat esca tibi, (*ſ*) causæque papavera (*t*) somnis:
Pellebatque sitim simplicis humor aquæ.
Vivit edax vultur, ducensque per aera gyros
Milvus, & pluviæ (*u*) graculus (*x*) auctor aquæ.
Vivit & armiferæ cornix (*y*) invisa Minervæ;
Illa quidam sæclis vix moritura (*z*) novem.
Occidit ille loquax, humanæ vocis imago,
Psittacus, (*a*) extremo munus ab orbe datum.
Optima prima fere (*b*) manibus rapiuntur avaris;
(*c*) Implentur numeris deteriora suis.

INTERPRETATIO.

Ecce coturnices vita fruuntur inter sua certamina: forsitan & inde sepe fiant vetulæ. Satur eras exiguo; nec ob amorem loquela poteras ore vacuus esse ad multam escam. Nux tibi erat cibus, & papavera somnum inducentia; & humor aquæ communis extinguebat sitim. Vultur belluo longam vitam agit, & Milvus orbes adscribens per aerea, & graculus augur aquæ pluviæ. Cornix etiam odiosa Minervæ armiferæ longam trahit vitam; illa quidem vix obitura post novem sæcula. Ille psittacus garrulus repræsentatio vocis humanæ; donum missum ab ultimo orbe interiit. Optima fere auferuntur prima manibus rapacibus pejora cumulantur suis numeris.

NOTÆ.

(n) *Ecce*) Dolet Poeta, quod ferociores aves vivant, placidissimus Psittacus perierit.

(o) *Prælia*) Coturnicum & perdicum inter se pugnas describit Aristoteles lib. 9. de animalibus, cap. 8.

(p) *Inde*) *Ex coturnicibus*: vel *ex eo quòd pugnaces sunt*.

(q) *Plenus eras min.*) Id est pauca ad alimentum sufficiebant.

(r) *Ora*) Græcismus: pro *secundam ora*, vel *quoad ora*.

(ſ) *Causa papav.*) Appositio.

(t) *Somnis*) Hanc lectionem clar. Heinsius arripuit ex Neapolitano: Alij habent *somni*. Supervacaneum vero videtur somniferum papaver admonere.

(u) *Graculus*) Alij *garrulus*. Graculus vero pluvias apud Avienum prædicit, in prognosticis.

(x) *Auctor*) Clar. Heinsius vellet legere *augur*; qua voce usus est Horat. Od. 27. lib. 3.

Atque nisi fallit augur
Annosa cornix.

(y) *Invisa*) Quamobrem ex ipso Poeta lib. 2. Metam, liquet; ubi Coronidis fabulam narrat, quam in cornicem Minerva, ut a Neptuno vitium effugeret, maximo beneficio mutavit, comitemque fecit; deinde ob intempestivum nuntium a se, non sine odio maximo repulit.

(z) *Novem*) Hoc secundum Hesiodum, qui cornici novem nostras ætates, trecentos annos attribuit, ut refert etiam Plin. lib. 7.

(a) *Extremo*) Ab Oriente, *scil.* Mittuntur enim ex India.

(b) *Manibus*) Mortis manus, si quæ sint, intelligit. Optima quæque prima interire queritur.

(c) *Implentur numeris*) *Quam diutissime vivunt*. De ratione horum numerorum, vide Macrob. ad Somn. Scipion. c. 13. ubi inter alia hæc habentur: *Constat enim, numerorum certam constitutamque rationem animam sociare corporibus. Hi numeri, dum supersunt, corpus animari non desinit. Cum vero deficiunt mox arcana illa vis solvitur, qua societas illa constabat.* Impletis igitur numeris corpus fatiscit, animaque seducitur artubus.

Tristia *(d)* Phyllacidæ *(e)* Thersites funera vidit:
Jamque cinis, vivis fratribus, *(f)* Hector erat.
Quid referam *(g)* timidæ pro te pia vota puellæ;
Vota procelloso per mare *(h)* rapta Noto?
(i) Septima *(k)* lux aderat, non exhibitura sequentem;
Et stabat vacua jam tibi *(l)* Parca colo.
Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato.
Clamavit moriens lingua, *Corinna, vale*.
Colle sub *(m)* Elysio nigra nemus ilice frondens,
Udaque perpetuo gramine terra, viret.
Si qua fides dubiis; volucrum locus ille piarum
Dicitur, *(n)* obscœnæ quo prohibentur aves.
Illic innocui late pascuntur olores:
Et vivax Phœnix, *(o)* unica semper avis.
Explicat *(p)* ipsa suas *(q)* ales Junonia pennas:
(r) Oscula dat cupido blanda columba mari.

INTERPRETATIO.

Thersites spectavit mæstas exequias Phylacidæ: & Hector jam erat cinis, fratribus superstitibus. Quid memorem pia vota pro te puellæ pavidæ, vota ablata per mare ab Austro procelloso? Dies septima advenerat, non præbitura sequentem; & jam Parca tibi aderat inani colo. Nec tamen verba interierunt inerti palato. Lingua moriens clamavit, Corrina, vale. *Sylva frondosa fusca ilice sub clivo Elysio, & terra humida perenni gramine virescit. Si qua fides incertis; illa creduntur sedes piarum avium, a quibus infames volucres arcentur. Illic cycni innoxij late pascuntur; & Phœnix longævus, semper avis unica. Ipsa avis Junonia pandit suas pennas: mitis columba præbet suavia avido mari.*

NOTÆ.

(d) *Phyllacidæ) Phylace, Thessaliæ oppido, ubi regnavit, oriundus.* Protesilaus est, Iphicli filius, ex Græcis principibus qui ad Trojam iverunt unus, qui Græcorum omnium primus ab Hectore est interfectus.

(e) *Thersites)* Græcorum fuit omnium facie & lingua homo fœdissimus & ignavissimus; quem Achilles sibi conviciantem pugno interfecit.

(f) *Hector)* Fratrum fortissimus, Priami filius.

(g) *Timidæ) Timentis ne morereris.*

(h) *Rapta noto) Irrita:* frustra enim fuisse dicuntur quæ venti rapiunt.

(i) *Septima)* Ex quo Psittacus ægrotare cœperat, *scil.*

(k) *Lux) Dies.*

(l) *Parca)* Quæ vitam nere dicitur, adeoque & occidere, vel cum filum abrumpitur, vel cum linum deficit. Tres vero sunt Parcæ, de quibus antea.

(m) *Elysio)* Animæ Psittaci, quasi hominis, tribuit Elysium, seu campum quo piorum animas recipi crediderunt Ethnici. Ante vero locum describit Poeta.

(n) *Obscœnæ) Turpes & rapaces,* sicuti vultures, bubones, &c.

(o) *Unica)* Hanc fabulam defenderunt nonnulli; alij ad alia transtulerunt; alij plane figmentum esse voluerunt.

(p) *Ipsa suas)* Alij *atque suas*. Neutrum vero clar. Heinsio, non sine causa satisfacit, qui forte legendum putat *hic pictas*, vel *& passas*. Omnino corrigendus hic locus. Dominicus in quibusdam exemplaribus scriptum esse testatur, *Spectat & ipsa suas*.

(q) *Ales Junonia)* Pavo est.

(r) *Oscula dat)* Res est notissima.

Psit-

Psittacus has inter, nemorali *(s)* sede receptus,
(t) Convertit volucres in sua verba pias.
Ossa tegit tumulus; tumulus pro corpore parvus:
Quo lapis exiguus par sibi carmen habet.
(u) (Colligor ex ipso dominæ placuisse sepulcro.
Ora fuere mihi plus ave docta loqui.)

INTERPRETATIO.

Inter has psittacus, admissus in habitationem nemorosam, allicit pias aves ad suos sermones. Sepulcrum occulit ossa; sepulcrum exiguum pro ratione corporis: in quo parvus lapis sibi æquale carmen habet. Credor ex ipso tumulo placuisse dominæ. Ora mihi fuere docta sermones edere plus ave.

NOTÆ.

(s) *Sede*) Dicuntur Elysii *piorum sedes*: & *sedere* aves quæ arborum ramis insistunt.

(t) *Convertit*) Tenetur enim quisque apud inferos iisdem studiis, quibus in vita delectabatur. Egregium vero figmentum & lepidum, Psittacus apud Elysios humana voce alias aves ad se alliciens. Illic vide, si potes tumultum, & rem insolitam.

(u) *Colligor*) Merito postremum hoc distichon ab aliena manu esse credidit cl. Heins.

ELEGIA VII.

Amicæ se purgat, quod ancillam non amet.

(a) ERgo ego sufficiam reus in nova crimina semper?
(b) Ut vincam, toties dimicuisse piget.
Sive ego marmorei respexi *(c)* summa theatri;
Eligis e *(d)* multis, unde dolere *(e)* velis.
(f) Candida seu *(g)* tacito me vidit fœmina vultu;
In vultu tacitas arguis esse *(h)* notas.
Si quam laudavi; miseros *(i)* petis ungue capillos:
Si culpo; crimen dissimulare putas.

INTERPRETATIO.

ERgo ego semper reus par ero novis criminationibus? Quamvis potiar victoria, toties piget decertasse. Sive ego converti vultus ad fastigia theatri marmorei; eligis a multis a qua velis dolere. Seu puella splendida me oculis mutis aspexit; accusas signa muta esse in oculis. Si aliquam probavi; involas unguibus in infelicem comam: si damno; arbitraris me obvelare culpam.

NOTÆ.

(a) *Ergo*) Indignantis est.

(b) *Ut*) *Quamvis*.

(c) *Summa*) E quibus ludos spectabant mulieres.

(d) *Multis*) Fœmininis *scil.*

(e) *Velis*) Ut intelligatur proterve & nulla causa amicam dolere.

(f) *Candida*) Fœminam intelligo in cujus vultu omnia aperta sunt; quæ nihil nutibus occultis amico significat.

(g) *Tacito*) Id est, Ex cujus vultu nihil cognosci possit. Atque ex eo jocus in versu sequente oritur.

(h) *Notas*) *Signa amatoria*.

(i) *Petis*) Ex zelotypia, & dolore.

Sive (*k*) bonus color eſt, in te quoque (*l*) frigidus eſſe;
Seu malus, alterius dicor amore mori.
(*m*) Atque ego peccati velle mihi conſcius eſſem,
Æquo animo pœnam, qui meruère, ferunt.
Nunc temere inſimulas: credendoque omnia fruſtra,
Ipſa vetas iram pondus habere tuam.
(*n*) Aſpice, ut auritus miſerandæ ſortis aſellus
Aſſiduo domitus verbere lentus eat.
(*o*) Ecce, novum crimen, ſollers ornare Cypaſſis
Objicitur dominæ contemeraſſe torum.
Di melius, quam me, ſi ſit peccaſſe libido,
Sordida (*p*) contemtæ ſortis amica juvet!
Quis Veneris famulæ connubia liber inire,
Tergaque complecti verbere ſecta velit?
Adde, quod ornandis illa eſt operata capillis;
Et tibi (*q*) per doctas grata miniſtra manus.
(*r*) Scilicet ancillam, quæ tam tibi fida, rogarem?
Quid, niſi ut (*ſ*) indicio juncta repulſa foret?
Per Venerem (*t*) juro, (*u*) puerique volatilis arcus,
Me non (*x*) admiſſi criminis eſſe reum.

INTERPRETATIO.

Sive color eſt vivus, dicor eſſe quoque languidus in te; ſive eſt pallidus, dicor *interire amore alterius. Atque ego optarem mihi eſſem conſcius furti: qui digni ſunt ſupplicio illud tolerant patienter. Nunc inconſulto accuſas, credendo omnia temere, ipſa probibes iram tuam eſſe alicujus momenti. Cerne, ut auritus aſinus deflendæ conditionis ſegniter incedat preſſus flagro continuo. Ecce nova accuſatio. Cypaſſis induſtria comere exprobratur violaſſe lectum dominæ. Dii melius quam; ſi ſit* mihi *cupiditas delinquendi; turpis amica vilis conditionis mibi grata ſit! Quis liber ſuſtineat admittere conjugia ſervæ Veneris; & amplecti terga uſta flagris? Adjice, quod illa dedit operam fingendæ comæ; &* eſt *famula tibi accepta per manus ſolertes. Videlicet orarem famulam quæ* eſt *tibi tam fidelis? Quamobrem niſi ut repulſa eſſet addita indicio? Juro per Venerem, & arcus pueri volucris, me non eſſe reum flagitii patrati.*

NOTÆ.

(k) *Bonus*) *Vivus, purpureus, non pallidus*, qualis eſt amantium.

(l) *Frigidus*) *Non amans.*

(m) *Atque ego*) Cautiſſime crimen diſſimulat.

(n) *Aſpice ut auritus*) Nec Dominic. nec Mycillus Poetæ ſenſum aſſequuti eſſe videntur. Scopus eſt, ni fallor, ab exemplo probare, amicæ iram nullius eſſe ponderis, quod nimis frequenter iraſcatur; ut nec verberibus aſſiduis lentus aſinus movetur.

(o) *Ecce novum*) Callidiſſime verum crimen falſis immiſcet, ut in turba lateat.

(p) *Contemtæ ſortis*) Ancilla.

(q) *Per doctas*) *Perdocta eſt*, Puteaneus clar. Heinſius putat *perdocta manu*.

(r) *Scilicet*) Ironia eſt.

(ſ) *Indicio*) Dicit Poeta, ſi ancillam rogaſſet, nihil aliud futurum quam ut crimen ad dominam retuliſſet.

(t) *Juro*) Egregie vero, ſiquidem Jupiter ipſe, ut ille ait, amantum ridet perjuria.

(u) *Puerique*) Cupido eſt.

(x) *Admiſſi*) *Peccati*.

ELEGIA

ELEGIA VIII.

Ad Cypassin ancillam Corinnæ.

POnendis in mille modos perfecta capillis,
Comere sed solas digna Cypassi Deas;
Et mihi jucundo non rustica cognita furto;
Apta quidem dominæ, sed magis apta mihi;
Quis fuit inter nos sociati corporis index?
Sensit concubitus unde Corinna tuos?
Num (*a*) tamen erubui, num verbo lapsus in ullo
Furtivæ Veneris conscia signa dedi?
(*b*) Quid, quod in ancilla si quis delinquere posset,
Illum ego contendi mente carere bona?
(*c*) Thessalus ancillæ facie (*d*) Briseidos arsit:
Serva (*e*) Mycenæo (*f*) Phœbas amata duci.
Non ego (*g*) Tantalide major, nec major Achille.
Quod decuit Reges, cur mihi turpe putem?
Ut tamen iratos in te (*h*) defixit ocellos;
Vidi te totis erubuisse genis.
At quanto, si forte (*i*) refers, præsentior ipse
Per veneris (*k*) feci numina magna fidem?

INTERPRETATIO.

CYpassi peritissima digerere comam in mille motos, sed merita ornare solas Deas; & *mihi cognita non absurda grato furto; idonea quidem dominæ sed magis mihi idonea; quis fuit index corporis-juncti inter nos? Unde Corinna olfecit nostros concubitus? Num tamen pudore correptus sum, num titubans in ullo verbo exhibui indicia conscia occultæ Veneris? Quid, quod si quis posset peccare in ministra, ego affirmavi illum sana mente destitui? Thessalus forma flagravit famulæ Briseidos: Phœbas ancilla dilecta duci Mycenæo. Ego non sum præstantior Tantalide, nec præstantior Achille. Quamobrem mihi indecorum credam quod decorum fuit Regibus? Cum tamen injecit oculos infensos in te; vidi te erubuisse totis genis. At, si forte meministi quanto ipse audacior fidem firmavi per magna numina Veneris!*

NOTÆ.

(a) *Tamen*) *Quamvis peccaverimus.*

(b) *Quid*) Quasi dicat, *Annon egregie dissimulavi, qui ad Corinnam dixi, mente carere, qui cum ancilla peccaverit.*

(c) *Thessalus*) Achilles est. Scopus est exemplo factum suum laudare, & ancillæ approbare.

(d) *Briseidos*) Hippodamia est Brisei filia; de qua antea.

(e) *Mycenæo*) Agamemnoni, Mycenis oriundo:

(f) *Phœbas*) *Vates*. Cassandra est, quam a Phœbo vaticinandi facultatem accepisse supra vidimus: quamque Agamemnon, expugnato Ilio amavit.

(g) *Tantalide*) Agamemnone *scil.* cui avus fuit Tantalus.

(h) *Defixit*) Corinna *scil.*

(i) *Refers*) Id est, *animo recolis*; quomodo alibi loquutum Nasonem clar. Heinsius observavit.

(k) *Feci fidem*) *Confirmavi*, & *Corinnæ persuasi me non peccasse tecum.*

Tu

Tu *(l)* Dea, tu jubeas animi perjuria *(m)* puri.
(n) Carpathium tepidos per mare ferre Notos.
Pro quibus *(o)* officiis pretium mihi dulce repende
Concubitus hodie, fusca Cypassi, tuos.
Quid renuis, fingisque novos, ingrata, timores?
(p) Unum est e dominis *(q)* emeruisse satis.
Quod si stulta negas, index anteacta fatebor;
Et veniam culpæ proditor ipse meæ.
Quoque loco tecum fuerim: quotiesque, Cypassi,
Narrabo dominæ, quotque quibusque modis.

INTERPRETATIO.

Tu Dea, tu impetres Austros repentes perjuria animi sinceri per mare Carpathium discerpere. Pro quibus meritis exsolve mihi gratam mercedem hodie tuos concubitus fusca Cypassi. Quid abnuis, ingrata, & fingulas novos metus? Satis est devinxisse unum e dominis. Quod si inepta recusas, ego index proferam anteacta; & ipse accedam proditor mei criminis. Et referam dominæ ubi tecum fuerim. Cypassi, & quoties, & quot modis, & quibus.

NOTÆ.

(l) *Dea*) Venerem per parenthesim hoc distinchico compellat.

(m) *Puri*) Egregie, vero animus purus est scilicet, cujus lingua peccavit. Sed quales Dii, tales & illi qui illis serviunt: purus fuerit Naso cum meretrice impurissima.

(n) *Carpanthium*) Pars est Mediterranei; a Carpatho insula, juxta Creticum. Pro quolibet mari sumitur.

(o) *Officiis*) *Cum tuam causam cum mea apud Corinnam egi.*

(p) *Unum*) *Me* scil.

(q) *Emeruisse*) *Demeruisse, suum fecisse.*

ELEGIA IX.

Ad Cupidinem.

O Nunquam *(a)* pro me satis *(b)* indignate Cupido,
O in corde meo *(c)* desidiose puer!
Quid me, qui miles nunquam tua signa reliqui,
Ledis? & in castris vulneror ipse meis?
Cur tua fax urit, figit tuus arcus amicos?
Gloria *(d)* pugnantes vincere major erat.

INTERPRETATIO.

O Cupido nunquam satis infense in meam utilitatem, o puer iners in meo corde. Quamobrem me vulneras, qui miles nunquam destitui tua signa: & ipse lædor in meis castris? Quamobrem tua teda inflammat, arcus tuus fodit amicos? Major erat honor separare præliantes.

NOTÆ.

(a) *Pro me*) *Ex meo usu; pro mea utilitate.*

(b) *Indignate*) *In puellas irate, quas ego amo; quasque tuis sagittis transfixas voluerim.*

(c) *Desidiose*) *Frustra hærens, cum jam totus sim tuus.* Vellet Poeta ut latius in puellas imperium suum extenderet.

(d) *Pugnantes*) In primis puellas.

Quid?

Quid? non (*e*) Hæmonius, (*f*) quem (*g*) cuspide perculit, (*h*) heros,
Confossum medica postmodo juvit ope?
(*i*) Venator sequitur fugientia, capta relinquit:
Semper & inventis (*k*) ulteriora petit.
(*l*) Nos tua sentimus populus tibi (*m*) deditus arma:
Pigra reluctanti cessat in hoste (*n*) manus.
Quid juvat in nudis (*o*) hamata retundere tela
Ossibus? ossa mihi nuda relinquit amor.
Tot sine amore viri, tot sunt sine amore puellæ.
(*p*) Hinc tibi cum magna laude triumphus eat:
Roma, nisi immensum vires promosset in orbem,
Stramineis esset (*q*) nunc quoque tecta casis.
(*r*) Fessus in (*s*) acceptos miles deducitur agros;
Mittitur in saltus (*t*) carcere liber equus:
Longaque (*u*) subductam celant (*x*) navalia (*y*) pinum:
(*z*) Tutaque deposito (*a*) poscitur ense (*b*) rudis.

INTERPRETATIO.

Quid? annon heros Hæmonius postmodum juvit auxilio medico transfixum quem læsit mucrone? Venator prosequitur dilabentia, omittit correpta: & semper quærit plura quam quæ parta sunt. Nos turba tibi addicta experimur tua tela: manus tua iners quiescit in hoste repugnante. Quid prodest obtundere sagittas hamis instructas in spoliatis ossibus? Amor mihi spoliavit ossa. Tot sunt viri sine amore tot puellæ sine amore. Hinc tibi petatur triumphus cum ampla gloria. Nisi Roma protulisset robur in vastum orbem terrarum, esset nunc quoque structa tuguriis. Miles defatigatus immittitur in agros concessos: equus solutus repagulis dimittitur in saltus: & longa navalia tegunt navem retractam: & rudis secura petitur gladio derelicto.

NOTÆ.

(e) *Hæmonius*) *Thessalus*. Achilles est; de quo jam sæpe.

(f) *Quem*) Telephus est, qui ab Achille peliade hasta vulneratus, ejusdem hastæ rubigine, ex oraculi responso, sanitati restitutus est.

(g) *Cuspide*) Peliadis hastæ *scil.* quam gestabat Achilles.

(h) *Heros*) Achilles.

(i) *Venator*) Alio exemplo Amorem, a se captivo ad fugientes & reluctantes convertere nititur.

(k) *Ulteriora*) *Plura*.

(l) *Nos*) Amatores *scil.*

(m) *Deditus*) Alii ex melioribus *subditus*.

(n) *Manus*) *Tua* scil. *o Amor*.

(o) *Hamata*) Ne infixa evelli possent; quod crudelissimum fuit.

(p) *Hinc*) Ex viris & puellis subactis.

(q) *Nunc quoque*) Qualis olim fuit. Res nota est.

Romuleoque recens horrebat regia culmo. Virg.

(r) *Fessus*) Jam ab Amore militiæ vacationem & requiem se consequi debere, exemplo aliorum militum, veteranorum *scil.* qui emeritis stipendiis honestam ab imperatore missionem consequuntur, probare nititur Poeta.

(s) *Acceptos*) Veteranis militibus agros distribuere solebant Romani Imperatores, qua de re etiam pulsus quæritur quidam Pastor apud Virgilium in Bucolicis, aliique.

(t) *Carcere*) *Carcer*, & usitatius *carceres* in plurali dicebatur locus in circo ubi equi donec currendi signum datum esset, coercebantur.

(u) *Subductam*) Ex mari retractam. *Deducere* contra est in mare mittere.

(x) *Navalia*) Loca sunt, in quibus naves, nauticaque omnia asservantur, itemque fabricantur.

(y) *Pinum*) Pro nave ex pinu facta.

(z) *Tutaque*) Quia ad certamen & pugnam gladiatoriam cogi non poterant qui rude donati essent.

(a) *Poscitur*) *Tanquam res debita petitur a gladiatore*. Harum vero omnium comparationum unus est scopus, quem ante indicavimus.

(b) *Rudis*) Virga est impolita, qua qui donati essent gladiatores emeriti censebantur; nec ad ludum amplius cogi poterant.

Me-

Me quoque, qui toties (*c*) merui sub amore puellæ,
(*d*) Defunctum placide vivere tempus erat.
(*e*) *Vive*, Deus, *posito*, si quis mihi dicat, *amore*;
(*f*) Deprecer: usque adeo dulce puella malum est.
Cum bene (*g*) pertæsum est, animoque (*h*) relanguit (*i*) ardor;
Nescio quo (*k*) miseræ turbine mentis agor.
Ut rapit in præceps dominum, spumantia frustra
(*l*) Fræna retentantem, (*m*) durior oris equus:
Ut subitus, prope jam prensa tellure, carinam
Tangentem portus ventus in alta rapit:
Sic me sæpe (*n*) refert (*o*) incerta Cupidinis aura;
(*p*) Notaque purpureus tela resumit Amor.
(*q*) Fige, puer; positis nudus tibi præbeor armis.
(*r*) Hic tibi sint vires: hic tua dextra (*ſ*) facit.
Huc tanquam jussæ veniunt jam sponte sagittæ.
Vix illis præ me nota pharetra sua est.
Infelix, tota quicunque quiescere nocte
Sustinet, & somnos præmia magna vocat.
Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora (*t*) fata dabunt.

INTERPRETATIO.

Tempus erat me quoque, qui toties militavi sub amore puellæ, exantlatis laboribus, tranquille ævum agere. Si quis Deus mihi dicat, Vive amore deposito; *recusem: usque adeo puella est malum suave.* Cum *me multum taduit, & amor evanuit animo, nescio quo impetu calamitosi animi feror. Quemadmodum equus ore asperior aufert in abrupta dominum sæpe spumantia fræna frustra retrahentem: quemadmodum ventus repentinus aufert in aperta* maria *navem admotam portui terra jam pene tacta: sic aura inconstans Cupidinis me sæpe reducit; & formosus Amor recipit arma solita. Transfode puer, tibi exhibeor nudus armis projectis. In me convertatur robur: in me tua dextra valet. Sagittæ jam huc sponte accedunt tanquam immissæ* essent. *Vix pharetra sua est illis cognita plusquam ego sum. Miser quicunque potest stertere tota nocte, & somnos dicit magna munera. Inepte, quid est somnus nisi simulacrum mortis frigidæ? Mors præbebit longum spatium dormiendi.*

NOTÆ.

(c) *Merui*) *Militavi*. Sic dicimus, *merere sub tali Imperatore, pro militare.*

(d) *Defunctum*) *Qui omnes hujus militiæ labores exantlavi.*

(e) *Vive Deus*) Nunc aperte ostendit Poeta se usque adeo Amori obnoxium esse, ut illum deserere non possit.

(f) *Deprecer*) Pro *deprecarer*, & *recusarem. Non sine amore vivere.*

(g) *Pertæsum est*) Amoris *scil.*

(h) *Relanguit*) Alij *evanuit*, *revanuit*.

(i) *Ardor*) Iram exposuit Dominicus: non bene credo: Amorem intelligo.

(k) *Miseræ*) Quæ iterum Amore corripitur & agitatur.

(l) *Fræna retentantem*) *Frænis equum retinere sæpius tentantem.*

(m) *Durior*) Ille est qui fræno repugnat.

(n) *Refert*) *In Amoris pelagus & tempestates denuo fert.*

(o) *Incerta*) Amor vero, si quicquam aliud, neque modum, neque consilium, aut statum habet.

(p) *Nota*) *Solita*.

(q) *Fige*) *Fodi me sagittis tuis, quibus ad amandum impellar.*

(r) *Hic*) *In me* scil.

(ſ) *Facit*) *Valet*, quod est in aliis.

(t) *Fata*) Postquam ex eorum præscripto aliquis occidit, nimirum somnus est longissimus.

Me modo decipiant (*u*) voces fallacis amicæ:
Sperando (*x*) certe gaudia magna feram.
Et modo blanditias dicat; modo jurgia nectat.
Sæpe fruar domina; sæpe repulsus eam.
Quod (*y*) dubius Mars est; (*z*) per te, (*a*) privigne Cupido, est.
Et (*b*) movet exemplo vitricus arma tuo.
Tu levis es, multoque tuis ventosior alis:
Gaudiaque ambigua dasque negasque fide.
Si tamen exaudis pulcra cum matre (*c*) rogantem:
(*d*) Indeserta meo pectore regna tene.
Accedant regno nimium (*e*) vaga turba puellæ:
Ambobus populis (*f*) sic venerandus eris.

INTERPRETATIO.

Dummodo verba mendacis amica me fallant, profecto magna voluptate fruar sperando. Et modo dicat blanditias, modo rixas moveas. Sæpe potiar domina: sæpe exclusus discedam. Quod Mars est incertus; est per te Cupido privigne: & vitricus tractat arma exemplo tuo. Tu inconstans es, & multo levior tuis pennis: & prabes & recusas voluptatem fide dubia. Si tamen cum formosa matre annuis precanti, obtine perpetuum imperium in meo corde, Puellæ turba nimis incerta adjungantur tuo imperio. Sic erit reverendus utrique turba.

NOTÆ.

(u) *Voces*) Promittentis *scil.* aut spem facientis.

(x) *Certe*) Sunt tamen certe somnia vigilantis spes hujusscemodi.

(y) *Dubius*) *Incerti sunt ejus exitus.*

(z) *Per te*) Quasi jure relationis, aut affinitatis levitaetm ab Amore previgno, Mars vitricus acceperit.

(a) *Privigne*) *Beau-fils*. Martis cum Venere concubitu ipse vitricus, Cupido privignus factus est.

(b) *Movet exemplo tuo*) Id est, cum levitate & inconstantia.

(c) *Rogantem*) Hanc vocem ex Putaneo arripuit clar. Heinsius. Alii habent *Cupido*.

(d) *In deserta*) *Non deserta*. *In* negat hoc in loco, ut sæpe alibi.

(e) *Vaga*) *Quæ huc illuc errans imperium tuum non agnoscit.*

(f) *Sic*) *Si regno tuo puellæ adjunctæ fuerint.*

ELEGIA X.

Ad Græcinum, quod eodem tempore duas amet.

(a) TU mihi, tu certe (memini), (b) Græcine, negabas,
Uno posse aliquem tempore amare duas.

INTERPRETATIO.

TU mihi, tu profecto Græcine, (recordor) inficiabaris, quemquam posse amare duas uno tempore.

NOTÆ.

(a) *Tu, tu*) Emphasim habet, & querula est hæc repetitio.

(b) *Græcine*) Fuit hic Poetæ fidissimus ac vetus sodalis, humanioribus litteris & militari disciplina egrgius, qui etiam ad Consulatus dignitatem evectus est.

Per

Per te ego decipior: per te (c) deprensus (d) inermis,
Ecce duas uno tempore turpis amo.
Utraque formosa est: (e) operosæ cultibus ambæ:
(f) Artibus in dubio est hæc sit, an illa, prior.
Pulcrior hac illa est: (g) hæc est quoque pulcrior illa;
Et magis hæc nobis, & magis illa placet.
Errant, ut ventis discordibus acta (h) faselos,
(i) Dividuumque tenent alter & alter amor.
Quid geminas, (k) Erycina, meos sine fine dolores?
Nonne erat in curas una puella satis?
(l) Quid folia arboribus, quid pleno sidera cælo;
In freta collectas alta quid addis aquas?
Sed tamen (m) hoc melius, quam si sine amore jacerem.
Hostibus eveniat vita (n) severa meis.
Hostibus eveniat viduo dormire cubili,
Et medio (o) laxe ponere membra toro.
At mihi sævus amor somnos abrumpat inertes:
Simque mei lecti non ego solus onus.
Me mea (p) disperdat nullo prohibente puella,
Si satis una potest: si minus una; duæ.
Sufficiant: graciles sed non sine viribus artus:
Pondere, non nervis, corpora nostra carent.

INTERPRETATIO.

Ego per te fallor: per te nudus correptus; ecce indecore amo duas uno tempore. Utraque est pulcra, utraque ornatibus curiosa: incertum est hæc an illa præstet artibus. Illa est formosior hac: hæc est quoque formosior illa; & hæc magis, & illa magis nobis arridet. Uterque amor vegantur ut navicula impulsa ventis contrariis, & me faciunt incertum. Quamobrem lauges indesinenter meos cruciatus, Erycina? Nonne una puella erat satis in amores? Quamobrem adjicis frondes arboribus, quamobrem admoves *stellas cælo referto, quamobrem* Immitis *aquas coactas in profundum mare?*

Sed tamen hoc jucundius, quam si sine amore languerem. Vita rigida contingat meis hostibus. Contingat hostibus cubare deserto lecto, & vaste demittere artus medio lecto. At crudelis amor mihi turbet somnos ignavos: & non ego sim solus pondus mei tori. Mea puella me enecet nullo obstante, una si satis valet; si non satis una, duæ. Membra tenuia, sed non sine robore sint satis: nostri artus sunt sine onere, sed non sine nervis.

NOTÆ.

(c) *Deprensus*) Ab Amore *scil.*

(d) *Inermis*) *Cum Corinna amore irretitus, aliam amare me posse non crederem; nec mihi caverem.*

(e) *Operosæ*) Alii *operosis*. Id est, quæ se cum maxima cura ornarent.

(f) *Artibus*) *Minerva operibus.*

(g) *Hæc est quoque*) Talis Poetæ, diversis temporibus videtur, vel propter diversas dotes. Sed amatorie istud dictum.

(h) *Phaselos*) *Phaselos* Græco more, vel *Phaselus* species navigii.

(i) *Dividuum*) Me *scil.*

(k) *Erycina* Venus est ab Eryce monte Siciliæ, ubi religiosissime colebatur.

(l) *Quid folia*) Plurimis comparationibus ostendit ineptum esse eum, qui maxime amet, novis Amoribus implicare.

(m) *Hoc*) Duas simul puellas amare, *scil.*

(n) *Severa*) sine amore jocisque.

(o) *Laxe*) Alii *late*.

(p) *Disperdat*) *Faciat ut amore prorsus peream.*

Et

Et lateri dabit in vires alimenta voluptas.
Decepta est opera nulla puella mea.
Sæpe ego, lascivæ consumto tempore noctis,
Utilis & forti corpore mane fui.
Felix, quem Veneris certamina mutua perdunt!
Di faciant, leti causa sit ista mei!
Induat adversis contraria pectora telis
Miles, & æternum sanguine (q) nomen emat.
Quærat avarus opes; & quæ lassarit (r) arando
Æquora, (ſ) perjuro naufragus ore bibat.
At mihi contingat Veneris languescere motu;
Cum moriar, medium solvar & inter opus:
Atque aliquis nostro lacrymans in funere dicat.
CONVENIENS VITÆ MORS FUIT ISTA SUÆ.

INTERPRETATIO.

Et gaudia ministrabunt pabula lateri in vires. Nulla puella est elusa opera mea. Ego sæpe spatio noctis voluptaria absumpto, fui etiam mane integer valido corpore. Beatus quem mutua prælia Veneris enecant! Di faciant, ista sit causa meæ mortis! Miles muniat pectora opposita telis adversis, & comparet laudem immortalem sanguine. Avarus inhiet divitiis; & naufragus sorbeat ore perjuro maria quæ fatigaverit sulcando. At mihi eveniat torpescere motu Veneris; & cum obibo, dissolvar inter opus medium; atque aliquis lugens in nostris exequiis dicat: ISTE INTERITUS FUIT DIGNUS SUA VITA.

NOTÆ.

(q) *Nomen*) *Honorem, gloriam, famam.*
(r) *Arando*) *Navibus mare secando.* Alij habeant *eundo.*
(ſ) *Perjuro*) Avarum & perjurum unum & eundem facit hominem. Vere.

ELEGIA XI.

Ad amicam navigantem.

(*a*) PRima (*b*) malas (*c*) docuit, (*d*) mirantibus æquoris undis,
(*e*) Peliaco pinus vertice cæsa vias:

INTERPRETATIO.

Pinus resecta collibus Peliacis prima ostendit perniciosa itinera, undis æquoris stupentibus.

NOTÆ.

(a) *Prima*) Primam fuisse Argo navem voluerunt fabulæ; quia ea major, & novo modo.
(b) *Malas*) *Humano generi perniciosas.*
(c) *Docuit*) Non pinus quidem, nec navis sed qui ea vecti.
(d) *Mirantibus*) Mari quod est animatorum hominum, tribuit.
(e) *Peliaco*) Pelion mons est Thessaliæ.

Quæ

Quæ (*f*) concurrentes inter (*g*) temeraria (*h*) cautes
(*i*) Conspicuam fulvo (*k*) vellere vexit ovem.
O utinam, (*l*) remo ne quis freta longa moveret,
Argo funestas (*m*) pressa bibisset aquas!
Ecce fugit notumque torum (*n*) sociosque Penates;
(*o*) Fallacesque vias ire Corinna parat.
(*p*) Quid tibi me miserum! (*q*) Zephyros (*r*) Eurosque timebo,
Et gelidum (*s*) Boream, (*t*) egelidumque Notum?
Non illic urbes, non tu mirabere silvas.
(*u*) Una est (*x*) injusti cærula forma maris.
Nec (*y*) medius tenues conchas pictosve lapillos
Pontus habet: bibuli littoris (*z*) illa mora est.
Littora (*a*) marmoreis pedibus (*b*) signanda, puellæ.
(*c*) Hactenus est tutum: cætera (*d*) cæca via est.

INTERPRETATIO.

quæ audax inter scopulos concurrentes tulit arietem insignem villis aureis. O utinam ne quis agitaret vasta maria remo. Argo illisa potasset aquas letales! Ecce Corinna destituit lectum solitum, & Penates conjugales, & cupit currere per vias dolosas. Quorsum, me miserum! tibi metuam Zephyros & Euros & frigidum Aquilonem, & Austrum tepidum? Tu non mirabere illic oppida, non nemora. Una est glauca species perfidi maris. Nec altum mare habet exiguas conchas: illud est retinaculum littoris bibuli. Littora prementa pedibus candidis, o puella. Hactenus est securum: omne aliud iter est periculosum.

NOTÆ.

(f) *Concurrentes*) Græcum verbum *Symplegades* interpretatur. Sunt autem Symplegades, quæ & Cyaneæ dicuntur, duæ insulæ, sive, potius scopuli in Ponto, contra Thracium Bosphorum: quas fabulati sunt Poetæ inter se concurrere, quod e latere procul visentibus coeuntium speciem præbeant.

(g) *Temeraria*) Quia per medias ausa transire symplegades.

(h) *Cautes*) Symplegades *scil.* qua Jasoni iter fuit.

(i) *Conspicuam*) *Insignem*, *spectabilem*.

(k) *Vellere*) De aureo vellere loquitur, ad quod rapiendum Jason profectus dicitur. Nota fabula.

(l) *Remo ne quis*) Id est, Ut nullus pravo ab Argo navi sumto exemplo, iter mari faciendum sciret.

(m) *Pressa*) *Depressa*, *in fundum rapta vel scopulis illisa*.

(n) *Sociosque*) *Maritales*: nupta enim Poetæ amica, aut multis ex locis antea vidimus. Alii habent *patriosque*.

(o) *Fallaces*) Per mare facilis error; ubi sunt scopuli, venti, &c.

(p) *Quid tibi*) Quasi dicat *frustra timebo*.

(q) *Zephyros*) Ventos ab occasu flantes; qui latine Favonij dicuntur.

(r) *Eurosque*) Ventos ab ortu flantes.

(s) *Boream*) Aquilo est a Septentrione & plaga frigidissima ruens.

(t) *Egelidumque*) Hæc est clariss. Heinsij correctio, ex Puteaneo ubi legitur *& gelidumque*. Constat vero Notum seu Austrum a meridionali plaga spirantem tepidum quandoque, saltem non ea esse frigiditate qua Boreas. In duobus codicibus legitur *pretepidumque*; in quatuor *non gelidumque*; in aliis *præcipitemque*.

(u) *Una*) Aqua nempe cernitur, & id tantum.

(x) *Injusti*) Quod omnes bonos, malos promiscue rapit.

(y) *Medius*) In ripa, *scil.* colliguntur conchæ, & lapilli.

(z) *Illa mora*) Mora in colligendis lapillis: nam pedetentim progrediuntur, qui eos quærunt.

(a) *Marmoreis*) *Candidis*.

(b) *Signanda*) Alii *signate*.

(c) *Hactenus*) *Huc usque*. Ad littus.

(d) *Cæca*) Adeoque periculosa.

Et vobis alii ventorum prælia (*e*) narrent;
Quas (*f*) Scylla infestet, quasve Carybdis aquas:
Et quibus emineant (*g*) violenta (*h*) Ceraunia saxis:
Quo lateant (*i*) Syrtes, quove (*k*) Malea sinu.
Hæc alii referant: at vos, quod quisque loquentur,
Credite: credenti nulla (*l*) procella nocet.
Sero respicitur tellus, ubi fune soluto
Currit in immensum panda carina salum.
Navita sollicitus (*m*) qua ventos horret iniquos,
Et prope tam (*n*) letum, quam prope cernit aquam.
Quid si concussas (*o*) Triton exasperet undas?
Quam tibi (*p*) nunc toto (*q*) nullus in ore color!
Tum generosa voces fœcundæ (*r*) sidera (*ſ*) Ledæ:
Et, *Felix*, dicas, *quam sua terra tenet!*
Tutius est fovisse torum, legisse libellos;
(*t*) Threiciam digitis increpuisse lyram.

INTERPRETATIO.

Alii etiam vobis referant certamina ventorum: quæ maria Scylla quave Charybdis divexet: & quibus rupibus dura Ceraunia extent: quo sinu Syrtes, quoque Malea recesserint. Hæc narrent alii: at vos credite quod quisque referent: nullus turbo officit credenti. Terra tarde respicitur, postquam vinculis expeditis navis curva rapitur in vastum æquor: Ubi nauta anxius expavet ventos adversos, & tam prope videt mortem, quam prope videt *aquam. Quid si Triton concitat undas commotas? Quam nunc nullus tibi color in toto vultu. Tum implores salutiferas stellas Ledæ facundæ: & dicas,* Beata, quam sua terra habet! *securius est jacere lecto: legere libellos; pulsare lyram Thraciam digitis.*

NOTÆ.

(e) *Narrent*) *Narrabunt; Narrare poterunt.*

(f) *Scilla*) Scyllam & Charybdin fabulantur Poetæ monstra esse in freto Siculo posita, quæ transeuntes naves vorent & absumant. Re autem vera Scylla saxum est, & Carybdis mare vorticosum: ambo navigantibus admodum periculosa.

(g) *Violenta*) Propter Naufragia.

(h) *Ceraunia*) Ceraunia, quæ & Acroceraunia dicuntur, Epiri montes sunt altissimi; quos infames scopulos (propter naufragia scilicet) vocitavit, Horat.

(i) *Syrtes*) Duo sunt sinus in Africa vadoso ac reciproco mari periculosissimi.

(k) *Malea*) Propertius itemque Virgilius Maleam quoque cum Syrtibus conjunxerunt. Alii tamen legunt:

Quo lateant Syrtes, magna minorque sinu. Est vero Malea promontorium juxta Laconicum sinum multum periculosum.

(l) *Procella*) Vis ventorum est cum pluvia.

(m) *Qua*) Parte *scil.* In salo nimirum: quæ est correctio clar. Heinsii; ex quinque codicibus ubi *qui* legebatur. Alii habent jam, *quoque*, &c.

(n) *Letum*) Navigantes enim, ut ait Juvenalis, sunt digitis a morte remoti quatuor, aut tribus.

(o) *Triton*) Neptuni est filius & tubicen.

(p) *Nunc*) Alii *fit*.

(q) *Nullus*) Propter metum.

(r) *Sidera*) Castorem & Pollucem Ledæ filios intelligit, qui nautis favere sunt crediti. Qua de re multa apud Horatium lib. 1. Od. 12. & lib. 4. Od. 8. invenies. Cæterum notandum est apud nautas invaluisse fabulam, ut solitarii ignes seu stellæ, navibus insistentes (quas Castoris & Pollucis nomine ad fabulam accommodatione appellare libuit) graves, gemini salutares essent.

(ſ) *Leda*) De ea, ejusque ovis, ex quibus Castor, Pollux, Helena & Clytemnestra orti sunt jam sæpe vidimus.

(t) *Threiciam*) Qualis fuit Orphei Tracii.

At, (*u*) si vana ferunt volucres mea dicta procellæ,
(*x*) Æqua tamen puppi sit (*y*) Galatea tuæ.
Vestrum crimen erit (*z*) talis jactura puellæ,
(*a*) Nereidesque Deæ, Nereidumque (*b*) pater.
(*c*) Vade memor nostri, vento reditura secundo.
Impleat (*d*) illa tuos (*e*) fortior aura sinus.
Tum mare in hæc magnus (*f*) proclinet littora Nereus:
Huc venti spirent: huc agat æstus aquas.
(*g*) Ipsa roges, *Zephyri veniant in lintea* (*h*) *soli*:
Ipsa tua (*i*) moveas turgida vela manu.
Primus ego aspiciam notam de littore pinum;
Et dicam, *Nostros advehit illa* (*k*) *Deos*.
Excipiamque (*l*) humeris, & multa sine ordine carpam
Oscula: pro reditu victima (*m*) vota (*n*) cadet.
Inque tori formam molles sternentur arenæ:
(*o*) Et tumulus mensæ quilibet instar erit.
Illic apposito narrabis multa (*p*) Lyæo.
Pæne sit ut mediis obruta navis aquis:

INTERPRETATIO.

At si turbines veloces abripiunt mea inania monita, favens tamen sit Galatea tua navi: Damnum talis puella erit vestrum delictum, Deæ Nereides, & pater Nereidum. Proficiscere memor nostri, reversura vento favente. Ille ventus vehementior instet tua vela. Tum magnus Nereus incurvet mare in hæc littora: huc flent venti, huc æstus impellat aquas. Ipsa preceris, Zephyri soli impellant vela: *ipsa explices vela tumida tua manu. Ego prior spectabo navem cognitam de littore, & dicam* illa adducit nostros Deos: *& excipiam humeris, & confuse sumam multa suavia: hostia promissa pro recursu mactabitur. Et tenues arenæ cumulabuntur in speciem lecti, & quilibet acervus erit instar mensæ. Illic multa referes vino adhibito, quomodo navis sit propemodum mersa aquis.*

NOTÆ.

(u) *Si vana*) *Si frustra te a navigatione retrabo.*

(x) *Æqua*) *Dii incolumem te servent.*

(y) *Galatea*) Nympha est Maris, Nerei & Doridis filia.

(z) *Talis*) Quæ Deorum favorem pulchritudine, aliisque dotibus meretur.

(a) *Nereidesque*) Nymphæ maris, Nerei filiæ numero quinquaginta.

(b) *Pater*) Nereus est, antiquissimus maris Deus, Oceani & Tethyos filius.

(c) *Vade*) Corinnam alloquitur.

(d) *Illa*) *Qua te revehet*, scil.

(e) *Fortiter*) *Vehementior: ut citius revertaris.*

(f) *Proclinet*) Ut ventis & mari secundo utatur.

(g) *Ipsa*) *Utpote visendi tui Nasonis cupida.*

(h) *Soli*) Alii pleni.

(i) *Moveas*) Redeundi cupiditate, *scil.*

(k) *Deos*) *Felicitatem.*

(l) *Humeris*) Alii *ulnis.*

(m) *Vota*) *Diis promissa.*

(n) *Cadet*) *Mactabitur.*

(o) *Et tumulus*) Tres, *Pro mensa cumulus quilibet esse potest.* Puteaneus. *Et tumulus mensa quilibet esse potest.* Alii.

Et tumulus mensæ quilibet instar erit:

(p) *Lyæo*) *Vino: Lyæus* namque unum est ex Bacchi nominibus.

Dum

Dumque ad me properas, nec iniquæ tempora noctis,
Nec te præcipites extimuisse Notos.
Omnia pro veris credam, sint ficta licebit:
(*q*) Cur ego non votis blandiar ipse meis?
Hæc mihi quamprimum cœlo (*r*) nitidissimus alto
(*s*) Lucifer (*t*) admisso tempora portet equo.

INTERPRETATIO.

& dum festinat ad me, nec expavisse tempora molesta noctis, nec austros procellosos: Credam omnia pro veris, licet falsa fuerint. Quamobrem ipse ego non faveam meis votis? Lucifer splendidissimus mihi quamprimum afferat equo incitato hæc tempora ex sublimi cœlo.

NOTÆ.

(q) *Cur ego*) *Quamobrem ego nugem mea vota, quæ pro tuo reditu feci, valuisse, eis serviens?* interpretatur. Nihil ad rem, sensus est, *Cur non mibi ego indulgeam, atque credam pro veris, quæ tu ficta in mei gratiam referes, cum te vera dicere optem? Quamobrem difficilis fuerim in iis credendis, quæ vera esse exopto?* Sunt nempe nonnulli adeo stulti homines, ut sibi nulla bona ex Phantasia, omnia mala depromant. Nihil nisi quod malum est credunt. Atque hac nostra explicatione Ingenioso Poetæ favemus, cui forte simila visa sunt, quæ ex Corinnæ persona sibi plus æquo faventia scripsit.

(r) *Nitidissimus*) *Candidissimus, felicissimus.*

(s) *Lucifer*) Veneris est stella, Solis adventum prænuncians.

(t) *Admisso*) *Concitato.*

ELEGIA XII.

Exultat quod amica potitus sit.

ITe triumphales circum mea tempora lauri.
Vicimus, in nostro est ecce Corrina sinu,
Quam vir, quam custos, quam janua firma, tot hostes,
Servabant; ne qua posset ab arte capi:
Hæc est præcipuo victoria digna triumpho;
In qua, quæcunque est, sanguine præda caret.
Non humiles muri, non parvis oppida fossis
Cincta, sed est (*a*) ductu capta puella meo.
(*b*) Pergama cum caderent bello superata (*c*) bilustri:
Ex (*d*) tot, in (*e*) Atrida pars quota laudis erat?

INTERPRETATIO.

LAuri triumphales circumdate mea tempora. Victoria potiti sumus: ecce Corinna est in nostro gremio. Quam maritus, quam custos, quam fores validæ, tot hostes custodiebant, ne posset abripi ulla fraude. Hæc victoria meretur maximum triumphum; in qua præda quæcumque est, nullo infecta est cruore. Non parva mœnia, non urbes circumdatæ exiguis fossis, sed puella est ablata meo consilio. Cum Troja rueret victa bello decennali; quota pars gloriæ erat in Atrida, ex tot militibus?

NOTÆ.

(a) *Ductu*) *Meo consilio, & industria.*

(b) *Pergama*) Victoriam suam & gloriam majorem contendit quam quæ ab Agamemnone ex Trojæ excidio reportata est.

(c) *Bilustri*) *Decennali.* Lustrum enim quinque annorum spatium complectitur.

(d) *Tot*) Militibus, *scilicet*,

(e) *Atrida*) *Agamemnone.* Atrei filio, summo duce.

At mea ſepoſita eſt, & ab omni milite (*f*) diſſors
Gloria: nec (*g*) titulum (*h*) muneris alter habet.
Me duce ad (*i*) hanc voti finem, me milite veni:
Ipſe eques, ipſe pedes, ſignifer ipſe fui.
Nec (*k*) caſum fortuna meis immiſcuit actis.
Huc ades, o cura parte Triumphe mea.
Nec belli (*l*) nova cauſa mei: (*m*) niſi rapta fuiſſet
(*n*) Tyndaris, Europæ pax Aſiæque foret.
(*o*) Fœmina (*p*) ſilveſtres (*q*) Lapithas, (*r*) populumque bimembrem
(*ſ*) Turpiter oppoſito vertit in arma mero.
(*t*) Fæmina (*u*) Trojanos (*x*) iterum fera bella movere
Impulit in regno, (*y*) juſte (*z*) Latine, tuo.
(*a*) Fœmina Romanis, etiam nunc (*b*) Urbe recenti,
(*c*) Immiſit ſoceros, armaque ſæva dedit.
Vidi ego pro nivea pugnantes conjuge tauros;
Spectatrix animos ipſa juvenca dabat.
Me quoque cum multis, ſed me ſine cæde, Cupido
Juſſit militiæ ſigna (*d*) movere ſuæ.

INTERPRETATIO.

At mea laus eſt ſejuncta, & ſeparata ab omni milite: nec alius habet laudem officii. Attigi hunc voti finem me duce, me milite: ipſe fui eques, Ipſe pedes, ipſe ſignifer. Nec fortuna addidit caſum meis geſtis. Huc venito, o triumphe comparate mea cura. Nec inſolita cauſa mei belli. Niſi Tyndaris fuiſſet avecta, pax inter Europam & Aſiam perduraſſet. Puella fœde miſit in arma Lapithas ſilveſtres & populum bimembrem, vino admoto. Fœmina coegit iterum Trojanos ſæva bella excitare in ſuo regno, juſte Latine. Fœmina excivit ſoceros Romanis, Urbe etiam num nova; & fera arma tradidit. Ego vidi tauros decertantes pro candida juvenca: ipſa juvenca ſpectatrix augebat animos. Cupido mihi quoque imperavit ferre ſigna militia ſua cum multis, ſed abſque ſanguine.

NOTÆ.

(f) *Diſsors*) *Segregata.*

(g) *Titulum*) *Laudem.*

(h) *Muneris*) *Officii.*

(i) *Hanc*) Ut potiretur amica.

(k) *Caſum*) Negat ſe fortunæ beneficio voto potitum eſſe.

(l) *Nova*) Id eſt) *Alii ante me pro puellis bella geſſerunt.*

(m) *Niſi rapta*) Probat ab exemplo Helenæ, puellarum cauſa mota bella eſſe.

(n) *Tyndaris*) Helena eſt, Tyndari filia.

(o) *Fœmina*) Hippodamia eſt Pirithoi uxor, de qua antea; quam illi eripere Centauri conati ſunt.

(p) *Silveſtres*) *Horridos & montanos.*

(q) *Lapithas*) Populi fuerunt Theſſaliæ, montium accolæ.

(r) *Populumque*) Centauri ſunt; de quibus antea.

(ſ) *Turpiter*) Quia ſponſam Pirithoi; ipſi convivæ rapere conati ſunt.

(t) *Fœmina*) Laviniam intelligit, Latini regis & Amatæ filiam: cujus cauſa Æneas cum Turno bellum geſſit.

(u) *Trojanos*) Æneam, *ſcil.* & qui eum ſequuti erant.

(x) *Iterum*) Ante illi apud Trojam pro patria pugnaverant.

(y) *Juſte*) Ille tamen filiam ſuam Turno ante deſponſaverat, quam in Italiam Æneas veniret: ſed Diis fuit obſequendum.

(z) *Latine*) Hic in Latio regnavit, quo tempore Æneas illuc appulit; eique filiam ſuam Laviniam matrimonio conjunxit.

(a) *Fœmina*) De Sabinis intelligit, quas Romani, ſimulatis ludis equeſtribus rapuerunt. Notiſſima eſt hiſtoria.

(b) *Urbe*) Roma, *ſcil.* gentium, regina.

(c) *Immiſit*) Grave nimirum ex Sabinarum raptu bellum ortum eſt.

(d) *Movere*) Ea vero movet exercitus pugnaturus.

EL E-

ELEGIA XIII.

Ad Isidem, ut parientem Corinnam juvet.

DUm (*a*) labefactat (*b*) onus gravidi (*c*) temeraria ventris,
In dubio vitæ lassa Corinna jacet.
Illa quidem, clam me tantum molita pericli,
Ira digna mea: sed cadit ira (*d*) metu:
(*e*) Sed tamen aut ex me conceperat; aut ego credo.
Est mihi pro facto sæpe, quod esse potest.
(*f*) Isi (*g*) Parætonium, (*h*) genialiaque arva (*i*) Canopi
Quæ colis, & (*k*) Memphin, (*l*) palmiferamque (*m*) Pharon,
Quaque celer Nilus lato delapsus ab alveo
Per (*n*) septem portus in maris exit aquas;

INTERPRETATIO.

Corinna temeraria dum studet dejicere sarcinam gravidi uteri cubat defessa vita incerta. Illa quidem qua me inscio tantum subivit discriminis est digna ira mea; sed ira sedatur timore. Sed tamen aut ex me gravida facta fuerat, aut ego arbitror. Sæpe est mihi pro facto quod potest esse. Isi, quæ habitas Parætonium & campos voluptarios Canopi, & Memphin & Pharon palmiferam, & qua velox Nilus defluens a vasta fossa devolvitur in maris aquas per septem ostia.

NOTÆ.

(a) *Labefactat*) Medicaminibus abortum facere studuerat Corinna.

(b) *Onus*) *Embryonem*.

(c) *Temeraria*) Quæ se cum fœtu in vitæ discrimen adduxerit.

(d) *Metu*) Ne moriatur amica.

(e) *Sed tamen*) Hoc dicit quasi miretur, quod abortum facere studuerit.

(f) *Isi*) Isis Io est, uxor Osiridis, apud Ægyptios pro dea culta; de qua antea. Hic vero ad illam confugit Poeta, quod illam Dianam & Lucinam plerique fuisse scripserint, quæ Lucina, seu Luna parturientibus adesse credita est.

(g) *Parætonium*) Urbs est Ægypti maritima, quam alterum ejus cornu, ad occasum scilicet, facit Florus.

(h) *Genialiaque*) *Voluptuosa*; Genio enim indulgere, est voluptati operam dare: Scribitque Strabo lib. 17. Canopi templum fuisse Serapidis, cultu & religioni excellens; ad cujus solemnia per fossam ex Alexandria ingens turba virorum ac mulierum impudenter cantantium, die & nocte, cum omni dissolutione descendebat.

(i) *Canopi*) Canopus civitas est Ægypti distans ab Alexandria centum & viginti stadiis.

(k) *Memphin*) Urbs fuit quondam Ægypti caput, ab Osiride condita; non longe a Babylone.

(l) *Palmiferam*) Palmis arboribus iisque optimis abundantem.

(m) *Pharon*) Pharos insula est Ægypti, e regione Alexandriæ; in qua turrim ingentes navigantibus lumen in tempestate exhibentem rex Philadelphus extruxit e quæ inter mundi spectacula recensetur.

(n) *Septem portus*) Nili sunt ostia præcipua per quæ in mare devolvitur; quorum nomina; si tanti est, passim apud Geographos repertas.

Per tua (*o*) ſiſtra precor, per (*p*) Anubidis ora verendi:
Sic tua ſacra (*q*) pius ſemper (*r*) Oſiris amet,
(*ſ*) Pigraque labatur circa (*t*) donaria (*u*) ſerpens,
Et comes in pompa corniger (*x*) Apis eat:
(*y*) Huc (*z*) adhibe vultus; & in una parce duobus.
Nam vitam dominæ tu dabis; illa mihi.
Sæpe tibi (*a*) ſedit (*b*) certis (*c*) operata diebus,
(*d*) Queis cingit (*e*) lauros (*f*) Gallica (*g*) turma tuas:

INTERPRETATIO.

oro per tua ſiſtra, per vultus venerandi Anubidis: (ſic pius Oſiris ſemper amet tua ſacra & anguis ignava volvatur circa donaria, & Apis corniger comes procedat in pompa) huc adverte faciem, & ignoſce duobus in una. Nam tu reſtitues vita Dominam, illa me reſtituet. Sape ſedit tibi ſacra faciens ſtatutis diebus, quibus Gallica turba ſumit tuas lauros.

NOTÆ.

(o) *Siſtra*) Inſtrumenta erant ærea, argentea, vel aurea tinnula, in tympani formam; quibus in Iſidis ſacris utebantur Sacerdotes.

(p) *Anubidis*) Fuit Anubis Oſiridis filius, ſi Diodoro fides; quem plurimi Mercurium eſſe volunt: Hunc canino capite, vel quia illud fuit ſcuti inſigne; vel quia cane in Oſiridis interfecti corpore inveſtigando uſa fuit Iſis; Hunc inquam Poetarum *latratorem* & *ſemi-canem Deum*, Ægyptij haud vulgari religione colebant.

(q) *Pius*) *Mitis & bonus*; qui plurima beneficia in homines contulit.

(r) *Oſiris*) Hic qui & *Apis & Serapis* dictus eſt, Jovis filius ex Niobe Phoronei filia creditus eſt; quem a fratre Tiphone occiſum, pro Deo coluerunt Ægyptij. Atque hunc plerique Dionyſium ſeu Bacchum fuiſſe; alij alium voluerunt.

(ſ) *Pigraque*) Aut ſerpentum exprimit motum tardiorem; aut pigram dixit, quaſi quæ diu ſibi libatis dapibus blandiri voluerit, & per hoc grata fuiſſe oſtendere.

(t) *Donaria*) Dona ſunt quæ diis offeruntur, vel loca ubi ea reponuntur.

(u) *Serpens*) Scribit Macrobius lib. 1. Saturnal. ſimulacro Serapidis, qui idem eſt & Oſiris, ſignum adjungi tricipitis animantis, quod in medio Leonis, dextra parte canis, læva rapacis lupi caput referret; quæ omnia Draco circumvolutus implicabat capite redeunte ad Dei dexteram, qua formidabile monſtrum compeſcebatur. Eo alludere videtur hoc in loco noſter Poeta,

(x) *Apis*) Hic Oſiris eſt, quem ſub forma bovis ideo adorabant Ægyptij, quod in eum Oſiridis tranſmigraſſe animam crederent; cum illis Bos quidam, quem ſua lingua Apin vocant, præſtanti ſpecie, Oſiridis cadavere ſepulturæ mandato, apparuiſſet.

(y) *Huc*) Ad ægrotantem Corinnam,

(z) *Adhibe vultus*) Dij vero ſolo aſpectu juvant.

(a) *Sedit*) Hic multum variant codices; ſed veram lectionem, multis optime aſſeruit cl. Heinſius, qui idem oſtendit moris fuiſſe in templis ſedere ſacris operatis. Sed ſequenti verſu pro qua reponendum eſt *Queis*, ſicuti in vetuſtiſſimis exemplaribus legitur.

(b) *Certis*) *Statutis*: Recepta enim & Romæ fuerunt Iſidis ſacra.

(c) *Operata*) Proprie hoc verbo in ſacris utimur & ſignificat *ſacris operam dare*.

(d) *Queis*) Si clar. Heinſ. lectionem retinueris, qui pro *meruit*, repoſuit *ſedit*, omnino, *Queis* pro *qua* reponendum eſt; ut referatur ad *diebus*.

(e) *Lauros*) In victoriæ ſeu lætitiæ teſtimonium propter inventum Oſirin. Solebant enim Sacerdotes Iſidi ſacra celebrantes primo cum fletu procedere, deinde lauro coronati triumphantium more maxima cum lætitia redire: ſcilicet in ejus rei memoriam, quod interfectum a fratre Typhone, Iſis maritum & fratrem Oſirin diu quæſiviſſet, tandemque inveniſſet. Quæ figmenta, atque Ethnicorum execrandi Dij, magis oblivione ſepeliendi, quam nimia cura eruendi, nos nimis detinuerunt.

(f) *Gallica*) Galli dicti ſunt Iſidis ſacerdotes caſtrati, a Gallo Phrygiæ fluvio, cujus aquam potantes, eo uſque Veſaniæ procedebant ut ſibi viriles partes præciderent. Proprie vero Magnæ Deum matri tribuuntur iſti Sacerdotes Galli; ſed Illam, & Terram, & Iſidem, plurimis inſuper aliis appellatam nominibus, variarum gentium variis involutam fabulis unam & eandem fuiſſe volunt.

(g) *Turma*) Rectius in manuſcriptis codicibus legitur *turba*, inquit Marius Niger. Sed clar. Heinſius ex Puteaneo, aliiſque plurimis, maluit *turma*.

Tuque

Tuque laborantes utero miserata puellas,
Quarum (*h*) tarda (*i*) latens corpora tendit onus,
(*k*) Lenis ades, precibusque meis fave, (*l*) Ilithya,
Digna est, quam (*m*) jubeas muneris esse tui.
Ipse ego thura dabo fumosis (*n*) candidus aris:
Ipse feram ante tuos munera (*o*) vota pedes
Adjiciam (*p*) titulum, (*q*) SERVATA NASO CORINNA.
Tu modo (*r*) fac titulo muneribusque locum.
(*ſ*) Si tamen in tanto (*t*) fas est monuisse (*u*) timore:
(*x*) Hac tibi sit pugna dimicuisse (*y*) satis.

INTERPRETATIO.

Tu quoque Hilithya misereſcere ſolita puellarum utero laborantium, quarum occulta ſarcina inflat lenta corpora, mitis venito & exaudi meas preces. Digna eſt quam velis vivere opera tua. Ipſe ego purus immittam thura altaribus fumoſis: ipſe portabo ante tuos pedes dona votiva. Addam elogium, NASO LIBERATA CORINNA. *Tu modo da locum elogio & donis. Si tamen licet hortari in tanto metu; ſufficiat tibi certaſse hoc prælio,*

NOTÆ.

(h) *Tarda*) Scilicet tardiores ſunt gravidæ mulieres.

(i) *Latens*) Fœtum ſcilicet, aut puerulum.

(k) *Lenis*) *Propitia*; quomodo & Horatius Dianam compellat in carmine ſeculari: *Lenis Ilithya tuere matres.*

(l) *Ilithya*) Latinis Diana eſt, ſeu Juno Lucina, Dea parturientibus propitia.

(m) *Jubeas muneris*) Id eſt, quæ tuo munere vivat: quæ a te vitam muneris loco accipiat,

(n) *Candidus*) *Purus*, *Caſtus*: vel *in veſte candida & pura*, ut mos eſt ſacerdotum.

(o) *Vota*) *Quæ ego vovi.*

(p) *Titulum*) *Indicem*, *Elogium*, *Inſcriptionem.*

(q) *Servata Naſo*) Id eſt, Naſo; hæc Dianæ munera, ob ſervatam Corinnam, obtulit. Quæ vero titulis eſſe debeat brevitas ex hoc loco colligitur.

(r) *Fac titulo*) Id eſt, Corinnam ſerva.

(ſ) *Si tamen*) Ad Corinnam ſermonem convertit.

(t) *Fas eſt*) *Licet*. Sed fortius expreſſit, nam fas refertur ad Deos.

(u) *Timore*) Timebat Corinnæ ne moreretur. Atque ideo dixit Naſo *ſi fas*; quippe qui ipſe etiam reformidaret ne ex admonitione ingraveſceret Corinnæ morbus.

(x) *Hac pugna* Id eſt, hac vice conatam eſſe fœtum abigere; Metaphora eſt a re militari petita.

(y) *Satis*) *Adeoque caveat idem iterum tentare.*

ELEGIA XIV.

In amicam, quod abortivum ipſa fecerit.

QUid juvat immunes belli ceſsare puellas,
Nec fera (*a*) peltatas agmina velle ſequi.

INTERPRETATIO.

CUi bono puellas quieſcere vacantes a bello, nec peltis armatas velle ingredi ſæva agmina.

NOTÆ.

(a) *Peltat*) *Peltis armata*. Sunt autem peltæ ſcuta breviſſima, in modum ſemiplenæ Lunæ; quibus Amazones utebantur.

Si sine (*b*) Marte suis patiuntur vulnera telis,
Et (*c*) cæcas armant in sua (*d*) fata manus?
Quæ prima (*e*) instituit teneros convellere fœtus,
Militia fuerat digna perire sua.
(*f*) Scilicet, ut careat rugarum (*g*) crimine venter,
(*h*) Sternetur pugnæ tristis arena tuæ?
Si mos antiquis placuisset matribus idem;
Gens hominum (*i*) vitio deperitura fuit:
Quique iterum generis (*k*) jaceret (*l*) primordia nostri
In (*m*) vacuo lapides orbe, parandus erat.
(*n*) Quis Priami fregisset opes, si (*o*) numen aquarum
Justa recusasset (*p*) pondera ferre Thetis?
(*q*) Ilia si tumido geminos in ventre necasset,
Casurus (*r*) dominæ conditor Urbis erat.
Si venus Ænean gravida (*ſ*) temerasset in alvo;
(*t*) Cæsaribus tellus orba futura fuit.

INTERPRETATIO.

si sine Marte vulnerantur suis armis, & imprudentes armis instruunt manus in suam perniciem? quæ prima cœpit depellere fœtus teneros meruerat obire suo certamine. Videlicet ut alvus si sine vitio rugarum, luctuosa arena spargetur tuo certamini? Si eadem consuetudo arrisisset veteribus matribus; genus hominum fuit interiturum crimine: & quærendus erat qui denuo mitteret saxa, initia nostri generis in mundo inani. Quis disjecisset vires Priami, si Thetis numen aquarum noluisset justam sarcinam gestare? Si Ilia interfecisset gemellos in utero turgido, ædificator urbis Reginæ erat interiturus. Si Venus violasset Ænean sin pleno utero; terra futura est privata Cæsaribus.

NOTÆ.

(b) *Marte*) *Bello*. Deus pro re cui præest, per Metonym.

(c) *Cæcas*) Cæcas manus posuit pro ipsis puellis cæcis, quæ sibi a semetipsis mortem properari non vident.

(d) *Fata*) *Mortem*.

(e) *Instituit*) *Cœpit & docuit*. Refertur ad vocem sequentem *militia*.

(f) *Scilicet*) Ironia est.

(g) *Crimine*) *Turpidine*.

(h) *Sternetur*) Id est, *Opus erit ut pugnet, aut fœtum occidas*. Metaphora est a gladiatoribus, quibus in amphiteatro pugnaturis arena sternebatur, ut melius starent; deinde etiam ut ea sanguis occisorum biberetur, ne aut pugnantes cruore turparentur, aut cruor ipse spectatoribus horrorem incuteret.

(i) *Vitio*) *Culpa & crimine matrum*: quomodo & loquutus est Horatius.

(k) *Jaceret*) Id est, Alter Deucalion fuisset parandus, qui culpa matrum, amissum genus humanum repararet. Quomodo vero Deucalion & Pyrrha ejus uxor genus humanum jactis post terga lapidibus reparaverint videbimus postea Metamorph. lib. 1.

(i) *Primordia*) Fabulati sunt Poetæ ab illis hominibus qui ex jactis Deucalione & Pyrrha lapidibus orti sunt, frequentatum fuisse orbem terrarum.

(m) *Vacuo*) Hominibus per diluvium perditis, *iis destituto*.

(n) *Quis*) Quasi dicat *nullus*: Nam ab Achille præsertim Thetidis & Pelei filio attritæ fuerunt Trojanæ opes.

(o) *Numen aquarum Thetis*) Appositio: fuit enim ipsa Nerei marini Dei, ex Doride filia.

(p) *Pondera*) filium Achillem.

(q) *Ilia*) Numitoris regis filia, quæ & Rhea Sylvia dicta, Vestalis a Marte compressa, Romulum & Remum Romæ conditores, uno partu edidit.

(r) *Dominæ Urbis*) Romæ *scil.*

(ſ) *Temerasset*) *Temere & improbe abegisset, Violasset*.

(t) *Cæsaribus*) Ab Julo Æneæ filio natales repetebat primus imperatorum Julius Cæsar.

Ta

(*u*) Tu quoque, cum posses nasci, formosa, perisses;
Tentasset, quod tu, si tua mater opus:
Ipse ego, cum fuerim melius (*x*) periturus amando,
Vidissem nullos, matre necante, dies.
Quid (*y*) plenam fraudas vitem crescentibus uvis;
Pomaque crudeli vellis acerba manu?
Sponte (*z*) fluant matura sua: sine crescere nata.
Est pretium parvæ non leve (*a*) vita moræ.
Vestra quid (*b*) effoditis subjectis viscera telis;
(*c*) Et nondum natis dira venena datis?
(*d*) Coechida (*e*) respersam puerorum sanguine (*f*) culpant,
Atque sua cæsum matre queruntur (*g*) Ityn.
(*h*) Utraque sæva parens: (*i*) sed tristibus utraque causis
Jactura (*k*) socii sanguinis ulta virum.
(*l*) Dicite, quis Tereus, quis vos irritet Jason
(*m*) Figere sollicita corpora vestra manu.

INTERPRETATIO.

Tu quoque pulcra interiisses, cum posses nasci: si tua mater conata esset quod tu conata es. Ipse ego, cum melius fuerim interiturus amando, nullos aspexissem dies, matre interficiente. Quamobrem privas vitem gravem uvis crescentibus; & decerpis sæva manu poma immatura? Matura decidant sponte sua: patere orta augeri. Vita est merces non parva exiguæ moræ. Quamobrem eruitis vestra præcordia telis immissis: & præbetis sæva toxica nondum natis? Vituperant Colchida maculatam sanguine filiorum, & dolent Ityn interfectum a sua matre. Utraque mater crudelis: sed utraque propter graves causas ulta maritum dispendia communis sanguinis. Dicite, quis Tereus, quis Jason vos cogat fodere corpora vestra manu anxia?

NOTÆ.

(u) *Tu*) Corrinam alloquitur.

(x) *Periturus amando*) Dixit supra; *felix quem veneris certamina mutua perdunt*.

(y) *Plenam*) *Uvis onustam*. Crimen exaggerat.

(z) *Pluant*) *Cadant*.

(a) *Vita*) Nimirum vivit fœtus si in utero tempus suum expleat; nec matris accelerentur dies: si partus maturum tempus expectet.

(b) *Effoditis viscera*) Vide quam bene & nervose expresserit. Viscera vero sua quasi effodiunt prægnantes mulieres quæ venenis fœtum depellere tentant; atque etiam dicuntur nati *Viscera*.

(c) *Et nondum*) Ad novercarum morem alludit, quæ privignos veneno de medio tollere consueverunt.

(d) *Colchida*) Accusativus Græcus; Medeaque intelligitur. Nam a Colchis regione Asiæ, oriunda fuit; ubi Æetam regem patrem habuit. Pulcherrimo vero utitur argumento Poeta ad criminis exaggerationem.

(e) *Respersam*) Medea vero ira pariter & dolore amens, quod Creusam Creontis Corinthiorum regis filiam sibi prætulisset Jason Maritus, quos ex ipso natos habebat, obtruncavit.

(f) *Culpant*) Omnes; *scilicet*, qui illud factum noverunt.

(g) *Ityn*) Quomodo Progne, in Terei Mariti ultionem filium Ityn trucidaverit antea vidimus; & postea adhuc fusius videbimus.

(h) *Utraque*) Medea & Progne, *scil.*

(i) *Sed tristibus*) Ut majus sit earum crimen, quæ nulla de causa fœtus suos in utero violant.

(k) *Socii*) Sunt nimirum nati & maris & fœminæ sanguine orti.

(l) *Dicite quis Tereus*) Quasi dicat, *In maximo crimine estis, quæ a maritis non lacessitæ, sicuti a Jasone Medea, & Tereo Progne, in earum rabiem tamen inciditis.*

(m) *Figere*) Dixit modo *Vestra quid effoditis*, &c.

Hoc

Hoc neque in (*n*) Armeniis tigres fecere (*o*) latebris:
Perdere nec fœtus ausa leæna suos.
At (*p*) teneræ faciunt, sed non impune, pelluæ.
Sæpe, suos utero quæ necat, ipsa perit.
Ipsa perit, ferturque (*q*) toro (*r*) resoluta capillos:
Et clamant, (*ſ*) *Merito*, (*t*) qui modo cunque vident.
Ista sed ætherias vanescant dicta per auras:
(*u*) Et sint ominibus pondera nulla meis.
Di faciles, (*x*) peccasse semel concedite (*y*) tuto:
(*z*) Et satis est: pœnam culpa secunda ferat.

INTERPRETATIO.

Neque tigres illud præstiterunt, in lustris Armeniis: Nec Leæna aggressa perimere suos catulos. At molles puellæ id *agunt, sed non inultæ. Sæpe ipsa quæ interficit suos in ventre, moritur. Ipsa moritur, & effertur lecto sparsa coma: & exclamant quicunque saltem aspiciunt*, Merito. *Sed ista dicta discerpantur per ventos æthereos & nullum sit momentum meis præsagiis. Dii benigni date, semel deliquisse impune: id sufficit: secundum crimen exsolvat pœnas.*

NOTÆ.

(n) *Armeniis*) Est Armenia Asiæ regio novissima inter Taurum & mare Caspium. Tigribus abundans.

(o) *Latebris*) *Lustris*.

(p) *Teneræ*) Quæ adeo feris mitiores esse deberent.

(q) *Toro*) Alil *rogo*. Sed optime illud alterum ex duobus codicibus observavit clar. Heinsius; nam in toro seu lecto mortui efferebantur: quanquam & illa altera lectio bona est.

(r) *Resoluta capillos*) Pro *solutos habens capillos*: Prasi Græca.

(ſ) *Merito*) Scilicet ista periit.

(t) *Quimodocumque*) *Quicumque saltem vident*.

(u) *Et sint omin.*) Id est, *Absit ut ex iis quæ dixi quicquam in te mali redundet*: Antiqui enim in omnibus nimium solliciti erant.

(x) *Peccasse*) Quod a Corinna factum.

(y) *Tuto*) *Impune*.

(z) *Et satis est*) Clar. Heinsius scripserat, *Id satis est*; forte Micylli interpretationi faveret, qui ad præcedentia retulit, ut sensus sit *Et satis est semel peccasse*. Vulgarem vero lectionem potiorem duxi, sicque accipio, *satis est, Dii, si semel Corinna, mihique adeo ignoveritis, nec veniam peto si denuo peccet*.

ELEGIA XV.

Ad anulum, quem dono amicæ dedit.

Anule, formosæ digitum vincture puellæ,
In quo (*a*) censendum nil, nisi dantis amor;
Munus eas gratum, te læta mente receptum
Protinus (*b*) articulis induat illa suis.

INTERPRETATIO.

Anule circumdature digitum pulchræ puellæ, in quo nihil æstimandum nisi amor donantis, venias donum acceptum: illa statim hilari animo apponat receptum digitis suis.

NOTÆ.

(a) *Censendum*) Munus dicit non ex valore, sed ex dantis amore esse cognoscendum.

(b) *Articulis*) *Digitis*.

Tan-

Tam bene (*c*) convenias, quam mecum convenit (*d*) illi;
Et digitum (*e*) justo commodus (*f*) orbe teras.
Felix, a domina tractaberis, anule, nostra.
(*g*) Invideo donis jam miser ipse meis.
O utinam fieri subito mea munera possim
Artibus (*h*) Ææis, (*i*) Carpathiive senis!
Tunc ego (k) te dominæ cupiam tetigisse papillas,
Et (*l*) lævam tunicis inseruisse manum.
Elabar digito, quamvis angustus & (*m*) hærens;
Inque sinum mira laxus ab arte cadam.
Idem ego, ut arcanas possim signare tabellas,
Neve tenax ceram siccave gemma (*n*) trahat,
Humida formosæ tangam prius ora puellæ.
Tantum ne signem scripta (*o*) dolenda mihi.
Si (*p*) dabor, ut condar loculis; (*q*) exire negabo,
Adstringens digitos orbe minore tuos.
(*r*) Non ego dedecori tibi sim, mea vita, futurus;
Quodve tener digitus ferre recuset, onus.

INTERPRETATIO.

Tam apte cohareas quam illa mecum coharet; & facilis justo ambitu amplectaris digitum. Beate anule tangeris a Domina nostra. Infelix, ipse jam invideo meis muneribus. O utinam repente mutari possim in mea dona incantamentis Ææis, vel senis Carpathij! tunc ego optem te palpasse mamillas dominæ, & immisisse manum sinistram tunicis. Subtrahar digito, quamvis arctus & connexus; & fluens novo artificio decidam in gremium. Utinam idem ego possim sigillare tabellas secretas, & ne gemma adhærens, seu arida revellat ceram, ante tangam uda labia pulcra puellæ. Tantum ne signum apponam scriptis mihi lugendis. Si tradar ut server capsulis; recusabo egredi coarctans tuos digitos circulo breviore. Ego non sim tibi futurus dehonestamento, mea lux, vel pondus quo mollis digitus nolit gerere.

NOTÆ.

(c) *Convenias*) *Digito Corinnæ, nec laxus nec arctus, aptus sis.*

(d) *Illi*) Corinnæ *scil.*

(e) *Justo*) Illud est quod dixi, nec laxus decidat, nec arctus dolorem inferat.

(f) *Orbe*) Scilicet in orbem & circulum diductus est anulus.

(g) *Invideo*) Quia ipse potius quam anulus ad amicam esse maluisset.

(h) *Ææis*) Alij *Ææa*: Id est, Circes, Solis filiæ, maximæ veneficæ, & incantatricis.

(i) *Carpathij*) Carpathus insula est maris Mediterranei versus Ægyptum; quam quia relicta patria Proteus occupavit, ab ea cognominatus est. Fuit vero Proteus Neptuni & Phœnices filius, vel ut aliis placet, Oceani & Tethyos; Deus marinus in omnes sese formas transmutare callidus.

(k) *Te*) Anulum alloquitur; in quem seipsum transmutatum vellet.

(l) *Lævam*) Qua plerumque anuli gestantur.

(m) *Hærens*) *Tenaciter digitum premens.*

(n) *Trahat*) Si calidiori ceræ gemma, anulus, aut signum imprimatur, nisi prius paululum humectatum fuerit, adhæret: unde fit ut ad labia vel ad extremam linguam ea soleamus admovere. Satius est tamen, ut melius signum in cera recipiatur, expectare donec ea parum refrixerit.

(o) *Dolenda*) Amatorias puta ad rivalem litteras.

(p) *Dabor*) Ancillæ *scil.*

(q) *Exire*) Ex digitis *scil.*

(r) *Non ego*) Istud profecto lepidum. quasi jam ipse Poeta anulus factus sese ad dominam excusaret quod exire recusaret.

Me (*f*) gere, cum calidis perfunderis imbribus artus:
Damnaque sub gemma perfer euntis aquæ.

* * * *

Irrita quid voveo? parvum proficiscere munus.
Illa datam tecum sentiat esse fidem.

INTERPRETATIO.

Me feras cum ablueris membra aqua tepida; & tolera dispendia aquæ illabentis sub gemma. * * * * *Quid voveo inania? Discedito donum leve. Illa cognoscat fidem esse traditam tecum.*

NOTÆ.

(f) *Gere*) Mos vero est anulum digito detrahere, cum lavamus; ne gemmæ fulgorem aqua obscuret.

ELEGIA XVI.

Ad amicam, ut ad rura sua veniat.

PArs me (*a*) Sulmo tenet Peligni (*b*) tertia ruris;
Parva, sed (*c*) irriguis (*d*) ora salubris aquis.
Sed licet (*e*) admoto tellurem sidere (*f*) findat,
Et micet (*g*) Icarij stella (*h*) proterva canis;
Arva (*i*) pererrantur Peligna liquentibus undis:
Et viret in (*k*) tenero fertilis herba solo.

INTERPRETATIO.

SUlmo; pars tertia agri Peligni me habet; exigua quidem *regio, sed salubris aquis scaturientibus. Quamvis Sol hiare cogat terram sidere appropinquante, & stella infesta canis Icarij splendeat: campi Peligni irrigantur aquis fluentibus: & gramen virescit in molli humo.*

NOTÆ.

(a) *Sulmo*; Patria fuit Poetæ; a qua Sulmonensis dictus est. Oppidum fuit in Pelignis, distans ab urbe nonaginta millibus passuum.

(b) *Tertia*) A Plinio quoque Peligni in tres populos, Corfinienses, Superequanos, & Sulmonenses, dividuntur.

(c) *Irriguis*) *Ad irrigandum aptis*. Alias irriguum est, quod irrigatur.

(d) *Ora*) *Regio*.

(e) *Admoto*) Quod fit æstate, quo tempore non obliqui, sed directi Solis radij majorem terris calorem immittunt.

(f) *Findat*) Nimio æstu solet terra hiare.

(g) *Icarij*) Istud accepit cognomen Canicula, seu *Sirius* stella, quia in eam transmutatus dicitur a Baccho Icari canis, Mœra dicta ut ipse in Arcturum. Quam fabulam videbis, si lubet apud Hyginum: nam nugas hujuscemodi sæpius repetere vanum est.

(h) *Proterva*) *Maligna perniciosa*: quæ calores dicitur intendere.

(i) *Pererrantur*) Scilicet ob terræ inæqualitatem cursum suum obliquum habent rivi.

(k) *Tenero*) Propter herbas.

Terra

Terra ferax (*l*) Cereris, multoque feracior uvæ:
Dat quoque (*m*) bacciferam (*n*) Pallada (*o*) gratus ager:
Perque (*p*) resurgentes rivis labentibus herbas
(*q*) Gramineus madidam cespes obumbrat humum
At meus (*r*) ignis abest: verbo peccavimus uno:
(*ſ*) Quæ movet ardores, est procul; (*t*) ardor adest.
Non ego, (*u*) si medius Polluce, & Castore ponar,
(*x*) In cæli sine te parte fuisse velim.
Solliciti jaceant, terraque (*y*) premantur iniqua,
(*z*) In longas orbem qui secuere vias.
(*a*) Aut juvenum comites jussissent ire puellas,
Si fuit in longas terra secanda vias.
Tum mihi, si premerem ventosas (*b*) horridus (*c*) Alpes,
(Dummodo cum domina) molle fuisset iter.
Cum domina Lybicas ausim (*d*) perrumpere Syrtes,
Et dare non (*e*) æquis vela ferenda Notis.

INTERPRETATIO.

Tellus fertilis segetis, & multo fertilior uva; fundus gratus præbet quoque oleas bacciferas: & cespes herbibus per gramina renascentia rivis fluentibus tegit solum. At meus amor est procul: deliquimus una voce. Quæ accendit ignem, abest; æstus adest. Si ego collocer medius inter Pollucem & Castorem, recusem fuisse in sede cælesti sine te. Anxii jaceant, & urgeantur terra molesta, qui diviserunt orbem in prolixas vias. Aut imperassent puellas comitari adolescentes, si terra fuit dividenda in prolixas vias. Tum, si frigidus calcarem Alpes ventis perflatas, dummodo cum Domina, via mihi fuisset suavis. Ausim pervadere Syrtes Lybicas cum domina, & tradere vela impellenda Austris adversis.

NOTÆ.

(l) *Cereris*) *Tritici*: cui frugum mater mitissima præesse dicitur Ceres.

(m) *Bacciferam*) *Ferentem Baccas*, olivas.

(n) *Pallada*) *Oleam*; quam Pallas seu Minerva invenisse dicitur.

(o) *Gratus*) Alii *rarus*; id est cujus terra non est spissa.

(p) *Resurgentes*) *Crescentes* exponunt. Forte putandum est ibi herbas pedibus proculcatas, ex soli feracitate statim resurgere. Intelligas saltem majus quid a Poeta dici quam *crescentes*.

(q) *Gramineus*) *Gramine plenus*, *seu consitus*.

(r) *Ignis*) Pro Amore & Amica potest sumi; adeoque ex amphibologia illa subjungit *verbo peccavimus uno*; quod ipse postea exponit Poeta, cum dicit. *Quæ movet ardores*, &c.

(ſ) *Quæ movet*) *Corinna meus ignis est procul*.

(t) *Ardor*) *Amor*, *qui ignis est*, *adest*:

(u) *Si medius Polluce*) Pro *inter Pollucem & Castorem*: qui fratres per viam in regni administratione maxime concordes, conversi sunt in Geminos, signum Zodiaci, quod est inter Taurum & Cancrum. adeo magnum, ut cum alter occidat, jam oriatur alius: unde alternatim vivere dicuntur.

(x) *In cæli parte*) *In sede cælesti*, *in cælo*.

(y) *Premantur*) Ex veteri superstitione loquitur, quasi mortuorum ossa sentire quid possent: aut ex eo aliquid in animas redundare intelligeretur.

(z) *In longas*) Ineptum videtur istud.

(a) *Aut*) *At* Puteaneus, & multi alii.

(b) *Horridus*) *Frigore deformatus*,

(c) *Alpes*) Montes sunt altissimi, & notissimi Galliam & Germaniam ab Italia dividentes.

(d) *Perrumpere*) *Per vim maximam transire*. De Syrtibus vero antea vidimus.

(e) *Æquis*) *Propitiis*, *faventibus*.

Non,

Non, *(f)* quæ virgineo *(g)* portenta ſub inguine latrant,
Nec timeant veſtros, curva *(h)* Malea, ſinus:
Non qua ſubmerſis ratibus ſaturata *(i)* Charybdis
Fundit, & effuſas ore reſorbet aquas.
(k) Quod ſi *(l)* Neptuni *(m)* ventoſa potentia *(n)* vincit,
Et ſubventuros auferet unda Deos;
Tu noſtris niveos humeris impone lacertos,
Corpore nos *(o)* facili dulce feremus onus,
Sæpe petens *(p)* Hero *(q)* juvenis tranaverat undas.
(r) Tunc quoque tranaſſet, ſed via *(ſ)* cæca fuit.
(t) At ſine te, quamvis *(u)* operoſi vitibus agri
Me teneant, quamvis amnibus arva *(x)* natent,
Et *(y)* vocet in rivos *(z)* parentem ruſticus undam,
Frigidaque arboreas mulceat aura *(a)* comas;

INTERPRETATIO.

Non expa·eam monſtra quæ fremunt ſub femore virgineo; nec veſtros receſſus, curva Malea: non qua parte *Charybdis expleta navibus abſorptis, emittit, & retrahit aquas ore emiſſas. Quod ſi procelloſa vis Neptuni ſuperat, & fluxus abripiunt Deos opem laturos; tu immitte brachia candida noſtris humeris: nos geſtabimus corpore expedito ſuave pondus. Sæpe juvenis inviſens Hero trajecerat fretum. Tunc quoque trajeciſſet; ſed via fuit obſcura. At ſine te, quamvis campi difficiles vitibus me detineant, quamvis prata irrigentur amnibus, & agricola derivet aquam ſequacem, & ventus frigidus ſtringat frondes arboreas.*

NOTÆ.

(f) *Quæ virgineo*) Scyllam deſcribit, Phorci filiam, in caninos & lupinos rictus, Circes veneficiis inferne mutatam: quæ cum ſe in Siculum mare præcipitem egiſſet, ibi ſcopulum effecit naufragiis infamem: ubi reciprocante maris æſtu & undarum colliſione canes & lupi ululare videntur. Quæ omnia ante vidimus, & deinceps recurrent.

(g) *Portenta*) Canes & lupos intelligit: quos modo indicavimus.

(h) *Malea*) Promontorium eſt Laconicæ, ubi mare periculoſiſſimum: unde Proverbium. *Cum ad Maleam deflexeris domeſticos obliviſcere.*

(i) *Charybdis*) Fœmina fuiſſe dicitur voraciſſima, quæ quia boves Herculis rapuit a Jove fulminata, & in mare præcipitata, in Siculo mari, e regione Scyllæ conveniente Metamorphoſi voraginem effecit.

(k) *Quod ſi*) Vide quomodo imaginatione ſua auferatur Poeta: Perinde loquitur ac ſi cum amica naufragium eſſet paſſurus.

(l) *Neptuni*) *Maris.*

(m) *Ventoſa*) Scilicet in mari vis ventorum maxima.

(n) *Vincit*) Ita ut navis ſubmergatur.

(o) *Facili*) *Ad notandum paratiſſimo, & quaſi leviſſimo.*

(p) *Hero*) Accuſativus eſt Græcus. Quæ vero fuerit Hero ex Leandri epiſtola ſatis ſuperque ſupra vidimus.

(q) *Juvenis*) Leander.

(r) *Tunc*) Cum undis obrutus periit.

(ſ) *Cæca*) Extincta, ſcilicet lucerna, qua in ſumma turri ab Hero poſita, Leander natatum dirigebat.

(t) *At ſine te*) Cum ſupra affirmaverit Poeta, ſe cum domina vel in aſperrimis locis bene victurum; nunc contra amœniſſima ſine ea ingratiſſima dicit.

(u) *Operoſi*) Qui me multa opera detinent.

(x) *Natent*) Hyperbole eſt: plus dicis quam res eſſe poteſt.

(y) *Vocet*) *Educat.* Multum vero & iſtud ad ruris amœnitatem confert.

(z) *Parentem*) Alii *currentem*.

(a) *Comas*) *Frondes*; quæ ſunt veluti arborum comæ.

Non

Non ego Pelignos videor *(b)* celebrare salubres:
Non ego *(c)* natalem rura paterna locum;
Sed *(d)*Scythiam, *(e)* Cilicasque feros, *(f)* viridesque *(g)* Britannos,
(h) Quæque *(i)* Prometheo saxa cruore rubent.
Ulmus amat vitem, vitis non deserit ulmum.
Separor a domina cur ego sæpe mea?
At mihi te comitem *(k)* juraras usque futuram,
Per me, perque oculos sidera nostra tuos.
Verba puellarum, foliis leviora caducis,
Irrita, quo visum est, ventus & unda ferunt.
Si qua mei tamen est in te pia cura relicti;
(l) Incipe pollicitis addere facta tuis:
Parvaque quamprimum *(m)* rapientibus *(n)* esseda *(o)* mannis
(p) Ipsa per *(q)* admissas *(r)* concute lora *(f)* jubas.
At vos, qua *(t)* veniet, tumidi *(u)* subsidite montes:
Et faciles curvis vallibus este viæ.

INTERPRETATIO.

ego non videor frequentare Pelignos salubres; ego non videor frequentare *solum natale agros paternos: sed Scythiam, & asperos Cilices, & virides Britannos, & rupes quæ rubent sanguine Prometheo. Ulmus diligit vitem, vitis non destituit ulmum. Quamobrem ego sejungor sæpe a mea Domina? Et mihi juraveras per me & per oculos tuos nostra astra te semper* mihi *venturam comitem. Aura & fluctus abripiunt dicta inania puellarum leviora foliis defluentibus. Si quis tamen est in te prius amor mei destituti; incipe adjicere facta tuis promissis: &. ipsa quam primum, mannis celeriter trahentibus parva esseda, agita habenas per jubas incitatas. At vos colles turgidi qua vehetur, deprimimini; & viæ estote expedita in curvis vallibus.*

NOTÆ.

(b) *Celebrare*) *Frequentare. Non mihi in amœnis Pelignis esse videor.*

(c) *Natalem locum rura paterna*) Appositio.

(d) *Scythiam*) Aspera est & inculta Asiæ itemque Europæ regio, ad Septentrionem spectans.

(e) *Cilicasque*) Fuerunt Cilices Asiæ minoris populi Pyratica & morum feritate celebres.

(f) *Viridesque*) Omnes, inquit Cæsar, 5. Bell. Gall. *Britanni Vitro se seu Glasto herba, inficiunt, cæruleum efficit colorem; hoc horribiliores in pugna aspectu.*

(g) *Britannos*) Anglos hodie appellamus.

(h) *Quæque*) Caucasum dicit montem in Asiæ Septentrionali parte editissimum: ubi religatus Prometheus Aquilæ corrodendum jecur cum præbuerit illum sanguine infecit.

(i) *Prometheo*) Fuit Prometheus, ex quo adjectivum *Prometheus*, Iapeti filius, qui ob ignem ætherea domo subductum, ut loquitur Horat. in Caucaso Jovis jussu a Mercurio religatus est: ubi jecur ejus assidue Aquila rostro depasceret.

(k) *Juraras*) Plurimi *jurabas*; quod non minus placet quam *juraras*; sed istud maluit clar. Heins.

(l) *Incipe pollicitis*) *Fac sis nunc promissa appareant*, ut loquitur Terentius.

(m) *Rapientibus*) *Celeriter trahentibus.*

(n) *Esseda*) Currus sunt Gallorum, quibus molliter vehuntur puellæ.

(o) *Mannis*) Minores sunt equi, admodum agiles.

(p) *Ipsa*) *Tu.*

(q) *Admissas*) *Concitatas.*

(r) *Concute*) Ut eo ad celeriorem cursum equi incitentur.

(s) *Jubas*) Pro ipsis mannis, Synecdochen partis pro toto.

(t) *Veniet*) Corinna, *scilicet.*

(u) *Subsidite*) Per planum vero aut leviter declivem vallem facilius currus trahitur.

FLE-

ELEGIA XVII.

Quod Corinnæ soli sit serviturus.

SI quis erit, qui turpe putet servire puellæ;
Illo convincar judice turpis ego.
Sim (*a*) licet infamis; dum me moderatius urat,
(*b*) Quæ Paphon, & (*c*) fluxu pulsa (*d*) Cythera tenet:
Atque utinam dominæ miti quoque (*e*) præda fuissem;
Formosæ quoniam præda futurus eram.
Dat (*f*) facies animos: facies (*g*) violenta Corinnæ
(Me miserum!) cur est tam bene nota sibi?
Scilicet a speculi sumuntur imagine fastus;
(*h*) Nec nisi compositam se prius illa videt.
Non tibi si facies nimium (*i*) dat in omnia regni;
(O facies oculos nata tenere meos!)
(*k*) Collatum idcirco tibi me contemnere debes:
(*l*) Aptari magnis inferiora licet.
Creditur & Nymphe (*m*) mortalis amore (*n*) Calypso
Capta (*o*) reluctantem detinuisse virum.

INTERPRETATIO.

SI aliquis erit, qui indecorum credat servire puellæ; ego coarguar infamis illo judice. Sim licet turpis; modo quæ colitur Paphi, & Cytheris perculsis undis, me minus torqueat. Atque utinam præda etiam fuissem leni dominæ, quandoquidem venturus eram præda pulcræ. Pulcritudo præbet fastus. Quamobrem (me miserum!) superba forma Corinnæ est sibi tam perspecta? Nempe superbia inducitur ab effigie speculi; nec illa se spectat nisi ante ornatam. Si pulcritudo tibi tribuit nimium imperii in omnia; (o vultus factus ad retinendum meos oculos!) non ideo me tibi comparatum debes aspernari. Licet minora componi magnis. Nympha etiam Calypso correpta amore mortalis putatur moras objecisse viro repugnanti.

NOTÆ.

(a) *Licet*) Concedentis est.

(b) *Quæ Paphon*) Venus est, quæ Paphi in Creta insula celebre fanum habuit.

(c) *Fluctu*) *Undis maris.* Insulæ vero undique fluctibus pulsantur.

(d) *Cythera*) *Cythera, orum*, nomen est insulæ contra Cretam positæ, ad occasum.

(e) *Præda fuissem*) Id est, *servirem dominæ minus superbæ.*

(f) *Facies*) *Faciei venustas Corrinam superbam facit.*

(g) *Violenta*) *Superba; quæ etiam mihi vim facit.*

(h) *Nec nisi compos.*) Innuit Poeta, quod puellæ si se incomtas viderent, minus sibi placerent, & minus superbirent.

(i) *Dat in*) Id est, *facit ut aliis imperite.*

(k) *Collatum*) *Comparatum.*

(l) *Aptari*) *Componi.*

(m) *Mortalis*) Ulyssis *scil.* quem ad se tempestate delatum Calypso dicitur usque adeo amasse, ut illi immortalitatem, si secum diutius manere voluisset, pollicita fuerit.

(n) *Calypso*) Hesiodo Oceani & Tethyos, Homero Atlantis fuit filia,

(o) *Reluctantem*) Qui Jovis jussu discedere coactus est.

Cre-

Creditur æquoream (p) Phthio (q) Nereida Regi,
(r) Egeriam justo concubuisse Numæ;
(s) Vulcano Venerem: quamvis, (t) incude (u) relicta,
Turpiter (x) obliquo claudicet ille pede.
Carminis (y) hoc ipsum genus (z) impar: sed tamen apte
Jungitur (a) herous cum breviore (b) modo.
Tu quoque me, mea lux, in quaslibet accipe leges.
Te deceat medio jura dedisse toro.
(c) Non tibi crimen ero, nec quo lætere remoto.
Non erit hic nobis (d) inficiandus amor.
(e) Sint tibi pro magno felicia carmina censu:
Et (f) multæ per me nomen habere volunt.
Novi aliquam, quæ se (g) circumferat esse (h) Corinnam.
(i) Ut fiat, quid non illa dedisse velit?

INTERPRETATIO.

Existimant marinam Nereida latus cum Rege Phthio conservisse; Egeriam cum justo Numa, Venerem cum Vulcano; quamvis incude omissa, ille indecore claudicet pede distorto. Hoc ipsum genus carminis est inæquale; sed tamen heroicus concinne connectitur cum breviore versu. Tu quoque, mea vita, me admitte in quascunque conditiones. Te deceat imposuisse leges medio lecto. Non ero tibi dedecus, nec quo rejecto gaudeas. Hic amor non erit nobis abnegandus. Versus eleganter sint tibi pro magno reditu: plurimæ etiam cupiunt famam consequi per me. Quandam scio, quæ jactet se esse Corinnam. Quid illa non cupiat dedisse, ut fiat?

NOTÆ.

(p) *Phthio*) Peleo; qui Phthiæ regnavit, quod oppidum fuit Thessaliæ.

(q) *Nereida*) Thetis est Nerei filia pulcherrima, mater Achillis.

(r) *Egeriam*) Fuit hæc Aricini nemoris Nympha, cum qua Numa Pompilius secundus Rex Romanorum sibi nocturnos congressus esse simulavit:

(s) *Vulcano*) Fuit ille Veneris maritus, Jovis ex Junone filius, ut plurimis placet, quo ignis intelligitur, aut calor, sine quo nulla fieri potest generatio.

(t) *Incude*) Hanc inseruit Poeta, ad indicandam artis vilitatem, quæ etiam amantem contemnendum facit.

(u) *Relicta*) Non enim videtur claudus, dum apud incudem se exercet.

(x) *Obliquo*) *Distorto*.

(y) *Hoc ipsum*) De carmine Elegiaco loquitur; quo genere hæc ipsa scripta sunt quæ nunc excutimus.

(z) *Impar*) Quia Hexametro supponitur brevius Pentametrum.

(a) *Herous*) Hexametrum, quo in Heroum describendis factis utuntur.

(b) *Modo*) *Carmine*.

(c) *Non tibi crimen*) *Non tibi ignominiam, aut dedecus afferam*.

(d) *Inficiandus*) *Inficiari*, sive *inficias ire* est *negare*.

(e) *Sint tibi*) Hanc lectionem ex tribus scriptis amplexus est clar. H insius. Attamen vulgatam *sunt mihi* confirmare videntur quæ sequuntur.

(f) *Multæ*) Puellæ, scil.

(g) *Circumferat*) *Ubique jactet se esse Corinnam; ut quacumque laudem amicæ meæ meis versibus tribui, ipsa sibi arroget*.

(h) *Corinnam*) Nempe aliud fuit puellæ nomen quam Poeta amavit, illudque ipsi dederat, vel ipsa sumserat, ut celaretur.

(i) *Ut fiat*) *Corinna* scil. *tantis laudibus a me celebrata* At vero ingeniose admodum rationes confundit Poeta, quamobrem aliqua puella Corinna esse optaverit; fuerit nempe nonnulla quam ipsa Corinna vellet esse Corinnam fateretur, siquidem Corinna Imperatoris filia fuerit.

(*k*) Sed neque (*l*) diversi ripa labuntur eadem
Frigidus Eurotas, populiferque Padus;
Nec, nisi tu, nostris cantabitur ulla libellis;
Ingenio causas tu dabis una meo.

INTERPRETATIO.

Sed neque gelidus Eurotas & populifer Padus dissiti fluunt eadem ripa; nec, nisi tu, ulla celebrabitur nostris libellis. Tu sola prabebis materiam meo ingenio.

NOTÆ.

(k) *Sed neque*) *Quemadmodum*, inquit, *Eurotas & Padus diversi, una & eadem ripa fluere non possunt: sic tu sola, non alia, meis carminibus celebraberis.*

(l) *Diversi*) Alter enim Eurotas *scil.* fluvius est Laconiæ, qui urbem Spartam præterfluit: Padus vero, quem Græci Eridanum appellant, in Gallia est Cisalpina.

ELEGIA XVIII.

Ad Macrum, quod de amoribus scribat.

(*a*) CArmen ad (*b*) iratum dum tu (*c*) perducis Achillen,
(*d*) Primaque (*e*) juratis (*f*) induis arma (*g*) viris;
Nos, (*h*) Macer, ignava Veneris cessamus in (*i*) umbra:
Et tener ausuros grandia frangit Amor.
Sæpe meæ, *Tandem*, dixi, *discede*, puellæ:
In gremio sedit protinus illa meo.
Sæpe, *Pudet*, dixi: lacrymis vix illa retentis,
Me miseram! jam te, dixit, *amare pudet?*

INTERPRETATIO.

D*Um tu promoves carmen usque ad Achillem infensum; & admoves prima arma viris conjuratis; nos, Macer, quiescimus in umbra inerti Veneris: & mollis Cupido* nos *mollit aggressuros heroica. Sæpe dixi meæ puellæ,* concede denique: *illa statim sedit in meo sinu. Sæpe dixi*, pudore suffundor: *illa vix fletibus repressis*, me miseram! *dixit*, jam tibi pudori est amare?

NOTÆ.

(a) *Carmen*) Latinis carminibus Homeri Iliadem complecti assumserat Macer.

(b) *Iratum*) Ab Achillis ira carmen suum orsus est Homerus.

(c) *Perducis*) Non tamen Homeri Iliadem in Latinum sermonem vertit Macer, sed argumentum auxit, & plurima ab Homero relicta absolvit: Adeoque bene dicit Naso, *dum tu perducis carmem ad iratum Achillem*, id est, ad Homeri Iliados exordium, *& omnia evolvis quæ Achillis iram præcesserant.*

(d) *Primaque*) Qui juraverunt in Aulide Principes Græci, se non ante reversuros quam Troja capta esset, primi fuerunt, qui belli illud genus, quod postea *Conjuratio* dictum est, gesserunt: Quanquam adeo diversa fuit militia quam Romani conjurationem vocaverunt, ut verius dixerimus hic tantum ad eam esse allusionem.

(e) *Juratis*) Activa posita est hoc loco vox ista, ut etiam alibi; quod notandum.

(f) *Induis*) Hoc ad Macri laudem: quasi non ipse narrare, aut quod ab Homero scriptum sit repetere, sed rem gerere videatur.

(g) *Viris*) *Induis prima arma juratis viris*; id est, *describis ea quæ gesta sunt, cum primum Viri jurati sumserunt arma.*

(h) *Macer*) Fuit ille Veronensis Poeta non contemnendus, Nasoni amicissimus, cum quo in Asiam & in Siciliam navigavit; Cujus opera interierunt.

(i) *Umbra*) Mire otium pingit.

In-

Implicuitque ſuos circum mea colla lacertos:
Et, quæ me *(k)* perdunt, oſcula mille dedit.
Vincor, & ingenium ſumtis revocatur ab *(l)* armis:
Reſque domi geſtas & *(m)* mea bella cano.
(n) Sceptra tamen ſumpſi; curaque *(o)* Tragœdia noſtra
Crevit: & *(p)* huic operi *(q)* quamlibet aptus eram.
(r) Riſit amor, *(ſ)* pallamque meam, pictoſque *(t)* cothurnos,
Sceptraque privata *(u)* tam cito ſumta manu.
(x) Hinc quoque me dominæ *(y)* numen deduxit *(z)* iniquæ:
Deque *(a)* cothurnato vate triumphat Amor.
(b) Quod licet, aut Artes teneri *(c)* profitemur Amoris:
(Hei mihi! præceptis urgeor ipſe meis)
(d) Aut, quod Penelopes verbis reddatur Ulyſſi,
Scribimus: aut *(e)* lacrymas, Pylli *(f)* relicta, tuas.

INTERPRETATIO.

Admovit ſua brachia meo collo; & præbuit mille ſuavia quæ me enecant. Frangor; & animus retrahitur ab armis ſumtis: & celebro facta domeſtica, & mea bella. Cepi tamen ſceptra, & Tragœdia aucta eſt noſtra cura; & quantumvis idoneus eram huic operi. Cupido riſit & meam pallam, & pictos cothurnos, & ſceptra tam cito manu privata correpta. Numen quoque inſenſæ Dominæ me inde retraxit; & amor triumphum agit de poeta cothurnato. Vel, quod licet, artes perſequimur mollis amoris: (hei mihi! ipſe ſolicitor meis monitis) vel componimus quod tradatur Ulyſſi nomine Penelopes; vel lacrymas tuas, Phylli deſtituta.

NOTÆ.

(k) *Perdunt*) Voluptate quaſi enecant.

(l) *Armis*) Ea omnia intellige, quibus in ſcribendis carminibus heroicis opus eſt.

(m) *Mea*) Amatoria, *ſcil.* quæ certe nonnunquam graviſſima ſunt, & aliorum cauſa.

(n) *Sceptra*) Quaſi ille, dum regum facta in Tragœdia ſcripſit, Rex ipſe fuiſſet.

(o) *Tragœdia*) Medeam compoſuit, quæ temporum injuria periit; de qua ſic Quintilianus: *Ovidii Medea mihi videtur oſtendere quantum ille Vir præſtare potuerit, ſi ingenio ſuo temperare, quam indulgere maluiſſet.*

(p) *Huic operi*) *Tragœdiis ſcribendis.*

(q) *Quamlibet*) *Quantumvis.*

(r) *Riſit*) *Qui me ita regio apparatu ornatum vidit.* Perinde loquitur ac ſi revera rex eſſet, quia eorum quæ ſunt deſcribit: Et certe quanquam multum verba a factis diſtent, & Rex ab eo, qui Regia ſcribit: non tamen ad regnandum ineptus eſſet, qui regere quid ſit, perſpectum habuerit.

(ſ) *Pallamque*) Palla veſtis erat demiſſa, qua indutæ perſonæ in fabulis inducebantur.

(t) *Cothurnos*) Calceamentum erat in Tragœdia.

(u) *Tam cito*) Utpote qui ex levibus elegis & amatoriis nugis, ſubito ad grandem Tragœdiæ ſtylum, & ſublimem materiam tranſcurriſſet. Ingenioſiſſime vero & lepidiſſimæ hæc omnia tractat Poeta.

(x) *Hinc*) *A ſceptris & omni regio cultu:* id eſt a ſcribendis tragœdiis: quod amicæ debuerit eſſe gratiſſimum.

(y) *Numen*) Amantes vero, ut & alii alia, non ſine maximo crimine, puellas ſuas adorant.

(z) *Iniquæ*) *Iratæ, Inſenſæ.*

(a) *Cothurnato*) Id eſt, *qui Tragœdias ſcriberet:* nam, ut diximus, cothurnis in agenda Tragœdia utebantur.

(b) *Quod licet*) Profiteri, *ſcil.* & ſcribere.

(c) *Profitemur*) Proprie dixit atque Profeſſores dicuntur qui in Artibus ſunt eruditi, aut eas publice docent; quemadmodum & Naſo amandi artem: quam hinc inchoatam non perfectam, forte non male concludas.

(d) *Aut quod Penelopes*) Hæc omnia ex præcedentibus clara ſunt; quædam enim opera ſua Poeta memorat, epiſtolas *ſcilicet*, quarum prima eſt, quam Penelopen ad Ulyſſem ſcripſiſſe finxit.

(e) *Lacrymas*) *Epiſtolam Phyllidis, quam* vidimus, *lacrymis plenam.*

(f) *Relicta*) *A Demophoonte.*

(*g*) Quod Paris, & (*h*) Macareus, & quod male gratus (*i*) Jafon,
(*k*) Hippolytique parens, (*l*) Hiqpolytufque legant:
(*m*) Quodque tenens ftrictum Dido miferabilis enfem
Dicat, & (*n*) Æoliœ (*o*) Lesbis (*p*) amica lyræ.
(*q*) Quam celer (*r*) e toto (*ſ*) rediit (*t*) meus orbe (*u*) Sabinus
Scriptaque diverfis rettulit ille locis!
(*x*) Candida Penelope fignum (*y*) cognovit Ulyffis;
Legit ab Hippolyto fcripta (*z*) noverca fuo.
Jam pius Æneas miferæ refcripfit (*a*) Eliffæ:
Quodque legat Phyllis, fi (*b*) modo vivit, habet.

INTERPRETATIO.

Quod Paris, & Macareus, & quod ingratus Jafon, & pater Hippolyti, & Hippolytus legant; & quod flebilis Dido gladium nudatum tractans proferat, & Lesbis amica lyra Æolia. Quam velox reverfus eft meus Sabinus ex omnibus terris, & ille reportavit exarata diverfis locis! Pudica Penelope agnovit fignum Ulyffis; noverca legit exarata a fuo Hippolyto. Jam pius Æneas refpondit infelici Elyffæ: & Phyllis habet quod legat, fi modo vita fruitur.

NOTÆ.

(g) *Quod Paris*) Epiftbla eft Oenones ad Paridem.

(h) *Macareus*) Ad quem Canaces fororis epiftolam vidimus.

(i) *Jafon*) Duplicem ille accepit, alteram ab Hypfipyle, alteram a Medea: fed ex fequentibus non male concludas de illa priore intellexiffe Poetam, cum forte Medeæ nondum fcripta effet.

(k) *Hyppolytique par.*) Thefeus eft: ad quem fcripfit Ariadne.

(l) *Hippolytufque*) Ad quem fcripfit Phædra noverca.

(m) *Quodque*) Supple *Scribimus*. Didonis ad Ænean epiftolam intelligit; in qua fic ipfa Dido.

Scribimus, & gremio Troicus enfis adeft.

(n) *Æolia*) Alii *Aonia habent*: Alii *Aonio Lesbis amata viro*. Epiftolam Sapphus ad Phaonem intelligit Poeta, *Scripfimus*, inquit, *quod Lesbis, amica lyra. Æolia dicat Phaoni fcilicet*. Æolia vero dicitur Sapphus lyra, quia in Infula Lesbo Sapphus patria Æolica lingua utebantur: fuitque Lesbos Æolicarum urbium Metropolis altera.

(o) *Lesbis*) Sappho eft, a patria Lesbo, maris Ægæi Infula, fic dicta.

(p) *Amica*) Quia ad lyram accomodatos verfus fcripfit.

(q) *Quam celer*) Hæc interrogatio celeritatis habet admirationem.

(r) *E toto*) Hoc dicit quia in diverfiffimas orbis partes, ad remotiffimos heroas, puellarum nomine fcripferat Ovidius; cujus epiftolis refpondiffe Sabinum ex hoc loco patet.

(ſ) *Rediit*) Suaviter dicit Sabinum, amicum fuum, quia Heroidum epiftolis refpondentes epiftolas fcripfit, eas, veluti tabellarium, ex toto orbe retuliffe.

(t) *Meus*) Amicus *fcil.*

(u) *Sabinus*) Fuit is eques Romanus; Poeta celeberrimus, Nafoni amiciffimus, qui p..ter epiftolas, quæ hic a Nafone recenfentur quædam alia fcripfit; quæ una cum his epiftolis temporum injuria perierunt.

(x) *Candida*) *Innocens & pudica.*

(y) *Cognovit*) Perinde eft, ac fi diceret, refcripfit Penelope; refcripfit ejus nomine Sabinus.

(z) *Noverca*) Phædra eft.

(a) *Eliffa*, Fuit *Eliffa* Didonis nomen proprium. *Dido* lingua Phœnicia cognomen quod Viraginem fignificat.

(b) *Si modo vivit*) Hoc ideo dicit, quod fabulati fint Poetæ, eam cum fruftra diutius Demophoontem fuum expectaffet, feque ab ipfo fpretam exiftimaffet, amoris exagitatam furiis, laqueo vitam finiiffe.

(c) Tai-

(*c*) Tristis ad Hypsipylen ab Jasone (*d*) littera venit:
(*e*) Det votam Phœbo Lesbis (*f*) amata lyram.
Nec tibi ((*g*) qua tutum vati, Macer, arma canenti)
(*h*) Aureus in (*i*) medio Marte tacetur Amor.
Et Paris est (*k*) illic, & (*l*) adultera (*m*) nobile (*n*) crimen,
Et (*o*) comes extincto Laodamia viro.
Si bene te novi; non bella libentius (*p*) istis
Dicis: & a (*q*) vestris in (*r*) mea castra (*ſ*) redis.

INTERPRETATIO.

Luctuosa epistola pervenit ad Hypsipylen a Jasone: Lesbis dilecta suspendat lyram promissam Phœbo. Nec tibi (quatenus tutum poeta arma celebranti, Macer,) prætermittitur pulcher amor in medio bello. Paris etiam est illic, una cum adultera decantatissimo scelere; & Laodamia comes viro mortuo. Si bene te novi; non cupidius cantas bella quam ista: & a vestris castris reverteris in mea.

NOTÆ.

(c) *Tristis*) Quia ad eam non poterat Jason reverti. Atque hinc vides verum esse quod diximus supra ad vocem *Jason*.

(d) *Littera*) *Epistola*. Numero vero plurali tantum utimur in soluta oratione, cum ea voce epistolam significare volumus.

(e) *Det votam*) Id est; Non redibit Phaon. Quod ut plenius intelligatur, videnda est Sapphus epistola, in qua ipsa dicit, quod se, nisi amicus Phaon redierit, ex Leucade in aquas sit dejectura, & Phœbo, cui eo in loco magnificum erat templum, lyram suam donatura.

(f) *Amata*) Alii *amica*; Apollinis *scil.* propter Poeticum studium.

(g) *Qua tutum*) *Quantumlicet*, in carmine heroico; cujus materia principalis non sunt Amores.

(h) *Aureus*) *Pulcher*.

(i) *Medio Marte*) *Inter res bellicas*.

(k) *Illic*) *In opere tuo heroico*. Scilicet Paris, causa belli, in describendo eo locum suum habet.

(l) *Adultera*) Helena; ob cujus raptum flagravit bellum Trojanum.

(m) *Nobile*) Pulchritudine, & quia belli decantatissimi causa fuit.

(n) *Crimen*) *Adultera crimen*, Appositio. *Crimen* dicitur quæ criminum causa.

(o) *Comes viro*) Laodamia Acasti filia, Protesilai uxor, cum primum eum ex Græcis, bello Trojano, extinctum cognovisset, ejus ut umbram videret optavit; quod cum impetrasset, in eius amplexibus obiit.

(p) *Istis*) Quæ sunt ex Amoris ingenio.

(q) *Vestris*) Quæ sunt Martis. Id est, a bellorum descriptione, quæ Marti adscribuntur libentissime ad Amoris bella memoranda te confers.

(r) *Mea*) Quæ sunt Amoris.

(ſ) *Redis*) Alii, *venis*. Sed ex lepidissimo Tibulli disticho jam ante Macrum amatoria scripsisse patet. Tibulli vero hoc est distichon.

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori?
Sit comes, & collo fortiter arma gerat.

ELEGIA XIX.

Ad maritum, cui uxor curæ non erat.

SI tibi non opus est (*a*) servata, (*b*) stulte, puella;
At mihi fac serves: quo (*c*) magis ipse velim.

INTERPRETATIO.

SI tibi non opus est puella custodita, fatue; at cura ut mihi custodias, ut ipse amplius cupiam.

NOTÆ.

(a) *Servata*) *Diligentius custodias*, ne alios cognoscat viros.

(b) *Stulte*) *Qui uxorem tuam alienis amoribus impeditam non servas*.

(c) *Magis*) Ipsam amare *scil.*

Quod licet (*d*) ingratum est: quod non licet acrius (*e*) urit.
(*f*) Ferreus est, si quis, quod sinit alter, amat.
Speremus pariter, pariter metuamus amantes:
Et (*g*) faciat voto grata repulsa locum:
(*h*) Quo mihi fortunam, quæ nunquam fallere curet?
Nil ego, quod nullo tempore lædat, amo:
Viderat hoc in me vitium versuta Corinna;
Quaque capi possem, callida norat (*i*) opem.
Ah quoties (*k*) sani capitis mentita dolores,
(*l*) Cunctantem (*m*) tardo jussit abire pede!
Ah quoties finxit (*n*) culpam, quantumque libebat,
(*o*) Insontis speciem præbuit esse, nocens!
Sic ubi vexarat, tepidosque (*p*) refoverat ignes;
Rursus erat votis (*q*) comis & apta meis.
Quas mihi blanditias, quam dulcia verba parabat!
Oscula (Di magni) qualia quotque dabat!
(*r*) Tu quoque, quæ nostro (*s*) rapuisti nuper (*t*) ocellos,
Sæpe (*u*) face insidias, (*x*) sæpe rogata nega:

INTERPRETATIO.

Quod conceditur injucundum est; quod non conceditur vehementius solicitat. Bardus est si quis amat quod alius non prohibet. Amantes speremus æqualiter, æqualiter timeamus: & jucunda repulsa præbeat locum desiderio. Quorsum mihi fortunam concilem, *quæ nunquam curet decipere? Ego nihil diligo quod nunquam* me *maceret. Calida Corinna adverterat hoc crimen in me; & vafra cognoverat modum quo tangi possem. Ah quoties fingens dolores capitis valentis voluit me morantem pede ignavo discedere! Ah quoties simulavit crimen; & quantum libebat; culpæ conscia se simulavit innoxiam! Postquam sic solicitaverat, & excitaverat denuo amorem languentem; rursus erat humana & idonea meis desideriis. Quas blanditias, quam mollia verba mihi adornabas! (Dii magni) qualia & quot suavia præbebat! Tu etiam, quæ nuper abstulisti nostros oculos, sæpe strue dolos, sæpe orata recusa.*

NOTÆ.

(d) *Ingratum*) Quia assuetis non tangimur.

Quicquid servatur, cupimus magis; ipsaque furem
Cura vocat: Pauci quod sinit alter amant.

(e) *Urit*) *Angit, solicitat.*

(f) *Ferreus*) *Durus, & quasi ab humanitate alienus: non satis delicatus.*

(g) *Faciat voto*) *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.* Quod quidem in ipsius naturæ imis radicibus fundamentum habet.

(h) *Quo mihi*) Alii, *Quid mihi fortuna, quæ nunquam fallere possit?* Alii *cum fortuna*. Quidam, *Quid mihi fortuna est. Quid fortuna mibi.*

(i) *Opem*) *Modum, rationem.*

(k) *Sani*) Cum dolore nullo affecta esset.

(l) *Cunctantem*) *Abire differentem.*

(m) *Tardo*) Non tardo pede abire Nasonem jubebat Corinna; sed ipse tardo pede erat.

(n) *Culpam*) *Quam meam esse diceret, ut meritor videretur irasci.*

(o) *Insontis*) *Insonti* habet Puteaneus Alii pro *esse ipsa* aut *illa* referunt.

(p) *Refoverat*) Vexando, & negando.

(q) *Comis*) *Benigna e facilis.*

(r) *Tu quoque*) Puellam alloquitur, cujus causa hanc scripsit Elegiam.

(s) *Rapuisti*) *Ad te amandum nos impulisti.*

(t) *Ocellos*) *Si nescis, oculi sunt in amore duces.* Propertius.

(u) *Face*) *Time* reposuerat clar. Heins. ex pluribus præstantioribus codicibus: at certe nihil necesse est receptam lectionem mutare.

(x) *Insidias*) Ex superioribus intelligitur.

E

Et ſine me ante tuos projectum in limine poſtes
Longa (y) pruinoſa frigora nocte pati.
(z) Sic mihi durat amor, longoſque (a) adoleſcit in uſus:
Hoc juvat: hæc animi ſunt alimenta mei.
(b) Pinguis amor, nimiumque (c) patens, in tædia nobis
Vertitur; & ſtomacho, dulcis ut eſca, nocet.
(d) Si nunquam (e) Danaen habuiſſet (f) ahenea turris;
(g) Non eſſet Danae de Jove (h) facta parens.
Dum (i) ſervat Juno (k) ſinuatam cornibus Io;
Facta eſt, quam fuerat, (l) gratior illa Jovi.
(m) Quod licet & facile eſt, quiſquis cupit, arbore frondes
(n) Carpat, & e magno flumine potet aquam.
Si (o) qua volet (p) regnare diu; deludat amantem.
Hei mihi, quod monitis torqueor ipſe meis!
(q) Cui libet eveniat, nocet indulgentia nobis.
Quod ſequitur, fugio: quod (r) fugit, uſque ſequor.

INTERPRETATIO.

& patere me proſtratum ante tuos poſtes in limine perferre multa frigora nocte pruinoſa. Sic mihi amor permanet, & creſcit in multa commoda: hoc prodeſt, hæc ſunt pabula mei amoris. Amor craſſus, & nimium apertus, nobis mutatur in faſtidia; & obeſt tanquam dulcis cibus ventriculo. Si turris ærea nunquam clauſiſſet Danaea; Danae non facta fuiſſet mater de Jove. Dum Juno cuſtodit Io curvam cornibus, illa magis placuit Jovi quam ante. Quiſquis expetit quod conceſſum & pronum eſt, deripiat folia arbore, & hauriat aquam ex vaſto fluvio. Si qua cupiet diu imperare, fallat amantem. Hei mihi, quod ipſe urgeor meis præceptis! Cuivis contingat licentia; nobis officit. Vito quod me ſequitur: indeſinenter perſequor quod dilabitur.

NOTÆ.

(y) *Pruinoſa*) *Pruina ſeu congelato rore frigida.*

(z) *Sic*) Cum difficultatibus Amor eſt obſitus.

(a) *Adoleſcit*) *Creſcit.*

(b) *Pinguis*) Vide annon ex fertili & viva imaginatione naſcantur ejuſmodi vocabula. Non ea pinguis & craſſus aut ſtupidus homo ſtatim capiet. De Amore loquitur in quo nullam patitur amans repulſam.

(c) *Patens*) Alii *potens*.

(d) *Si nunquam*) Exemplis, quod propoſuit, confirmat Poeta.

(e) *Danaen*) Filia fuit Acriſii Argivorum regis, quam ipſe munitiſſima turri incluſam, ne ab eo qui ex ea natus eſſet, quod minabatur oraculum, interficeretur, magna cura ſervavit. Quam Jupiter in imbrem aureum verſus cum vitiaſſet, poſtea Perſeum peperit, a quo Acriſius, objecto Gorgonis capite, in ſaxum mutatus eſt.

(f) *Ahenea*) Turrim hanc ære & ferro munitam fuiſſe volunt Poetæ.

(g) *Non eſſet*) Quaſi Jovem rei difficultate permotum, dicat.

(h) *Facta parens*) Adeoque Danaen Jupiter non amaſſet: qui ſcopus eſt Poetæ.

(i) *Servat*) Per Argum, quem ei rei admovit, ut alibi videbimus.

(k) *Sinuatam*) Alii *decoratam*, *munitam*, *mutatam*. Sæpius vero de iſta metamorphoſi antea vidimus.

(l) *Gratior*) Quippe Iſis Dea Ægyptiorum facta.

(m) *Quod licet & facile eſt quiſquis cupit*) Iſthæc cum ſequentibus conjuncte ſunt legenda & intelligenda.

(n) *Carpat*) Licet vero & facile eſt arboribus folia deripere.

(o) *Qua*) Puella *ſcil.*

(p) *Regnare*) *Ad nutum amatorem regere.*

(q) *Cui libet*) Alii *Quod libet*; *Quid libet*. Senſus eſt omnibus amatoribus nocere indulgentiam.

(r) *Fugit uſque ſequor*) Fuit iſtud ideo quod majora ea credimus quæ non uſu novimus; atque difficultate plures ſpiritus excitantur.

At (*ſ*) tu, formoſæ nimium ſecure puellæ,
Incipe jam prima (*t*) claudere nocte forem.
Incipe, quis toties furtim tua limina pulſet,
Quærere: quid latrent nocte ſilente canes.
(*u*) Quo ferat & referat ſolers ancilla tabellas;
Cur toties vacuo (*x*) ſecubet (*y*) ipſa toro.
(*z*) Mordeat iſta tuas aliquando cura medullas:
(*a*) Daque locum noſtris materiamque dolis.
Ille poteſt vacuo furari littore arenas,
Uxorem ſtulti ſi quis amare poteſt.
Jamque ego præmoneo; niſi tu ſervare puellam
Incipis, incipiet deſinere eſſe mea.
Multa diuque (*b*) tuli: ſperavi ſæpe futurum,
Cum bene ſervaſſes, ut bene (*c*) verba darem
Lentus es, & pateris nulli patienda marito.
At mihi (*d*) conceſſi finis amoris erit.
Scilicet infelix nunquam prohibebor (*e*) adire?
Nox mihi (*f*) ſub nullo vindice ſemper erit?
Nil metuam? per nulla traham ſuſpiria ſomnos?
Nil facies, cur te jure (*g*) periſſe velim?
(*h*) Quid mihi cum facili, quid cum lenone marito?
Corrumpis (*i*) vitio gaudia noſtra tuo.

INTERPRETATIO.

At tu nimium negligens pulchra puella, incipe jam prima nocte obdere januam. Incipe exquirere quis toties clamculum pulſet tuum oſtium; quamobrem canes allatrent nocte tacita. Quo callida famula portet & denuo portet tabellas; quamobrem ipſa toties ſeorſum cubet lecto inani. Iſta ſolicitudo tandem urat tua præcordia: & præbe anſam & cauſam noſtris fraudibus. Ille poteſt ſurripere arenas deſerto littore, ſi quis poteſt amare conjugem inſulſi. Jamque ego prædico; niſi tu incipis cuſtodire puellam, incipiet non eſſe mea. Multa toleravi & diu; ſæpe fore cogitavi, cum bene cuſtodiviſſes, ut te bene deciperem. Tardus es, & fers nulli viro ferenda. At finis mihi veniet amoris non probibiti. Nempe miſero mihi *nunquam denegabitur aditus? Nox ſemper mihi erit ſub nullo ultore? Nihil extimeſcam? Ducam ſomnos ſine omni ſuſpirio? Nihil ages, quamobrem merito cupiam te interiiſſe? Quid mihi cum indulgenti; quid cum marito lenone? Perdis noſtram voluptatem tua culpa.*

NOTÆ.

(ſ) *Tu*) Stultum illum, uxoris ſecurum compellat.

(t) *Claudere*) Ut videndæ uxoris tuæ major ſit difficultas.

(u) *Quo ferat*) Supple, *Incipe quærere.*

(x) *Secubet*) Religionis cauſa, aut ſaltem ſimulatione ſeorſum a maritis aliquando cubabant uxores: unde facilius ipſis imponebant.

(y) *Ipſa*) Uxor tua, *ſcil.*

(z) *Mordeat*) *Ea de re ſis ſolicitus.*

(a) *Daque locum*) Nullis vero dolis opus eſt, ubi maritus ſtulte uxoris amores patitur.

(b) *Tuli*) Graviſſimum vero eſt neminem habere reluctantem.

(c) *Verba darem*) *Tibi imponerem.*

(d) *Conceſſi*) *A te, qui uxorem non ſervas.*

(e) *Adire*) *Ad puellam uxorem tuam venire.*

(f) *Sub nullo vindice*) *Sine ullo injuria tibi oblata, ultore.*

(g) *Periſſe velim*) Scilicet adulter foribus, non ſine malo repulſus, male marito precabitur.

(h) *Quid mihi*) Contemnentis ſunt hæc verba.

(i) *Vitio*) Indulgentia *ſcil.*

Quin

(*k*) Quin alium, quem tanta juvet patientia, quæris?
(*l*) Me tibi rivalem si juvat esse, veta.

INTERPRETATIO.

Quin petis alium, cui tanta indulgentia *prosit? Si tibi prodest me tibi esse riva*-***lem; probibe.***

NOTÆ.

(k) *Quin*) Versu 49. questus est quod mariti nimiam indulgentiam cogeretur perferre.

(l) *Me tibi*) *Si me rivale oblectaris, probibe me esse rivalem, & uxoris tuæ amatorem: nam aliter rivalis esse non possum, tuque voluptate tua excides.*

P. OVIDII NASONIS

AMORUM LIBER III.

ELEGIA I.

Deliberatio Poetæ, utrum Elegos pergat scribere, an potius Tragœdias.

(*a*) STat vetus & multos (*b*) incædua silva per annos.
Credibile est illi (*c*) numen inesse loco.
Fons sacer in medio, speluncaque pumice (*d*) pendens:
Et latere ex omni (*e*) dulce queruntur aves.
Hic ego dum spatior tectus (*f*) nemoralibus umbris,
Quod mea, (*g*) quærebam, Musa moveret opus.
Venit odoratos (*h*) Elegeia (*i*) nexa capillos:
Et puto (*k*) pes illi longior alter erat.

INTERPRETATIO.

NEmus est antiquum & inviolatum per multos annos. Verisimile est numen adesse illi loco. Fons sacer in medio: & antrum imminens pumice; & aves suaviter canunt ex omni parte. Dum ego hic ambulo velatus umbris nemorosis, cogitabam quodnam opus mea Musa inciperet. Elegeja vincta comam unctam accessit: & credo pes alter illi erat prolixior.

NOTÆ.

(a) *Stat*) Locum describit Poeta ubi Elegos continuare decrevit.

(b) *Incadua*) *Inviolata*. Sacros lucos incidere nefas erat.

(c) *Numen*) *Deum aliquem.*

(d) *Pendens*) *Imminens.*

(e) *Dulce*) *Suaviter. Dulce* pro *dulciter*; sicuti & locutus est Horat.

(f) *Nemoralibus*) Id est, *quas frondes, aut arbores faciebant.*

(g) *Quærebam*) *Mecum agitabam.*

(h) *Elegeia*) Vide an non suaviter & eleganti figura humanam figuram Elegiæ Poeta tribuit.

(i) *Nexa capillos*) Græcismus: pro *nexos habens capillos.*

(k) *Pes illi*) Habita ratione Hexametri, istud dicit, qui Pentametro, uno pede longior est. Nec Elegos, opus esse arbitror admonere, Hexametris & Pentametris constare.

For-

Forma decens; vestis (*l*) tenuissima, (*m*) cultus amantis:
In pedibus (*n*) vitium causa decoris erat.
Venit & (*o*) ingenti (*p*) violenta Tragœdia passu.
(*q*) Fronte comæ torva, (*r*) palla jacebat humi.
Læva manus (*s*) sceptrum (*t*) late regale movebat:
(*u*) Lydius (*x*) alta pedum vincla cothurnus erat.
Et (*y*) prior, (*z*) *Ecquis erit*, dixit, *tibi finis amandi?*
O (*a*) *argumenti lente poeta tui?*
(*b*) *Nequitiam vinosa tuam convivia narrant.*
Narrant in multas (*c*) *compita secta vias.*
Sæpe aliquis digito (*d*) *vatem designat euntem;*
Atque ait, HIC ILLE EST, QUEM FERUS URIT AMOR.
(*e*) *Fabula* (*nec sentis*) *tota jactaris in Urbe;*
Dum tua (*f*) *præterito facta pudore refers.*
Tempus erat (*g*) *thyrso pulsum graviore moveri.*
Cessatum satis est: incipe (*h*) *majus opus.*

INTERPRETATIO.

Forma venusta; amictus subtilissimus, ornatus amantis: vitium in pedibus erat causa venustatis. Accessit etiam ferox Tragœdia vasto gressu. Capilli profluebant *sæva fronte, palla terram tangebat. Manus sinistra superbe tractabat sceptrum regium; cothurnus Lydius erat sublimia calceamenta pedum. Et prior*, anne aliquis, *inquit*, erit tibi finis amandi, o languens poeta materiæ tuæ! Ebriosa convivia prædicant tuam lasciviam. Compita divisa in multas vias prædicant. Sæpe aliquis te digito indicat poetam prætereuntem; & dicit, HIC ILLE EST QUEM VIOLENTUS AMOR TORKET. Circumfers (nec tibi compertum) fabula per totam urbem; dum memoras tua furta pudore omisso. Tempus erat te thyrso tactum majore agitari. Satis est desitum: molire majus opus.

NOTÆ.

(l) *Tenuissima*) Ad tenuem & humilem elegorum materiam respicit Poeta.

(m) *Cultus am.*) Quia eo carminis genere amatoria plerumque describuntur.

(n) *Vitium*) Brevitas Pentametri, Hexametro uno pede brevioris.

(o) *Ingenti*) Tragœdiæ *scilicet* character est sublimis, ut sublimis materia.

(p) *Violenta*) Qua Regum & potentiorum acta violenta describuntur.

(q) *Fronte comæ torva*) *Jacebant* supple, aut *erant*. Hoc dicit propter Tragœdiæ severitatem.

(r) *Palla*) Eo vestimenti genere usque ad terram demisso in agendis Tragediis utebantur.

(s) *Sceptrum*) Jam dixi, Reges & eorum acta Tragœdiæ materiam suppeditant.

(t) *Late*) Vox ista versui dignitatem affert.

(u) *Lydius*) *A Lydis mutuatus.*

(x) *Alta*) Nimirum usque ad genu propemodum pertingebat istud calceamenti genus.

(y) *Prior*) *Loquuta est* scil. *Tragœdia.*

(z) *Ecquis erit*) *Quando amatoria scribere desines?*

(a) *Argumenti*) *Materia*; Amoris *scil.* & eorum omnium quæ ad eum referuntur.

(b) *Nequitiam*) Amores & lasciviam.

(c) *Compita*) Pro iis qui in quadriviis versantur & otiantur.

(d) *Vatem*) *Te* scil. *o Naso.*

(e) *Fabula*) Id est, *qui fabulis & hominum variis sermonibus, materiam præbeat.*

(f) *Præterito*) *Neglecto, postposito*: quomodo alii habent codices.

(g) *Thyrso*) Thyrsus gestamen est Bacchi, seu hasta hederis involuta; quæ hic pro Bacchico & Poetico furore posita est.

(h) *Majus*) *Quam sunt quæ scribis amatoria.*

(i) *Mo-*

(i) Materia premis ingenium: cane facta virorum:
Hæc animo, dices, (k) area digna meo est.
Quod tenere cantent, lusit tua Musa, puellæ;
Primaque per numeros acta juventa (l) suos.
Nunc habeam per te Romana Tragœdia nomen.
Implebit (m) leges spiritus (n) iste meas.
Hactenus: & (o) movit pictis (p) innexa cothurnis
Densum cæsarie terque quaterque caput.
(q) Altera (si memini) (r) limis (ſ) subrisit ocellis.
Fellor, an in dextra (t) myrtea virga fuit?
Quid (u) gravibus verbis, (x) *animosa Tragœdia*, dixit,
Me premis? an nunquam non (y) gravis esse potes?
(z) Imparibus tamen es numeris dignata (a) moveri.
In me pugnasti versibus usa (b) meis.
(c) *Non ego contulerim sublimia carmina nostris.*
Obruit (d) exiguas (e) regia vestra fores.

INTERPRETATIO.

Deprimis ingenium argumento, celebra gesta virorum: hic campus, confiteberis, dignus est meo spiritu: Musa tua scripsit quod molles puellæ canant; & prima juventus transvecta per versus ætati respondentes. Nunc *ego* Tragœdia Romana famam prosequar pro te: Isti animi sufficient meis legibus: *Hactenus: & vincta pictis coturnis ter quaterve caput agitavit spissum capillis. Altera (si recordor) subrisit obliquis oculis. Decipior; an virga myrtea fuit in dextra manu?* Quamobrem, *inquit*, vehemens Tragœdia, me urges dictis magnificis? An nunquam non potes esse superba? Attamen non verita es procedere modis inæqualibus. In me invecta es, usa meis carminibus. Ego non comparaverim versus heroicos nostris. Palatia vestra opprimunt parvas domos.

NOTÆ.

(i) *Materia*) Levi *scil.* qua deprimitur ingenium, est, si Tragœdiæ fides.

(k) *Area*) Metaphora a gladiatoribus, quasi dicat. *Hæc digna sunt, in quibus ingenii mei sublimitatem experiar.*

(l) *Suos*) Elegos *scil.* leviores, & juventæ accomodatiores.

(m) *Leges*) Quænam sint ex materia quivis conjiciat; alii dixerunt. Sublimitate vero præsertim ad eas implendas opus est.

(n) *Iste*) *Tuus* scil. *o Naso*. Nam inepte sane sibi adblanditur.

(o) *Movit*) *Concussit*. Quod Tragœdiæ dignitati non incongruum.

(p) *Innexa*) *Evincta*. Alii *innixa*.

(q) *Alter*) Elegeia, *scil.*

(r) *Limis*) Quod est lasciviæ; unde pætis oculis Venus pingitur,

(ſ) *Subrisit*) Ingeniosissime istud; & ex quo Poetæ phantasiam cognoscere possis.

(t) *Myrtea*) Scilicet, Veneri sacra Myrtus.

(u) *Gravibus*) *Severis; molestis*. Alludit ad Tragœdiæ dignitatem.

(x) *Animosa*) *Elata; vehemens, iracunda.*

(y) *Gravis*) Molestam sibi fuisse Tragœdiam, ad vocis variam significationem, & Tregediæ naturam, alludens Elegeia innuit.

(z) *Imparibus*) Nimirum Elegis loquentem Tragœdiam supra induxit Poeta.

(a) *Moveri*) Hoc est, *Dignata est Tragœdia in loquendo carminibus uti Elegiacis.*

(b) *Meis*) Elegis *scil.*

(c) *Non ego contulerim*) Hoc dicit, quasi in priori sit conditione, Elegeia, Tragœdiæ versibus uti sibi indecorum ducat: cum Tragœdiæ Elegos se indignos non credat,

(d) *Exiguas*) Quales in amatoriis describuntur.

(e) *Regia*) Ad palatia alludit, quæ in Tragœdiis conspiciuntur.

Sum

Sum levis; & mecum (f) levis est mea cura Cupido:
Non sum materia fortior ipsa mea.
Rustica fit sine me lascivi (g) mater Amoris.
Huic ego (h) proveni (i) lena comesque Deæ.
Quam tu non poteris duro reserare (k) cothurno,
Hæc est blanditiis janua laxa meis.
Et (l) tamen emerui plus quam tu posse, (m) ferendo
Multa (n) supercilio (o) non patienda tuo.
Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare fidem;
(p) Delabique toro tunica velata recincta;
Atque (q) impercussos nocte movere pedes.
(r) Vel quoties foribus duris (s) incisa (t) pependi,
Non verita a populo prætereunte legi!
Quin ego me memini, dum custos sævus abiret,
Ancillæ missam delituisse sinu.
Quid, cum me munus natali (u) mittis? at illa
(x) Rupit, & apposita barbara mersit aqua?

INTERPRETATIO.

Sum levis; & Cupido, mea cura, mecum est levis. Ego non sum major meo argumento. Mater amoris luxuriosi fit agrestis sine me. Ego nata sum conciliatrix & comes huic Deæ. Ostium, quod tu non poteris aperire sævo cothurno, illud est apertum meis illecebris. Et tamen merita sum majorem habere potestatem quam tu, tolerando multa non ferenda tuæ severitati. Corinna didicit per me labefactare fidem ostii obserati, custode eluso; & desilire lecto tecta tunica soluta; & nocte ferre pedes inoffensos. Vel quoties pependi affixa crudeli januæ, non timens legi a populo transeunte! Quin ego recordor, me missam latitasse in sinu famulæ, donec severus custos discederet. Quid cum mittis me donum die natali? At illa laceravit, & crudelis obruit aqua admota?

NOTÆ.

(f) *Levis*) Ad Amoris levitatem & inconstantiam alludit.

(g) *Mater*) Venus.

(h) *Proveni*) *Nata sum.*

(i) *Lena*) Laus vero egregia.

(k) *Cothurno*) *Severo carmine.*

(l) *Tamen*) *Quanquam levis sim.*

(m) *Ferendo*) Istud certe ingeniosissimum, & verum.

(n) *Supercilio*) *Severitati.*

(o) *Non patienda*) Reges vero in Tragœdia, nec reginas deceret, quæ mediocris fortunæ homines faciunt.

(p) *Delabi*) *Ex mariti lecto se sensim surripere;* ut ad Nasonem commearet.

(q) *Impercussos*) *Illæsos;* qui in nullum offendiculum impingant.

(r) *Vel*) Augendi vim habet hoc loco hæc particula.

(s) *Incisa*) Alii *illisa*, *concisa*, *infixa*, *concisa*.

(t) *Pependi*) Appositis, *scil.* ad amicæ fores, ab amatoribus, Elegis.

(u) *Mittis*) Nasonem alloquitur, qui Elegos amicæ die natali mittere solitus erat. Muneribus vero natali die amicis gratulari ad nos usque mos manavit.

(x) *Rupit*) Puteaneus cum uno Moreti, *Rumpit*.

Pri-

Prima tuæ (y) *movi felicia* (z) *semina mentis:*
(a) *Munus habet, quod te jam* (b) *petit,* (c) *ista meum,*
(d) Desierant, (e) cœpi: *Per vos utrumque rogamus,*
In (f) *vacuas aures verba* (g) *timentis eant.*
(h) *Altera me sceptro decoras, altoque cothurno.*
Jam nunc (i) *contacto magnus in ore* (k) *sonor.*
(l) *Altera* (m) *das nostro victurum nomen amori.*
Ergo ades, & (n) longis versibus adde breves.
Exiguum vati concede, Tragœdia, tempus.
(o) *Tu labor æternus: quod petit illa, breve est.*
(p) Mota (q) dedit veniam; teneri (r) properentur (ſ) amores,
Dum vacat: a tergo (t) grandius urget opus.

INTERPRETATIO.

Prima excitavi fœcunda semina tui ingenij. Tonum est meum, quod iste jam te cupit. *Finem fecerant*; *occepi*: Oramus per vos utramque, voces metuentis descendant in aures benignas: Altera me sceptro cohonestas, & sublimi cothurno: Jam nunc celebror magnus in ore afflato. Altera præbes gloriam immortalem nostro amori. Ergo faveas, & adjice versus breves prolixis Tragœdia præbe breve spatium poetæ. Tu es labor immortalis; quod illa petit exiguum est. *Permota* Tragœdia *concessit*; *molles amores accelerentur dum datur*: *opus majus me premit a tergo*.

NOTÆ.

(y) *Movi*) Hoc adeo intelligitur primo in scribendis elegis sese Nasonem exercuisse.

(z) *Semina*) Vim innatam cuique intelligit, quam igniculorum nomine designat Cicero. Semina vero scientiæ & virtutis, non scientiam nec virtutem dedit natura.

(a) *Munus habet*) *Beneficio meo est*: *donum est meum*. Hoc dicit quia ab Elegeia cultum Poetæ ingenium; quod nisi ita fuisset Tragædia eum non requisivisset.

(b) *Petit*) *Requirit*: *Sibi expetit, ut ejus heroica scribas.*

(c) *Ista*) Tragœdia *scil.* non sine contemtu.

(d) *Desierant*) *Finem dicendi fecerant*. Tragœdia *scil.* & Elegia.

(e) *Cœpi*) Eas alioqui, *scil.*

(f) *Vacuas*) Quas nec ira, nec alius affectus præpediverit.

(g) *Timentis*) Quia inter Deas judicandum, & illis obsequendum.

(h) *Altera*) Tragœdia, *scil.*

(i) *Contacto*) Alii *contracto*; *aut contacto orbe*. Sed veram lectionem, meo quidem judicio, ex Puteaneo aliisque retinuit cl. Heinsius: qui idem *contacto* ex ponit, *afflato*. Scripserat Poeta Medeam Tragœdiam.

(k) *Sonor*) *Dicor*. Alii *sonus*.

(l) *Altera*) Elegeia, *scil.*

(m) *Das*) Quia versibus elegiacis suos amores scripsit.

(n) *Longis*) Elegia versibus Hexametris longis, & Pentametris uno pede brevioribus constat.

(o) *Tu labor æternus*) Honesta oratio: Quandoquidem paucula petit Elegia, postulat ratione expectet dum longis & æternis Tragœdiæ satisfactum sit.

(p) *Mota*) *Rationibus ad votum meum perducta*, Tragœdia *scil.*

(q) *Dedit veniam*) *Non repugnavit quin prius elegias scriberem.*

(r) *Properentur*) *Celeriter describantur.* Se ipsum hortatur Poeta; atque sibi argumentum præscribit, non sine laude tacita.

(ſ) *Amores*) Quævis amatoria intellige, quæ porro scribere Poeta instituit.

(t) *Grandius*) Certe vero hæ posteriores elegiæ prioribus longiores sunt & pulcriores, quanquam de Metamorphosi hic agi non de Elegiis, quod alii voluerunt, maxime crediderim.

ELEGIA II.

Ad amicam, cursum equorum spectantem.

NON ego nobilium (*a*) sedeo studiosus (*b*) equorum:
Cui tamen ipsa (*c*) faves, vincat ut ille precor.
(*d*) Ut loquerer tecum veni, tecumque sederem:
Ne tibi non notus, quem facis, esset amor.
Tu cursus spectas, ego te, spectemus uterque
Quod juvat atque oculos (*e*) pascat uterque suos.
O, cuicumque faves, (*f*) felix agitator equorum!
(*g*) Ergo illi (*h*) curæ contigit esse tuæ?
Hoc mihi (*i*) contingat; (*k*) sacro de (*l*) carcere missis.
Insistam forti mente vehendus equis.
(*m*) Et modo (*n*) lora dabo: modo verbere terga notabo:
Nunc (*o*) stringam (*p*) metas (*q*) interiore rota.

INTERPRETATIO.

EGO non adsum amatoe equorum nobilium; attamen opto, ut ille superet, cui ipsa studes. Accessi ut tecum fabularer, & tecum sederem; ne amor quem moves tibi esset incognitus. Tu spectas certamina, ego te: uterque spectemus quod placet, & uterque pascat oculos suos. O beatus domitor equorum cuicumque studes! Ergo illi evenit esse cura tua? Hoc mihi eveniat; insidebo obfirmato animo ferendus equis emissis de sacris carceribus. Et modo habenas laxabo; modo signabo terga scutica; nunc radam metas rota interiore.

NOTÆ.

(a) *Sedeo*) Sedebant vero qui ludos in Circo spectabant. Interim per *sedere*, *adesse*, simpliciter intelligendum est.

(b) *Equorum*) Id est, ludorum, qui equis, in circo, celebrabantur.

(c) *Faves*) Scilicet in factiones divisi & coloribus distincti erant decurrentes, certantes & aurigantes; quibus a diversis diverse favebatur.

(d) *Ut loquerer*) Hæc, & præcedentibus similia amantibus præcipit Poeta in suis artibus.

(e) *Pascat*) Oculos suos pascere dicitur qui aliquid cum voluptate intuetur.

(f) *Felix* Non tam felicem illum, cui faveat puella, quam ingeniose se ejus favorem dicit optare.

(g) *Ergo*) Dolorem habet hæc vocula; ut ipse intelligatur Poeta puellæ curæ esse concupivisse.

(h) *Curæ*) Tertii casus. *Est mihi curæ*, idest, *curo*.

(i) *Contingat*) Optantis est: quasi dicat; *Quamquam non sum agitator, nec equorum domitor, tamen, si tu mihi faveres omnia possem exequi.*

(k) *Sacro*) Soli vero circus sacer fuit, atq; in honorem Cereris, ludos editos constat.

(l) *Carcere*) Plurali numero usitatius dicebatur locus, ubi equi coercebantur, donec currendi signum datum esset.

(m) *Et modo*) Hæc vero sunt periti agitatoris.

(n) *Lora dabo*) *Habenas laxabo; frena remittam.*

(o) *Stringam*) *Radam, & proxime currendo, accedam.* In eo vero ars maxima posita erat, ut qui ad curule certamen descenderat, currus sui rotam interiorem currendo circum metas ita inflecteret, ut ne tamen in eas cum maximo periculo, impingeret.

(p) *Metas*) Moles erant in acutum desinentes, quas circum currus agitabantur; quibus itemque curriculi spatium definiebatur.

(q) *Interiore*) Metæ propinquior rota, cujus motu brevior circulus describitur, qui interior dicitur.

Si mihi currenti fueris conspecta, morabor:
Deque meis manibus lora remissa (r) fluent.
(s) Ah quam pæne (t) Pelops (u) Pisæa (x) concidit hasta,
(y) Dum spectat vultus, Hippodamia, tuos!
(z) Nempe favore suæ vicit tamen ille puellæ
Vincamus dominæ quisque favore suæ.
Quid frustra (a) refugis? cogit nos (b) linea jungi.
Hæc in (c) lege loci (d) commoda (e) Circus habet.
(f) Tu tamen, a dextra quicunque es, parce puellæ.
Contactu lateris læditur ista tui.
Tu quoque, qui spectas post nos, tua contrahe crura,
Si pudor est: rigido nec preme (g) terga genu.
Sed nimium (h) dimissa jacent tibi pallia terra.
Collige; vel digitis en ego tollo meis.

INTERPRETATIO.

Si fueris visa mihi currenti, consistam; & habenæ elapsa ex meis manibus cadent. Ab quam ferè Pelops afflictus est hasta Pisæa, dum spectat tuam faciem, Hippodamia! Nimirum ille tamen victor fuit studio suæ puellæ. Victoria potiamur omnes studio suæ dominæ. Quamobrem incassum recusas? linea cogit nos tangi. Circus habet hanc utilitatem ex lege loci. Tu tamen, quicunque assides a dextra, indulge puellæ. Illa offenditur contactu lateris tui. Tu etiam qui spectas pone nos, retrahe tuos pedes, si pudor est, nec urge terga duro genu. Sed tunica tibi jacent nimium humi depressa. Tolle; vel ecce ego colligo meis digitis.

NOTÆ.

(r) *Fluent*) Hoc dicit, quasi puellæ pulchritudine stupidus, habenas retinere non possit.

(s) *Ad quam*) Vide quæso quam amatorie Pelopi affingit quod ipse fecisset; quamque ingeniose ad suum commodum singula venatur.

(t) *Pelops*) De eo Tantali filio, jam sæpe vidimus.

(u) *Pisæa*) Oenomai Pisæi, a Pisa Arcadiæ oppido, juxta Alpheum amnem, ubi regnavit ille, sic dicti. Alii habent *Pisæo axe*: ut per axem, tropice currus Oenomai intelligatur.

(x) *Concidit*) *Interfectus fuit*. Fabula vero est Oenomaum. cum eo tempore periturum se oraculo didicisset, quo Hippodamia filia nuberet, ut in perpetua virginitate servaretur, ejus connubium, multis eam petentibus ea lege pollicitum esse, ut secum curule certamen inirent, in quo victos quos ipse assequeretur hasta sua confoderet. Quem Oenomaum Pelops, corrupto auriga Myrtilo, vicit.

(y) *Dum spectat*) Quasi omnia illum contemnere & negligere dicat, cui amore correpto dominam suam spectare contigit.

(z) *Nempe*) Ex eorum opinione lo quitur Poeta, qui ab Hippodamia conjugium appetente corruptum fuisse Myrtilum aurigam putaverunt.

(a) *Refugis*) Fingas licet Poetam dominæ assidentem non sine amoris indicio eam pressisse, quæ, ut puellarum mos est, sese ab ipso sejungeret.

(b) *Linea*) Sedilium dispositio in circo, ubi quidem se tangi inepte quispiam queri videatur.

(c) *Lege loci*) Ubi necesse est quam proxime alios aliis assidere.

(d) *Commoda*) Proxime esse.

(e) *Circus*) Spatium erat in oblongum circulum, ubi spectaculis ædificatis, Populus ludos spectabat. Unus fuit circus maximus; atque insuper nonnulli alii.

(f) *Tu tamen*) Fingitur istud amatorie, quasi puellæ caveat, qui alii invidet quod ipsam tangat: atque istud totum est ut sibi gratiam conciliet.

(g) *Terga*) Puellæ *scil.*

(h) *Dimissa*) Alii *demissa terra*.

Invidia veſtis eras, quæ tam bona crura tegebas:
Quoque magis ſpectes, Invida veſtis eras.
(*i*) Talia Melanion (*k*) Atalantes crura (*l*) fugacis
Optavit manibus (*m*) ſuſtinuiſſe ſuis.
Talia (*n*) ſuccinctæ pinguntur crura Dianæ,
Cum ſequitur fortes, fortior ipſa, feras.
His ego non viſis arſi, quid fiet ab iſtis?
(*o*) In flammam flammas, in mare fundis aquas.
Suſpicior ex iſtis & cætera poſſe placere,
Quæ bene ſub tenui condita veſte latent.
Vis tamen interea faciles arceſſere ventos,
(*p*) Quos faciat noſtra mota tabella manu?
An magis hic meus eſt animi, non aeris, æſtus,
Captaque (*q*) fœmineus pectora torret amor?
Dum loquor, alba (*r*) levi ſparſa eſt tibi pulvere veſtis.
Sordide de niveo corpore pulvis abi.
Sed jam (*ſ*) pompa venit, (*t*) linguis (*u*) animiſque favet.
Tempus adeſt (*x*) plauſus: (*y*) aurea pompa venit.

INTERPRETATIO.

Eras amictus lividus, qui velabas tam pulcra crura: & quo magis aſpicias eras amictus lividus. Milanion cupivit tenuiſſe manibus ſuis talia crura velocis Atalantæ. Talia pinguntur crura Dianæ expeditæ, cum perſequitur feras validas, ipſa validior. Ego flagravi bis nondum viſis; quid futurum eſt ab iſtis viſis? *Immittis ignes in ignem, aquas in æquor. Conjicio ex iſtis reliqua poſſe etiam grata eſſe, quæ bene latent occultata ſub levi amictu. Vis tamen interea accire leves auras, quas flabella agitata manu noſtra moveant? An hic meus ardor magis eſt pectoris, non aeris, & amor puellaris urit cor incenſum? Dum verba facio amictus candidus eſt tibi conſperſus tenui pulvere. Turpis pulvis diſcede a candido corpore. Sed jam pompa accedit: favet linguis & mente. Tempus advenit plauſus: pompa magnifica accedit.*

NOTÆ.

(i) *Talia*) Pulcherrima *ſcil.* qualia habuiſſe fingitur Atalanta Arcadica, quam perdite amaſſe dicitur hic Milanion.

(k) *Atalantes*) *Atalantis* ſcripti: quidam *Atalanta*. De qua varia & diverſa ſcribunt fabularum ſcriptores.

(l) *Fugacis*) *Curſu velocis*.

(m) *Suſtinuiſſe*) Obſcœna honeſte loquitur.

(n) *Succincta*) Ut Deam venatricem decet.

(o) *In flammam*) Proverbiali forma, ſe amore fruentem, viſis dominæ cruribus, dicit accendi.

(p) *Quos faciat*) Puteaneus *facies tabella*: Quidam *faciet*. Alii *quos faciant noſtra mota flabella manu*: Sed priorem in voce *flabella* non poſſe corripi arbitratur clariſ. Heinſius.

(q) *Fœmineus*) *A fœmina te*, ſcilicet; *proveniens*.

(r) *Levi*) Alii *nigro*; multi *brevi*.

(ſ) *Pompa*) Pompa in his ludis dicebatur ordo eorum qui præcedentes Deorum imagines circumferebant, itemque clarorum virorum ſtatuas, quas matronæ carpentis vectæ ſequebantur, &c.

(t) *Linguis*) Quod ad verba & omnia.

(u) *Animiſque*) Quod ad cogitationes fertur.

(x) *Plauſus*) Qui favoris & lætitiæ ſignum eſt.

(y) *Aurea*) *Pulcra*.

Pri-

Prima loco fertur passis (z) Victoria (a) pennis:
(b) Huc ades; (c) & meus hic fac, Dea, vincat amor.
Plaudite (d) Neptuno, (e) nimium qui creditis undis.
Nil mihi cum pelago: me mea terra (f) capit.
Plaude (g) tuo, miles, Marti: nos odimus arma.
Pax juvat, & media Pace repertus Amor.
Auguribus Phœbus, (h) Phœbe venantibus adsit:
(i) Artifices in te verte, Minerva, manus.
(k) Ruricolæ (l) Cereri, (m) teneroque (n) adsurgite Baccho:
(o) Pollucem pugiles, (p) Castora placet eques.
Nos tibi, blanda Venus, (q) puerisque potentibus arcu
Plaudimus: inceptis annue, Diva, meis.
Daque (r) novæ (ſ) mentem (t) dominæ, patiatur amari.
(u) Annuit; & (x) motu signa secunda dedit.
Quod Dea promisit, promittas ipsa rogamus:
(y) Pace loquar Veneris? Tu Dea major eris.

INTERPRETATIO.

Victoria prima transvehitur pennis explicitis: huc accede, & perfice, Dea, hic meus amor vincat. Favete neptuno, qui nimis confiditis mari. Nihil mihi cum æquore; terra mea me tenet. Miles fave tuo Marti: nos odio habemus arma. Pax prodest, & amor inventus pace media. Phœbus faveat vatibus, Phœbe venatoribus: Minerva, converte in te doctas manus. Agricolæ honorate Cererem & mollem Bacchum: pugiles sibi concilient Pollucem: eques Castorem. Nos tibi favemus Venus suavis, & pueris arcu præstantibus: Diva fave meis ausibus; flecte animum novæ Dominæ, ut se sinat amari. Assentita est; & nutu indicia fecit propitia. Oramus ipsa pollicearis quod Dea pollicita est. Cum venia dicam Veneris: tu eris major Dea.

NOTÆ.

(z) *Victoria*) Victoriæ simulacrum.

(a) *Pennis*) Scilicet propter levitatem & inconstantiam alatam fingi debuit Victoria.

(b) *Huc ades*) Quasi dicat, *Mihi amanti faveas.*

(c) *Et meus*) Alii. *Atque meus.*

(d) *Neptuno*) Deus est, cui in divisione Orbis, maris obtigit imperium: Cujus, & in Circensibus simulacrum ferebatur.

(e) *Nimium*) Tacite, quod aperte alicubi Horatius, navigandi studium damnat.

(f) *Capit*) Alii, *tenet.*

(g) *Tuo*) *quem sequeris, & amas*; cujusque simulacrum in pompa vides.

(h) *Phœbe*) Luna, quæ & Diana, etsi Phœbi soror, & venationis Dea.

(i) *Artifices*) *Plaudant tibi artium inventori, qui illis sunt dediti.*

(k) *Ruricolæ*) Alii *agricolæ.*

(l) *Cereri*) Quæ frugum Dea fingitur.

(m) *Tenero*) Qui puer obesulus pingitur.

(n) *Adsurgite*) Honoris causa.

(o) *Pollucem*) Lædæ ex Jove filium qui pugil fuit insignis, & pugnis gaudens, ut loquitur Horat.

(p) *Castora*) Pollucis fratrem, Tindaro satum equis gaudentem, ut ait idem Horat.

(q) *Puerisque*) Amoribus; *scil.* Veneris comitibus.

(r) *Novæ*) Multi habent *novam*: quod maxime placet. Neque vero opus fuit Poetæ sese levem apud amicam profiteri, qui in dies novis amoribus uteretur.

(ſ) *Mentem*) *Animum, voluntatem.*

(t) *Dominæ*) Quidam habent *Domina, ut.*

(u) *Annuit*) Quod signum est favoris & benevolentiæ.

(x) *Motu*) Capitis nutu.

(y) *Pace loquar*) Ejusmodi utimur parenthesi, cum aliquem oratio nostra videtur lædere.

Per (z) tibi tot juro testes pompamque Deorum;
Te dominam nobis tempus in omne (a) peti.
Sed pendent tibi crura: potes, si forte juvabit,
(b) Cancellis (c) primos (d) inseruisse pedes.
(e) Maxima jam (f) vacuo (g) Prætor spectacula Circo
(h) Quadrijuges (i) æquo carcere misit equos.
Cui (k) studeas video: vincet cuicunque favebis:
Quid cupias ipsi scire videntur equi.
(l) Me miserum! metam (m) spatioso circuit orbe.
(n) Quid facis? (o) admoto proximus axe subit.
Quid facis, infelix? perdis bona vota puellæ.
Tende precor valida lora (p) sinistra manu.
(q) Favimus ignavo, (r) sed enim revocate, Quirites;
Et date (s) jactatis undique (t) signa togis.

INTERPRETATIO.

Juro tibi per tot arbitros, & pompam Deorum, te dominam nobis expeti in omne ævum. Sed crura tibi pendent: potes, si forte proderit immisisse extremos pedes clatris. Jam prætor, Circo inani, emisit equos quadrijuges præcipua spectacula æqualibus carceribus. Video cui faveas: superabit cuicumque studebis. Ipsi equi videntur nosse quid optes. Me infelicem! circuit metam vasto ambitu. Quid agis? proximus accede rota admota. Quid agis, miser? corrumpis bona vota puellæ. Attrahe, quæso strenua manu habenas sinistras. Studuimus inerti, sed enim, Quirites repetite; & indicia facite undique togis agitatis.

NOTÆ.

(z) *Tibi tot*) Alii *superos*: sed potior videtur illa lectio altera.

(a) *Peti*) Alii *fore*.

(b) *Cancellis*) Cancelli seu clatri dicuntur ligna aut ferramenta in modum retis, aut aliter etiam, compacta, quibus scenæ, tribunalia, &c clauduntur.

(c) *Primos*) *Primas partes*.

(d) *Inseruisse*) *Imposuisse*: sed magis proprie dixit.

(e) *Maxima*) *Præcipua*: quorum gratia alia erant.

(f) *Vacuo*) Antequam vero e carceribus equi emitterentur, omnes opus fuit e Circo decederent, ne currentibus impedimento essent.

(g) *Prætor*) Cujus officium erat ludis etiam præesse. Alii habent *præco*. Intelligendum est autem Prætoris jussu, tuba currendi signum datum fuisse.

(h) *Quadrijuges*) Quadrigis vero etiam in his ludis Circensibus utebantur.

(i) *Æquo carcere*) Pro *æqualibus carceribus*.

(k) *Studeas*) Alii *faveas*.

(l) *Me miserum*) Dolet Poeta, quod ille, cui favere puella videbatur, non bene curreret.

(m) *Spatioso*) Id vero in hoc genere certaminis industriæ & laboris fuit, ut proxime metam agitator currum inflecteret; ut ne tamen in eam impingeret.

(n) *Quid facis?*) Verba sunt Poetæ ad agitatorem illum, cui favere puellam cognoverat, quasi voce sua illum adjuvare posset. Quæ omnia ideo a Poeta finguntur, ut erga amicam studium & amorem suum declaret.

(o) *Admoto*) Nimium intellige, quo rota frangatur.

(p) *Sinistra*) Ut equi qui nimium in dextram partem & ad metam inclinant, ad sinistram reducantur.

(q) *Favimus*) Non sine adulatione, obiter, ut puellæ benevolentiam sibi concilies, se ei favisse testatur, cui favere ipsam animadverterat.

(r) *Sed enim*) Corrigit, quod victum confessus erat eum, cui favisse puellam cognoverat; quasi in ejus gratiam cursum aut certamen iterare oportuerit. Quæ omnia ad puellæ gratiam promerendam comparata sunt.

(s) *Jactatis*) Togarum enim jactatio signum erat revocationis.

(t) *Signa*) Revocationis *scil.*

En

En revocant: at, ne turbet (*u*) toga mota capillos,
In nostros abdas te licet usque sinus.
Jamque patent (*x*) iterum (*y*) reserato carcere postes.
(*z*) Evolat admissis (*a*) discolor agmen equis.
Nunc saltem (*b*) supera, spatioque (*c*) insurge patenti:
Sint mea, sint dominæ fac rata vota meæ.
(*d*) Sunt dominæ rata vota meæ: (*e*) mea vota supersunt.
Ille tenet (*f*) palmam: palma petenda (*g*) mihi est.
(*h*) Risit, & (*i*) argutis quiddam promisit ocellis.
(*k*) Hoc satis (*l*) hic: alio cætera redde loco.

INTERPRETATIO.

Ecce repetunt; at ne toga agitata confundat crines, licet te abscondas penitus in nostrum gremium. Jamque iterum aperti sunt postes carceribus resolutis. Discolor agmen prorumpit equis incitatis. Nunc saltem vince, & incumbe campo aperto. Fac vota mea & Domina mea sint firma. Sunt firma vota domina mea, mea vota restant. Ille habet palmam: palma mihi quarenda est. Risit & pollicita est quiddam oculis disertis. Hoc satis hic: da reliqua in alio loco.

NOTÆ.

(u) *Toga*) Romanorum *scil.* qui togæ jactatione revocationis signum dabant.

(x) *Iterum*) In puellæ gratiam revocatos fuisse aurigantes & certantes Poeta fingit.

(y) *Reserato*) *Apertis*, ut emittantur equi, *carceribus*.

(z) *Evolat*) Alii & *volat*. Optimus Palatinus *Advolat*. Id est. *Tam velociter currit, ut volare videatur.*

(a) *Discolor*) In factiones quatuor divisi erant aurigantes coloribus variis Veneto, seu Caruleo, Prasino seu viridi, Albo & Roseo per respectum ad anni tempestates, Elementa, aut etiam Deos, pro varia superstitione distincti: quibus factionibus duas aurati, purpureique panni Domitianus addidit.

(b) *Supera*) *Reliquos vince*. Agitatorem cui favebat puella perinde compellat Poeta, ac si ille audiret, aut verba sua aliquid ad victoriam conferrent: idque totum in puellæ gratiam.

(c) *Insurge*) Profecto mire expressit: ut Poetæ contentionem, & equorum currentium conatum cernere videamur. Cæterum notandum est, populum Romanum, imo & Imperatores ipsos eousque pro ea factione tuenda cui addicti fuissent insanivisse, ut inde cædes multæ ortæ fuerint.

(d) *Sunt dominæ*) Victorem videbat eum agitatorem, cui favebat puella.

(e) *Mea*) *Quæ sunt, ut mihi in amore meo faveat puella.*

(f) *Palmam*) Quæ victoriæ *signum*.

(g) *Mihi*) Quidam *mea*.

(h) *Risit*) Puella *scil.* ut Poetæ votis annuere intelligatur.

(i) *Argutis*) Quasi acute animi affectum declarantibus.

(k) *Hoc satis*) Alii *Hæc satis*. De puellæ nutu loquitur.

(l) *Hic*. In Circo.

ELEGIA III.

De amica, quæ pejeraverat.

ESse Deos, (*a*) i, crede: (*b*) fidem jurata fefellit:
Et (*c*) facies illi, quæ fuit ante, manet.

INTERPRETATIO.

Abi, crede Deos esse: jurata pejeravit: & vultus qui fuit prius illi permanet.

NOTÆ.

(a) *I crede*) Hanc lectionem ex Puteaneo, & optimo Palatino, ubi legitur *hic crede*, multi asseruit clar. Heinsius. Alii habent *Credamne*. Similis est argumenti Ode apud Horatium lib. 2. Carminum.

(b) *Fidem fefellit*) *Pejeravit*.

(c) *Facies*) Non deformata est, nec ullo modo ob perjurium punita.

Quam (*d*) longos habuit nondum perjura capillos,
Tam longos, poſtquam numina (*e*) luſit, habet.
Candida candorem roſeo (*f*) ſuffuſa rubore
Ante ſtetit: (*g*) niveo lucet in ore rubor.
Pes erat exiguus: pedis eſt (*h*) arctiſſima forma.
Longa decenſque fuit: (*i*) longa decenſque manet.
(*k*) Argutos habuit, radiant ut ſidus, ocellos;
(*l*) Per quos mentita eſt perfida ſæpe mihi.
Scilicet (*m*) æterno falſum jurare puellis
Di quoque concedunt; formaque (*n*) numen habet.
Perque ſuos illam nuper juraſſe recordor,
Perque meos oculos; & (*o*) doluere mei.
Dicite, Di; ſi vos impune (*p*) fefellerit illa;
Alterius (*q*) meritis cur ego (*r*) damna tuli?
(*ſ*) At non invidiæ vobis (*t*) Cepheja virgo eſt,
Pro (*u*) male formoſa juſſa parente mori.
Non ſatis eſt, quod vos habui (*x*) ſine pondere teſtes,
Et (*y*) mecum luſos ridet inulta Deos:

INTERPRETATIO.

Perjura gerit tam prolixam comam, poſtquam fefellit Deos, quam habuit prolixam nondum perjura. Antea fuit nivea ſuffuſum habens nitorem rubore roſeo; rubor uitet in ore candido. Pes erat parvus; pedis figura eſt breviſſima. Procera fuit & decora; procera & decora permanet. Habuit oculos coruſcantes, per quos perfida ſæpe mihi eſt mentita, quaſi Sol eſſent micant. Nimirum Dii quoque permittunt puellis ſemper pejerare; & pulchritudo habet numen. Et memini illam nuper juraſſe per ſuos & meos oculos; & mei doluerunt. Loquimini Dii; ſi vos illa inulta deceperit, quamobrem ego diſpendia paſſus ſum admiſſi alterius? At virgo Cepheja coacta obire pro male pulchra matre, non eſt vobis invidiæ. Non ſufficit, quod vos habuit arbitros nullius momenti, & impune irridet Deos mecum deceptos:

NOTÆ.

(d) *Longos*) Nempe etiam ad pulchritudinem faciunt prolixi capilli.

(e) *Luſit*) Alii *læſit*. Luduntur vero & læduntur Dii, quorum numen pejerando contemnitur.

(f) *Suffuſa*) Id eſt, *ſuffuſum habens candorem*. Græciſmus.

(g) *Niveo*) *Non minus rubor in ore candido poſt perjurium enitescit.*

(h) *Arctiſſima*) Alii *apertiſſima*.

(i) *Longa decenſque*) *Longa cum decore*: quod rarum.

(k) *Argutos*) *Micantes*; *radiantes*.

(l) *Per quos*) Per oculos ſuos jurabant etiam puellæ: quod ex Tibullo liquet.

(m) *Æterno*) Alii *æternum*, *æterni*.

(n) *Numen habet*) *Habet jus & poteſtatem*; quaſi in Diis eſſet, & Dea, cui Dii ipſi obſequantur.

(o) *Doluere mei*) Quaſi ex puellæ perjurio hic dolor provenerit.

(p) *Fefellerit*) *Fefellerat* meliores.

(q) *Meritis*) Plerique omnes *meriti*.

(r) *Damna*) Oculorum dolorem *ſcil.*

(ſ) *At non*) Ironia eſt; quaſi jam ſatis magnam dicat in Deos flagrare invidiam ob Andromedem injuſte punitam; ut nihil neceſſe ſit inſuper ipſum ob puellæ male facta torquere.

(t) *Cepheja*) Andromeda eſt Cephei Æthiopum regis & Caſſiopes filia, ob matris ſuperbiam, quæ ſe Nereides forma ſuperare gloriabatur, monſtro marino, Jovis Ammonis oraculo ad placandas Nereides expoſita. Quam tamen liberavit & uxorem duxit Perſeus Danaes & Jovis filius.

(u) *Male*) Quia cum ſuperbia, in maximum filiæ periculum.

(x) *Sine pondere*) Quos amicæ impune perjurio violare licuit.

(y) *Mecum ridet*) Ambiguitas eſt ex ſcopo intelligenda. Non ſe Deos, ſed Amicam ſe una & Deos dicit irridere.

Ut

Ut sua per nostram redimat perjuria pœnam,
(z) Victima deceptus decipientis ero?
(a) Aut sine re nomen Deus est, frustraque timetur;
Et stulta populos credulitate movet:
Aut, si quis Deus est, teneras amat ille puellas;
Et nimium solas omnia posse jubet.
(b) Nobis (c) fatifero Mavors acccingitur ense;
Nos petit invicta Palladis hasta manu.
Nobis flexibiles curvantur Apollinis arcus:
In nos alta Jovis dextera fulmen habet.
Formosas superi metuunt offendere læsi:
Atque ultro, quæ se non timuere, timent.
Et quisquam pia thura focis imponere (d) curat?
Certe (e) plus animi debet inesse viris.
Jupiter igne suo lucos (f) jaculatur & arces,
Missaque perjuras tela ferire vetat.
(g) Tot meruere (h) peti: (i) Semele miserabilis (k) arsit:
(l) Officio est illi (m) pœna reperta suo:

INTERPRETATIO.

ut exsolvat perjuria per nostrum supplicium; ego *delusus ero victima deludentis? Aut Deus est nomen sine re, & in cassum reformidatur*. *& percellit populos inepta credulitate: aut si quis est Deus, ille diligit molles puellas: & imperat solas nimis posse omnia. Mars armatur gladio letifero contra nos: hasta Palladis nos appetit manu insuperabili. In nos tenduntur arcus lenti Apollinis: manus excelsa Jovis habet fulmen in nos. Dii offensi verentur lædere pulchras: & sponte metuunt quæ se non metuerunt. Et quisquam sit solicitus immittere aris pia thura? Profecto plus debet esse stomachi viris. Jupiter ferit suo fulmine lucos & arces: & prohibet tela immissa tangere perjuras. Tot digna sunt tangi. Semele flebilis flagravit; illi supplicium inventum est suo merito.*

NOTÆ.

(z) *Victima*) Id est, *Insons ego & deceptus; cur in decipientis & sontis gratiam pœnas feram?*

(a) *Aut*) Vides, Lector, quam inique aliis nimium licere queratur, qui sibi omnia etiam in Deos licere putat. Sed, de more fit: queruntur potissimum de aliorum injuria qui sunt maxime injurii. Queri vero potuerit Naso de deorum colluvie revera stultorum terriculamento; Sed de vero, solo immortali Deo quid sentire, & quomodo de eo loqui debeamus, Christus Deus & spiritus docuerunt.

(b) *Nobis*) *In nos viros*: ut puellis & Mars & omnes Dii parcant.

(c) *Fatifero*) *Letifero; mortifero*.

(d) *Curat*) Optimus Palatinus *curet*? Sed & illa optima lectio.

(e) *Plus animi*) *Quam ut pusillaminis & injustis ejusmodi diis, nequidem hominibus; sacra faciant*, supple.

(f) *Jaculatur*) Cum lucis & sacris arcibus parcere deberet. Jovem accusat.

(g) *Tot*) Puellæ *scil.*

(h) *Peti*) Jovis fulmine *scil.*

(i) *Semele*) Cadmi Thebarum regis fuit filia; ex qua Jupiter Bacchum suscepit. Quam fabulam postea in Metamorphosi videbimus.

(k) *Arsit*) Quippe quæ Jovem in amplexus suos, quomodo cum Junone legitima uxore solitus erat, illius dolo venientem tolerare non potuit.

(l) *Officio*) Quæ Jovi obsecuta est, & ejus passa est concubitus.

(m) *Pœna*) Quia arsit. Jovem Deosque injustitiæ arguit.

At si venturo se subduxisset amanti,
(n) Non (o) pater in (p) Baccho matris haberet onus.
Quid queror, & (q) toti facio convitia (r) cælo?
Di quoque habent (s) oculos: Di quoque pectus habent.
Si Deus ipse forem; numen (t) sine fraude liceret
Fœmina mendaci falleret ore meum.
(u) Ipse ego jurarem verum (x) jurare puellas;
Et non de tetricis dicerer esse (y) Deus.
Tu tamen illorum moderatius utere (z) dono.
Aut oculis certe parce, puella, meis.

INTERPRETATIO.

At si se surripuisset amanti accessuro, pater non haberet in Baccho ferendo matris onus. Quamobrem queror & probra objicio omnibus Diis? Dii quoque habent oculos; Dii quoque cor habent. Si ipse essem Deus; concessum esset, puella deluderet impune falso ore meum numen. Ipse ego jurarem puellas verum jurare; & non dicerer esse Deus de truculentis. Tu tamen puella parcius utere beneficio illorum: aut certe ignosce meis oculis.

NOTÆ.

(n) *Non haberet*) Id est; *Extincta non esset Semele, si Jovi repugnasset.* Deos pergit injustitiæ accusare.

(o) *Pater*) Jupiter *scil.* qui Bacchum, ex utero matris adhuc immaturum, fœmori suo insuit; unde bimater & Dithyrambos quod per duas portas transierit, dictus est.

(p) *Baccho*) Fetendo *scil.*

(q) *Toti*) A.ii toto.

(r) *Cælo*) pro Diis, qui cœlum incolunt.

(s) *Oculos*) Quibus ad amandum pelliciantur.

(t) *Sine fraude*) *Impune.*

(u) *Ipse ego*) Se etiam dicit, si Deus esset, puellarum perjurium perjurio excusaturum.

(x) *Jurare*) Alii *jurasse.*

(y) *Deus*) Alii *Deis.*

(z) *Dono*) Quo impune pejerare potes, *scilicet.*

ELEGIA IV.

Ad virum servantem conjugem.

DUre vir, imposito teneræ custode puellæ,
(a) Nil agis: ingenio quæque tuenda suo.
Si qua (b) metu demto casta est: ea denique casta est:
Quæ, quia nec liceat, non facit; illa facit.
Et jam servaris bone corpus; adultera mens est:
Nec custodiri, ni velit, illa potest.

INTERPRETATIO.

VIr sæve, perdis operam custode addito molli puellæ. Unaquæque custodienda est sua indole. Si aliqua pudica est remoto timore; ea tandem est pudica. Quæ non facit, quia non datur, illa facit. Tametsi bene corpus custodiveris; animus est impurus: nec ille potest servari nisi assentiatur.

NOTÆ.

(a) *Nil agis*) *Frustra labores*; qui animum servare non possis.

(b) *Metu demto*) *Cum sine mali metu peccare possit.*

(c) *Adultera*) Nihil mirum agitur, Christus si a suis puram mentem desiderat.

Nec mentem ſervare potes, licet omnia *(d)* claudas.
Omnibus *(e)* occluſis intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus: ipſa poteſtas
(f) Semina *(g)* nequitiæ languidiora facit.
Deſine (crede mihi) vitia irritare vetando:
Obſequio *(h)* vincas aptius *(i)* illa tuo.
Vidi ego nuper equum, contra ſua *(k)* vincla tenacem
Ore reluctanti *(l)* fulminis ire modo.
Conſtitit, ut primum conceſſas ſenſit habenas,
Frænaque in *(m)* effuſa laxa jacere juba.
NITIMUR IN VETITUM SEMPER, CUPIMUSQUE NEGATA.
Sic interdictis imminet *(n)* æger aquis.
Centum fronte oculos, *(o)* centum cervice gerebat
(p) Argus: & hos unus ſæpe *(q)* fefellit Amor.
In *(r)* thalamum Danae *(ſ)* ſaxo ferroque *(t)* perennem
Quæ fuerat virgo tradita, mater erat.
(u) Penelope manſit, quamvis cuſtode carebat
Inter tot juvenes intemerata procos.
Quidquid ſervatur, cupimus magis: ipſaque furem
Cura *(x)* vocat. pauci, quod ſinit alter, amant.

INTERPRETATIO.

Nec potes cuſtodire animum, quamvis omnia obſeres. Omnibus obſeratis adulter erit intus. Cui conceſſum eſt delinquere, minus delinquit: ipſa licentia remiſſiora reddit ſemina laſciviæ. Omitte, crede mihi, inſtigare pravitatem prohibendo: aptius illam exſcindas obſequio tuo. Ego nuper vidi equum firmum adverſus ſuas habenas, ore renitente, currere more fulminis. Curſum inhibuit, cum primum ſenſit lora admiſſa, & habenas fluentes ſedere in ſparſa juba. TENDIMUS SEMPER IN EA QUÆ PROHIBITA SUNT, ET EXPERIMUS QUÆ NON SUNT CONCESSA. *Sic ægrotus inhiat aquis prohibitis. Argus habebat centum oculos in fronte, centum in cervice, & ſæpe unus amor hos decepit. Danae quæ fuerat virgo immiſſa in cubiculum invictum ſaxo & ferro, erat mater. Penelope, quamvis incuſtodita perſtitit incorrupta inter tot juvenes procos. Quidquid cuſtoditur, magis deſideramus: & ipſa cuſtodia accerſit furem: pauci amant quod alter concedit.*

NOTÆ.

(d) *Claudas*) Alii *ſervet*.
(e) *Occluſis*) Alii *excluſis*.
(f) *Semina*) Optime vim inſitam ſeminis nomine expreſſit.
(g) *Nequitiæ*) *Laſcivia*.
(h) *Vincas*) Alii *vinces*.
(i) *Illa*) Alii *ipſe*.
(k) *Vincla*) Alii *frena*.
(l) *Fulminis modo*) *Velociſſime*.
(m) *Effuſa*) Alii *effuſis jubis*.
(n) *Æger*) Hydropicus: qui ſemper aquam morbi cauſam appetit.
(o) *Centum*) *Plurimos*. Nam alibi Poeta centum tantum circum caput tribuit.
(p) *Argus*) Cui Ius pellicis in vaccam mutatæ Juno curam commiſerat. De quo antea.
(q) *Fefellit*) Quaſi cum Io Jovem dicat concubuiſſe poſtquam Argo cuſtodienda tradita eſt.
(r) *Thalamum*) Alii *thalamo perenni*.
(ſ) *Saxo*) Scribit Pauſanias in Corinthiacis, ſubterraneum fuiſſe conditorium, ibique thalamum ex ære.
(t) *Perennem*) *Invictum, & perpetuo cinctum*.
(u) *Penelope*) Tutius eſſe puellam incuſtoditam relinquere pergit exemplo comprobare.
(x) *Vocat*) Alii *facit*.

Nec facie placet illa sua, sed amore mariti.
Nescio quid, quod te ceperit, esse putant.
(y) Non proba sit, quam vir servat, sed adultera; (z) cara est.
Ipse (a) timor pretium corpore majus habet.
Indignere licet; juvat in concussa voluptas.
Sola placet, (b) *Timeo*, dicere si qua potest.
Nec tamen ingenuam jus est servare puellam.
Hic metus externæ corpora gentis (c) agat.
(d) Scilicet ut possit custos, *Ego*, dicere, (e) *feci*,
In (f) laudem servi (g) casta sit illa tui.
Rusticus est nimium, quem lædit adultera conjux;
Et notos (h) mores non satis Urbis habet:
In qua (i) Martigenæ non sunt sine (k) crimine nati
Romulus (l) Iliades Iliadesque Remus.
(m) Quo tibi formosam, si non nisi casta placebat?
Non possunt ullis (n) ista (o) coire modis.
Si sapis, indulge Dominæ; vultusque severos
Exue: (p) nec rigidi jura tuere viri.

INTERPRETATIO.

Neque illa arridet sua pulchritudine, sed amore mariti. Nescio quid esse arbitrantur quod te delinierit. Non sit pudica quam vir custodit, sed adultera; grata est. Ipse metus habet laudem majorem corpore. Licet succenseat, gaudia denegata, grata sunt. Si aliqua potest dicere, Metuo, *sola grata est. Nec tamen licet custodire puellam liberam. Hic timor felicitet corpora nationis peregrinæ. Nempe ut custos possit dicere*, Ego feci, *illa sit pudica in gloriam tui servi. Nimium difficilis est quem uxor adultera offendit; & non satis habet perspectos mores Urbis; in qua Romulus Iliades & Remus Iliades Martigenæ, non sunt nati sine flagitio. Quorsum tibi pulchram* cupivisti, *si non nisi pudica arridebat? Ista nullo modo possunt cohærere. Si sapis, da veniam Dominæ; & frontem sævam depone; nec utere potestate viri asperi.*

NOTÆ.

(y) *Non proba sit*) Id est; *Pone probam non esse*.

(z) *Cara est*) Quia servatur, *scilicet*.

(a) *Timor*) Id est, Mariti timore magis quam corporis pulchritudine censetur & puella cara est.

(b) *Timeo*) *Mariti* scil. *aut alicujus minas*, &c.

(c) *Agat*) *Vexet*.

(d) *Scilicet*) Irrisio est maritorum, qui ut uxores custodiant, servis eas obtrudunt.

(e) *Feci*) *Domini uxorem vitiavi*.

(f) *Laudem*) Qui stulto marito imposuerit.

(g) *Casta sit*) Quantum ad mariti curas attinet *scil.*

(h) *Mores*) Egregios vero mores! Atqui non alii magis animi & corporis interitum possunt accellerare. Neque adeo aliud credo peccatum nos magis a Deo separare quam libidinem. Pestis ea est periculosissima; quamque sine maxima cura, & peculiari Dei dono, vix ac ne vix quidem quisquam effugiat.

(i) *Martigenæ*) *Marte geniti*. Hoc dicit per respectum ad Remum & Romulum Marte & Ilia Numitoris filia ortos.

(k) *Crimine*) Maximo quidem, cum Vestalis fuerit Ilia, cui virum attingere nefas.

(l) *Iliades*) *Ilia genitus*.

(m) *Quo*) Alii *Quid tibi formosa; formosa tibi*.

(n) *Ista*) Forma & Castitas.

(o) *Coire*) *Simul esse*.

(p) *Nec tuere jura*) *Ne sis severus*.

Et -

Et cole quos dederit (multos dabit) uxor amicos.
Gratia fic (*q*) minimo magna labore venit.
Sic poteris juvenum convivia femper inire:
Et, quæ non dederis, multa videre domi:

INTERPRETATIO.

Et observa amicos quos uxor præbuerit (multos præbebit.) Sic magna gratia conciliatur minima opera. Sic poteris semper adesse epulis juvenum; & aspicere domi multa quæ non præbueris.

NOTÆ.

(q) *Minimo magna*) Lepidiffima antithefis.

ELEGIA V.

Somnium. Elegia quæ ex MSS. huc revocata est.

NOX erat; & fomnus (*a*) laffos (*b*) fummifit ocellos.
(*c*) Terruerunt animum talia vifa meum.
Colle fub (*d*) aprico (*e*) celeberrimus ilice lucus
Stabat; & in ramis multa latebat avis.
(*f*) Area gramineo fuberat viridiffima prato,
(*g*) Uvida de guttis lene fonantis aquæ:
Ipfe fub arboreis vitabam frondibus æftum;
Fronde fub arborea fed tamen (*h*) æftus erat.
Ecce, petens variis immiftas floribus herbas,
Conftitit ante oculos candida vacca meos.
Candidior nivibus, tunc cum cecidere recentes;
In liquidas nondum quas mora vertit aquas.
Candidior, quod adhuc fpumis ftridentibus albet,
Et modo ficcatam, lacte, (*i*) relinquit ovem.

INTERPRETATIO.

NOX erat, & somnus clausit defessos oculos. Talia somnia perculerunt mentem meam. Lucus densissimus Ilice erat sub aprico colle; & plurima avis sedebat in frondibus. Campus suberat viridissimus prato herboso, humidus ex guttis aquæ leniter strepentis. Ipse fugiebam calorem sub frondibus arboreis: sed tamen ardor erat sub foliis arboreis. Ecce vacca alba quærens gramina implicita diversis floribus substitit ante oculos meos. Splendidior erat nivibus, tunc cum nova sparsa sunt; quas tempus nondum mutavit in aquas fluidas. Splendidior lacte, quod adhuc albet spumis crepitantibus, & modo deseruit ovem mulctam.

NOTÆ.

(a) *Laffos*) Alii *lapsos*.
(b) *Summifit*) *Claufit*.
(c) *Terruerunt*) Alii *terruerant*.
(d) *Aprico*) *Soli expofito*: adeoque floribus, aliifque rebus amœniffimo.
(e) *Celeberrimus*) *Frequentia celebratus*.
(f) *Area*) *Campus*; *Planicies*.
(g) *Uvida*) Alii *humida*.
(h) *Æstus*) Ex ferventibus cogitationibus, & phantafiæ illufionibus.
(i) *Relinquit*) *Reliquit* alii.

Tau-

Taurus erat comes huic, (*k*) feliciter ille maritus:
Cumque ſua (*l*) teneram conjuge preſſit humum.
Dum jacet, & lente revocatas ruminat herbas,
Atque iterum paſto paſcitur ante cibo;
Viſus erat, ſomno vires adimente, (*m*) ferenti
Cornigerum (*n*) terræ depoſuiſſe caput.
Huc levibus cornix pennis delapſa per auras
Venit; & in viridi garrula ſedit humo.
Terque bovis (*o*) niveæ (*p*) petulanti pectora roſtro
Fodit; & albentes (*q*) abſtulit ore (*r*) jubas.
Illa locum taurumque (*ſ*) diu cunctata relinquit;
Sed niger in vaccæ pectore (*t*) livor erat.
Utque procul vidit carpentes pabula tauros;
(Carpebant tauri pabula læta procul)
Illuc ſe rapuit, gregibuſque immiſcuit illis;
Et petiit herbæ (*u*) fertilioris (*x*) humum.
Dic, age, nocturnæ, quicunque es, imaginis augur,
Si quid habent veri viſa quid iſta ferant.
(*y*) Sic ego: nocturnæ ſic dixit imaginis augur,
(*z*) Expendens animo ſingula viſa ſuo.

INTERPRETATIO.

Taurus erat huic comes, ille feliciter maritus; & in terram ſe demiſit cum ſua molli compare. Dum recubat, & ruminat herbas paulatim retractas, atque iterum paſcitur eſca ante depaſta; viſus erat, ſomno vires ſubtrahente, demiſiſſe caput cornigerum in terra feraci. Huc acceſſit cornix devecta per aerem pennis levibus; & loquax quievit in terra virente. Et ter impetiit pectus vaccæ candidæ ore pervicaci; & abripuit roſtro pilos albos. Illa diu commorata locum & taurum deſtituit. Sed ater livor erat in pectore juvencæ. Et ut procul aſpexit tauros paſcentes; (tauri procul paſcebant pabula luxuriantia;) illuc accurrit, & ſe immiſit illis armentis; & petiit terram graminis fœcundioris. Dic, age, quiſquis es interpres nocturni ſimulacri, (ſi quid habeat veri) quid iſta ſomnia portendant. Sic ego: ſic locutus eſt interpres ſomnii nocturni, ſingula quæque oſtenta mente ſua revolvens.

NOTÆ.

(k) *Feliciter*) Qui candidiſſimam conjugem haberet.

(l) *Teneram*) Propter herbas.

(m) *Ferenti*) Alii *ferendi*.

(n) *Terra*) Duo *terra*.

(o) *Nivea*) Per iſtum colorem amicæ ſimplicitas & candor intelligitur.

(p) *Petulanti*) Hinc lenæ procacitatem maximam cognoſcas.

(q) *Abſtulit*) Adeoque & probitatem, quamquam non ſine labore.

(r) *Jubas*) Proprie longiores pili dicuntur jubæ, qui quorumdam animalium, equorum puta, colla veſtiunt.

(ſ) *Diu cunctata*) Quo diu reluctatam fuiſſe puellam intelligitur.

(t) *Livor*) Proprie macula eſt ſubnigra ex percuſſione facta. Sed etiam pro invidia ſumitur: ut ex vetulæ, quam per cornicem cognoſcas, pernicioſo ſuaſu, Poetæ gaudia invidiſſe puellam intelligatur.

(u) *Fertilioris*) Largioribus quam a ſe darentur muneribus corruptam puellam demonſtrat.

(x) *Humum*) Alii *opem*.

(y) *Sic ego*) *Loquutus ſum*, ſupple; verbaque feci ad augurem.

(z) *Expendens*) Alii *Exponens*, *Expediens*, Duo *Extendens*: Unus *Attendens*: Alius *Excedens*: Alius *Excutiens*. Vulgati quidam non male, *Excudens*.

Quum

Quem tu mobilibus foliis vitare (a) volebas,
Sed male vitabas, æstus amoris erat.
Vacca puella tua est, aptus color ille puellæ.
Tu vir, & in vacca compare taurus eras.
Pectora (b) quod rostro cornix fodiebat acuto;
Ingenium dominæ (c) lena (d) movebit anus.
Quod cunctata diu taurum (e) sua vacca reliquit;
Frigidus in viduo (f) destituere toro.
Livor, & adverso maculæ sub pectore nigræ;
Pectus adulterii labe carere negant.
Dixerat interpres. gelido mihi (g) sanguis ab ore
Fugit; & ante oculos nox stetit alta meos.

INTERPRETATIO.

Ardor quem tu quærebas effuere frondibus flexilibus, sed male effugiebas, erat ardor amoris. Vacca puella tua est: ille color idoneus puellæ. Tu vir eras, & taurus in vacca conjuge. Quod cornix percellebat pectus ore adunco: anus lena sollicitabit animum dominæ. Quod sua vacca diu morata destituit taurum; relinqueris solus in lecto derelicto. Livor & labes atra sub pectore opposito negat pectus carere turpitudine adulterii. *Absolverat Augur: sanguis mihi recessit a facie frigida; & caligo oborta est meis oculis.*

NOTÆ.

(a) *Volebas*) Poetam compellat Augur.
(b) *Quod rostro*) Quasi dicat, *Quod ad somnii tui partem illam qua vidisti*, &c.
(c) *Lena*) Alii *lene*.
(d) *Movebit*) *Pervertet; A te alienabit.*
(e) *Sua*) Tauri nempe.
(f) *Destituere*) *Relinqueris.*
(g) *Sanguis*) Nimii timoris & doloris indicium

ELEGIA VI.

Ad amnem, dum iter faceret ad amicam.

(a) AMnis, arundinibus limosas (b) obsite ripas,
(c) Ad dominam propero; siste parumper aquas.
Nec tibi sunt pontes, nec quæ sine remigis ictu
Concava (d) trajecto cymba rudente vehat.

INTERPRETATIO.

AMnis, circumsitas habens ripas lutulentas cannis, festino ad dominam: retine parumper aquas. Nec sibi sunt pontes, nec navicula concava quæ transferebat absque percussu remigis, fune transjecto.

NOTÆ.

(a) *Amnis*) Torrens potius erat: sed honesto nomine utitur.
(b) *Obsite ripas*) *Obsitas habens ripas.* Græcismus.
(c) *Ad dominam*) Ne prima fronte arrogans videatur causam petitioni præponit.
(d) *Trajecto*) *Trans flumen jacto.* Quem fune trajiciendi morem multis in locis hodieque conspicimus.

Par-

Parvus eras, memini; nec te transire *(e)* refugi:
Summaque vix talos contigit unda meos.
Nunc ruis *(f)* adposito nivibus de monte solutis,
Et turpi *(g)* crassas *(h)* gurgite volvis aquas.
(i) Quid properasse juvat? quid *(k)* parca dedisse quieti
Tempora? quid *(l)* nocti conseruisse diem?
Si tamen hic standum; si non datur artibus ullis
Ulterior nostro ripa premenda *(m)* pedi?
Nunc ego, quas habuit pennas *(n)* Danaeius heros,
Terribili densum cum tulit *(o)* angue *(p)* caput;
Nunc opto *(q)* currum; de quo *(r)* Cerealia primum
Semina venerunt in *(s)* rude missa solum.
Prodigiosa loquor veterum mendacia vatum.
Nec tulit hæc, *(t)* nec fert, nec feret ulla dies.
Tu potius, ripis *(u)* effuse capacibus amnis,
(x) (Sic æternus eas) *(y)* labere fine tuo.

INTERPRETATIO.

Parvus eras, recordor; nec metui te transgredi; & vix suprema aqua tinxit meos talos. Nunc cum impetu curris nivibus liquefactis de monte vicino, & devolvis obscœno alveo aquas turbidas. Quid prodest festinasse? Quid præbuisse exigua spatia somno? Quid conjunxisse diem nocti; si tamen hic subsistendum; si nullo artificio ripa ulterior conceditur calcanda nostro pedi? Nunc ego expeto alas quas heros Danaejus habuit, cum abstulit caput spissum serpente formidabili; nunc expeto *currum; de quo semina Cerealia primum in incultam terram sparsa provenerunt. Portentosa refero figmenta antiquorum Poetarum. Nec ulla ætas hæc vidit, nec videt, nec videbit. Tu potius amnis evagate vastas ripas; (sic perennis fluas) flue inter tuos terminos.*

NOTÆ.

(e) *Refugi*) *Recusavi.*

(f) *Adposito*) Alii *opposito.*

(g) *Crassas*) Propter admixtum limum.

(h) *Gurgite*) *Profundo alveo.*

(i) *Quid proper.*) Quasi dicat, *Nihil mihi prodest ante lucem surrexisse.*

(k) *Parca*) Alii *parva*; *pauca.*

(l) *Nocti conseruisse*) *Junxisse.* Ille vero nocti diem connectere videtur, qui ex nocte diem facit, aut nocte, quod die fieri solet, exequitur.

(m) *Pedi?*) Pendet sensus ex interrogatione præcedenti.

(n) *Danaejus*) Perseus Jovis & Danes filius qui Andromeden liberavit: de quo antea.

(o) *Angue*) Pro anguibus; qui ex Medusæ crinibus, Palladis ira, facti sunt.

(p) *Caput*) Medusæ caput intelligit; ad cujus visum omnes in lapides vertebantur; quod, Mercurii talaribus, ense falcato, itemque Minervæ crystallino scuto instructus Perseus, abscidit.

(q) *Currum*) Quo, ab alatis draconibus per aera tracto, Triptolemus, qui primus in Græcia frumenti usum, & agriculturam docuit, olim, ut fabulæ tradunt, vectus est.

(r) *Cerealia*) Id est, fruges: quarum Ceres dea dicitur.

(s) *Rude*) *Incultum*; quod aratrum ante non laeserat.

(t) *Nec fert*) Alii plurimi *unquam.*

(u) *Effuse*) *Qui ripas tuas transgressus es.*

(x) *Sic æternus eas*) Siccantur ut plurimum æstate ejusmodi rivuli: Adeoque huic perennes aquas exoptat Poeta, si jam sibi viam faciat.

(y) *Labere fine tuo*) *Ne exundes, aut aquas extra alveum solitum effundas.*

(z) Non

(z) Non eris invidiæ, (a) torrens (mihi crede), ferendæ,
Si dicar per te forte retentus amans.
Flumina deberent juvenes in amore juvare:
Flumina senserunt ipsa, quid esset amor.
(b) Inachus in (c) Melie Bithynide (d) pallidus isse
Dicitur, & gelidis (e) incaluisse vadis.
(f) Nondum Troja fuit (g) lustris obsessa duobus,
Cum rapuit vultus, (h) Xanthe, (i) Neæra tuos.
Quid? non (k) Alpheon diversis currere terris
Virginis (l) Arcadiæ certus adegit amor?
Te quoque promissam Xantho, (m) Penee, (n) Creusam
(o) Phthiotum terris occuluisse ferunt.
Quid referam (p) Asopon, quem cepit (q) Martia (r) Thebe,
Natarum Thebe quinque futura parens?

INTERPRETATIO.

Non er's pat invidia exaurienda (mihi crede) torrens; si forte amator perhibear per te repressus. Flumina deberent opem ferre adolescentibus in amore: ipsi fluvii sunt experti quid esset amor. Inachus perhibetur fluxisse pallidus in Melie Bithynide, & arsisse in vadie frigidis. Nondum Troja fuit oppugnata decem annis, cum Neæra detinuit tuos oculos, o Xante. Quid? Vehemens amor puellæ Arcadiæ non subegit Alpheon sluere terris disfitis? Ajunt etiam te Penee abdidisse terris Phthiotum Creusam desponsatam Xantho. Quid referam Asopon, quem Thebe Martia, Thebe futura mater quinque filiarum, ad amandum pellexit?

NOTÆ.

(z) *Non eris*) *Non par eris ferendæ invidiæ.*

(a) *Torrens*) Flumen est ex aquis pluvialibus & nivalibus.

(b) *Inachus*) Fluvius Achajæ, qui tractum secat Argolicum.

(c) *Melie*) Nympha fuit, ex qua Amycum Bebryciæ seu Bithyniæ in Asia regem Neptunus suscepit.

(d) *Pallidus*) Quo colore indicatur Amor.

(e) *Incaluisse*) Amore *scil.*

(f) *Nondum*) Id est, *Deleta non erat Troja.*

(g) *Lustris*) Latinis lustrum spatium est quinque annorum; idem quod Græcis Olympias.

(h) *Xanthe*) Rivulus fuit in agro Trojano.

(i) *Neæra*) Nomen est nymphæ; quam amavit Xanthus.

(k) *Alpheon*) Fuit Alpheus, Elidis, in Peloponneso fluvius: quem per subterraneos meatus Arethusam in Siciliam persequutum, fabulati sunt Poetæ. Qua de re postea in Metamor.

(l) *Arcadiæ*) Quæ in Arcadia vixit, Peloponnesi parte. Fuit vero ea Arethusa, Dianæ comes, quam cum Alpheus persequeretur, in ejus nominis fontem Diana transmutavit.

(m) *Penee*) Fluvius est Thessaliæ inter montes Ossam & Olympum.

(n) *Creusam*) Ex qua Naide & Peneo Hypseum Lapitharum regem ortum scribit Pindarus. Alii tamen habent *Neæram*.

(o) *Phthiotum*) Populi fuerunt Thessaliæ, ad Penei amnis dextrum latus, Phthiotidæ regionis incolæ. Plerique codices habent *Phitiadum*: cujus loco *Phthiiadum*, a Phthia urbe legendum censebat Dominicus: clar. Heinsius *Phthiada sub terris*, &c.

(p) *Asopon*) Fluvius est, juxta Thebas Bœotias.

(q) *Martia*) Ex qua Evannen Mars suscepit: nisi forte bellicosam fuisse credas.

(r) *Thebe*) Metopen vocavit Pindarus: alios secutus est autores Poeta noster.

(Cor-

Cornua si tua nunc ubi sint, (*f*) Acheloe requiram;
Herculis irata (*t*) fracta querere manu.
Nec tanti (*u*) Calydon, nec tota Ætolia (*x*) tanti;
Una tamen tanti Dejanira fuit.
Ille fluens (*y*) dives (*z*) septena per ostia Nilus,
Qui (*a*) patriam tantæ tam bene celat aquæ,
Fertur in Evadne collectam (*b*) Asopide flammam
Vincere gurgitibus non potuisse suis.
Siccus ut amplecti (*c*) Salmonida posset (*d*) Enipeus;
Cedere jussit aquam: jussa recessit aqua.
Nec te (*e*) prætereo, qui per cava saxa (*f*) volutans
(*g*) Tiburis (*h*) Argei (*i*) pomifer arva rigas:
(*k*) Ilia cui placuit, quamvis erat (*l*) horrida cultu,
Ungue notata comas, ungue (*m*) notata genas.

INTERPRETATIO.

Si petam, Acheloe, ubi nunc sint tua cornua; quæreris elisa fuisse *manu irata Herculis. Nec tanti Calydon, nec tota Ætolia fuit tanti; una tamen Dejanira* fuit *tanti. Ille opulentus Nilus decurrens per septem alveos, qui tam bene occultat patriam tanta aqua, dicitur non potuisse superare suis aquis ardorem coactam in Evadne Asopide. Aridus Enipeus, ut posset complecti Salmonida, imperavit aquam recedere; aqua coacta recessit. Nec te omitto, qui promifer fluctus per excavatas rupes irrigas agros Tiburis Argei; cui Ilia placuit, quamvis erat deformis ornatu, signata capillos ungue, signata genas ungue.*

NOTÆ.

(f) *Acheloe*) Fluvius est, e Pindo fluens, Acarnaniam ab Ætolia derimens.

(t) *Fracta*) Cum ille pariter cum Hercule Dejaniram sibi uxorem peteret, ut antea vidimus, variasque formas indueret, tandem Taurus factus, alterum sibi ab Hercule sensit cornu ademtum: qua re cedere coactus est. Quam fabulam postea in Metam fusius prosequemur.

(u) *Calydon*) Ætoliæ juxta Corinthiacum sinum civitas, ubi Oeneus regnavit, Dejaniræ pater.

(x) *Tanti*) Ut pro ea Hercules & Achelous pugnarent.

(y) *Dives*) Quia Ægyptum suis exundationibus, terram quasi stercorans, ditat.

(z) *Septena*) Totidem vero præcipua, quibus mare subit numerantur: quanquam plura sunt.

(a) *Patriam*) Hoc dicit, quia nescivերunt veteres fontes Nili, quos hodie tamen ex quibusdam lacubus, aut ex Lunæ montibus in Africa repetunt Geographi.

(b) *Asopide*) Patronymicum est a matris marito Asopo, de quo supra.

(c) *Salmonida*) Tyro est Salmonei filia, qui in Pisana regione regnasse dicitur. Hanc Neptunus etiam in Enipei formam versus compressisse dicitur: unde Pelias & Neleus nati sunt.

(d) *Enipeus*) Duo sunt fluvii ejus nominis; alter in Elide, alter in Thessalia.

(e) *Prætereo*) Alii *prætercam*.

(f) *Volutans*) Alii *volutus*.

(g) *Tiburis*) Est Tibur oppidum in conspectu Romæ, ad Septentrionem: quod præterfluit fluvius Anio, de quo hic agitur.

(h) *Argei*) Quod oppidum tres fratres Tiburtus, Catillus. & Coras, Argivi condiderunt.

(i) *Pomifer*) Hæc est & Anienis, & Tiburis laus frequens apud Poetas: quanquam nonnulli habeant *spumifer*.

(k) *Ilia*) De hac Numitoris filia fabulæ plurimæ: dicuntque alii Tiberi eam nupsisse. In eum vero amnem Amulii patrui jussu præcipitata fuit. Quanquam scribit Acron illam mortuam, ad Anienis fluvii ripam sepultam fuisse, abundanteque aquis alveo, cineres ejus in Tiberim devectos; unde locus datus fabulæ.

(l) *Horrida*) Quæ faciem etiam præ nimio dolore sibi dilaceraverat. Habentque nonnulli codices *Horrida vultu*.

(m) *Notata comas*) Pro *notatas habens comas*. Græcismus.

Illa,

Ilia, gemens (n) patruique nefas (o) delictaque Martis,
Errabat nudo per loca sola pede.
Hanc amnis rapidis (p) animosus vidit ab undis.
(q) Raucaque de mediis (r) sustulit ora vadis:
Atque (ſ) ita: *Quid nostras*, inquit, *teris anxia ripas.*
Ilia ab (t) Idæo (u) Laomedonte genus?
Quo cultus abiere tui? quid sola vagaris?
(x) Vitta nec evinctas impedit (y) alba comas?
Quid fles, & madidos lacrymis corrumpis ocellos?
Pectoraque insana (z) plangis aperta manu?
Ille habet & silices, & (a) vivum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrymas (b) lentus in ore videt.
Ilia, pone metus; tibi regia nostra patebit:
Teque colent amnes. Ilia, pone metus.
Tu centum, aut plures inter dominabere Nymphas:
Nam centum, aut plures flumina nostra tenent.
Ne me sperne, precor, tantum, (c), Trojana propago:
Munera promissis uberiora feres.

INTERPRETATIO.

Ilia lugens & scelus patrui, & flagitia Martis, vagabatur per loca deserta pede nudo. Vehemens fluvius hanc aspexit ab undis præcipitibus; erexit ora rauca de mediis gurgitibus: atque ita: Quamobrem, *inquit*, solicita premis nostras ripas, Ilia progenies ab Idæo Laomedonte? Quonam defluxerunt tui ornatus? Quamobrem sola erras? Nec vitta alba implicat capillos astrictos? Cur luges, & perdis oculos humidos lacrymis? Et percutis pectora nuda manu insana? Ille habet & saxa, & ferrum rigidum in pectore, qui segnis cernit lacrymas in molli ore. Ilia mitte timores; nostrum palatium tibi apertum erit: & fluvii te suspicient. Ilia mitte timores. Tu imperium tenebis inter centum aut plures Nymphas: nam flumina nostra habent centum aut plures. Tantum ne me contemne, oro, Trojana progenies: consequeris dona majora promissis.

NOTÆ.

(n) *Patrui*) Amulii *scil.* qui pulso Numitore fratre, ejusque omni mascula prole deleta, Illam neptim, ut nullum pariendi locum relinqueret, vestalem virginem fecit.

(o) *Delicta Martis*) Qui Vestalem stupro maculavit: ex quo nati Remus Romulusque.

(p) *Animosus*) Præceps vero Anio ex montibus aquas suas volvit.

(q) *Rauca*) Ob fluminis per saxa ruentis strepitum.

(r) *Sustulit ora*) *Caput undis extulit.*

(ſ) *Ita*) *Loquutus est* scilicet.

(t) *Ideo*) *Trojano*: ab Ida Phrygiæ monte.

(u) *Laomedonte*) Fuit Laomedon Priami Trojanorum regis pater: unde natales suos Rhea seu Ilia repetebat.

(x) *Vitta*) Qua capillos cingere solebant Vestales.

(y) *Alba*) Candoris, pudicitiæ, & innocentiæ indicium.

(z) *Plangis*) *Tundis* alii; quod perinde est.

(a) *Vivum*) Alii *durum*.

(b) *Lentus*) Optime ex Puteaneo restituit clar. Heins. cum vulgo *lætus* legeretur. *Lentus*, id est, *sine misericordia acuto sensu*.

(c) *Trojana*) Alii *Romana*; ut ex ea Romanos propagatos intelligas.

(1) Di-

(*d*) Dixerat: illa (*e*) oculos in humum dejecta modeſtos
Spargebat (*f*) tepidos (*g*) flebilis imbre ſinus.
Ter (*h*) molita fugam, ter ad altas (*i*) reſtitit undas,
Currendi vires eripiente metu.
(*k*) Sera tamen ſcindens inimico pollice crinem,
Edidit indignos ore tremente ſonos;
O utinam mea (*l*) *lecta forent, patrioque ſepulcro*
Condita, dum poterant virginis oſſa legi!
Cur (*m*) *modo Veſtalis* (*n*) *tædas* (*o*) *invitor ad ullas*
Turpis, & (p) Iliacis (q) inficianda (r) focis?
Quid moror? en digitis (*ſ*) *deſignor* (*t*) *adultera vulgi.*
(*u*) *Deſit famoſus, qui notet ora, pudor.*
(*x*) Hactenus; & veſtem (*y*) tumidis prætendit ocellis:
Atque ita ſe in rapidas (*z*) perdita miſit aquas.
Suppoſuiſse manus ad pectora lubricus (*a*) amnis
Dicitur; & (*b*) ſocii jura dediſse tori.

INTERPRETATIO.

Finierat: illa miſerabilis defixos habens modeſtos oculos in terram, implebat ſinus tepidos lacrymis. Ter tentavit fugam, ter conſtitit ad excelſas undas, timore ſubtrahente facultatem fugiendi. Tarda tamen lanians comam infenſo pollice, emiſit voces luctuoſas ore trepido: O utinam oſſa mea eſſent collecta, & impoſita patrio ſepulcro, dum poterant *oſſa* condi virginis! Quamobrem nunc Veſtalis infamis; & arcenda ab aris Iliacis, allicior ad ullas faces? Quid expecto? ecce oſtendor impudlea digitis vulgi. Abſit turpis pudor qui infamet vultum. *Hactenus; & obvelut turgidos umida; atque ita deſperata ſe præcipitem dedit in profluentem. Fluvius labilis creditur ſubmiſiſſe manus pectori; & præbuiſſe jura lecti jugalis.*

NOTÆ.

(d) *Dixerat*) Anio *ſcilicet*.

(e) *Oculos dejecta*) *Dejectos habens*. Græciſmus. *Terram modeſte intuens*.

(f) *Tepidos*) Optimi nonnulli *teneros*. Alii *tepido*.

(g) *Flebilis*) *Flens*, ut exponit Dominicus; quanquam & ſenſu uſitato vox illa poſſit accipi, ut intelligatur Ilia digna quæ defleretur.

(h) *Molita*) *Conata eſt in flumen ſeſe injicere*.

(i) *Reſtitit*) *Puellari metu ſeſe repreſſit*.

(k) *Sera*) *Ad loquendum tarda*.

(l) *Lecta*) Alii *tecta*. Cadaverum vero combuſtorum oſſa cineresque colligere, & in urnas reponere ſolitos veteres, notum eſt.

(m) *Modo Veſtalis*) idest. *Quæ Sacerdotii mei triginta annos non implevi*. Per decem vero annos ſacra diſcere, per totidem facere, & alios decem cæteras docere cogebantur virgines Veſtales: quibus expletis, Sacerdotio ſolutæ nubere poterant.

(n) *Tædas*) *Nuptias*; ad quarum ſolennem cæremoniam faces adhibebantur.

(o) *Invitor*) Dixerat Anio, *Tibi regia noſtra patebit*.

(p) *Iliacis*) *Qui Ilio, ſeu Troja, ab Ænea advecta Veſtæ ſacri ſunt*.

(q) *Inficianda*) *Neganda*. Omnino ſiquidem Anieni nuberet, jam ante vitiata; cum virgines eſſe deberent Veſtales.

(r) *Focis*) *Aris*.

(ſ) *Deſignor*) Jam ſatis patet, Lector, fabulam ipſum Naſonem, pro ſuo jure, contexere; & ingenioſe ex Iliæ in Tiberim præcipitatæ obitu effingere.

(t) *Adultera*) *Sacrilega*) quæ cum Marte (quiſquis ille fuerit) non ſine voti violatione, rem habuerit.

(u) *Deſit*) *Moriar, ne pudicitia amiſſa pudore & dolore tabeſcam*.

(x) *Hactenus*) *Huc uſque loquuta eſt Ilia*.

(y) *Tumidis*) Fletu *ſcil*. Alii habent *timidis*.

(z) *Perdita*) *Infelix quæ ſe perderet*.

(a) *Amnis*) Anio *ſcil*.

(b) *Socii jura ded.*) *In conjugem accepiſſe*.

Te

(*c*) Te quoque credibile est aliqua (*d*) caluisse puella:
Sed nemora & silvæ crimina vestra tegunt.
Dum loquor, (*e*) increvit latis (*f*) spatiosius undis;
Nec capit (*g*) admissas alveus altus aquas.
Quid mecum, (*h*) furiose, tibi? quid mutua differs
(*i*) Gaudia? quid cœptum, rustice, rumpis iter?
(*k*) Quid, si legitimum flueres, si nobile flumen?
Si tibi per terras maxima fama foret?
Nomen habes nullum, (*l*) rivis collecte (*m*) caducis;
Nec tibi sunt fontes, nec tibi certa (*n*) domus.
Fontis habes instar (*o*) pluviamque nivesque (*p*) solutas;
Quas tibi (*q*) divitias (*r*) pigra ministrat hyems.
Aut lutulentus agis brumali tempore cursus:
Aut premis arentem pulverulentus humum.
Quis te (*s*) tum potuit sitiens haurire viator?
Quis (*t*) grata dixit voce, Perennis eas?
Damnosus pecori curris, damnosior agris.
Forsitan hæc alios; me (*u*) mea damna movent.

INTERPRETATIO.

Verisimile est etiam te arsisse aliqua puella: sed nemora & silvæ velant vestra furta. Dum loquor, amplius auctus est vastis fluctibus, nec profundus alveus continet aquas ruentes. Quid tibi mecum, rabide? Quamobrem remoraris reciprocam voluptatem? Quamobrem inurbane frangis iter institutum? Quid si jugiter curreres, si flumen esses insigne? Si nomen illustre tibi esset per orbem? Famam habes nullam, coacte rivulis deficientibus; nec tibi sunt scaturigines, nec tibi ulla domus. Habes scaturiginis loco, & pluviam, & nives liquefactas, quas opes hyems ignava tibi præbet. Aut limosus fluis tempore hyberno: aut pulverulentus urges terram aridam. Quis viator siti pressus potuit te bibere? Quis dixit voce memori, jugiter fluas. Volveris perniciosus pecori, perniciosior arvis. Forsitan hæc alios; dispendia mea me tangunt.

NOTÆ.

(c) *Te*) Torrentem alloquitur Poeta, quem *Vellam* dici, scripsit Ciofanus.

(d) *Calvisse*) *Amasse*.

(e) *Increvit*) Torrens *scil.* de quo Poeta queritur.

(f) *Spatiosius*) Alii *spatiosus in*.

(g) *Admissas*) *Incitatas; cum impetu ruentes*.

(h) *Furiose*) In torrentem invehitur Naso.

(i) *Gaudia*) *Quibus cum amica jam, nisi obstitisses, fruerer*.

(k) *Quid*) *Quantum auderes*.

(l) *Rivis*) Alii *nivibus*: non ita bene; quia mox de iis loquetur.

(m) *Caducis*) *Non jugiter fluentibus, sed ex derivata pluvia factis*.

(n) *Domus*) Ad fluminum, imo & fontium scaturigines numen aliquod habitare fabulata est antiquitas.

(o) *Pluviam*) Alii *pluvias*.

(p) *Solutas*) *Liquefactas*.

(q) *Divitias*) Nives, pulvium, *scil.* Irrisio est.

(r) *Pigra*) Quia eo tempore quasi mortua est natura.

(s) *Tum*) Æstivo tempore *nim.* Quæ lectio clar. Heins. ex Puteaneo codice, placuit. Alii tamen habent *unquam*, quod non minus arridet; nam neque nives liquefactas & luto permixtas bibere gratum admodum fuerit: eritque majus in torrentem opprobrium quod neque æstate, neque hyeme potum præbere possit.

(t) *Grata*) Qua beneficium acceptum indicaretur. Gratus est, qui beneficii accepti memor, meritam gratiam studet persolvere.

(u) *Mea*) *Quod per te ad amicam ire prohibeor*.

Huic ego (*x*) væ demens narrabam (*y*) fluminum amores?
(*z*) Jactasse indigno nomina tanta pudet.
(*a*) Nescio quid spectans, Acheloon & Inachon amnes,
Et potui nomen, Nile, referre tuum.
At tibi pro meritis opto, non candide torrens;
Sint (*b*) rapidi soles, (*c*) siccaque semper hyems.

INTERPRETATIO.

Væ ego insanus huic referebam amores fluminum? pudet inaniter celebrasse nomina tanta immerito. Nescio quid cogitans potui memorare Acheloon, & Inachon fluvios, & nomen tuum, Nile. At tibi pro officiis, precor ingrate torrens, sint soles ardentissimi, & hyems semper arida.

NOTÆ.

(x) *Væ*) Alii *ua*; unus Mediceus *Ab*. Alius *vah*?

(y) *Fluminum*) Unus Palatinus *fluminis*; Duo codices *flumen*; unus *flumini*. Mendum latere suspicatus est clar. Heinsius, quia, præter Poetæ morem, durior est hujus versus finis.

(z) *Jactasse indigno*) *Magnifice, frustra tamen tam indigni, pluvialis & lutulenti rivuli aures, tantis nominibus pavisse.*

(a) *Nescio quid*) Alii *Nescio quem*: Puteaneus, *Nescio quem huc spectas*: *hunc spectans* alii; alii aliter: unde latere mendum proculdubio, arbitratus est clar. Heinsius. Sensus vero optimus videtur, ut intelligatur Poeta per Apostrophen ad eos, quos compellat fluvios, id ipsum mirari, quod lutum versus quam amnem compellans, eorum nomina ausus sit, non sine injuria pronuntiare.

(b) *Rapidi*) *Maxime ardentes*. Per soles vero æstates intellige, Solis calore aridissimas.

(c) *Siccaque*) Ut neque hyeme, neque æstate illi torrenti liceat esse.

ELEGIA VII. *Quod ab amica, &c.* * * *

ELEGIA VIII.

Quod ab amica non recipiatur, dolet.

(*a*) Et quisquam (*b*) ingenuas (*c*) etiamnum suspicit artes,
Aut (*d*) tenerum (*e*) dotes carmen habere putat?
Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc (*f*) barbaries grandis, habere nihil.

INTERPRETATIO.

Et quisquam adhuc veneratur artes liberales, vel credit molle carmen habere dotes? Olim animi solertia erat in majori pretio quam aurum; at nunc magna est barbaries, nihil possidere.

NOTÆ.

(a) *Et*) *Alii En*; ut sit affectui declarando particula unica.

(b) *Ingenuas*) Hoc dicit Poeta cum indignatione, quod ipse artium & humaniorum literarum elegantia excultus, militis insulsi causa, sit ab amica repulsus.

(c) *Etiamnum*) Quasi dicat, *postquam ego militis causa ab amica spretus fui.*

(d) *Tenerum*) *Molle*; *delicatum*: quale debet esse id, quo describuntur amores teneri.

(e) *Dotes*) *Quibus dotibus, scilicet, aut virtutibus, sit quisquam in pretio.*

(f) *Barbaries*) Sensus est, nullam scientiam, aut morum elegantiam & virtutem esse in pretio; sed illum tantum dici barbarum qui egeat. Quod etiam in militem dictum fuisse intelligas, quasi barbarum illum & stolidum pro cultissimo & lepidissimo capitulo habuerit avara meretrix.

Cum

Cum pulchre noſtri dominæ placuere (*g*) libelli;
(*h*) Quo licuit libris, non licet ire mihi.
Cum bene laudavit, (*i*) laudato janua clauſa eſt,
(*k*) Turpiter huc illuc ingenioſus eo.
Ecce recens dives, parto per (*l*) vulnera (*m*) cenſu,
Præſertur nobis ſanguine (*n*) paſtus eques.
Hunc potes amplecti formoſis, (*o*) vita, lacertis?
Hujus in (*p*) amplexus, vita, (*q*) jacere potes?
Si neſcis, galeam caput (*r*) hoc portare ſolebat:
Enſe latus cinctum, quod tibi ſervit, erat.
Læva manus, cui nunc (*ſ*) ſerum male convenit (*t*) aurum,
Scuta tulit, dextram (*u*) tange, cruenta fuit.
Qua periit aliquis, potes hanc contingere dextram?
Heu! ubi mollities pectoris illa tui?
Cerne cicatrices veteris (*x*) veſtigia pugnæ.
Quæſitum eſt illi (*y*) corpore, quidquid habet.
Forſitan, & quoties hominem jugulaverit, ille
(*z*) Indicet. hoc faſſas tangis, avara, manus?

INTERPRETATIO.

Poſtquam noſtri libelli multum grati fuerunt dominæ; non conceditur mihi accedere quo conceſſum eſt libellis. Poſtquam me *multum celebravit, oſtium obditum eſt celebrato. Huc illuc ſolers indecors erro. Ecce nuper opulentus, divitiis acquiſitis per plagas, eques auctus ſanguine nobis anteponitur. Suſtines hunc complecti pulchris brachiis,* mea *lux? Suſtines hærere in hujus complexu,* mea *vita? Si ignoras, hoc caput conſueverat gerere caſſidem: latus quod tibi præbet operam, erat circumdatum gladio. Manus ſiniſtra cui nunc male congruit nuperus anulus, geſtavit clypeos: tracta dextram; fuit ſanguinolenta. Non vereris contingere illam manum qua aliquis interiit? Heu! ubi illa teneritas tui pectoris? Aſpice cicatrices: indicia antiqui certaminis. Quidquid habet, eſt illi comparatum corpore. Forte etiam ille fateatur quoties hominem mactaverit: ſordida, contingis manus hoc confeſſas?*

NOTÆ.

(g) *Libelli*) Quibus Amores deſcribebantur *ſcilicet*.

(h) *Quo*) Nempe ad amicam.

(i) *Laudato*) Mihi *ſcil.*

(k) *Turpiter*) Turpis nimirum repulſa, præſertim ingenioſo & ſtrenuo viro.

(l) *Vulnera*) Quæ accepit & oſtentat; aut etiam alii intulit miles.

(m) *Cenſu*) Equeſtri *ſcil.* qui quadringentorum millium ſeſtertiorum erat.

(n) *Paſtus*) Alii *factus*; Palatinus *partus*; alius *ſanguinolentus*.

(o) *Vita*) Blanditiæ ſunt amatorum, *mea vita*, *mea lux*: quamquam alii habent *ſulta*.

(p) *Amplexus*) Alii *amplexu*.

(q) *Jacere*) Alii *venire*.

(r) *Hoc*) Militis *ſcil.* quem amas. Ipſum pro tempore comptum in contemptum adducere nititur.

(ſ) *Serum*) Quandoquidem non a majoribus equeſtrem cenſum aut dignitatem acceperit; ſed vi extortis divitiis, eam ſibi ſub vitæ finem comparaverit.

(t) *Aurum*) Pro anulo aureo, quem equitibus geſtare conceſſum.

(u) *Tange*) Non ſine artificio concedit, quod maxime, ex voto, rejiciat puella.

(x) *Veſtigia*) Enimvero ex cicatricibus facile & vulnus & pugnam arguas.

(y) *Corpore*) *Corporis labore*; quo ille durus & ruſticus, tibi delicatulæ minus aptus, factus eſt.

(z) *Indicet*) Quod ſolenne Thraſonibus: quod & etiam exprobrat notiſſimo illi Terentiano Parmeno ſervus.

Ille ego Musarum (*a*) purus (*b*) Phœbique (*c*) sacerdos
Ad (*d*) rigidas canto (*e*) carmen (*f*) inane fores.
(*g*) Discite, qui sapitis, non quæ nos scimus (*h*) inertes,
Sed trepidas acies, & fera (*i*) castra sequi:
Proque bono versu primum (*k*) deducite (*l*) pilum.
(*m*) Hoc tibi, si velles, posset, (*n*) Homere, (*o*) dari.
Jupiter, (*p*) admonitus nihil esse potentius auro,
Corruptæ pretium (*q*) virginis (*r*) ipse fuit.
Dum merces aberat; durus (*s*) pater, ipsa severa,
(*t*) Ærati postes, ferrea turris erat erat:
Sed postquam sapiens (*u*) in munera venit adulter;
Præbuit ipsa (*x*) sinus: &, dare (*y*) jussa, (*z*) dedit.

INTERPRETATIO.

Ille ego incontaminatus sacerdos Musarum & Apollinis modulor carmen irritum ad sevam januam. Discite, qui sapitis, non qua nos ignavi didicimus, sed sequi effera agmina, & subire sæva castra: & pro bono versu, ordinate primum pilum. Homere hoc posset tibi præberi si velles. Jupiter, doctus nihil esse validius auro: ipse fuit merces virginis vitiata. Quandiu pretium deerat, pater difficilis, ipsa sæva, postes ærati, turris erat ænea: sed postquam callidus adulter in dona versus est, ipsa obtulit gremium, & jussa præbere, præbuit.

NOTÆ.

(a) *Purus*) Decet esse profecto; minime fuit Poeta. Sed enim nulla cæde aut cruore maculatas manus habuisse Nasonem intelligas: multam enim habet & variam significationem vox ista *Purus*.

(b) *Phœbique*) Phœbo seu Apollini Musicę & Poeticæ inventionem, quamobrem & Musis præesse creditus, Poetæ attribuerunt.

(c) *Sacerdos*) Musarum ministri, & Apollinis dicuntur eruditi omnes, præsertim vero vates seu Poetæ.

(d) *Rigidas*) *Asperas, duras*; propter amicæ severitatem *scilicet*.

(e) *Carmen*) Unus Moreti habet *nomen*: quod non invenusté.

(f) *Inane*) *Nihil profuturum*.

(g) *Discite*) Cum sibi elegantiam omnem apud amicam inutilem esse cognoscat, quosvis a studio retrahere invidiose nititur Poeta, ne inde sese blanditiis & mulliori cultu indignam sentiat puella.

(h) *Inertes*) Non sine artificio numero multitudinis utitur, & sibi Poetas alios adjungit, quos ex vulgi sententia cum stomacho contemnat.

(i) *Castra*) Alii *bellas* quibus *scil.* amicæ gratiam miles consequi possit.

(k) *Deducite*) Ingeniose communi verbo usus est, quod ad militiam & ad carmina pariter spectat. *Deducere versum* est *versum modulari*: *Deducere primum pilum* est *illi præesse*.

(l) *Pilum*) Telum erat Romanum, *un Javelot, un dard. Primipilus* vero, vel *Primopilus*, vel *Centurio primi pili* dicebatur primus legionis centurio, cujus in alios centuriones jus erat.

(m) *Hoc*) *Per hoc quod esses Primipilus*.

(n) *Homere*) Pro quovis Poeta.

(o) *Dari*) Concubitus *scil.* ab amica.

(p) *Admonitus*) Sciens.

(q) *Virginis*) Danaes *scil.* Acrisii Argivorum regis filiæ.

(r) *Ipse fuit*) Quia in imbrem aureum versus Danaæ vitium obtulit: quam vidimus fabulam antea.

(s) *Pater*) Acrisius *scil.* qui filiam Danaen, ne quem virum admitteret, turri ænea dicitur conclusisse.

(t) *Ærati*) Ut per vim nullus introire posset.

(u) *In munera*) Sub auri forma; cum pretio, ad Danaen venit Jupiter.

(x) *Sinus*) Quo pretium condebant meretrices.

(y) *Jussa*) A Jove *scil.*

(z) *Dedit*) *Sui copiam fecit*.

Ae

At cum regna senex cœli (a) Saturnus haberet;
Omne (b) lucrum tenebris alta premebat humus.
Æraque & argentum, cumque auro pondera ferri
(c) Manibus admorat: nullaque (d) massa fuit.
At (e) meliora dabat; curvo (f) sine vomere fruges,
Pomaque, & (g) in quercu mella reperta cava.
Nec valido quisquam terras (h) findebat aratro;
Signabat nullo (i) limite (k) mensor humum.
Non freta (l) dimissi (m) verrebant (n) eruta remi,
(o) Ultima mortali tum via littus erat.
Contra te solers, hominum Natura, fuisti;
Et nimium damnis ingeniosa tuis.
Quo tibi (p) turritis incingere mœnibus urbes?
Quo tibi (q) discordes addere in arma manus?
Quid tibi cum pelago? terra contenta fuisses.
(r) Cur non & cœlum (s) tertia regna petis?

INTERPRETATIO.

At cum antiquus Saturnus teneret imperia cœli, terra profunda occultabat omne metallum. Depresserat ad Manes æra & argentum, & graves ferrum cum auro; & nulla moles fuit metalli. At præbebat meliora; segetes absque adunco vomere, & poma; & mella inventa in cava quercu. Nec quisquam proscindebat humum forti aratro: mensor nullo termino dividebat terram. Remi mersi non eruebant æquora pulsata: Littus tum erat ultimum iter homini. Natura humana fuisti callida ad versute; & nimis solers tuis dispendiis. Quorsum tibi circumdare oppida muris turribus instructis? Quorsum tibi ad arma convertere manus dissidentes? Quid tibi cum mari? Satis tibi fuisset terra. Quamobrem non etiam cœlum appetis tertia regna?

NOTÆ.

(a) *Saturnus*) Cœli filius, & Jovis qui ipsum solio dejecit Pater; quo regnante aurea fuisse secula voluerunt Poetæ.

(b) *Lucrum*) *Aurum, Argentum*, &c.

(c) *Manibus*) Ad *Umbras inferorum*. *In terræ viscera.*

(d) *Massa*) *Metalli pondus.*

(e) *Meliora*) Quam metalla *scil.*

(f) *Sine vomere*) Id est, absque cultura terræ. vomer enim instrumentum est præcipuum quo ea colitur.

(g) *In quercu*) Quo silvestres apes mel suum solent comportare.

(h) *Findebat*) Alii *scindebat*, *aperibat* Jureti excerpta.

(i) *Limite*) Quibus suum agrum quisque a proximo distermenat.

(k) *Mensor*) Ille est qui agros metitur, & limites cuique assignat.

(l) *Dimissi*) Alii *demissi* recte.

(m) *Verrebant freta*) *Sulcabant*: phrasis poetica. Regnante Saturno nondum naves ascendisse homines testatur Poeta.

(n) *Eruta*) *Evulsa*. Optime signat ea vox impetum quocum inter navigandum pulsatur aqua.

(o) *Ultima*) Quia maria transgredi nondum didicerat.

(p) *Turritis*) *Turribus munitis.*

(q) *Discordes*) Discordes sunt, *scilicet*; cum inter se homines pugnant.

(r) *Cur non & cœlum*) Sic Horatius.

Nihil mortalibus arduum est,
Cœlum ipsum petimus stultitia.

(s) *Tertia*) Jam antea, ni fallor, de divisione orbis inter tres fratres Jovem, Neptunum, & Plutonem, verba fecimus: ut Plutoni terra, Neptuno mare, Jovi cœlum obtigerit

Qua licet (*t*) affectas cœlum quoque (*u*) templa (*x*) Quirinus,
(*y*) Liber, & (*z*) Alcides, & (*a*) modo (*b*) Cæsar, habent.
Eruimus terra solidum (*c*) pro frugibus aurum.
(*d*) Possidet inventas sanguine miles opes.
(*e*) Curia pauperibus clausa est: dat (*f*) census (*g*) honores.
Inde gravis judex; inde severus (*h*) eques.
Omnia possideant: illis (*i*) Campusque (*k*) Forumque
Serviat: hi pacem (*l*) crudaque bella gerant.
Tantum ne nostros avidi (*m*) liceantur amores:
Et (*n*) satis est; aliquid pauperis esse sinant.
At nunc, exæquet (*o*) tetricas licet (*p*) illa Sabinas,
(*q*) Imperat ut captæ, qui dare multa potest.
(*r*) Me prohibet custos: in me timet illa maritum.
Si dederim, tota cedet uterque domo.
O, si neglecti quisquam Deus ultor amantis,
Tam male quæsitas (*ſ*) pulvere mutet opes!

INTERPRETATIO.

Appetis quoque cœlum quatenus conceditur: Quirinus, Liber, & Alcides, & nuper Cæsar, habent templa. Effodimus aurum ponderosum terra loco segetis. Miles fruitur divitiis partis sanguine. Aula obserata est pauperibus; divitiæ promovent ad Magistratus. Inde severus Judex; inde gravis eques. Omnia teneant: & campus & forum illis obsequatur: hi pacem & bella aspera administrent. Tantum ne rapaces licitentur nostros amores: & abunde est; aliquid concedant esse inopi. At nunc quamquam illa par sit truculentis Sabinis; qui potest multa præbere imperium tenet tamquam in servam. Custos me arcet: illa metuit maritum in me. Si pretium obtulerim, uterque excedet tota domo. O si quisquam Deus vindex amantis contemti, vertat divitias tam male partas in pulverem!

NOTÆ.

(t) *Affectas*) *Cum nimio quasi desiderio appetis.*

(u) *Templa*) Quasi Dii sint.

(x) *Quirinus*) Romulum intellige.

(y) *Liber*) Bacchus est, notissimus ille vini potens Deus; qui ob multa egregie facta, & in homines collata beneficia, ab iis in cœlum collocatus est.

(z) *Alcides*) Hercules est, a robore immenso etymologia græca sic dictus.

(a) *Modo*) *Nuper.*

(b) *Cæsar*) Julius est, primus Imperatorum.

(c) *Pro frugibus*) *Earum loco.*

(d) *Possidet inventas*) Istud invidiose dixit, adversus eum, qui sibi obstabat, militem.

(e) *Curia*) Quia pauperibus, quantumvis sapientibus, in curiam, consulendi gratia, accedere non licet: quod quidem damnare Poetam intellige.

(f) *Census*) *Divitiæ.*

(g) *Honores*) *Magistratus.*

(h) *Eques*) Quippe ex pecunia sua, uti non ita pridem vidimus, illi in equestri ordine numerabantur.

(i) *Campusque*) Martius *scil.* ubi, pro Magistratuum creatione, comitia habebantur: unde hic Magistratus intelliges.

(k) *Forumque*) Ubi jura reddebantur.

(l) *Crudaque*) *Sæva* alii.

(m) *Liceantur*) *Venentur, prædentur* alii, itemque alia. *Liceri* autem est *pretium auferre.*

(n) *Satis est*) *Contentus fuero.*

(o) *Tetricas*) *Duras*, alii, *fortes, tetras.* fuisse vero illas Sabinas strenuas, & pudicas, passim ex Poetis licet intelligere.

(p) *Illa*) Quanquam in genere loquitur, amicam tamen præcipue stringit.

(q) *Imperat*) Militem rivalem cogitat qui hæc loquitur.

(r) *Me*) Quia nihil est quod dem, nulla pecunia. Imo quod daret habebat: sed ludit Poeta de more; aut etiam pretio amicam demereri se nolle indicat.

(ſ) *Pulvere*) In fumum & nihilum redigat.

ELE-

ELEGIA IX.

Tibulli mortem deflet.

MEmnona si mater, (*b*) mater ploravit Achillem,
Et tangunt magnas (*c*) tristia fata Deas;
(*d*) Flebilis (*e*) indignos, Elegeia, solve capillos.
Ah nimis (*f*) ex vero nunc tibi nomen erit!
(*g*) Ille (*h*) tui vates operis, (*i*) tua fama Tibullus
(*k*) Ardet in extructo corpus (*l*) inane rogo.
Ecce, (*m*) puer Veneris fert (*n*) eversamque pharetram,
Et (*o*) fractos arcus, & sine luce facem:
Aspice, demissis ut eat miserabilis alis;
Pectoraque infesta (*p*) tundat aperta manu.
Excipiunt (*q*) sparsi lacrymas per colla capilli,
(*r*) Oraque singultu concutiente sonant.
(*s*) Fratris in Æneæ sic illum funere dicunt
(*t*) Egressum tectis, pulcher Jule, tuis.

INTERPRETATIO.

SI mater flevit Memnona, si mater flevit Achillem, & obitus luctuosi movent magnas Deas: Miserabilis Elegeia, sparge comam immeritam. Ah nomen nunc tibi erit, nimis ex re! Ille Poeta tui artificii, Tibullus tua gloria comburitur corpus vacuum in pyra congesta. Ecce puer Veneris gerit & pharetram inversam, & arcus ruptos, & tadam absque igne. Cerne, ut flebilis incedat alis dejectis; &, plangat pectora nuda manu infensa. Coma diffusa per collum excipit lacrymas, & ora strepunt singultu agitante. Ita ajunt illum prodiisse domo tua, formose Jule, in exequiis fratris.

NOTÆ.

(a) *Memnona*) De eo Tithonis, & Auroræ filio, quem Achilles bello Trojano mactavit, antea vidimus.

(b) *Mater*) Thetis *scil.*

(c) *Tristia*) Qualia fuerunt Memnonis & Achillis.

(d) *Flebilis*) *Ad flendum & ad fletum movendum composita.*

(e) *Indignos*) Id est, qui indigne pro Tibulli immeriti deflenda indigna morte solvi debent.

(f) *Ex vero*) Ad Etymon græcum alludit, dicta Elegia a clamore qui fit in luctu.

(g) *Ille*) Optimus *scil.* Poeta.

(h) *Tui operis*) Dicit istud, quia Elegos amatorios scripsit Tibullus, illorum elegantia notior, quam ut hic de eo quicquam sit opus expromere.

(i) *Tua fama*) Appositio est. Tibulli Elegis inclaruisse Elegeiam indicat Poeta.

(k) *Ardet*) De more illo cremandi corpora antea vidimus.

(l) *Inane*) Utpote anima privatum.

(m) *Puer Veneris*) Amor. Hoc in maximum Tibulli dicit honorem, quasi grande ex ejus morte damnum Cupido acceperit.

(n) *Eversamque*) *Sagittis vacuam*: quas Tibullum versibus suis fingas acuisse.

(o) *Fractos*) Quasi inutiles & supervacaneos sine sagittis.

(p) *Tundat*) Quod, sicut & alarum demissio, maximi luctus est indicium.

(q) *Sparsi*) Dolentem plane describit.

(r) *Oraque singul.*) *Præ dolore singultis.*

(s) *Fratris*) Quippe Veneris Ænean filium fuisse voluerunt Poetæ.

(t) *Egressum*) Cum, *scilicet* cum Julo, Æneæ filio, fratris sui funus curavit.

Nec minus est confusa Venus moriente Tibullo,
Quam (u) juveni rupit cum ferus inguen aper.
(x) At sacri vates, & Divum (y) cura vocamur?
Sunt etiam, qui nos (z) numen habere putent.
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat:
Omnibus (a) obscuras injicit illa manus.
Quid (b) pater (c) Ismario, quid (d) mater profuit (e) Orpheo?
(f) Carmine quid victas (g) obstupuisse feras?
(h) Ælinon in (i) silvis (k) idem pater, Ælinon, altis?
Dicitur (l) invita concinuisse lyra.
Adjice (m) Mæoniden, a quo, ceu (n) fonte perenni,
Vatum (o) Pieriis ora (p) rigantur aquis;
(q) Hunc quoque summa dies nigro submersit (r) Averno.
Diffugiunt avidos carmina sola rogos.

INTERPRETATIO.

Nec minus turbata est Venus Tibullo intereunte, quam cum trux aper discerpsit femur adolescenti. At nos poeta dicimur, Sacri, & amor Deorum? sunt etiam qui credant nos habere numen. Nimirum mors molesta polluit quidquid est sacrum: illa immittit manus nigras in omnia. Quid pater, quid mater juvit Orpheum Ismarium? Quid juvit feras delinitas carmine distinguisse? Idem pater creditur cantasse & lyra repugnante Ælinon Ælinon in silvis excelsis. Adde Mæoniden, a quo, tanquam jugi featurigine, ora Poetarum rorantur aquis Pieriis: ultima dies demisit hunc quoque atro orco. Sola carmina vitant rogos rapaces.

NOTÆ.

(u) *Juveni*) Adonis, ardentissime a Venere amatus, intelligendus est; cujus fabulam vide, sis, in Metam.

(x) *At*) Hoc dicit Poeta quasi admirans quod immaturo fato Tibullus occiderit.

(y) *Cura*) Quos Dii curent.

(z) *Numen*) Quod illi quodam quasi furore correpti videantur.

(a) *Obscuras*) *Quæ in Orcum homines deturbent.*

(b) *Pater*) Apollo; ex nonnullorum sententia.

(c) *Ismario*) *Thracio*: Ab Ismaro Thraciæ monte.

(d) *Mater*) Calliope Musa. Scopus est Poetæ exemplis probare nihil morti esse sacrum.

(e) *Orpheo*) Jam sæpe de celeberrimo illo summoque Poeta, Citharœdo, & Politico viro vidimus.

(f) *Carmine*) Et cantus dulcedine; qua feras, seu potius agrestes & feroces homines ad civilem vitam reduxit.

(g) *Obstupuisse*) Sic Horatius, carminum lib. 2. Ode 13.

Carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aureis &c.

(h) *Ælinon*) Nomen est ejus cantus, quo Linum filium suum morte sublatum Apollo deflexit. Ut hinc maxime intelligatur nemini mortem parcere, cum ex ejus crudelitate Dii ipsi lugeant. Alii habent, & *Linum*.

(i) *Silvis*) Quærunt nempe latebras qui corde dolent, & lugent.

(k) *Idem*) Apollo *scil.*

(l) *Invita*) *Dolente* & *mœsta*; quod omne ad Apollinem spectat.

(m) *Mæoniden*) Homerus est, de quo antea.

(n) *Fonte*) Nempe tam bene multa, & stilo tam fœcundo scripsit Homerus, ut plurima ex illo haurire necesse habuerint, & hauserint posteriores Poetæ.

(o) *Pieriis*) *Musicis*. Fuit nempe Pierius mons Macedoniæ aut verius Thessaliæ, Musis, ut alii multi, sacer; unde ipsæ Pieriæ dictæ sunt.

(p) *Rigantur*) Quare & fœcundati, copioso quasi alveo eorum fluunt carmina.

(q) *Hunc*) Homerum *scil.*

(r) *Averno*) Avernus lacus est in sinu Bajano prope Puteolos, per quem ad inferos aditum patere creditum est; quare pro inferno ipse intelligitur.

Du-

Durat opus vatum Trojani (ſ) fama (t) laboris,
(u) Tardaque nocturno tela (x) retexta dolo.
(y) Sic (z) Nemeſis (a) longum, ſic (b) Delia nomen habebunt;
Altera (c) cura recens, altera primus amor.
Quid (d) vos ſacra juvant? quid nunc (e) Ægyptia proſunt
Siſtra? quid in vacuo (f) ſecubuiſſe toro?
Cum (g) rapiant mala fata bonos (ignoſcite (h) faſſo,)
Sollicitor nullos eſſe putare Deos.
Vive pius; (i) moriere pius: cole ſacra; colentem
Mors gravis a templis in (k) cava (l) buſta trahet.
Carminibus (m) confide bonis: (n) jacet ecce Tibullus;
Vix manet e tanto (o) parva quod urna capit.

INTERPRETATIO.

Permanet fama laboris Trojani, opus Poetarum & tela lenta retexta fraude nocturna. Sic Nemeſis, ſic Delia obtinebunt gloriam perpetuam; altera novus amor, altera prior amor. Quid vobis proſunt ſacra? Quid nunc proſunt Siſtra Ægyptia? Quid ſeorſum cubuiſſe in lecto inani? Quandoquidem mors iniqua auferat pios,) date veniam confitenti,) inducor credere nullos eſſe Deos. Vive pius, obibis pius: Reverere ſacra; mors dura rapiet reverentem a templis in cava ſepulcra. Credito elegantibus carminibus: ecce Tibullus extinctus eſt. Vix ſuperſit e tanto viro, quod parva urna contineт.

NOTÆ.

(ſ) *Fama*) Quia vatum opere, ſeu carminibus, etiamnum hodie belli Trojani fama increbeſcit; quam laudem Homero præſertim tribuas.

(t) *Laboris*) *Decennalis obſidionis*; quo temporis ſpatio multum & Trojani, & ipſi etiam Græci deſudarunt.

(u) *Tardaque*) Quam nunquam Penelope, ea procos illudens, abſolvebat. Cæterum per telam Homeri Odyſſeam intellige,

(x) *Retexta*) Pollicita erat Penelope ſe tum ex procis aliquem delecturam, cum telæ finem impoſuiſſet: quæ mulier caſta, & mariti Ulyſſis memor tantum ad lucernam noctu detexebat, quantum interdiu texuiſſet. Sed de iis prolixe lo ejus epiſtola.

(y) *Sic*) Per carmina *ſcil.*

(z) *Nemeſis*) Nomen eſt puellæ quam Tibullus amavit.

(a) *Longum*) Quod ad poſteros tranſeat.

(b) *Delia*) Fuit hæc item Tibulli amica.

(c) *Cura*) Tibulli *ſcil.*

(d) *Vos*) Alii *nos*, *nunc*. Optime vero hanc lectionem ex nonnullis codicibus affert cl. Heinſius; ut ad Nemeſim & Deliam ſpectet oratio.

(e) *Ægyptia*) Ægypto, ut antea vidimus, Romam ad ſacra Iſidis celebranda, advecta. Per ſiſtra vero religioſum Iſidis cultum intellige: alluditque Naſo ad hos Tibulli verſus, Elegia 3. lib. 1.

Quid tua nunc Iſis mihi, Delia; quid mihi proſunt
Illa tua toties æra repulſa manu? &c.

Nihil, inquit, *prodeſt religio, ſi nemini mors parcit.*

(f) *Secubuiſſe*) Seorſum a viris cubare ſolitas eſſe mulieres, quæ Iſidis ſacra celebrarent, antea diximus.

(g) *Rapiant*) Meliores *rapiunt.*

(h) *Faſſo*) Mihi, *ſcil.* confitenti peccatum meum.

(i) *Moriere pius*) Alii *moriere tamen*: unus Neapolitanus, *moriture pius.*

(k) *Cava*) Omnino, ſiquidem, ubi combuſta cadavera, ibidem eſſent eorum ſepulcra.

(l) *Buſta*) Buſtum locus eſt, ubi cadavera bene uſta; ſive alio deportandi, ſive ibi fuerint cineres ſepeliendi,

(m) *Confide*) Ironice pronuntiandum.

(n) *Jacet*) Ratio eſt cur non ſic confidendum; quod ad Tibulli laudem maximam facit.

(o) *Parva*) Alii *curva*; unde *curta* conjecit clar. Heinſius.

(p) Te-

(*p*) Te ne, facer Vates, flammæ rapuere (*q*) rogales;
(*r*) Pectoribus (*f*) pafci nec timuere tuis?
(*t*) Aurea fanctorum potuiffent templa Deorum
Urere, quæ tantum fuftinuere nefas.
(*u*) Avertit vultus (*x*) Erycis quæ poffidet arces.
Sunt quoque, qui lacrymas continuiffe negent.
Sed tamen (*y*) hoc melius, quam fi (*z*) Phæacia tellus
Ignotum vili fuppofuiffet humo.
(*a*) Hic certe (*b*) madidos fugientis preffit ocellos
(*c*) Mater; & (*d*) in cineres ultima dona tulit:
Hic foror in partem mifera cum matre doloris
Venit, inornatas (*e*) dilaniata comas.
(*f*) Cumque tuis fua junxerunt Nemefifque (*g*) priorque
(*h*) Ofcula: nec folos deftituere rogos.

INTERPRETATIO.

Anne, facer Poeta, ignes rogi te abfumpferunt; nec reformidarunt pafci tuo corpore? Ignes qui admiferunt tantum nefas, potuiffent confumere templa fplendida fanctorum Deorum. Quæ tenet cacumina Erycis avertit faciem. Sunt etiam qui inficientur repreffiffe lacrymas. Sed tamen hoc melius, quam fi terra Phæacia fepelliviffet peregrinum contemnenda terra. Certe mater hic claufit oculos humidos difcedentis, & immifit ultima munera in cineres: hic foror cum matre infelici dilacerata capillos incomtos, defcendit in partem doloris. Et Nemefis, & prior Delia *junxerunt fua ofcula cum tuis: nec deferuerunt rogos folos.*

NOTÆ.

(p) *Tene*) Cum dolore maximo iftud efferendum. *Eft il poffible que*, &c.

(q) *Rogales*) *Ex rogo erumpentes.*

(r) *Pectoribus*) Pro toto corpore.

(f) *Pafci*) Proprie dicitur ignis materia pafci, quam comburit.

(t) *Aurea*) Ad Capitolium alludit, quod aliquoties igne vaftatum eft.

(u) *Avertit*) Ne Tibulli corpus igne abfumi videret.

(x) *Erycis quæ*) Venus eft, cui in Eryce Siciliæ monte magnificum templum dicatum fuit.

(y) *Hoc*) Quod in Patria, *fcil.* Tibullus extinctus fit.

(z) *Phæacia*) Corcyra eft, infula maris Jonii, juxta Epirum; Phæacum patria, ubi Alcinous regnavit. Ibi Tibullus Meffalam fequutus in adverfam valetudinem inciderat; qua tamen levatus Romam rediit, ubi mortem obiit. Vide, fis, ea de re, non de morte quidem, fed de morbo, Tibullum ipfum lib. 3. elegia tertia, ad quam planiffime refpexit hic Nafo nofter.

(a) *Hic*) Romæ *fcil.* Alii *hinc*, *huic*.

(b) *Madidos*) Alibi vocat *morte natantes*. Mallet clarifs. Heinfius *gravido fugient*

(c) *Mater*) Dixerat Tibullus mortem in Phæacia deprecans,

Abftineas, mors atra precor; non hic mihi mater,
Quæ legat in mæftos offa perufta finus; &c.

(d) *In cineres*) Iftud ex Tibullo ipfo intellige. Dixerat ille proxime adverfus jam jam citatos

Non foror (hic mihi) *Affyrios cineri quæ dedat odores;*
Et fleat, effufis ante fepulcra comis.

(e) *Dilaniata*) Alii *dilacerata.*

(f) *Cumque tuis*) Dixerat Tibullus,
Delia non ufquam eft.

(g) *Priorque*) Delia *fcil.* prior amata.

(h) *Ofcula*) Hoc fuerat Tibulli votum Eleg. 1. lib. primi.

Te fpectem, fuprema mihi cum venerit hora,
Et teneam moriens deficiente manu.
Flebis, & arfuro pofitum me Delia lecto,
Triftibus & lacrymis ofcula mifta dabis.

De-

Delia (*i*) discedens, (*k*) *Felicius*, inquit, *amata*
Sum tibi: vixisti, (*l*) *dum tuus ignis eram*.
(*m*) Cui Nemesis, *Quid*, ait, *tibi* (*n*) *sint mea damna dolori?*
(*o*) *Me tenuit moriens deficiente manu*.
Si tamen e nobis aliquid, nisi nomen & umbra,
Restat; in (*p*) Elysia valle Tibullus erit.
Obvius huic venias hedera juvenilia cinctus
Tempora cum (*q*) Calvo, docte (*r*) Catulle, tuo.
Tu quoque ((*s*) si falsum temerati crimen amici)
Sanguinis atque animæ, (*t*) prodige Galle, tuæ.
His comes umbra tua est; (*u*) si quid modo corporis **umbra est.**
Auxisti (*x*) numeros, (*y*) culte Tibulle, pios.
Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna:
(*z*) Et sit humus cineri non onerosa tuo.

INTERPRETATIO.

Delia digrediens, Felicius, *ait*, dilecta sum tibi: vita fruitus es, quandiu eram tuus amor. *Ad quam Nemesis*, Quamobrem, *inquit*, mea dispendia sint tibi ægritudini? Obiens me tenuit manu moriente. *Si tamen aliquid superest ex nobis, præter nomen & umbra; Tibullus vivet in campis Elysiis. Huic occurras redimitus tempora juvenilia hedera, docte Catulle cum Calvo tuo. Tu quoque, (si falsa accusatio violati amici) Galle contemtor sanguinis atque animæ suæ. Umbra tua est his comes, si modo umbra est aliquid corporis. Auxisti piam turbam, polite Tibulle. Ossa tranquilla requiescite, oro, in urna secura; & terra sit levis tuo cineri.*

NOTÆ.

(i) *Discedens*) Postquam conditum & sepultum Tibulli cadaver esset.

(k) *Felicius*) Perinde loquitur ac si ideo mortuus fuerit Tibullus, quod aliam amaverit.

(l) *Dum tuus ignis*) *Quandiu me amasti, vixisti.*

(m) *Cui*) *Delia* scil. *respondit Nemesis.*

(n) *Sint*) Alii *sunt.*

(o) *Me tenuit*) Hoc dicit Deliæ, ut illam male urat; quod ipsa, non Delia, Tibulli morientis manum unice amata tenuerit.

(p) *Elysia*) Elysius fuit Ethnicis locus in inferis, sedes piis destinata, voluptatibus ac deliciis affluens.

(q) *Calvo*) Poeta fuit, cujus fluentes carminum delicias, ut Gellius loquitur, sicut & Catulli, cantavit Hermogenes.

(r) *Catulle*) Fuit Catullus Poeta eximius, doctissimus & elegantissimus, notior suis versibus, quam ut opus sit de eo hic verba facere.

(s) *Si falsum*) Quia, si verum crimen, non ille cum piis in Elysiis fuisset. Suspicio vero fuit, hunc Cornelium Gallum Poetam eximium, in Augustum, cui ipse carissimus fuit, conjurasse: quamobrem, cum Senatui damnandus traditus esset, sibi ipse manus violentas intulit.

(t) *Prodige*) Quia seipsum interfecit; eoque pacto, num reus esset, dubitandum aliquo modo reliquit.

(u) *Si quid modo*) Non est quid corporis, sed manet profecto post mortem hominis ejus anima, quæ a Deo est spiritus. Quod probare non est hujus loci.

(x) *Numeros pios*) *Numerum piorum.*

(y) *Culte*) Est vero cultissimus ejus stylus.

(z) *Et sit humus*) Quomodo fere amicorum ossibus bene precari consueverant.

ELEGIA X.

Ad Cererem, conquerens quod ejus sacris cum amica concumbere non permittatur.

(*a*) ANnua venerunt (*b*) Cerealis tempora sacri.
Secubat in (*c*) vacuo sola puella toro.
(*d*) Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos,
Cur inhibes sacris commoda (*e*) nostra tuis?
Te, Dea, (*f*) munificam gentes ubicunque loquuntur;
(*g*) Nec minus humanis invidet ulla bonis.
(*h*) Ante nec (*i*) hirsuti (*k*) torrebant (*l*) farra coloni;
Nec notum terris (*m*) area nomen erat.
Sed glandem quercus (*n*) oracula prima ferebant.
(*o*) Hæc erat, & teneri cespitis herba cibus.
Prima Ceres docuit (*p*) turgescere semen in agris;
Falce coloratas subsecuitque (*q*) comas.

INTERPRETATIO.

Tempora annua sacri Cerealis recurrerunt: Puella sola seorsum jacet in lecto viduo. Flava Ceres, circumdata subtiles capillos spicis, cur prohibes nostra gaudia tuis sacris? Nationes te ubique celebrant beneficam, o Dea; nec ulla minus invidet commodis hominum: Antea nec hispidi agricolæ frigebant frumenta: nec area erat nomen cognitum terris; sed quercus primæ oracula præbebant glandem. Hæc & herba mollis cespitis erat esca. Prima Ceres monstravit semen tumere in arvis; & resecuit falce comas colore distinctas.

NOTÆ.

(a) *Annua*) *Quæ singulis annis celebrentur*; quinto nimirum idus Aprilis.

(b) *Cerealis*) *Cereri, frugum Deæ dicati.*

(c) *Vacuo*) *Quo nefas est virum tempore Cerealis sacri venire.*

(d) *Flava*) Propter maturæ segetis colorem.

(e) *Nostra*) *Nostrorum amantium.*

(f) *Munificam*) Propter fruges, quas prima dicitur invenisse, quæ & ejus usum, & servandi & serendi modum docuit.

(g) *Nec minus invidet*) Adeoque est maxime munifica: ut minus sit credere eam amantium lacrymis gaudere.

(h) *Ante*) Quam Ceres, *scil.* frumenti usum docuisset.

(i) *Hirsuti*) *Asperi, inculti, silvestres.*

(k) *Torrebant*) Quo melius frangerentur & molerentur. Virg. 1. Æneid.

frugesque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

(l) *Farra*) Far omne est genus frumenti; præsertim vero optimum intelligitur.

(m) *Area*) Locus est creta consolidatus, ubi sectæ fruges teruntur.

(n) *Oracula*) Quercubus in genere illud tribuit, quod earum proprium fuit quæ apud Dodonam Epiri civitatem in nemore Jovi sacro consitæ erant, a quibus responsa data fuisse voluerunt Poetæ. *Quercus oracula* Appositio est.

(o) *Hæc*) Glans *scil.*

(p) *Turgescere*) Id est, docuit in genere quomodo crescerent segetes, quoque pacto triticum seminandum esset. Terræ vero humore prius turgescit granum, quam ex ejus corruptione radix plantaque concrescat.

(q) *Comas*) *Fruges maturas & flavas*, quæ sunt quasi segetis coma. Sed memineris hoc in loco Cererem Terram ipsam esse nonnullis, cujus coma sint fruges.

Pri-

Prima jugo (*r*) tauros ſupponere colla coegit;
Et (*ſ*) veterem (*t*) curvo dente revellit humum.
(*u*) Hanc quiſquam lacrymis lætari credit amantum,
Et bene (*x*) tormentis ſecubituque coli?
Nec tamen eſt (quamvis agros amet illa feraces)
(*y*) Ruſtica: nec viduum pectus amoris habet.
Cretes erunt teſtes; (*z*) nec fingunt omnia Cretes:
Cretes, (*a*) nutrito, terra ſuperba, Jove.
Illic, (*b*) ſideream qui mundi temperat arcem,
Exiguus tenero (*c*) lac bibit ore puer.
Magna fides (*d*) teſti: teſtis (*e*) laudatur alumno
(*f*) Faſſuram Cererem crimina nota puto.
(*g*) Viderat (*h*) Jaſium (*i*) Cretæa (*k*) Diva ſub (*l*) Ida
(*m*) Figentem (*n*) certa terga ferina manu.
Vidit, & ut teneræ (*o*) flammam rapuere medullæ,
(Hinc pudor, ex alia parte trahebat amor),

INTERPRETATIO.

Prima ſubegit tauros ſubmittere colla jugos, & proſcidit requietum agrum adunco vomere. Hanc quiſquam exiſtimet gaudere lacrymis amantum, & bene honorari ſuppliciis & ſecubitu? Nec tamen, (quanquam illa diligat campos fertiles) eſt agreſtis, nec gerit pectus vacuum amore. Cretes erunt teſtes; nec Cretes omnia mentiuntur; Cretes, tellus magnifica Jove educato. Illic, qui moderatur templa ſiderea mundi, cum puerulus eſſet, lac ſuxit molli ore. Ampla fides teſti: teſtis approbatur alumno. Arbitror Cererem agnituram flagitia vulgata. Dea intuita erat ſub Ida Cretenſi Jaſium transfodientem terga ferina manu haud dubia. Intuita erat, &, ut mollia viſcera flammam conceperunt, (hinc pudor, illinc amor rapiebat.)

NOTÆ.

(r) *Tauros*) Ut aratrum traherent, *ſcil.*
(ſ) *Veterem*) Quia inculta.
(t) *Curvo dente*) Periphraſis eſt vomeris.
(u) *Hanc*) Tot beneficiis hominibus collatis celebrem.
(x) *Tormentis*) Quæ patiantur amantes a ſe invicem disjuncti.
(y) *Ruſtica*) *Severa; difficilis.*
(z) *Nec fingunt*) Hoc dicit quia tritiſſimo proverbio Cretes pro mendacibus apud omnes veniebant: quod nequidem tacuit ſacra pagina.
(a) *Nutrito*) Quem Rhea, Saturni uxor, mariti voracitati ſubtractum, nymphis, in Dictæo monte Cretæ, commendavit, atque educandum dedit.
(b) *Sideream*) *Sideribus diſtinctam.* Cœlum eſt.
(c) *Lac*) Quod ex capra Amaltheam una cum ſorore Meliſſa Jovi præbuiſſe voluerunt Poetæ.
(d) *Teſti*) Cretæ terræ *ſcil.* aut ejus incolis.
(e) *Laudatur*) *Probatur.* Poeta quia maxime opus eſt teſtimonio, ideo magno conatu Cretenſibus mendacibus a Jove ipſo fidem ſtudet facere.
(f) *Faſſuram Cererem*) Sic Geta Terentianus de Æſchino quem hujuſcemodi furti arguere difficile erat; *Poſtremo*, inquit, *non negabit*.
(g) *Viderat*) Cereris amores narrare occipit.
(h) *Jaſium*) Erat ille Jovis ex Electra filius; qui amore Cereris amens, eique vim inferre volens, fulmine ictus occubuit; ut ſcribit Apolodorus.
(i) *Cretæa*) Ad diſtinctionem Idæ, Phrygiæ montis.
(k) *Diva*) Ceres *ſcil.*
(l) *Ida*) Monte Cretæo.
(m) *Figentem*) *Jaculo percutientem, tranſverberantem.*
(n) *Certa*) Quæ certo feras attingeret.
(o) *Flammam*) Amorem.

Vi-

Victus amore pudor: sulcos (*p*) arere videres,
Et sata (*q*) cum minima parte redire sui.
(*r*) Cum bene jactati pulsarant arva ligones,
Ruperat & duram vomer aduncus humum,
Seminaque in latos ierant (*ſ*) æqualiter agros;
(*t*) Irrita decepti vota colentis erant.
Diva (*u*) potens frugum (*x*) silvis cessabat in altis;
(*y*) Deciderant longæ spicea serta comæ.
Sola fuit Crete fœcundo fertilis anno.
(*z*) Omnia, qua tulerat se Dea, (*a*) messis erant.
Ipse locus nemorum (*b*) canebat frugibus Ide,
Et ferus in silva farra metebat aper.
Optavit (*c*) Minos similes sibi legifer annos:
Optavit Cereris (*d*) longus ut esset amor.
(*e*) Quod tibi secubitus tristes, Dea flava, fuissent:
(*f*) Hoc cogor sacris nunc ego ferre tuis.

INTERPRETATIO.

pudor separatus est amore. Cerneres sulcos arescere, & segetes provenire cum minima parte sui. Cum ligones fortiter immissi agros inverterant, & curvus vomer proscinderat duram terram, & semina æqualiter sparsa fuerant per vasta arva; optata elusi agricolæ erant vana. Dea segetibus præsidens quiescebat in excelsis silvis: corona spicea defluxerant prolixis capillis. Sola Creta fuit ferax anno fertili. Omnia, qua Dea incesserat, erant messis. Ipse locus silvarum, Ida albicabat aristis, & trux aper carpebat frumenta in silva. Minos legislator expetivit sibi annos pares: expetivit ut amor Cereris diu duraret. Quod secubitus tibi fuissent injucundi, hoc ego nunc cogor pati tuis sacris.

NOTÆ.

(p) *Amore*) Amore scilicet Ceres frugum Dea, aut ipsa Terra tabescens, pleraque omnia arida & sicca necessario fecit.

(q) *Cum minima*) Vix tantum demetebatur frumenti quantum satum fuerat.

(r) *Cum bene*) *Licet optime terram coluissent.*

(ſ) *Æqualiter*) Huc illuc, nempe, spargi debet semen æqualiter, non uno loco profundi.

(t) *Irrita*) Quia frugum Dea Ceres amore capta, vota audire non curabat: quod etiam insequentibus caussatur Poeta.

(u) *Potens Frugum*) Ceres *scil.*

(x) *Silvis*) Ubi venari solebat Jasius, quem illa amabat.

(y) *Deciderant*) Ex amoris impatientia *scil.* Corona vero spicea ornari Cererem frugum Deam notum est.

(z) *Omnia qua*) Quocumque ibat frugum copiam inducebat.

(a) *Messis*) Pro iis frugibus quas demetere possis.

(b) *Canebat*) Procul visentibus cana seu albescentia videntur arva frugibus maturis consita.

(c) *Minos*) Rex Cretæ, qui primus Cretensibus leges dedisse dicitur.

(d) *Longus*) Ut diutius fertilis sua terra esset.

(e) *Quod*) Alii *Qui*; *Quid*: & sequenti versu *hos*.

(f) *Hoc*) Secubitus tristes propter sacra Cereris. Quod quidem prohibentis voce pronunciandum est.

Cur

Cur ego sim tristis, cum sit tibi (*g*) nata reperta;
(*h*) Regnaque quam Juno sorte (*i*) minore regat!
(*k*) Festa dies, (*l*) Veneremque vocat, cantusque merumque
Hæc decet ad dominos munera ferre Deos.

INTERPRETATIO.

Quamobrem ego sim mœstus, cum sit tibi filia inventa: & regna possideat sorte Junioni proxima? Dies feriata, arcessit Venerem, & cantus & vinum. Decet præbere hæc dona Diis dominis.

NOTÆ.

(m) *Nata*) Proserpina *scil.* quam cum rapuisset Pluto, toto orbe accensis tædis, non sine summo ejulatu Ceres quæsivit.

(h) *Regnaque*) Infernum *scil.* Nullam dicit esse causam quamobrem in Cereris solennibus amantes tristes esse oporteat, cum ipsa filiam Proserpinam inferorum reginam invenerit.

(i) *Minore*) Quia Jovi in orbis divisione cœlum obtigit, ut dictum antea. Alii habent *forte minora*.

(k) *Festa dies*) Cereri sacta.

(l) *Veneremque*) Alii *Cereremque colat.* vocat. *Venerem*, id est, ejus gaudia.

ELEGIA XI.

Ad amicam, a cujus amore discedere non potest.

MUlta diuque (*a*) tuli; (*b*) vitiis patientia victa est.
Cede fatigato pectore, turpis Amor.
Scilicet (*c*) asserui jam me, fugique (*d*) catenas:
Et quæ (*e*) depuduit ferre, tulisse pudet.
Vicimus; & domitum pedibus calcamus Amorem.
Venerunt capiti (*f*) cornua sera meo.
(*g*) Perfer, & obdura: (*h*) dolor hic tibi proderit olim.
Sæpe tulit (*i*) lassis succus amarus opem.

INTERPRETATIO.

MUlta passus sum & diu: patientia superata est vitiis. Discedito pectore defesso, indecore amor. Nempe jam me vindicavi, & effugi vincula: & pudet gestasse, quæ non puduit gestare. Superavimus; & premimus pedibus subditum Cupidinem. Tarda cornua orta sunt meo capiti. Usque patere, & te confirma; hæc ægritudo te aliquando juverit. Sæpe succus ingratus remedium præbuit jacentibus.

NOTÆ.

(a) *Tuli*) *Passus sum* ex Amore, aut amicæ nequitia.

(b) *Vitiis*) *In amore hæc omnia insunt vitia;*

Injuria suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum, inquit servus ille Terentianus Parmeno.

(c) *Asserui*) *A servitute liberavi, in libertatem me vindicavi.*

(d) *Catenas*) *Quibus me amor & amica irretiverant*, scil.

(e) *Depuduit*) *Non puduit*; quod omnes prope exibent codices.

(f) *Cornua*) Pro animi virtute, *Sero cœpi indignari, & rebellare, aut adversus Amorem recalcitrare.* Sic dixit alibi *Pauper cornua sumit*. Nec multo aliter Horatius alicubi.

(g) *Perfer*) *Usque patere.*

(h) *Dolor*) In patiendo & Amori resistendo *scil.* Quam vero prope jam victus est qui dolet, nisi sedulo & omni tempore sibi cavet.

(i) *Lassis*) *Morbo jacentibus.*

(k) Er-

(*k*) Ergo ego fuftinui, foribus tam fæpe repulfus,
Ingenuum dura (*l*) ponere corpus humo.
Ergo ego (*m*) nefcio cui, quem tu complexa tenebas,
(*n*) Excubui claufam, fervus ut, ante domum.
(*o*) Vidi ego cum foribus laffus prodiret amator,
Invalidum referens (*p*) emeritumque latus.
Hoc tamen eft levius, quam quod fum (*q*) vifus ab illo.
Eveniat noftris oftibus ille pudor.
(*r*) Quando ego non fixus lateri (*f*) fpatiantis adhæfi,
Ipfe tuus cuftos, ipfe vir, ipfe comes?
Scilicet, & populo per me comitata placebas.
Caufa fuit multis nofter amoris amor.
Turpia quid referam vanæ mendacia (*t*) linguæ,
Et perjuratos in mea damna Deos?
Quid juvenum tacitos inter convivia (*u*) nutus,
(*x*) Verbaque compofitis diffimulata notis?
(*y*) Dicta erat ægra mihi. præceps amenfque cucurri.
(*z*) Veni; rivali non erat ægra meo.

INTERPRETATIO.

Ergo ego toties rejectus a janua, potui demittere corpus liberum in terra dura. Ergo ego nefcio cui, quem tu amplexa fovebat, vigilavi, tanquam fervus, ante domum obferatam? Afpexi cum amator defeffus domo exiret, reportans latus infirmum, & emeritum. Hoc tamen minus eft quam quod fum afpectus ab illo. Ille pudor contingat noftris hoftibus. Quando ego non adftiti nexus lateri prodeambulantis, ipfe tuus cuftos, ipfe maritus, ipfe comes? Nempe etiam grata eras populo me ftipata; Nofter amor fuit multis caufa amoris. Quamobrem commemorem indecora mendacia falfa lingua, & Deos perjurio violatos in mea difpendia? Quamobrem referam *focretos nutus adolefcentum inter epulas, & verba tecta fignis arte confictis? Dicta erat mihi ægrota. celer & examimis occurri. Acceffi; & non erat ægrota meo rivali.*

NOTÆ.

(k) *Ergo ego*) Optime, ut amorem fuum radicitus revellat, ejus incommoda recordatur & miferias: quanquam brevi ea omnia contemnet nequitiæ luæ mancipium.

(l) *Ponere*) Ad amicæ fores, *fcil.*

(m) *Nefcio cui*) Id eft, *inboneftiffimo forte homini*.

(n) Excubui) *Tota nocte vigil quafi cuftos ante oftium permanfi.*

(o) *Vidi*) Qua re nihil quicquam durius. *Meliores* ego *non agnofcunt*, inquit cl. Heinf. quare licet tollatur. Retinui tamen quia etiam ad majorem emphafim facit.

(p) *Emeritum*) Quinam dicantur milites emeriti, ii fcilicet qui tempus militiæ dicatum abfolverunt, notum eft; unde quid fit latus emeritum facile eft conjicere.

(q) *Vifus*) Humi ftratus, *fcil.* & ejus caufa foribus repulfus.

(r) *Quando non*) Puellæ collata beneficia exprobrat, primumque quod femper in ea colenda affiduus fuerit.

(f) *Spatiantis*) Alii *Patienter*.

(t) *Lingua*) Tuæ *fcil.*

(u) *Nutus*) *Quibus te me folum amare indicabas.*

(x) *Verba*) Prolixe antea, quomodo fignis variis, animi fui cogitata inter fefe amantes patefacerent, aliis diffimularent; a Poeta noftro didicimus.

(y) *Dicta erat*) Optime tertia perfona, ad declarandum magis dolorem fuum, utitur.

(z) *Veni*) Placuit clar. Heinfio copulam ex plurimis fcriptis reponere *Veni; & rivali*.

His,

(*a*) His, & quæ taceo, (*b*) duravi sæpe ferendis.
Quære alium, pro me, qui queat ista pati.
Jam mea (*c*) votiva puppis redimita corona
(*d*) Læta (*e*) tumescentes æquoris audit aquas.
Desine blanditias & verba potentia quondam
Perdere, non ego (*f*) sum stultus, ut ante fui.
(*g*) Luctantur, pectusque leve in contraria tendunt,
Hac amor, hac odium: sed, puto, vincit amor.
(*h*) (Odero, si potero: si non, invitus amabo.
Nec juga taurus amat: quæ tamen odit, habet.)
(*i*) Nequitiam fugio: fugientem forma reducit.
Aversor (*k*) morum crimina: corpus amo.
Sic ego (*l*) nec sine te, (*m*) nec tecum vivere possum.
(*n*) Et videor voti nescius esse mei.
Aut formosa fores minus, aut minus improba, vellem.
Non (*o*) facit ad mores tam bona forma malos.

INTERPRETATIO.

Ego potui sæpe hæc, & quæ prætermitto tolerare. Quære alium, qui possit ista ferre pro me. Jam mea navis cincta sertis votivis, læta audit fluctus maris turgescentes. Omitte profundere blanditias, & verba olim valentia: ego non sum demens ut fui prius. Pugnant, & hinc amor, hinc odium incertum animum in diversa trahunt: sed, credo, amor superat. Odero si queam: si non, coactus amabo. Neque taurus juga diligit: habet tamen quæ odit. Odi improbitatem: pulchritudo me aversantem revocat. Fugio malos mores; corpus amo. Sic ego nec possum vivere sine te, nec tecum; & videor ignorare meum desiderium. Optarem aut esses minus pulchra, aut minus proterva. Forma tam elegans non congruit cum pravis moribus.

NOTÆ.

(a) *His*) Quæ passus sum ante commemoraris.

(b) *Duravi*) Istud iracunde pronuntiandum, indignante Poeta, quod indigna tam multa pati potuerit.

(c) *Votiva*) Plurima vovere solebant tempestate deprehensi præsertim, quæ Diis, ubi periculum effugissent, grato animo persolverent: Quo alludens Poeta, se jam in portu dicit navigare, nec amplius amoris tempestates reformidare, parata, qua Diis gratum animum testetur, corona. Eo modo scripsit Horat. lib. 1. Od. 5. ad Pyrrham, cujus amore non amplius teneretur,

me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

(d) *Læta*) Quæ in tuto posita tempestatis vim & fragorem contemnat. Per puppim vero, navem; per navem a Poetam navi vectum; per vectum esse, amare: per lætum esse, amoribus finem imposuisse, tropice & allegorice, intelligas.

(e) *Tumescentes*) Per hanc allegoriam, aut metaphoræ continuationem, ex tumescentibus aquis puellæ levitatem, repulsas, aliaque ejus generis, qua amatorem percellant, cognosce.

(f) *Sum*) Scriverianus rectius habet *nunc*.

(g) *Luctantur*) Jam defervuit Poetæ ira, rursumque ad ingenium, Amorem *scil.* redit.

(h) *Odero*) Hoc distichon Ovidianum non censuit clar. Heinsius: nec sine causa.

(i) *Nequitiam*) Amicæ levitatem, improbitatem, &c.

(k) *Morum crim.*) Pravos amicæ mores.

(l) *Nec sine te*) Quia corpus amo.

(m) *Nec tecum*) Quia mores aversor.

(n) *Et videor*) Sumus certe eo modo fere omnes inter boni malique angustias propter, impuritatem & contrarietatem ex peccato contractam ubique propemodum coarctati; ut quid velimus nolimus, quid optandum fugiendum plerumque nesciamus.

(o) *Facit*) *Pertinet*; *spectat*.

(p) Facta (q) movent odium; facies exorat amorem:
Me miserum! (r) vitiis plus valet illa suis.
Parce, per (s) o lecti socialia jura, per omnes
(Qui (t) dent (u) fallendos se tibi sæpe) Deos,
Perque tuam faciem magni mihi numinis instar,
Perque tuos oculos, qui rapuere meos;
Quidquid eris, mea semper eris, tu selige tantum,
(x) Me quoque velle velis, anne coactus amem?
Lintea (y) dem potius, ventisque (z) ferentibus utar:
Ut quamvis nolim, cogar amare tamen.

INTERPRETATIO.

Delicta excitant odium: pulcbritudo impetrat amorem. Me miserum! illa plus potest quam sua vitia. Ignosce, per o jura jugalia tori, per omnes Deos, (qui se tradant sape tibi deludendos) & per tuam formam mibi instar potentis numinis, & per tuos oculos, qui abstulerunt meos; quidquid eris, semper erie mea: tu elige tantum, anne cupias me quoque cupere, anne amem invitus? Pandam potius vela, & fruar ventis secundis; ut quanquam recusem, cogar tamen amare.

NOTÆ.

(p) *Facta*) Amicæ *scilicet* improba.

(q) *Movent*) Alii *merent*.

(r) *Vitiis plus*) Vide quonam modo intelligas, an quod mores non amorem prohibeant, quomodo explicant alii; anne quod etiam vitia amorem adaugeant? quo sensu dixit Terentianus ille Thraso

Quanto spei est minus, tanto magis amo.

(s) *O*) Precantis, & maxime optantis est particula.

(t) *Dent*) *Dant* habent codices prope omnes: illam vero lectionem ex codice Neapolitano retraxit clar. Heins.

(u) *Fallendos*) Cum ipsos perjurio violas.

(x) *Me velle*) Id est, *Me toto animo te amare*. Sed vide quam ingeniose petat ut mores mutet puella.

(y) *Dem*) Dum sibi ipsi Poeta hanc legem ponit ut passis velis in amorem ruat; eadem opera, puellam morumque pravitatem dediscere hortatur.

(z) *Ferentibus utar*) Metaph. est a navigatione petita.

ELEGIA XII.

Dolet amicam suam ita suis carminibus innotuisse, ut rivales multos sibi pararit.

QUis fuit ille dies, quo tristia semper amanti
Omnia (a) non albæ (b) concinuistis aves?

INTERPRETATIO.

QUuis fuit ille dies, quo nigra aves cecinistis auguria semper tristia amanti?

NOTÆ.

(a) *Non alba*) *Nigra, infelices*.

(b) *Concinuistis*) Nihil opus esse arbitror de vana Ethnicorum circa hujus generis avium garritum differere, cum etiamnum hodie ejus vanitatis inter Christianos videamus reliquias.

Quod;

Quodve putem *(c)* sidus nostris occurrere *(d)* fatis?
Quosve Deos in me bella movere querar?
(e) Quæ modo dicta mea est, quam cœpi solus amare,
Cum multis vereor ne sit habenda mihi.
Fallimur? an nostris innotuit illa libellis?
(f) Sic erat: ingenio *(g)* prostitit illa meo.
Et merito. *(h)* quid enim formæ præconia feci?
Vendibilis culpa facta puella mea est.
Me lenone placet. duce me perductus amator.
Janua per nostras est adaperta manus.
An prosint, dubium; nocuerunt carmina certe.
Invidiæ nostris illa fuere bonis.
Cum *(i)* Thebæ, cum Troja forent, cum *(k)* Cæsaris acta;
Ingenium movit sola Corinna meum.
(l) Aversis utinam tetigissem carmina Musis;
(m) Phœbus & inceptum destituisset opus!
(n) Nec tamen, ut testes mos est audire poetas,
Malueram verbis pondus abesse meis.

INTERPRETATIO.

Vel quod credam astrum nostris fatis obstare? Vel quos Deos doleam bella in me excitare? Metuo ne illa quæ modo dicta est mea, quam cœpi solus amare, sit mihi habenda cum multis. Decipimur ne? an illa clara facta est nostris libellis? Sic erat: illa in publicum venit ingenio meo. Et jure: quamobrem enim pulcbritudinem celebravi? Puella facta est venalis meo vitio. Grata est me conciliante: amator perductus me duce. Fores sunt reseratæ nostris manibus: Incertum est *an versus juvent; profecto obfuerunt: illi fuerunt invidiæ nostris bonis. Cum Thebæ, cum Troja, cum Cæsaris gesta* in medio *essent; sola Corinna detinuit meum ingenium. Utinam operam adbibuissem carminibus Musis invitis, & Phœbus dereliquisset opus incœptum. Nec tamen sicut consuetudo est audire Poetarum testimonium, præoptassem fidem deesse verbis meis.*

NOTÆ.

(c) *Sidus*) Vim maximam in hæc inferiora influere sidera procul est omni dubio, cuiquam perspectam esse vix crediderim.

(d) *Fatis*) *Votis* alii.

(e) *Quæ modo*) Jam quærendi causam aperit.

(f) *Sic erat*) *Cognita non erat puella de qua loquor, carminibus meis innotuit.*

(g) *Prostitit*) *Prostare* est turpitudine corporis quæstum facere, ut meretrices, inquit Dominicus. Verum dicit; quanquam hoc statim turpissimo sensu hoc in loco exponere, duriusculum videretur, nisi ipse Poeta sequentibus monstreret, quod nihilominus est paululum moliendum,

(h) *Quid*) *Propter quid?* Seipsum accusat, quod amicam laudando propemodum venalem ipse produxerit.

(i) *Thebæ*) Urbs fuit Bœotiæ a Cadmo condita, regionis quondam primaria; in cujus describendis bellis Statius Poeta operam suam collocavit. Ejus hoc in loco meminit Naso, sese ipse increpans, quod neglecta Carmini tam apta materia, Corinnam solam versibus suis celebraverit.

(k) *Cæsaris acta*) Istud in gratiam Cæsaris dicit.

(l) *Aversis*) Ita ut nullus Carmina mea legere dignatus esset; neque adeo Corinna innotuisset.

(m) *Phœbus*) Apollo enim Poeticæ inventor, qui Musis præest, nisi cuipiam faveat, bonos versus non potest scribere.

(n) *Nec tamen*) Cum sese scripsisse, & fidem de Corinnæ forma fecisse videat Poeta, jam ipsos Poetas testes non esse idoneos quibus sit fides habenda, probare nititur.

Per *(o)* nos *(p)* Scylla patri *(q)* canos furata capillos
(r) Pube premit rabidos inguinibusque canes.
Nos pedibus *(ſ)* pennas dedimus, nos *(t)* crinibus angues.
Victor *(u)* Abantiades alite fertur equo.
Iidem per ſpatium *(x)* Tityon porreximus *(y)* ingens:
Et tria *(z)* vipereo fecimus ora cani.
Fecimus *(a)* Enceladum jaculantem mille lacertis;
(b) Ambiguæ captos virginis ore *(c)* viros.

INTERPRETATIO.

Per nos Scylla furata patri albam comam urget pube & inguinibus rabioſos canes. Nos adbibuimus alas pedibus, nos ſerpentes capillis. Abantiades victor vebitur equo volucri. Nos *iidem ſtravimus Tityon per vaſtum ſpatium: & dedimus tres rictus cani viperis borrido. Exbibuimus Enceladum vibrantem mille brachiis;* Exhibuimus *viros captos vultu puella duplicis.*

NOTÆ.

(o) *Nos*) Poetæ, *ſcilicet*, quibus omnia licet fingere.

(p) *Scylla*) Duæ ejus nominis memorantur puellæ ab ipſo etiam Poeta noſtro; altera Niſi, altera Phorci filia; quarum fabulas, ut magis omnia mentiri credas ipſos Poetas, hoc in loco confundit Naſo noſter. Atque iſtud totum ut melius cognoſcas videſis quæ ipſe Metam lib. 8. & 14. ab initio de utraque ſcripſit.

(q) *Canos*) Ad Niſi ætatem reſpicit hoc in loco Poeta; nam purpureum dicunt fuiſſe ejus fatalem capillum.

(r) *Pube*) Fingitur Scylla pectore tenus pulcherrimam fœminam fuiſſe, inferiori vero corporis parte, canum, luporum, aut etiam ſerpentum ſpeciem prætuliſſe. Qua de re prolixe Ovid. loco modo citato Metam. 14.

(ſ) *Pennas dedimus*) Perſeo talaria a Mercurio data fabulati ſunt Poetæ.

(t) *Crinibus angues*) Meduſam vipereis capillis formidabilem iidem mendaces Poetæ fecerunt.

(u) *Abantiades*) Bellerophontemne qui Pegaſo equo vectus eſt, an Perſeum intelligas, dubium eſt; cum Bellerophontem quidem eo equo Pegaſo victum fuiſſe certum ſit, Abantis autem ullius nepotem fuiſſe non conſtet; deinde Abantis nepotem fuiſſe quidem Perſeum ex Apollodoro clarum ſit, nullibi vero Pegaſum aſcendiſſe eum legatur. Quamobrem ſi coactam & anxie quæſitam expoſitionem, quam vocat ipſe Mycillus ejus auctor, admittere nolis, hic locus etiam ſic exponi poteſt, *Abantiades, ſeu Perſeus fertur ſeu celebratur equo alite*, hoc eſt, quia e ſanguine, qui ex cæſo a Perſeo Meduſæ Gorgonis capite in terram defluxit natus eſt Pegaſus alatus equus. Sed nullus auſit affirmare annoforte, ut Græcorum varia fuerunt præſertim in fabulis narrandis, ingenia, Poeta noſter apud aliquem, Perſeum equo alato vectum fuiſſe, legerit. Quid ſi data opera, contra fabularum fidem loquutus eſt Poeta?

(x) *Tytion*) Fuit hic, ut mentiti ſunt Poetæ, ipſo fatente Ovidio, Jovis ex Elara filius, qui cum Latonæ vim inferre tentaſſet, ab Apolline ſagittis confoſſus eſt, & ad inferos hac pœna damnatus, ut jecur ejus ſemper renaſcens volucres exederent.

(y) *Ingens*) Quippe cujus corpus humi exporrectum novem terræ jugera occuparet.

(z) *Vipereo*) Cerberus eſt, inferorum cuſtos, anguibus villorum loco horribiliter obſitus.

(a) *Enceladum*) Fuit hic Titani & Terræ filius, gigantum omnium, qui adverſus Jovem bellum geſſerunt longe maximus, quem fulmine ictum Jupiter monti Æthnæ ſuppoſuit.

(b) *Ambigua*) Alii ad Syrenes, alii ad Circen iſtud referunt. Sirenum voces, per *ora virginis ambigua* ſi intellexeris, tunc *ambiguas* interpreteris quæ a capite uſque ad pubem formoſiſſimarum virginum, cætera turpiſſimorum piſcium, duplici cauda, ſpeciem referrent. Si vero de Circe interpreteris, ambiguam dixeris, quæ fallax, duplex, & varia fuit; quanquam non ita ad ſcopum facit Poetæ hæc poſterior explicatio.

(c) *Viros*) Ulyſſis ſocios, alioſque, Sirenum, & Circes cantibus & incantamentis, in varias brutorum formas tranſmutatos.

(d) *Æolios*

(*d*) Æolios (*e*) Ithacis (*f*) inclusimus utribus Euros:
(*g*) Proditor (*h*) in medio Tantalus amne sitit.
De (*i*) Niobe silicem, de (*k*) virgine fecimus ursam:
Concinit (*l*) Odrysium (*m*) Cecropis (*n*) ales (*o*) Ityn.
Jupiter aut in (*p*) aves, aut se transformat in (*q*) aurum:
Aut secat imposita (*r*) virgine (*s*) taurus aquas.
(*t*) Protea quid referam, (*u*) Thebanaque semina dentes?
(*x*) Qui vomerent flammas ore, fuisse boves?

INTERPRETATIO.

Coercuimus utribus Ithacis Euros Æolios: garrulus Tantalus siti torquetur in medio flumine. Mutavimus Nioben in saxum: virginem in ursam: avis Cecropis celebrat Ityn Odrysium. Jupiter se transmutat aut in aves, aut in aurum: aut taurus scindit aquas, virgine correpta. Quid memorem Protea, & dentes, semina Thebana? Boves exstitisse qui emitterent ignes ore?

NOTÆ.

(d) *Æolios*) Quibus Æolus ventorum Rex imperat.

(e) *Ithacis*) Ulyssis, Ithacensis, id est, qui in Ithaca insula e regione Peloponnesi ad occasum regnavit.

(f) *Inclusimus*) Scribit Homerus Æolum ventorum regem Ulyssi, ut tutior navigaret, ventos utre inclusos dedisse; sed socios, aurum inclusum existimantes, utrem, Ulysse dormiente, dissolvisse.

(g) *Proditor*) Qui Deorum secreta, mortalibus prodidit.

(h) *In medio*) Illum vero Tantalum Poetæ apud inferos isto etiam supplicio damnaverunt, ut aquas labiorum tenus affluentes ore nunquam possit ad sedandam sitim pertingere.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus; hoc illi garrula lingua dedit. Ovid.

(i) *Niobe*) Tantali fuit filia; cujus videsis fabulam Metam. lib. 6. ℣. 165.

(k) *Virgine*) Calistone, Lycaonis, Arcadiæ regis filia; cujus fabulam narrat Poeta, Metam. lib. 2. ℣. 409.

(l) *Odrysium*) Threicium, ab Odrysarum Thraciæ gente antiqua.

(m) *Cecropis*) Atheniensis. Patronymicum est fœmininum a Cecrope, qui primus Athenis regnavit.

(n) *Ales*) Prognen dicit, Pandionis, Athenarum regis filiam, quæ in hirundinem mutata fuit; qua de re in Metam. lib. 6. ℣. 667. & plurimis præcedentibus.

(o) *Itym*) Filius fuit Terei & Prognes qui in phasianum mutatus est; sed prolixe loco jam jam citato ejus habes fabulam.

(p) *Aves*) Cygnum puta, cum Ledam decepit, in Aquilam cum Ganymedem rapuit, Asterien vitiavit.

(q) *Aurum*) Se in aurum Jupiter transformasse dicitur, cum Danaen Acrisii filiam lusit.

(r) *Virgine*) Europa *scil.* Agenoris, Phœnicum regis, filia.

(s) *Taurus*) Ejus animalis induisse formam dicitur Jupiter, cum Europam dorso impositam in Cretam insulam deportavit. Qua de re Metam. lib. 2. ℣. 850.

(t) *Protea*) Accusativus est Græcus. De Proteo vero Oceani & Tethyos filio, qui se in varias formas secundum Poetarum figmenta vertere solebat, antea vidimus.

(u) *Thebanaque*) Hanc fabulam si ignoras apud Poetam ipsum, Metamor. lib. 3. ℣. 102. & sequentibus legere non pœnitebit. Dicuntur vero dentes serpentis quos Cadmus seminavit *semina Thebana*, quia ipse Cadmus una cum quinque ex armatis militibus, qui ex satis dentibus prodierant, Thebas condidit.

Qui vomerent) Illi sunt quos Jason priusquam aureo vellere potiretur jugo submisit: Quam fabulam scribit Ovid. Metam. 7. lib. ℣. 104. & sequentibus.

Flere genis *(y)* electra tuas, *(z)* auriga, sorores?
(a) Quæque rates fuerint, nunc maris esse Deas?
(b) Aversumque *(c)* diem mensis furialibus *(d)* Atrei?
(e) Duraque percussam saxa secuta lyram?
Exit in immensum fœcunda licentia vatum:
Obligat historica nec sua verba fide.
Et mea debuerat falso laudata videri
Fœmina: credulitas nunc mihi vestra nocet:

INTERPRETATIO.

Sorores tuas o auriga profundere electra oculis? Et quæ fuerint naves nunc esse Deas maris? Et solem exhorruisse epulas furiales Atrei? Et saxa mota ad lyram pulsatam? Audacia fertilis Poetarum exspatiatur in infinitum: nec adstringit sua verba fide historica. Mea etiam puella debuerat videri falso celebrata: vestra credulitas nunc mihi officit.

NOTÆ.

(y) *Electra*) Illud est quod vulgo *Ambra* dicunt, a Latinis, qui succum esse crediderunt, *Succinum* appellatum.

(z) *Auriga*) Phaeton intelligitur; cujus ut & sororum Heliadum fabula narratur Metam. lib. 2. a primo versu ad 366.

(a) *Quæque rates*) Finxit Virgilius Æneæ naves, ne a Rutulis incenderentur, in Cybeles gratiam a Jove in marinas nymphas mutatas fuisse.

(b) *Aversumque*) Fingunt Poetæ Thyestem Atrei fratris uxorem violasse; hunc vero vindictæ causa filios ex adulterio susceptos comedendos apposuisse: Cujus facinoris horrore Sol retrocessisse fertur.

(c) *Diem*) Pro sole.

(d) *Atrei*) Fuit hic cum fratre Thyeste Pelopis ex Hippodamia filius.

(e) *Duraque*) Amphion Jovis & Antiopes, vel, ut alii volunt, Mercurii filius, tanta cantus suavitate valuit; ut ad citharam canens, saxa ad struenda Thebarum mœnia dicatur traxisse.

ELEGIA XIII.

De Junonis Festo.

(a) CUm mihi *(b)* pomiferis *(c)* conjux foret orta *(d)* Phaliscis:
Mœnia contigimus victa, *(e)* Camille, tibi.
Casta sacerdotes Junoni festa parabant
Per *(f)* celebres ludos, *(g)* indigenamque bovem.

INTERPRETATIO.

CUm uxor mihi esset orta Phaliscis pomiferis; pervenimus ad urbem a te subactam, Camille. Sacerdotes adornabant festa pia Junonis per ludos celebres, & vaccam patriam;

NOTÆ.

(a) *Cum mihi*) Cum Nasoni e Phaliscorum gente uxor contigisset, illius gratia ad eos pervenit, ubi sacrorum Junonis ritum edidicit, quem ex hac Elegia cognosces.

(b) *Pomiferis*) In Phaliscis enim maxima provenit pomorum copia.

(c) *Conjux*) Tres habuit, quarum utra hic memoretur nescio: duas repudiavit: cum tertia conjunctissime vixit.

(d) *Phaliscis*) Phalisci seu Falisci, urbs fuit & ager in Hetruria.

(e) *Camille*) Fuit M. Furius Camillus vir summa virtute præditus, qui Faliscos ad deditionem coegit; Romam a Gallis captam liberavit.

(f) *Celebres*) Utpote in Junonis honorem.

(g) *Indigenam*) Faliscus enim ager pascuis abundans victimis pascendis dicatus.

Grande moræ pretium, (*h*) ritus cognoscere: quamvis
Difficilis clivis huc via præbet iter.
Stat vetus, & densa prænubilus arbore lucus.
Aspice; concedas numen inesse loco.
Accipit ara preces, votivaque thura piorum;
Ara per antiquas facta (*i*) sine arte manus.
Hinc ubi præsonuit solenni tibia cantu;
It per (*k*) velatas annua pompa vias.
Ducuntur niveæ populo plaudente juvencæ,
(*l*) Quas aluit campis herba Phalisca suis:
Et vituli (*m*) nondum metuenda fronte minaces,
Et minor ex humili victima porcus hara:
(*n*) Duxque gregis cornu per tempora dura recurvo.
Invisa est (*o*) dominæ sola capella Deæ.
Illius indicio silvis inventa sub altis
(*p*) Dicitur inceptam destituisse fugam.
Nunc quoque per pueros jaculis incessitur (*q*) index;
Et pretium auctori vulneris ipsa datur.
Qua ventura Dea est, juvenes timidæque puellæ
Præverrunt latas veste jacente vias.

INTERPRETATIO.

magna merces mora cognoscere caremonias; quanquam via ardua colliculis huc dat iter. Est antiquus lucus, & opacus frequenti arbore: Cerne; fatearis numen loco inesse. Altare capit preces, & thura vota a piis; altare constructum sine artificio per manus antiquas. Hinc, postquam tibia præcinuit cantu annuo, pompa solennis procedit per vias stratas. Juvenca candida quas herba Phalisca pavit in campis suis aguntur populo favente; itemque vituli minaces nondum reformidanda fronte: Et porcus victima minor ex contemto suili; & dux gregis cornu adunco per aspera tempora. Sola capra est odiosa Deæ Dominæ. Reperta in mediis silvis illius indicio destitisse creditur a fuga incepta. Nunc quoque index petitur jaculis per pueros; & ipsa datur merces auctori plaga. Adolescentes, & pavida puellæ præverrunt, vastas vias qua Dea est accessura, tunicis positis.

NOTÆ.

(h) *Ritus*) In Junonis celebrando festo adhibitos *scilicet*,

(i) *Sine arte*) Quia Pietate magis quam externo cultu sua templa veteres ornabant.

(k) *Velatas*) Velis seu vestibus stratas.

(l) *Quas aluit*) *In Phalisco*, inquit Nin. lib. 2. cap. 103. *Clitumni amnis potata aqua candidos boves facit*.

(m) *Nondum*) Id est, quibus vix cornua nata erant.

(n) *Duxque gregis*) Aries est, cornibus in frontem recurvis conspicuus. Maro quoque *virum gregis* Capram appellavit.

(o) *Domina*) Junoni, quæ uxor est Jovis, qui in omnia dominium habet.

(p) *Dicitur*) Obscura est fabula quam hic tangit Poeta. Bis autem fugisse Juno traditur; semel cum virginem adhuc, Jupiter, Amoris impulsu persequutus est, ipse tum cuculus factus: Deinde cum metu gigantum, Dii omnes in Ægyptum profugerunt. Satius videtur quæ hic memorat Poeta ad priorem fugam referre.

(q) *Index*) Capella, *scil.* quæ fugientem Junonem prodidit.

(*r*) Virginei crines auro gemmaque premuntur:
Et tegit auratos palla ſuperba pedes.
More patrum (*ſ*) Grajo velatæ veſtibus (*t*) albis
Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.
(*u*) Ore favent populi, tunc cum venit aurea pompa:
Ipſa ſacerdotes ſubſequiturque ſuas.
(*x*) Argiva eſt pompæ facies. Agamemnone (*y*) cæſo
Et ſcelus & patrias fugit (*z*) Haleſus opes.
Jamque pererratis profugus terraque fretoque
(*a*) Mœnia felici condidit alta manu.
Ille ſuos docuit Junonia ſacra Phaliſcos.
Sint mihi, (*b*) ſint populo ſemper amica ſuo.

INTERPRETATIO.

Capilli virgimi ornantur auro & gemmis: & palla ſplendida velat pedes auratos. Virgines *induta veſtimentis candidis ritu Græco majorum gerunt ſubmiſſo capite ſacra concredita. Populi favent linguis tunc cum ſplendida pompa procedit: Ipſa* Juno *ſubſequitur ſuas ſacerdotes. Species pompæ eſt Argiva. Haleſus, Agamemnone interfecto, effugit & parricidium & divitias patrias. Et profugus jam pervagatus terram & mare, excelſos muros poſuit fauſta manu: Ille docuit ſuos Phaliſcos ſacra Junonia. Sint mihi ſemper propitia, ſint populo ſuo.*

NOTÆ.

(r) *Virginei*) Earum *ſcil.* puellarum quæ Junoni ſacra faciunt.

(ſ) *Grajo*) Græcarum fœminarum more ornatos; namque Phaliſci ex Græcis erant oriundi.

(t) *Albis*) Albarum enim veſtium uſus in ſacrificiis.

(u) *Ore favent*) Id eſt, Tacent. Horat. lib. 3. Carminum.

Favete linguis: Carmina non prius
Audita, Muſarum ſacerdos,
Virginibus, pueriſque canto.

(x) *Argiva*) *Græca.*

(y) *Cæſo*) Ab Ægiſto adultero, & Clytemneſtra uxore.

(z) *Haleſus*) Alii aurigam, alii filium faciunt Agamemnonis.

(a) *Mœnia*) *Haleſum* ſcil. oppidum a ſuo nomine præpoſito; quod poſtea Phaliſcum appellarunt.

(b) *Sint amica*) Seu potius Juno ipſa, in cujus honorem ſacra celebrantur.

ELEGIA XIV. *Ad amicam, &c.* ***

ELEGIA XV.

Ad Venerem, quod elegis finem imponat.

QUære novum vatem, tenerorum mater Amorum,
(*a*) Raditur hic Elegis ultima meta meis;

INTERPRETATIO.

MAter mollium amorum quære alium Poetam: ultima meta hic teritur meis Elegis.

NOTÆ.

(a) *Raditur*) Notum eſt artis fuiſſe in curruli certamine, quam proxime metas currum admovere. Inde petita metaphora dicit Poeta ſe ultimam Elegiam ſcribere.

Quæ

Quos ego composui (*b*) Peligni ruris alumnus;
(*c*) Nec me deliciæ dedecuere meæ.
Si quid (*d*) id est, usque a proavis vetus (*e*) ordinis hæres,
Non modo (*f*) militiæ turbine factus eques.
(*g*) Mantua Virgilio gaudet, (*h*) Verona Catullo:
Pelignæ dicar gloria gentis ego.
Quam sua libertas ad (*i*) honesta coegerat arma,
Cum (*k*) timuit (*l*) socias anxia Roma manus.
Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
Mœnia, quæ campi jugera pauca tenent;
Quæ tantum, dicet, *potuistis ferre poetam*,
Quantulacunque estis, vos ego magna voco.
Culte puer, puerique parens (*m*) Amathusia culti,
Aurea de campo (*n*) vellite signa meo.

INTERPRETATIO.

quos ego alumnus agri Peligni conscripsi. Nec mei lusus mihi dedecori fuerunt; mihi inquam, *si id est aliquid*, qui sum *antiquus hæres ordinis* equestris *usque a proavis; non nuper creatus eques motibus belli. Mantua sibi plaudit Virgilio, Verona Catullo: ego perhibebor laus nationis Pelignæ: quam sua libertas impulerat ad arma decora, cum Roma sollicita metuit manus sociales. Atque aliquis peregrinus intuens muros Sulmonis aquatici, qui complectuntur pauca jugera agri*; Qui, *inquiet*, potuistis sustinere tantum Poetam, quantulicunque estis, ego vos nomino magnos. *Splendide puer, & mater Amathusia pueri splendidi, tollite signa splendida de meo agro*.

NOTÆ.

(b) *Peligni*) Populi fuerunt Italiæ inter Samnites & Marsos; a quibus Naso originem duxit.

(c) *Nec me*) Quia, Juvenis scripsit, *scil.*

(d) *Id*) Esse, *scil.* ex equestri ordine.

(e) *Ordinis*) Equestris, *scil.*

(f) *Militiæ turbine*) Dixit supra rivalem mordens,

Ecce recens dives parto per vulnera censu;
Præfertur nobis sanguine factus eques.

Ex quo facile quid hic sibi velit Poeta, intelligitur.

(g) *Mantua*) Urbs est Italiæ Transpadanæ clarissima, quam Poeta Virgilius patriam habuit.

(h) *Verona*) Urbs est haud multum a Mantua dissita ad Septentrionem; quam Patriam Catullus laudavit.

(i) *Honesta*) Quippe pro libertate asserenda; quanquam jam diu sub Imperio Romano fuerant redacti.

(k) *Timuit*) Nempe gravissimum bellum, anno ab urbe condita 659. Picentes, Marsi, Pelignique moverunt, qui cum annis numerosis jam Pop. Romano obedirent; tum libertatem sibi æquam asserere cœperunt, ut scribit Eutropius Hist. Roman. lib. 5.

(l) *Socias*) Bellum illud Sociale fuit appellatum.

(m) *Amathusia*) Venus est, ab Amathunte urbe Cypri, ubi maxime culta fuit, sic dicta.

(n) *Vellite*) Aquilas suas signa militaria in terram defigere solebant Romani; hinc petita est metaphora, quasi Amorem jubeat apud alios & aliis militibus bella sua gerere.

(o) Cor-

(o) Corniger increpuit *(p)* thyrſo *(q)* graviore *(r)* Lyæus,
Pulſanda eſt magnis *(ſ)* area major equis.
(t) Imbelles Elegi, *(u)* genialis Muſa, valete;
Poſt mea manſurum fata ſuperſtes opus.

INTERPRETATIO.

Corniger Lyæus me perculit thyrſo majore: vaſtior campus eſt premendus magnis equis. Elegi molles, genialis Muſa; opus duraturum ſuperſtes poſt meum obitum, valete.

NOTÆ.

(o) *Corniger*) Hanc cauſam docet Diodorus lib. 4. quamobrem cum cornibus Bacchus fingatur. *Hammon*, inquit, *traditur galea in bellis uſus, cujus inſigne fuit arietis caput. Sunt qui ipſum afferant natura in utroque tempore parvula habuiſſe cornua: propterea filium ejus Dionyſium eodem fuiſſe aſpectu; poſteriſque traditum, Deum hunc cornua geſtaſſe.* Alii a cornibus quibus poculorum loco primis temporibus utebantur, Baccho cornua attributa fuiſſe volunt: Alii, illi ex protervia hominum vinolentorum proveniſſe autumant: unde ab Horatio dictum,

Addis cornua pauperi;

Et a Naſone noſtro

Tunc pauper cornua ſumit.

(p) *Thyrſo*) Thyrſus haſta eſt hedera aut pampino veſtita, quam pro ſceptro Bacchus gerit:

(q) *Graviore*) Metamorphoſis libros ſcripturus erat heroico carmine, non elegiaco, qui modus eſt levior.

(r) *Lyæus*) Latine *Liber* eſt, qui Bacchus, vini Deus; ſine quo bonos verſus ſcribere non licere ipſi etiam maxime ſobrii poetæ ſcripſerunt. Nempe furore quodam, & majore opus eſt impetu ad ſcribenda carmina.

(ſ) *Area*) Metaphora eſt de qua jam ſæpius, ex certaminibus petita.

(t) *Imbelles*) Qui materiam reſpuunt bellicam & magnam.

(u) *Genialis*) *Voluptatibus apta*. A Genio voluptatis Deo.

P. OVIDII NASONIS
SULMONENSIS,
ARTIS AMATORIÆ
LIBER I.

SI quis in (*a*) hoc artem populo non novit amandi;
Me legat: & lecto carmine doctus amet.
Arte citæ veloque rates remoque moventur:
Arte leves currus, arte regendus Amor.
Curribus (*b*) Automedon lentisque erat aptus habenis:
(*c*) Tiphys in (*d*) Hæmonia puppe magister erat.
Me Venus artificem tenero præfecit Amori.
Tiphys & Automedon dicar Amoris ego.
Ille quidem ferus est, & qui mihi sæpe repugnet.
Sed puer est; ætas mollis & apta regi.
(*e*) Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem;
Atque animos placida contudit arte feros.
Qui toties socios, toties exterruit hostes;
Creditur annosum pertimuisse senem.
Quas (*f*) Hector sensurus erat, poscente magistro,
Verberibus jussas præbuit ille manus.

INTERPRETATIO.

SI aliquis ex isto populo ignorat artem amandi, legat me, & eruditus postquam versus meos *legerit, amet. Naves veloces velis, & remis impelluntur arte: Levia carpenta* agitantur *arte. Amor est gubernandus arte. Automedon erat idoneus ad currus & fræna mollia: Tiphys erat gubernator in navi Thessalica: Venus me fecit moderatorem mollis Amoris. Ego vocabor Tiphys & Automedon Amoris. Ille quidem* Amor *est immitis, & qui sæpe resistat mibi: Sed est puer; ætas est tenera, & idonea flecti. Chiron perfecit Achillem puerum cithara, atque emollivit dulci arte animos ejus fervidos. Qui perterrefecit toties socios & hostes, existimatur prorsus reformidasse senem longævum. Ille* Achilles *præceptore jubente porrexit plagis manus coactas, quas Hector erat sensurus.*

NOTÆ.

(a) *Hoc*) Romano *scil.*

(b) *Automedon*) Achillis fuit auriga Diorei filius; quem pro quovis alio sumunt Poetæ.

(c) *Tiphys*) Gubernator fuit Argonautarum, qui in Colchica expeditione periit.

(d) *Hæmonia*) In Argo navi Thessalica; Hæmonia enim Thessalia est ab Hæmo monte sic dicta.

(e) *Phillyrides*) Chiron Centaurus est, ex Philyra, Oceani filia ortus; qui Achillis fuit præceptor.

(f) *Hector*) Hunc vero Priami filium Achilles interfecit.

(*g*) Æacidæ Chiron, ego ſum præceptor Amoris.
(*h*) Sævus uterque puer: natus uterque (*i*) Dea.
(*k*) Sed tamen & tauri cervix oneratur aratro;
Frænaque magnanimi dente teruntur equi.
Et mihi cedet Amor: quamvis mea vulneret (*l*) arcu
Pectora, jactatas excutiatque faces.
Quo me fixit Amor, quo me violentius uſſit;
Hoc melior facti vulneris (*m*) ultor ero.
Non ego, (*n*) Phœbe, datas a te mihi mentiar artes;
Nec nos aeriæ voce monemur avis:
Nec mihi ſunt viſæ (*o*) Clio (*p*) Cliuſque ſorores,
(*q*) Servanti pecudes vallibus, (*r*) Aſcra, tuis.
Uſus opus movet (*ſ*) hoc, vati parete perito.
Vera canam; cœptis, mater Amoris, ades.
Eſt procul (*t*) vittæ tenues, inſigne pudoris;
Quæque tegis medios (*u*) inſtita longa, pedes.
Nos (*x*) Venerem tutam conceſſaque furta canemus.
Inque meo nullum carmine crimen erit.

INTERPRETATIO.

Chiron fuit *magiſter Achillis, ego ſum magiſter Amoris. Puer uterque ferus; uterque genitus Dea. Sed tamen etiam collum tauri premitur aratro; & fræna fricantur dente equi fero.is. Amor etiam mihi cedet; quanquam fauciet mea pectora arcu, & jactet faces motas* in me. *Quanto gravius Amor me tranſverberavit, quanto me* gravius *inflammavit, eo ero gravior vindex vulneris adacti. Non falſo dicam, o Apollo, artes* amandi *mihi fuiſſe traditas a te: nec nos hortatur cantus avis aeria; nec Clio, & ſorores Clius ſunt viſa a me paſcente oves, o Aſcra, in vallibus tuis: Experientia facit hoc opus: auſcultate vati experto. Cantabo vera: Mater Amoris fave incœptis. Eſtote procul vitta ſubtiles, ſignum pudicitia, & inſtita prolixa qua velas medios pedes. Nos cantabimus Amores tutos, & furta non prohibita, & nulla culpa erit in meo carmine.*

NOTÆ.

(g) *Æacida*) Eo nomine appellatus eſt Achilles ab avo Æaco.

(h) *Sævus*) Num ſævus fuerit Achilles, & Trojani & Greci docent apud Homerum. Num ſævus ſit Amor Poetæ prope omnes & niſi ante experientia notus eſt plerique hominum docebunt.

(i) *Dea*) Nempe Achilles Thetidem, Cupido Venerem matrem habuit.

(k) *Sed tamen*) Tauri & equi exemplo Amorem gubernari poſſe oſtendit.

(l) *Arcu*) Quo ſagittas ſuas amatorias Cupido in Cor amantium tranſmittit.

(m) *Ultor ero*) Docendo *ſcil.* quomodo ſit Amor flectendus.

(n) *Phœbe*) Creditus eſt Phœbus ſeu Apollo Pater Scientiarum; interim ſe ab eo amandi artem didiciſſe negat Poeta.

(o) *Clio*) Una eſt ex Muſis; quas ſibi amandi artes tradidiſſe, quemadmodum Heſiodo verſus ſcribendi, idem diffitetur Naſo.

(p) *Cliuſque*) Genitivus eſt græcus. Sunt vero octo ſorores Clius, ſeu Muſæ; quarum nomen nihil hic attinet apponere.

(q) *Servanti*) Fingunt Poetæ, Heſiodum, cum patris oves juxta Heliconem paſceret, a Muſis ad Hippocrenen fontem deductum fuiſſe; cujus aquæ potu Poeta evaſit.

(r) *Aſcra*) Vicus fuit Theſpiis juxta Heliconem, quem Heſiodi parentes incoluerunt,

(ſ) *Hoc*) De his libris ſuis amatoriis loquitur.

(t) *Vitta*) Vitta faſcia erat, ſeu capitis ligamentum, pudicitiæ ſignum quo Veſtales, Virgines, itemque matronæ caſtæ utebantur. Unde illis non ſcripſiſſe Poetam intelligas.

(u) *Inſtita*) Tenuis eſt faſciola, quæ, veluti limbus, ſtolam ambibat; quod proprie matronarum veſtimentum erat.

(x) *Venerem tutam*) Id eſt, quam apud ignobiles fœminas ſine periculo invenire poſſis.

Tot

Principio, quod amare velis, reperire labora,
  Qui nova nunc primum (y) miles in arma venis.
Proximus huic labor eſt, placitam exorare puellam.
  Tertius, ut longo tempore duret amor.
Hic (z) modus: hæc noſtro ſignabitur area (a) curru:
  (b) Hæc erit admiſſa meta terenda rota.
Dum licet, & (c) loris paſſim potes ire ſolutis;
  Elige cui dicas, Tu mihi ſola places.
Hæc tibi non tenues veniet delapſa per auras.
  Quærenda eſt oculis apta puella tuis.
Scit bene venator, cervis ubi retia tendat:
  Scit bene, qua frendens valle moretur aper.
Aucupibus noti (d) frutices; qui ſuſtinet hamos,
  Novit quæ multo piſce natentur aquæ.
Tu quoque, materiam longo qui quæris amori,
  Ante frequens quo ſit diſce puella loco.
Non ego quærentem (e) vento dare vela jubebo:
  Nec tibi, ut invenias, longa terenda via eſt.
(f) Andromedan Perſeus nigris portarit ab (g) Indis,
  Raptaque ſit (h) Phrygio Graja puella viro.

INTERPRETATIO.

Ab initio conator invenire quod libeat amare, tu, qui venis nunc primum miles in arma insolita. Labor proximus huic eſt exorare puellam, quæ placuit: tertius, ut Amor diu ſtet. Hic erit modus: hoc ſpatium notabitur curru noſtro: hæc meta erit premenda rota incitata. Dum licet & potes ire paſſim habenis admiſſis, elige cui dicas: Tu ſola arrides mihi. Hæc non ad te veniet delapſa per auras ſubtiles, inveſtiganda eſt puella idonea oculis tuis. Venator bene novit ubi tendat plagas cervis: bene novit qua valle aper frendens maneat. Frutices perſpecti aucupibus; qui tractat hamos cognoſcit quæ aqua agitetur plurimis piſcibus. Tu etiam qui quæris cauſam longo amori, prius cognoſce ubinam ſit plurima puella. Ego non autor fuero te, quærentem tradere lintea vento: nec tibi iter longum eſt faciendum, ut comperias. Perſeus avexerit Andromedan ab Indis nigris, & puella Græca ablata fuerit a viro Trojano.

NOTÆ.

(y) *Miles*) Metaphora eſt a militari petita; quia ſcilicet,

Militat omnis amans, & habet ſua caſtra Cupido.

(z) *Modus*) Scribendi modum ſibi ponit Poeta, ex triplici Amantis, aut certe Tironis cura.

(a) *Curru*) Id eſt, *ſtylo noſtro hæc ſcribentur*. Metaph. eſt ab Aurigis ſumta.

(b) *Hæc erit*) Id eſt, *Circa hanc materiam mihi opera pretium erit immorari, non ſecus ac circa metam Aurigantes currum ſuum inflectere nituntur.*

(c) *Loris ſolutis*) Id eſt, *dum nulla alia cura diſtrictus es*. Continuatio eſt Metaphoræ.

(d) *Frutices*) In quibus ſcilicet calamos ſuos viſcatos diſponat.

(e) *Vento dare*) *Non opus erit, inquit, per maria currere, ut puellam invenias; quod alii fecerunt.*

(f) *Andromedan*) Fuit Andromeda Cephei Æthiopum regis Filia. Hanc ob matris Caſſiopes ſuperbiam, quæ ſeſe decore formæ Nymphis præferebat, cum ipſæ ad ſaxum alligaſſent & monſtro marino expoſuiſſent, Perſeus Jovis & Danaes filius liberavit, & uxorem duxit.

(g) *Indis*) Indos pro Æthiopibus poſuit, qui ſupra Ægyptum ſunt; quos tamen Herodotus Indis refert eſſe annumerandos.

(h) *Phrygio*) Paridi *ſcil.* qui Helenam rapuit, eamque in Phrygiam ſeu Troadem Patriam advexit.

Tot tibi tamque dabit formosas Roma puellas;
Hæc habet, ut dicas, quidquid in orbe fuit.
(i) Gargara quot segetes, quot habet (k) Methymna racemos;
Æquore quot pisces, fronde teguntur aves?
((l) Quot cœlum stellas, tot habet tua Roma puellas:
(m) Mater & Æneæ constat in urbe sui.)
Seu caperis primis & adhuc crescentibus (n) annis;
Ante oculos veniet (o) vera puella tuos:
Sive cupis juvenem; juvenes tibi mille placebunt.
(p) Cogeris voti nescius esse tui:
Seu te forte juvat sera & sapientior ætas;
Hoc quoque (crede mihi) plenius agmen erit.
Tu modo (q) Pompeja lentus spatiare sub umbra,
Cum sol (r) Herculei terga leonis adit:
(s) Aut ubi (t) muneribus nati sua munera mater
Addidit, (u) externo marmore dives opus.

INTERPRETATIO.

Roma dabit tibi tot puellas & tam pulchras, ut dicas, Hæc urbs possidet quicquid fuit in mundo. Quot sata habent *Gargara; quot uvas habet Methymna, quot pisces* sunt *in mari, quot aves ramis occultantur, quot stellas cœlum habet, tot puellas habet tua Roma: Et Mater regnat in urbe sui Æneæ. Sive primi & adhuc venientes anni placent, puella sine fuco veniet ante oculos tuos. Sive optas juvenem, mille juvenes tibi arridebunt: Cogeris ignorare desiderium tuum. Sive forte ætas matura & sapientior tibi placet, hic quoque grex erit tibi plenior. Tu modo molliter deambulato sub porticu Pompeii, cum sol ingreditur dorsum Leonis Herculei: Aut ubi mater adjecit sua dona donis filii, opus dives marmore peregrino.*

NOTÆ.

(i) *Gargara*) Mons fuit & urbs Troadis, apud urbem Trojam, frugum copia celebris.

(k) *Methymna*) Urbs fuit Lesbis insulæ, laudatissimo vino abundans.

(l) *Quot cœlum*) Quamobrem hoc distichon Ovidianæ notæ non esse dixerit clar. Heinsius, nullus credo non viderit.

(m) *Mater*) Venus est, Amorum Dea; cujus filius Æneas, aut saltem ejus posteri Romam condiderunt; ubi ipsa templa, & multo magis lascivas mulieres habuit.

(n) *Annis*) Anno pro ipsa puella metonymice usurpavit.

(o) *Vera*) Quæ sine omni fuco; cujus color in ætatis flore indelibatam virginitatem arguat.

(p) *Cogeris*) Idest, *Tibi tam multa placebunt, ut quam potissimum sumas ipse nescias.*

(q) *Pompeja*) Porticus olim Romæ, ad inambulationes & umbras, alios etiam usus erigebantur. Inter cęteras maximę fuit admirationis quæ dicta Pompeii, ad ejus theatrum sita; quam sumptuosissimam & amœnissimam platanorum illam ambientium diffusa umbra, & aquarum illuc deductarum amœnitas in tanta urbe efficiebant.

(r) *Herculei*) Herculeus dictus est Leo Nemeæus, qui inter sydera collocatus est, ab Hercule, qui eum inermis interfecit. Per eum verum Leonem aut certe Solis in illud sydus ingressum, æstatem intellige, aut ejus tempestatis calores & æstus, per Metonymiam signi: nam 13. Calend. Augusti in Leonem Sol transitum facit; quo tempore vehementissimus est ejus ardor.

(s) *Aut ubi*) Porticus est Octavię, sororis Augusti, quam Florus etiam Marcelli nominat, cui ædificio contiguum fuit ejusdem nominis theatrum, quod sororis filio Cæsar inscripsit. Nam, ut Svetonius scribit, Augustus quædam opera sub nomine alieno, nepotum *scil.* & uxoris, sororisque, &c. fecit.

(t) *Muneribus nati*) Theatrum est Marcelli, de quo modo, quod publicæ utilitati, sub Marcelli nomine Cæsar ædificavit.

(u) *Externo*) Fuerunt nempe Romani in varii coloris marmoribus undiquaque quærendis usque ad insaniam curiosi; quæ ex Numidia, Armenia, Phrygia, Paro, Laconia, Ægypto aliisque locis advehebant.

Nec

Nec tibi vitetur, quæ priscis sparsa (x) tabellis
Porticus auctoris (y) Livia nomen habet.
(z) Quaque parare necem miseris patruelibus ausæ
(a) Belides, & stricto stat ferus ense (b) pater.
Nec te prætereat Veneri (c) ploratus (d) Adonis;
Cultaque Judæo (e) septima sacra (f) Syro.
Neu fuge (g) linigeræ (h) Memphitica templa (i) juvencæ.
Multas illa facit, (k) quod fuit ipsa Jovi.
Et fora conveniunt (quis credere possit?) amori;
(l) Flammaque in (m) arguto sæpe reperta foro.
Subdita (n) qua Veneris facto de marmore templo
Appias expressis aera (o) pulsat aquis:

INTERPRETATIO.

Nec fugias porticum Liviam quæ ornata antiquis tabulis obtinet nomen auctoris. Et qua Belides ausæ mortem intentare infelicibus patruelibus, & pater truculentus stat gladio evaginato. Nec omittatur a te Adonis defletus a Venere, & sabbata servata a Judæo Syro. Neve vita templa Memphitica junicis linigeræ. Illa reddit plurimas quod ipsa fuit Jovi. Fora etiam (quis fidem possit adhibere?) cum amore congruunt, & amor inventus sæpe in foro garrulo. Qua Appias subjecta templo Veneris ex marmore structo ferit aerem aquis emissis:

NOTÆ.

(x) *Tabellis*) Sunt *scilicet* Picturæ, præsertim vero quæ ab antiquis pictoribus, insignis ornamenti & oblectationis: quas etiam in porticibus locabant.

(y) *Livia*) Hujus etiam porticus meminit Svetonius, quam Livia Augusti uxor ad viam sacram excitavit; eamque inter præciata urbis ornamenta recenset Strabo.

(z) *Quaque parare*) De Porticu loquitur Apollinis Palatini, quam una cum templo ejus nominis, & bibliotheca Græca, Latinaque in parte Palatinæ domus Augustus posuit. In ea autem erant imagines Danaidum 50.

(a) *Belides*) Danaides sunt a Belo avo sic dictæ; quæ jussu patris Danai patrueles suos Ægypti filios, prima nuptiarum nocte, una Hypermestra excepta, quæ Lynceo suo pepercit, pessime jugularunt.

(b) *Pater*) Danaus *scilicet*.

(c) *Ploratus*) Ab apro vulneratus Adonis interiit, non sine Deæ luctu maximo.

(d) *Adonis*) Filius fuit Cinyræ Cypriorum regis, & Myrrhæ ejus filiæ, quem Venus ardentissime amavit. Hic vero pro templo Veneris metonymice ponitur, ubi, ritu Assyrio, maxima veneratione cum Adonide colebatur: ubique, sicut & in aliis templis, adulteria multa exercebantur.

(e) *Septima*) De Sabbatorum Judæorum ceremoniis loquitur, ad quas confluebant etiam Romanæ puellæ.

(f) *Syro*) Judæos Syris fuisse adscriptos a veteribus ax Strabone liquet.

(g) *Linigera*) Isis est, cujus Sacerdotes, sicut & ipsa, lino induti. Fuit vero Isis eadem quæ Jo, Inachi filia, quam Jupiter adamavit, deinde Junonis metu in vaccam mutavit, tandem pristinæ formæ apud Ægyptios restituit, ubi nomen & honores divinos meruit.

(h) *Memphytica*) Fuit Memphis urbs Ægypti, unde Romam advecta sacra Isiaca.

(i) *Juvencæ*) Jam vidimus ante fuisse vaccam, quæ postea Isis fuit.

(k) *Quod fuit*) Illam nempe Jupiter amavit adulteram.

(l) *Flamaque*) Amor.

(m) *Arguto*) Propter litigantium voces, & convitia.

(n) *Qua*) Qua, *parte* scilicet. De foro Cæsaris loquitur juxta quod templum Veneri extruxit; quo ante Appius Censor aquam duxerat, quam hic Poeta *Appiada* patronymica forma appellat.

(o) *Pulsat*) Cum scilicet, vi ex tubis protrudit, & in alveum cadit.

Illo

Illo sæpe loco capitur (p) consultus Amori:
Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.
Illo sæpe loco desunt sua verba diserto:
(q) Resque novæ veniunt, causaque agenda sui est.
Hunc Venus e templis, quæ sunt confinia, ridet.
Qui modo patronus, nunc cupit esse cliens.
Sed tu præcipue (r) curvis venare theatris.
Hæc loca sunt voto fertiliora tuo.
Illic invenies, quod ames, quod ludere possis,
Quodque semel tangas, quodque tenere velis.
Ut redit itque frequens longum formica per agmen,
Granifero solitum cum vehit ore cibum;
Aut ut apes, saltusque suos & olentia nactæ
Pascua, per flores & thyma summa volant;
Sic ruit ad celebres cultissima fœmina ludos.
(s) Copia judicium sæpe morata meum.
Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ.
Ille locus casti damna pudoris habet.
Primus (t) sollicitos fecisti, Romule, ludos:
(u) Cum juvit viduos rapta Sabina viros.
Tunc neque (x) marmoreo (y) pendebant vela theatro:
Nec fuerant liquido pulpita rubra (z) croco.

INTERPRETATIO.

Jurisconsultus, ibi sæpe corripitur a Cupidine; & qui aliis consuluit, ipse non consulit sibi. Ibi sæpe verba sua destituunt disertum; & res novæ veniunt, & causa sua est defendenda. Venus irridet hunc e templis quæ sunt vicina. Qui erat modo Patronus optat jam esse cliens. Sed tu exquire præsertim in theatris curvis: hæc loca sunt uberiora desiderio tuo. Reperies ibi quod ames, quod queas fallere, & quod semel tangas, & quod cupias tenere. Quemadmodum formica crebra meat & remeat per agmen longum, cum trahit escam solitam ore granifero: Vel, ut apes quæ invenerunt saltus suos & pascua fragrantia volitant per flores & thyma supremas sic fœmina ornatissima festinat ad ludos celebres. Multitudo sæpe detinuit judicium meum. Veniunt spectatum, ut ipsæ spectentur: Ille locus habet detrimenta pudoris casti. Romule reddidisti primus ludos anxios, cum Sabina abrepta juvit viros viduos. Tunc neque vela affixa erant theatro marmoreo, nec pulpita fuerant rubra croco liquido.

NOTÆ.

(p) *Consultus*) Jurisconsultus, inquit, qui ad forum, alterius defendendi causa sese contulit, ipse Amori nequit resistere.

(q) *Resque nova*) Cum, *scil.* alicujus puellæ amore jurisperitus irretitus est.

(r) *Curvis*) Ea vero forma extructa erant theatra.

(s) *Copia*) Puellarum frequentia, inquit, causæ fuit, ne hanc magis quam aliam mihi expeterem.

(t) *Sollicitos*) Quia de sibi eligenda conjuge quisque erat anxius.

(u) *Cum juvit*) Dissimulatis ludis equestribus agit Poeta, quibus Sabinas rapuerunt Romani, initio populus virorum, & res unius ætatis, nisi matrimonia, frustra a finitimis petita, dolo & manu obtinuissent; ut loquitur Florus histor. lib. 1. cap. 1.

(x) *Marmoreo*) Non modo non fuerunt omnia theatra marmorea, quale Pompejus ædificavit; sed primo subitariis gradibus, & scena in tempus structa, ludos edebant. Imo stantem populum spectavisse scribit Tacitus.

(y) *Pendebant*) Arcendi æstus causa.

(z) *Croco*) Hunc odorem vino dilutum per theatrum etiam, luxu nimio, spargebant.

Illic

Illic, quas tulerant nemorosa (*a*) Palatia, frondes
Simpliciter positæ; (*b*) scena sine arte fuit.
In gradibus sedit populus de cespite factis,
Qualibet (*c*) hirsutas (*d*) fronde tegente comas.
(*e*) Respiciunt, oculisque notant sibi quisque puellam,
Quam velit: & tacito pectore multa movent.
Dumque, (*f*) rudem præbente modum tibicine Thusco,
(*g*) Ludius æquatam ter pede pulsat humum;
In medio plausu (plausus tunc arte carebat)
(*h*) Rex populo prædæ signa (*i*) petenda dedit.
Protinus exiliunt, (*k*) animum clamore fatentes:
Virginibus cupidas injiciuntque manus.
Ut fugiunt aquilas timidissima turba columbæ,
Utque fugit visos agna novella lupos;
Sic illæ timuere viros sine lege ruentes.
Constitit in nulla, qui fuit ante, color.
(*l*) Nam timor unus erat; facies non una timoris.
Pars laniat crines: pars sine mente sedet:

INTERPRETATIO.

Illic rami simpliciter affixi quos nemerosa Palatia produxerant, fuit Scena sine artificio. Populus sedit in gradibus paratis de cespite, quibuslibet ramis operientibus capillos hispidos. Quisque sibi lustrant & oculis signant puellam quam cupiat, & agitant multa pectore tacito. Et dum histrio ter pulsat terram planam, tibicine Thusco modum crassum faciente, rex dedit populo signa poscendæ prædæ in medio plausu: (plausus carebat tunc arte.) Statim erumpunt indicantes animum clamore, & injiciunt manus avidas in puellas. Ut columbæ, multitudo timidissima, fugiunt aquilas: & ut agna tenera fugit lupos visos, sic illæ reformidaverunt viros irrumpentes sine ordine: Color qui fuit ante non mansit in ulla. Nam metus erat idem, species metus non eadem. Pars discerpunt comam: pars sedet sine mente.

NOTÆ.

(a) *Palatia*) Fuit Palatium unus ex septem Romæ montibus, ubi ante urbem conditam nemus fuit,

(b) *Scena*) Proprie locus est frondibus septus, sed pro eo sumitur, ubi fabula aliqua a Personis exhibetur, quia intra ejusmodi sepra, primo versus recitare consueverant Græci.

(c) *Hirsutas*) Utpote intonsorum & incultorum hominum.

(d) *Fronde*) Eo devenit postea luxus, ut rosaceis, aliisque coronati sertis, ad ludos scenicos prodirent.

(e) *Respiciunt*) De primis illis Romanis loquitur, qui Sabinas rapuerunt. Cæterum longius a scopo abire videtur Poeta; nec mirum nostri homines si ejusmodi damnant frequentes veteribus digressiones.

(f) *Rudem*) Quia tum artem non satis callebant.

(g) *Ludius*) Ludii iidem sunt qui histriones, fabularum actores, saltantes, &c. qui pedibus quasi micando oculis non ingratas solent exhibere gesticulationes.

(h) *Rex*) Romulus, *scilicet*, qui hoc rapiendi signum dederat, quando ipse cum Optimatibus sedens, purpuram, qua indutus erat, contraheret, & rursus explicaret.

(i) *Petenda*) Debuerunt nempe expectare omnes donec signo aliquo indicaret Romulus, tempus esse Sabinas futuras conjuges invadendi.

(k) *Animum clamore*) Nempe hostili prope & incondito fremitu in Sabinas puellas Romani illi irruerunt.

(l) *Nam timor*) Omnes equidem timebant, sed alia aliud, suæ sortis nesciæ.

Cc Al-

Altera mœſta ſilet; fruſtra vocat altera matrem:
Hæc queritur; ſtupet hæc; hæc manet; illa fugit.
Ducunt; hæc raptæ *(m)* genialis præda puellæ:
Et potuit multas ipſe decere pudor.
Si qua repugnarat nimium, comitemque negarat;
Sublatam cupido vir tulit ipſe ſinu.
Atque ita, Quid teneros lacrymis corrumpis ocellos?
Quod matri pater eſt, hoc tibi, dixit, ero.
(n) Romule, militibus ſciſti dare commoda ſolus.
Hæc mihi ſi dederis commoda: miles ero.
(o) Scilicet ex illo ſolennia more theatra
Nunc quoque formoſis inſidioſa manent.
Nec te nobiſcum fugiat certamen equorum:
Multa capax populi commoda Circus habet.
Nil opus eſt *(p)* digitis, per quos arcana loquaris.
Nec tibi per nutus accipienda *(q)* nota eſt.
Proximus a domina, nullo prohibente, ſedeto:
Junge tuum lateri, quam potes, uſque latus:
(r) Et bene, quod cogit, ſi nolis, *(ſ)* linea jungi;
Quod tibi tangenda eſt *(t)* lege puella loci.
Hic tibi quæratur ſocii ſermonis origo:
(u) Et moveant primos publica verba ſonos.

INTERPRETATIO.

altera triſtis tacet; altera appellat fruſtra matrem; hæc queritur, hæc ſtupet; hæc hæret, illa fugit. Puellæ raptæ præda genialis ducuntur; & pudor ipſe potuit decere multas. Si aliqua reſtiterat nimium & ſe negaverat comitem, vir ipſe geſtavit ſublatam ſinu avido. Atque ſic dixit, *Quamobrem fœdas lacrymis ocellos teneros; Ero tibi hoc quod pater eſt matri. Romule, noviſti ſolus præbere* commoda militibus: *Si præbueris mihi hæc commoda ero miles. Nempe ex illo more celebria theatra ſunt quoque nunc inſidioſa pulchris* puellis. *Neque omittas certamen equorum generoſorum; Circus capax populi habet multas commoditates. Nihil eſt opus digitis per quos proferas ſecreta: nec ſignum eſt tibi ſumendum per nutus. Sedeto proximus ad dominam nulla impediente: junge tuum latus lateri quam licet uſque. Et recte, quod linea cogit jungi, quanquam non capias: quod puella eſt tibi premenda lege loci. Hic a te conquiratur cauſa colloquii; & verba vulgo uſitata ſint priores voces.*

NOTÆ.

(m) *Genialis*) *Generandis liberis parata*, inquit Commentator. Malim exponere *cupidiſſime, ad indulgendum Genio expetita*. Fuit enim Genius cuique ad tutandam & recreandam vitam ab Ethnicis attributus.

(n) *Romule*) Pro ſe loquitur Poeta, haud uſquam nequitiæ ſuæ immemor.

(o) *Scilicet*) Jam ad rem redit Poeta.

(p) *Digitis*) Amantium morem fuiſſe digitis litteras & voces ſignare antea vidimus.

(q) *Nota*) Indicium, quo amicæ cognoſcatur voluntas.

(r) *Et bene*) Sententia eſt Poetæ, qui optimum judicat, quod Circi lege quam proxime puellam liceat ſedere.

(ſ) *Linea*) *Per lineam funiculum, aut ſimile aliquid intelligo, quo ſedilia in Circo diſtincta fuere*, inquit Micyllus. Imo ſedilia loco affixa & ſuo ordine ita diſpoſita fuiſſe arbitror, ea ut lineas effecerint.

(t) *Lege loci*) Quia, *ſcilicet*, neceſſe eſt omnino ſeſe contingere ubi maxima eſt hominum turba.

(u) *Et moveant*) Monet Poeta, ut prima colloquendi occaſio ex re ipſa, & ludis, de quibus loquuntur omnes, captetur.

Cu-

Cujus equi veniant, facito, ſtudioſe, requiras.
  Nec mora: quiſquis erit, cui favet illa, fave.
At cum (x) pompa (y) frequens cæleſtibus ibit eburnis;
  Tu (z) Veneri dominæ plaude favente manu.
Utque fit, in gremium pulvis ſi forte puellæ
  Deciderit, digitis excutiendus erit.
Et, ſi nullus erit pulvis, tamen excute nullum.
  Quælibet officio cauſa ſit apta tuo.
Pallia ſi terræ nimium demiſſa jacebunt:
  Collige, & immunda ſedulus effer humo.
Protinus officio pretium, patiente puella,
  Contingent oculis crura videnda tuis:
Reſpice præterea, poſt vos quicunque ſedebit,
  Ne premat oppoſito mollia terga genu.
Parva leves capiunt animos, fuit utile multis;
  Pulvinum facili compoſuiſſe manu.
Profuit & tenui ventos moviſſe tabella;
  Et cava ſub tenerum ſcamna dediſſe pedem.
Hoc aditus Circuſque novo præbebit amori,
  Sparſaque ſollicito triſtis (a) arena foro.
(b) Illa ſæpe puer Veneris pugnavit arena:
  Et qui ſpectavit (c) vulnera, vulnus (d) habet.

INTERPRETATIO.

Pete ſedulo cujus equi prodeant, & ſtatim ſtudeto cui illa ſtudet, quiſquis erit. At cum pompa celebris diis eburneis procedet, tu plaude Veneri dominæ manu favente. Et ut evenire ſolet, ſi forſitan pulvis ceciderit in ſinum puellæ, erit abſtergendus digitis. Et ſi nullus erit pulvis, attamen abſterge nullum; quævis cauſa ſit idonea obſequio tuo. Si veſtes nimium depreſſæ humi proſtratæ erunt, tolle & officioſus collige terra ſordida. Statim crura dabuntur conſpicienda oculis tuis, præmium officio tuo, puella tolerante. Vide inſuper ne quiſquis ſedebit pone vos, urgeat dorſum tenerum genu adverſo. Parva morantur ingenia fragilia. Juvit multos accommodaſſe pulvinum manu officioſa. Fuit etiam utile feciſſe ventos tabella exili: & poſuiſſe ſcamna cava ſub pedem mollem. Et Circus, & arena luctuoſa projecta in foro inquieto dabit hos ingreſſus novo amori. Puer Veneris certavit ſæpe in illa arena; & qui intuitus eſt plagas, habet plagam.

NOTÆ.

(x? *Pompa*) Eam intellige quæ ipſum certamen præibat, in qua Deorum imagines per Circum geſtabantur.

(y) *Frequens eburnis cæleſtibus*) Illæ nimirum Deorum imagines ex ebore erant. De tota hac pompa ſupra vidimus Amor. l. 3. Eleg. 2.

(z) *Veneri*) Id eſt, ejus ſimulacro, quod in pompa transferebatur.

(a) *Arena*) Pro loco accipitur arena ubi munus gladiatorium exhibebatur, quod ea ad firmandum ſolum, & ſanguinem ebibendum ſterneretur.

(b) *Illa*) Fingit Poeta in arenam & certamen deſcendere etiam Cupidinem, qui, dum inter ſeſe gladiatores pugnant, ſpectantium corda amatoriis ſuis ſagittis vulneret. Quod appoſite profecto, cum in ejuſmodi ſpectaculis facile quod ament cujuſcumque ſortis homines inveniant.

(c) *Vulnera*) Gladiatorum *ſcilicet*.

(d) *Habet*) Tralatitia erat vox in illis ſpectaculis, vel vulgi acclamantis, vel gladiatoris cujuslibet in adverſarium vulneratum aut irretitum inſultantis. Gall. *Il en tient*.

Dum loquitur, tangitque manum, poscitque *(e)* libellum,
Et quærit *(f)* posito pignore, vincat uter;
Saucius ingemuit, telumque *(g)* volatile sensit:
Et pars spectati *(h)* muneris ipse fuit.
(i) Quid modo cum belli navalis imagine Cæsar
(k) Persidas *(l)* induxit *(m)* Cecropidasque rates?
Nempe ab *(n)* utroque mari juvenes, ab utroque puellæ
Venere: atque ingens orbis in Urbe fuit.
Quis non invenit, turba quod amaret in illa?
Eheu, quam multos *(o)* advena torsit Amor!
(p) Ecce parat Cæsar domito, quod defuit, orbi
Addere: nunc, Oriens ultime, noster eris.

INTERPRETATIO.

Dum fabulatur, & tangit manum, & petit libellum, & sciscitatur deposito pignore, uter sit superior; vulneratus ingemuit, & sensit telum volatile, & ipse fuit pars muneris spectati. Quid cum nuper specie belli navalis Cæsar invexit naves Persicas & Athenienses? Nimirum juvenes accesserunt ab utroque mari, puellæ accesserunt ab utroque mari: atque Orbis immensus fuit in Urbe. Quis non repetit in illo cœtu quod amaret? Eheu, quam multos Amor peregrinus cruciavit! En Cæsar molitur adjicere quod defuit Orbi subjecto: jam Oriens remotissime eris noster.

NOTÆ.

(e) *Libellum*) Sortilegia, & alia id genus divinationis in Circo fuisse docet Cicero in 2. de Divinatione. Adeoque hic *libellum* expono de iis quibus sortem ducerent, hicne an ille vinceret: cujusmodi etiam colludendi causa hodieque habent.

(f) *Posito pignore*) Moris erat in spectaculis, sponsione facta, quum alium alii victorem affirmarent, annulos suos pignus deponere.

(g) *Volatile*) De Amoris sagittis loquitur Poeta, quas senserit quilibet cum puella in Circo, foro, aut Amphitheatro ludens.

(h) *Muneris*) Gladiatorii *scil.* Eo enim nomine appellabatur quidquid spectaculi in Circis aut theatris exhiberetur.

(i) *Quid modo*) Augustus Cæsar, ut scribit Tranquillus, præter cæteros ludos, quorum assiduitate, varietate, & magnificentia omnes antecessit, dedit etiam prælium navale circa Tiberim, cavato solo, in quo fuit postea Cæsarum nemus.

(k) *Persidas*) Classem designat, quam M. Antonius, ut Plutarchus scribit, partim Orientalibus copiis, partim viatoribus, agasonibus, messoribus, adolescentulis per totam Græciam a magistris captis, collegerat, & contra Augustum duxerat: quæ deinde apud Actium devicta, in naumachia Cæsaris pulcherrimum præbuit spectaculum.

(l) *Induxit*) *In cavatam circa Tiberim solum invexit, ut pugnæ imaginem referrent.*

(m) *Cecropidasque*) *Athenienses*, quæ Antonii partes secutæ sunt: ita dictæ a Cecrope primo Atheniensium rege.

(n) *Utroque*) Orientali *scilicet* & Occidentali; vel Supero & Infero.

(o) *Advena*) Propter peregrinas mulieres, quæ ludicram naumachiam spectatum venerant.

(p) *Ecce parat*) Expeditionem in Orientem Cæsar adversus Phraaten cogitavit, quo nepotem Cajum Agrippa & Julia ortum misit, qui illic etiam periit, ut scribit Florus Histor. l. 4. c. 12. Ea de re hic agitur, quam, Cæsari adulandi causa, hic proponit Poeta, quasi ex eo certissima foret victoria, quod bellum Cæsar moveret, & novis spectaculis materia suppeteret.

(q) Par-

(q) Parthe, dabis pœnas: (r) Craſſi gaudete ſepulti,
Signaque barbaricas non bene paſſa manus.
Ultor adeſt; primiſque ducem profitetur in armis:
Bellaque (ſ) non puero tractat agenda puer.
(t) Parcite natales, timidi, numerare Deorum:
(u) Cæſaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cœleſte ſuis velocius armis
Surgit; & ignavæ (x) fert male damna moræ.
Parvus erat, manibuſque duos (y) Tirynthius angues
(z) Preſſit: & in cunis jam (a) Jove dignus erat.
(b) Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuiſti,
Cum timuit (c) thyrſos (d) India victa tuos!
(e) Auſpiciis animiſque (f) patris puer arma movebis:
Et vinces animis auſpiciiſque patris.

INTERPRETATIO.

Parthe, lues pœnas: Craſſi compoſiti milites, & ſigna male paſſa manus barbaras lætemini. Vindex adeſt: & pro duce ſe gerit in armis primis; & puer gerit bella non gerenda puero. Nolite, pavidi, numerare natales Deorum: Virtus evenit Cæſaribus ante tempus. Indoles cæleſtis oritur celerior ſuis annis, nec patitur detrimenta ſegnis moræ. Tirynthius erat puer, & ſuffocavit manibus duos dracones: et in cunis erat jam dignus Jove. Bacche, qui nunc quoque es puer, quantus fuiſti tum, cum India domita reformidavit tuos thyrſos! Puer, arma inferes auſpiciis & animis parentis: et ſuperior eris animis & auſpiciis parentis.

NOTÆ.

(q) *Parthe*) Adverſus Parthos, eorum inhians auro expeditionem Craſſus ſuſceperat; cujus cupiditas undecim legionum ſtrage, & ipſius capite mulctata fuerat. Jam dicit Poeta quod pro Romanis tum deletis, & ſepultis Cæſar ſit pœnas repetiturus.

(r) *Craſſi*) Marcum Craſſum patrem, & Publium filium dicit, quorum ille Romanorum omnium ditiſſimus fuit; qui divitem habendum quemquam negavit, qui annuo reditu exercitum alere non poſſet.

(ſ) *Non puero*) Res vero erat ardua, Parthos vincere qui Craſſum; & Antonium non ſine eorum quos duxerat exercitus maxima clade, repulerant.

(t) *Parcite*) Admodum juvenem Cajum nepotem adverſus Parthos Auguſtus mittebat; ex quo minus bene de eventu ominari pronum erat. Id ne faciant timidi hortatur Poeta; neque enim, inquit, virtus Deorum eſt ex annis penſanda.

(u) *Cæſaribus*) Adulatio eſt.

(x) *Fert male*) Pro *non fert*: Id eſt, *ſtatim ſeſe prodit*.

(y) *Tirynthius*) Hercules eſt a Tirynthe oppido haud longe a Maycenis appellatus, ex quo oppido pulſus Amphytrion ejus pater dictus, Thebas conceſſit.

(z) *Preſſit*) Duos dracones ad perdendum Herculem Juno noverca immiſerat, quos ille faucibus apprehenſos ſtrangulavit.

(a) *Jove*) Qui Herculis pater dictus eſt.

(b) *Nunc quoque*) Quia puer imberbis pingitur Deus vini, qui ſenibus etiam vires dat juvenum.

(c) *Thyrſos*) Jam dixi thyrſum Bacchi geſtamen eſſe, ſeu haſtam hedera aut pampinio veſtitam.

(d) *India*) Totum Orientem victoriis peragraſſe Bacchum non Poetæ modo, ſed Hiſtorici etiam ſcripſerunt.

(e) *Auſpiciis*) Conſuetudo erat, Romæ us nullum negotium neque domi neque foris niſi avium garritu, aut volatu ab eo qui rem inceperet, captatis auſpiciis, gereretur. Auſpicia itaque Cæſaris fuerint bellum adverſus Parthos moventis; quod Cajus ejus nepos cum adminiſtraret auſpiciis Cæſaris certare dictus eſt. Atque hæc omnia, ut ei aſſentetur Poeta.

(f) *Patris*) Avus fuit, ſed nepotes adoptavit.

(g) Tale rudimentum tanto sub nomine debes;
Nunc (h) juvenum princeps, deinde future senum.
(i) Cum tibi sint fratres; fratres ulciscere læsos:
Cumque pater tibi sit; (k) jura tuere patris.
Induit arma tibi genitor (l) patriæque tuusque:
(m) Hostis ab invito (n) regna (o) parente rapit.
Tu (p) pia tela feres, sceleratas ille sagittas:
(q) Stabunt pro signis jusque piumque tuis.
Vincuntur causa Parthi; vincantur & armis.
(r) Eoas Latio (f) dux meus addat opes.
(t) Marsque (u) pater, (x) Cæsarque pater, date (y) numen eunti.
Nam Deus e vobis alter es, alter eris.
Auguror en; vinces; (z) votivaque carmina reddam:
Et magno nobis ore sonandus eris.

INTERPRETATIO.

Debes ejusmodi initium sub nomine tanto, jam princeps juvenum, future postea senum. Siquidem habeas fratres, vindica fratres offensos: & si quidem habeas patrem: defende jura patris. Pater patriæ & tuus te armis instruxit. Hostis deprædatur regna patri nolenti. Tu gestabis arma pia, ille sagittas scelestas: Justitia & Pietas favebunt signis tuis. Parthi superantur causa, superentur quoque armis. Dux meus adjiciat divitias orientis Latio. Mars parens, & Cæsar parens concedite numen discedenti; nam unus ex vobis es Deus; alter eris. Ecce divino, eris victor, & persolvam versus votivos; & eris prædicandus nobis ore magno.

NOTÆ.

(g) *Tale*) Ut vincat *scil.* tanto fretus patris nomine.

(h) *Juvenum*) Princeps juventutis dicebatur qui primus in recognoscendo ordine equestri recitabatur; perinde ac ille Princeps Senatus, seu senum, qui primus in Senatus recensione augusto titulo nominabatur.

(i) *Cum tibi sint fratres*) Lucius *scil.* quem cum Cajo Augustus in filium ascripserat; deinde M. Agrippa, quem cum Tiberio, defuncto Cajo & Lucio, idem adoptavit.

(k) *Jura*) Armenios, victo rege Tigrane in hoc unum servituris genus Pompeius assueverat, ut rectores a Romanis acciperent. Isto ex jure illos ad Parthos se subtrahentes per Cajum Cæsarem nepotem Augustus recuperavit: Qua in expeditione ipse Cajus ex vulnere per proditionem a Domne inflicto, occubuit.

(l) *Patriæ*) Augustum Patrem Patriæ Senatus Populusque Romanus augustissimo titulo appellavit; teste Svetonio.

(m) *Hostis*) Parthus.

(n) *Regna*) Armeniam, *scil.* quæ ad Parthos defecerat.

(o) *Parente*) Augusto *scil.*

(p) *Pia*) Quia causa honesta.

(q) *Stabunt*) Romanæ militiæ notat consuetudinem. Solebant enim in exercitu nomina quædam Imperatores præferre, & in signis ponere. Sic Cæsar victricem Venerem, Pompejus Herculem invictum in auxilium vocabat: sic Drusi, aliorumque imago inter signa militaria.

(r) *Eas*) Parthicas *scil.* quæ Romæ respectu ad Orientem seu Eoam plagam sitæ sunt.

(f) *Dux meus*) Cajus *scil.*

(t) *Mars*) Deus est belli, cui Cæsarem assentationis causa adjungit.

(u) *Pater*) Est hæc vox plena Venerationis.

(x) *Cæsar*) Augustus est, vivus etiam in Diis positus.

(y) *Numen*) Pro Ipsis Diis sumitur equidem vox ista; proprie tamen nutum, voluntatem, & potestatem eorum designat.

(z) *Votiva*) *Quæ sollicitus sum de victoria tua scribere.*

Con-

Consistes; (a) aciemque (b) meis hortabere verbis.
O desint animis ne mea verba tuis!
(c) Tergaque Parthorum, Romanaque pectora dicam;
Telaque, ab averso quæ jacit hostis equo.
Quid fugis, ut vincas, quid victo, Parthe, relinques?
Parthe, malum jam nunc (d) Mars tuus (e) omen habet.
Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum,
(f) Quatuor in niveis aureus ibis equis?
Ibunt ante duces (g) onerati colla catenis;
Ne possint tuti, qua prius, esse fuga.
(h) Spectabunt læti juvenes mistæque puellæ:
Diffundetque animos omnibus ista dies.
Atque aliqua ex illis cum Regum nomina quæret,
Quæ loca, quæ montes, quævè (i) ferantur aquæ;
Omnia responde: (k) nec tantum si qua rogabit;
Et quæ nescieris, ut bene nota refer.

INTERPRETATIO

Stabit, & ascendes exercitum meis dictis. O ne verba mea destituant animos tuos! Cantabo fugam Parthorum, & vires Romanas, & sagittas quas hostis emittit ab equo everse. Quid relinques victo, Parthe, qui fugit ut vincas? Parthe, Mars tuus habet jam nunc malum augurium. Ergo illa dies adveniet, qua tu, pulcherrime rerum, veheris in quatuor equis candidis. Duces catenas ferentes catenas antecedent, ne possint esse securi fuga, qua fuerant antea. Juvenes alacres & puellæ mistæ spectabunt; & ista dies exhilarabit omnes. Cumque aliqua ex illis petet nomina Regum: quæ loca, qui montes, vel quæ aquæ portentur; responde ad omnia: Nec modo si requiret quædam; Et narrato quæ ignoraveris tanquam perspecta.

NOTÆ.

(a) *Aciemque meis*) Pollicetur Poeta se Caii Historiam esse scripturum, atque dictorum quibus ille animis milites hortatus fuerit, &c.

(b) *Meis*) Fingunt nempe Poetæ plurima, quæ iis adscribant de quibus loquuntur.

(c) *Tergaque*) Mos fuit Parthorum fugiendo etiam certare, & suas sagittas emittere, quo more atrocissimi etiam fuerunt. Interim hac re dissimulata, timida terga fugientium Parthorum, fortibus Romanorum pectoribus, quibus sese hostibus formidandos præbebant, Poeta opponit.

(d) *Mars*) Pro bellandi more.

(e) *Omen*) Non enim fugere videtur ad victoriam conferre.

(f) *Quatuor*) Fuit istud in cæteris pompæ triumphalis ornamentis, ut cui decretus esset triumphus curru insigni quem traherent equi candidi, veheretur: Dixisset Poeta uno verbo & sine Metonymia, *Triumphalis*.

(g) *Onerati colla*) Pro *colla habentes onerata*, phrasi Græca. Atque est istud etiam ex triumphali pompa, cujus formam si plenius cupis cognoscere, vide si lubet Appianum.

(h) *Spectabunt*) Jam ad scopum propius accedit Poeta.

(i) *Ferantur*) Non modo solebant in triumphali pompa divitias ostentare quæ Imperatores rapuissent, aut captos reges & hostium duces ligatos præter vehere, sed etiam descriptas regiones & urbes aliaque Populo exhibere.

(k) *Nec tantum*) Monet Poeta, ne interrogatus tantum, sed ultro puellam Amans admoneat, ut eadem opera ejus gratiam sibi conciliet.

Hic eſt (*l*) Euphrates (*m*) præcinctus arundine frontem:
Cui coma dependet (*n*) cærula, Tigris erit.
Hos (*o*) facito Armenios: (*p*) hæc eſt Danacia (*q*) Perſis:
Urbs in (*r*) Achæmeniis vallibus iſta fuit.
Ille, vel ille, duces. & (*ſ*) erunt, quæ nomina dicas:
Si poteris, vere: ſi minus, apta tamen.
(*t*) Dant etiam poſitis aditum convivia menſis:
Eſt aliquid, præter vina, quod inde petas.
Sæpe illic poſiti teneris (*u*) adducta lacertis
(*x*) Purpureus Bacchi cornua (*y*) preſſit Amor.
Vinaque cum bibulas ſparſere Cupidinis alas,
Permanet, & capto ſtat gravis ille loco.
Ille quidem pennas velociter excutit udas:
(*z*) Sed tamen & ſpargi pectus amore nocet.

INTERPRETATIO.

Hic eſt Euphrates circumdatus frontem canna. Tigris erit qui babebit capillos cæruleos. Hos pone Armenios: Hæc eſt Perſis Danacia: urbs iſta fuit in vallibus Achæmeniis. Ille vel ille duces fuerunt: Et erunt nomina quæ proferas: ſi queas veraſi non, attamen idonea. Convivia præbent etiam acceſſum lectis appoſitis; Eſt aliquid quod inde tollas præter vina. Cupido formoſus lentis brachiis urſit cornua delinita Bacchi ibi appoſiti. Et poſtquam vina imbuerunt alas bibulas amoris, perſtat, & ille manet gravis in loco obſeſſo. Ille quidem movet celeriter pennas humidas: ſed tamen lædit, & facit ut pectus amore moveatur.

NOTÆ.

(l) *Euphrates*) Meſopotamiæ fluvius eſt maximus, ex Niphate Armeniæ monte naſcens, ſi Straboni credimus.

(m) *Præcinctus*) Hodie etiam ejuſmodi in theatris forma humana videmus, ut nihil opus ſit in his immorari. Cæterum Euphratem & Tigrim maximos Armeniæ fluvios nominat Poeta, ut eo quem animo præſumſit Caii Cæſaris de Armenia & Parthia triumpho, habeat amans quod ſciens neſciens non abſurdus tamen puellæ interroganti reſpondeat.

(n) *Cærula*) Quia is aquæ color videtur, ejus quoque coloris Diis fluvialibus & marinis comam & barbam Poetæ tribuerunt.

(o) *Facito*) Quia vix ad Armeniam ſpectant iſti fluvii, quæ ultra Euphraten & Tigrim ſita eſt; niſi, quia forte ex montibus Armeniis quidam rivuli ad eos fluunt, triumphalis pompæ gratia, ad Armeniam referantur.

(p) *Hæc eſt*) Verba ſunt, quæ ex Amantis perſona profert Poeta.

(q) *Perſis*) Regio eſt Aſiæ clariſſima, quam ſæpius cum Media & Parthia tum propter vicinitatem, tum etiam Reipublicæ ſocietatem veteres conjunxerunt. Hanc vero a Perſeo Danaes filio appellatam voluit Poeta, cum quo nonnulli conſentiunt; quanquam melius ab equitatu, Arabica aut Hebraica Etymologia nominatos prolixe demonſtravit vir immenſæ eruditionis Bochartus.

(r) *Achæmeniis*) *Perſicis*; ab Achæmene rege ſic dictis.

(ſ) *Erunt quæ*) *Fingas licet Ducum nomina, qui in triumphali pompa ducentur.*

(t) *Dant*) In conviviis etiam, puellas quærendas eſſe monet Poeta.

(u) *Adducta cornua*) Id eſt, Bacchi violentiam, & protervitatem (quæ per cornua intelligunt, quibus & pauperes in vino ſeſe induunt) ad Amorem inclinatam, eoque temperatam.

(x) *Purpureus*) Pro formoſo Amore; qui etiam inter epulas verſatur, Bacchique ferociam ad ſuas illecebras producit.

(y) *Preſſit*) Imo demulcendo vicit; ipſumque Bacchum atque adeo ejus miniſtros ad amandum perducit.

(z) *Sed tamen*) Vide interpretationem. Quanquam, inquit, Amor alas excutiat humidas, non minus tamen & lædit, & ad amandum pellicit.

Vina

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos:
(a) Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus: tunc pauper (b) cornua sumit:
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.
Tunc (c) aperit mentes, ævo rarissima nostro
Simplicitas; (d) artes excutiente Deo.
(e Illic sæpe animos juvenum rapuere puellæ:
Et Venus in vinis, (f) ignis in igne fuit.
(g) Hic tu fallaci nimium ne crede lucernæ.
Judicio formæ, noxque merumque nocent.
Luce (h) Deas cæloque Paris spectavit aperto;
Cum dixit Veneri, Vincis (i) utramque Venus.
Nocte latent mendæ, vitioque ignoscitur omni:
Horaque formosam quamlibet illa facit.
Consule de gemmis, de tincta (k) murice lana;
Consule de facie corporibusque (l) diem:

INTERPRETATIO.

Vina componunt animos, & reddunt idoneos amoribus: cura recedit & dissolvitur multo vino. Tunc risus accedunt; tunc egenus capit Cornua, tunc dolor & solicitudines & ruga frontis recedit. Tunc simplicitas rarissima seculo nostro resegit animos, Deo dolos removente, Puellæ sæpe implicuerunt illic corda juvenum: & Venus fuit in vinis ignis in igne. Hic ne confidas nimium lampadi decipienti. Nox & vinum officiunt judicio pulcbritudinis. Paris spectavit Deas die & Cœlo patente cum dixit Veneri, Venus superas utramque. Visia occultantur nocte, & parcitur omni deformitati: & tempus illud reddit quamlibet pulcbram. Pete consilium a luce de gemmis, de lana imbuta murice, de facie & de corporibus.

NOTÆ.

(a) *Cura*) Quæcumque illa tandem fuerit; ut etiam Amor qui in vino natus fuerit, Vino nonnunquam extinguatur.

(b) *Cornua sumit*) Ita ut audax & protervus vini potu reddatur.

(c) *Aperit mentes*) Horat. Carminum lib. 3. Oda 21. sic amphoram,

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo.
Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque, & addis cornua pauperi, &c.

Et Carminum lib. 2. Oda 19. ad Bacchum,
Tu flectis amnes, tu mare barbarum
Tu separatis uvidus in jugis
Nodo coerces viperino
Bistonidum, sine fraude, crines, &c.

(d) *Artes excut.*) Ita ut, juxta proverbium, *in vino veritas*; vixque vinolento, fraudulento & callido liceat esse.

(e) *Illic*) In vino & conviviis.

(f) *Ignis*) Venus *scil.* in Vino.

(g) *Hic*) In conviviis *scil.* quæ sub noctem solent agitari.

(h) *Deas*) Junonem, *scil.* Palladem, & Venerem cum de earum forma judicavit: Qua de re alibi.

(i) *Utramque*) Palladem nempe & Junonem, quas minus pulchras libidine corruptus judex declaravit.

(k) *Murice*) Fuit Murex piscis marinus, ex concharum genere, cujus sanguine lana purpureo colore inficiebatur.

(l) *Diem*) Quia de nocte fictitiæ gemmæ a veris, ficta purpura a dibapha, nativus color a falso vix dignosci potest.

Quid

(*m*) Quid tibi fœmineos cœtus venatibus aptos
Enumerem? (*n*) numero cedet arena meo.
Quid referam (*o*) Bajas, (*p*) prætextaque littora velis;
Et quæ de calido sulfure fumat, (*q*) aquam?
Hinc aliquis (*r*) vulnus referens in pectore, dixit;
Non hæc (ut fama est) unda salubris erat.
Ecce suburbanæ templum (*ſ*) nemorale (*t*) Dianæ,
(*u*) Partaque per gladios (*x*) regna (*y*) nocente manu.
Illa quod est (*z*) virgo; quod tela Cupidinis odit;
Multa (*a*) dedit populo vulnera, multa dabit.
(*b*) Hactenus, unde legas quod ames, ubi retia ponas,
Præcipit (*c*) imparibus vecta (*d*) Thalia rotis.

INTERPRETATIO.

Quamobrem recensеam tibi conventus fœmineos idoneos Venatibus? Arena cedet numero meo. Quamobrem recenſeam Bajas & littora operta velis: & aquam quæ emittit fumum de sulphure tepido? Aliquis reportans hinc plagam in pectore dixit: hæc aqua non erat ſalutifera, ut perhibent. Ecce templum nemorale Dianæ ſuburbanæ, & regna acquiſita per enses manu lædente. Illa quia est virgo, quia averſatur tela amoris, inflixit multas plagas populo, infliget multa. Thalia acta rotis in æqualibus huc uſque docet, quo ex loco eligas quod ames; ubi tendas laqueos.

NOTÆ.

(m) *Quid tibi*) Innumeros eſſe dicit cœtus mulierum, ubi eas commode liceat venari.

(n) *Numero*) Plura eſſe loca dicit ubi quis puellas quærat, quam arenas in littore. Hyperbole eſt.

(o) *Bajas*) Oppidum fuit Campaniæ amœniſſimum, quo delectationis cauſa omnis generis homines cymbis variis coloribus pictis navigabant, ubi & convivia agitabant, &c.

(p) *Prætextaque*) Frequentiam notat eorum qui Bajas, & circa illum tractum oblectationis cauſa navigabant.

(q) *Aquam*) Ibi aquæ erant calidæ ad voluptatem & ſanitatem accomodatiſſimæ.

(r) *Vulnus*) Amoris *ſcil.* ex viſa puella.

(ſ) *Nemorale*) Lucus templo adjunctus erat, qui Aricinum nemus, ab Aricia vicino oppido, etiam dictus eſt.

(t) *Diana*) Notior eſt triformis hæc Dea, Jovis & Latonæ filia, quæ in cœlis Luna, in terris Diana, in inferis Hecate, dicta eſt, quam ut multa de ea dicamus. Iſtud tantum hoc loco notandum, illius alia apud alios ſacra fuiſſe; cui in Taurica regione hoſpitum illuc tempeſtate delatorum ſanguine litabatur. Atque hæc Aricina Taurica a Strabone dicitur; ad cujus templum ex urbe fœminæ coronatæ, quod votis optaverant, aſſecutæ, idibus Auguſti facibus accenſis, veniebant: Qua de re etiam noſter in Faſtis.

(u) *Partaque*) Morem tangit Poeta quo Sacerdotes apud Ariciam alii aliis ſuccedebant. Non enim ingenui hoc munus obibant, ſed ſervi, iidemque fugitivi, qui ſingulari certamine inter ſeſe dimicantes, cum victoria etiam Sacerdotium adipiſcebantur. Quem morem Pauſanias in Corinthiacis etiamnum ſuis temporibus duraſſe ſcribit.

(x) *Regna*) Pro Sacerdotio poſuit de quo nota ſuperiore.

(y) *Nocente*) omnino ſiquidem non niſi alterius ſanguine obtinebatur.

(z) *Virgo*) Actæonem in cervum, quem ejus canes diſcerpſerant, quod ipſam lavantem ſine veſtibus vidiſſet, pudorem violatum indignata mutavit. Atque huc omnia prolixum eſſet congerere quæ caſtitatis cauſa effecit.

(a) *Dedit*) Jocus eſt, quaſi Diana Cupidinis ſagittas contemnens eas in quovis rejecerit. Jocandi vero anſam dedit quod templa ejuſmodi & ſuburbani lucus plurimæ nequitiæ occaſiones præbere ſoleant.

(b) *Hactenus*) Ubinam quærenda eſſet puella Poeta docuit, nunc quemadmodum concilianda ſit præcipit.

(c) *Imparibus rotis*) *Inæquali modulatione*: Non enim uno & eodem pede aut numero procedunt Hexametri & Pentametri, verſus, quibus in hac arte utitur Poeta.

(d) *Thalia*) Una eſt ex novem Muſis quæ magis voluptariis cantibus, & Elegiis ſcribendis præeſſe credita eſt.

Nunc.

Nunc tibi, quæ placuit, quas sit capienda per artes,
Dicere præcipuæ molior artis opus.
Quisquis ubique viri, dociles advertite mentes;
Pollicitisque favens vulgus adeste meis.
Prima tuæ menti veniat fiducia, cunctas
Posse capi; capies; tu modo tene plagas.
Vere prius volucres taceant. æstate (e) cicadæ,
(f) Mænalius lepori det sua terga canis:
Fœmina quam juveni blande tentata repugnet.
Hæc quoque, quam poteris credere nolle, volet.
Utque viro furtiva Venus, sic grata puellæ.
Vir male dissimulat: tectius illa cupit.
(g) Conveniat maribus, ne quam nos ante rogemus;
Fœmina jam partes victa rogantis agat.
Mollibus in pratis admugit fœmina tauro:
Fœmina cornipedi semper adhinnit equo.
(h) Fortior in nobis, nec tam furiosa libido.
Legitimum finem flamma virilis habet.
(i) Byblida quid referam, vetito quæ fratris amore
Arsit; & est (k) laqueo fortiter ulta nefas?

INTERPRETATIO.

Jam conor te docere per quos dolos sit retinenda quæ arrisit, quod est opus primariæ artis. Viri, quisquis ubique, præbete mentes faciles; & plebs favete meis promissis. Prima spes occurrat tuo animo, omnes puellas posse teneri amore: Retinebis: tu tantum pone retia. Aves potius sileant vere, Cicada æstate; canis Mænalius vertat sua terga lepori, quam fœmina illecebrose appetita resistat juveni. Hæc quoque volet quam poteris arbitrari nolle, & ut Venus secreta placet viro, placet puellæ: Vir male fingit; illa optat minus aperte. Concordent viri ne precemur primi aliquam; jam fœmina victa tueatur partes orantis. Fœmina admugit tauro in pratis teneris; Fœmina semper adhinnit equo cornipedi. Libido generosior in nobis, nec tam impotens: Amor virilis habet terminos legitimos. Quid memorem Byblida quæ flagravit amore prohibito fratris; & strenue flagitium vindicavit laqueo.

NOTÆ.

(e) *Cicada*) Eo nomine appellantur obvia illa insecta, quæ per totam æstatem cantant in campis. Gall. *Cigale*.

(f) *Mænalius*) Arcadicus canis a Mænalo Arcadiæ monte in Peloponneso sic dictus, hic synecdochice pro quovis venatico cane sumitur.

(g) *Conveniat*) Dicit quod si inter se concordes viri congruant ne quam fœminam rogent, illæ ultro ad ipsos venient.

(h) *Fortior*) Non tam impotentes esse viros dicit quam fœminas, quæ magis libidine sua ducantur. Verissime. (Atque ita natura, quæ fœminam ad maris arbitrium fabricavit, sapienter providit, ut hinc de levibus mulierosi & præter naturam effeminati homuncionibus pronum sit tutam sententiam ferre.

(i) *Byblida*) Fœminas magis quam viros ad amorem proclives esse exemplis confirmat. Hæc vero Byblis fratrem Caunum amavit; qui scelesto amore cognito patria profugit.

(k) *Laqueo*) Vide omnino hanc fabulam Metam. lib. 9 a versu 654. ubi Poetam diversa prorsus trudere invenies; ut ne deinceps fabulas, quas quisque eorum ad scopum aut theatrum accommodavit, anxie nimis inter se componere labores.

Myr-

(*l*) Myrrha patrem, ſed non quo filia debet, amavit:
Et nunc (*m*) obducto cortice preſſa latet.
Illius & (*n*) lacrymis; quas arbore fundit odora,
Ungimur: & dominæ nomina gutta tenet.
Forte ſub umbroſis nemoroſæ vallibus (*o*) Idæ
Candidus armenti gloria (*p*) taurus erat;
Signatus (*q*) tenui media inter cornua nigro.
(*r*) Una fuit labes; cætera (*ſ*) lactis erant.
Illum (*t*) Gnoſiadeſque (*u*) Cydoneæſque juvencæ
Optarunt tergo ſuſtinuiſſe ſuo.
(*x*) Paſiphae fieri gaudebat adultera tauri:
Invida formoſas oderat illa boves.
Nota cano; non hoc, (*y*) centum quæ ſuſtinet urbes,
(*z*) Quamvis ſit mendax, Creta negare poteſt,
Ipſa novas frondes, & prata tenerrima tauro
Fertur inaſſueta ſubſecuiſſe manu.
Ita comes armentis; nec ituram cura moratur
(*a*) Conjugis: & Minos a bove victus erat.
Quo tibi, Paſiphae, pretioſas ſumere veſtes?
(*b*) Iſte tuus nullas ſentit adulter opes.

INTERPRETATIO.

Mirrha amavit patrem, ſed non quomodo filia tenetur. Et nunc deliteſcit vincta cortice ſuperinducto. Perfundimur etiam lacrymis illius, quas emittit arbore odorifera; & gutta retinet nomina dominæ. Forte Taurus albus gloria armenti erat ſub vallibus umbroſis Idæ nemoroſæ, notatus exiguo nigro inter cornua media: una fuit macula; reliqua erant colore lacteo. Juvencæ Gnoſſiades & Cydoneæ cupiverunt ſuſtinuiſſe illum tergo ſuo. Paſiphae optabat fieri adultera Tauri: Illa invida odio perſequebatur pulchras vaccas. Vulgata refero: Creta quæ habet centum urbes, quanquam vana ſit, non poteſt hoc inficiari. Ipſa dicitur tetondiſſe manu inſolita frondes recentes & herbas tenerrimas tauro. Procedit comes armentis; nec cura mariti retinet profecturam, & Minos erat ſuperatus a Tauro. Quo tibi Paſiphae induere veſtimenta pretioſa? Iſte tuus adulter nullas cognoſcit divitias.

NOTÆ.

(l) *Myrrha*) Hanc fabulam prolixe habes Metam. lib. x. a ✝. 18.

(m) *Obducto*) Quia in arborem mutata, ut loco jam citato, ✝. 290. & ſequentibus narratur.

(n) *Lacrymis*) Myrrhæ guttis *ſcil.* ex arbore ſtillantibus.

(o) *Ida*) Cretenſis *ſcil.* nam alius mons fuit ejus nominis apud Trojam.

(p) *Taurus*) Ille eſt, cujus Amore capta eſt Paſiphae Minois uxor; ex quo etiam Minotaurum peperit.

(q) *Tenui nigro*) Id eſt, parva quadam macula nigra.

(r) *Una fuit labes*) Macula illa fuit nigra.

(ſ) *Lactis erant*) Candidus fuit ille Taurus.

(t) *Gnoſiadeſque*) *Cretenſes*, a Gnoſo Cretæ urbe, quæ Creta Inſula eſt Mediterranei nobiliſſima, hodie *Candie*.

(o) *Cydoneaque*) Id eſt, Quæ Cydonem Cretæ oppidum incoluerunt.

(x) *Paſiphae*) Solis fuit filia, Minois uxor, quæ Tauri Amore æſtuans, ut eo potiretur ligneæ vaccæ Dædali opera fabricatæ, ſeſe incluſit, ut quidem tradunt fabulæ.

(y) *Centum quæ*) Centum urbium claram fuiſſe Cretam docet Plin. quam Hecatompolim vocat Strabo.

(z) *Quamvis ſit mendax*) Cretenſes etiam ex Epimenide Poeta mendacii arguit Divus Paulus ad Titum ſcribens.

(a) *Conjugis*) Minois *ſcil.*

(b) *Iſte*) Taurus *ſcil.*

Quid

Quid tibi (*c*) cum ſpeculo, montana armenta petenti?
Quid toties (*d*) poſitas fingis, inepta, comas?
Crede tamen ſpeculo, quod te negat eſſe juvencam.
Quam cuperes fronti cornua nata tuæ!
Sive placet Minos: nullus quæratur adulter.
Sive virum mavis fallere; falle (*e*) viro.
In nemus & ſaltus thalamo regina relicto
(*f*) Fertur, ut (*g*) Aonio concita (*h*) Baccha Deo.
Ah quoties vaccam vultu ſpectavit iniquo,
Et dixit, (*i*) Domino cur placet iſta meo!
(*k*) Aſpice, ut ante ipſum teneris exultet in herbis:
Nec dubito, quin ſe ſtulta decere putet.
Dixit: & ingenti jamdudum de grege duci
Juſſit, & immeritam ſub juga panda trahi:
Aut cadere ante aras commentaque ſacra coegit:
Et tenuit læta pellicis exta manu.
(*l*) Pellicibus quoties placavit numina cæſis:
Atque ait exta tenens; Ite; (*m*) placete meo!
Et modo ſe (*n*) Europen fieri, non poſtulat (*o*) Io:
Altera quod bos eſt; altera vecta bove.

INTERPRETATIO.

Quid tibi armenta montana, ſequenti cum ſpeculo? quid ſtulta componis toties capillos comtos? Habe tamen fidem ſpeculo, quod te negat eſſe juvencam. Quam optares cornua orta fronti tuæ! Seu Minos placet; nullus adulter petatur: Seu praoptas deinceps maritum: decipito viro. Regina petit nemus & ſaltus cubiculo deſtituto, ut Baccha correpta deo Aonio. Ah quoties intuita eſt vaccam oculis torvis, & dixit, Quamobrem grata eſt iſta meo Domino? Cerne quomodo ſaliat ante ipſum in herbis mollibus: nec dubito quin inſulſa exiſtimet ſibi decorum eſſe. Dixit, & imperavit jam dudum abduci de magno armento, & immeritam cogi ſub juga curva; aut adegit procumbere ante aras & ſacra ficta: & viſcera pellicis manu tractavit hilari. Quoties propitiavit deos mactatis pellicibus; atque dixit tractans viſcera, Diſcedite, grata eſtote meo! Et modo cupit ſe fieri Europen, modo Io; quia altera eſt vacca, altera ablata tauro.

NOTÆ.

(e) *Cum ſpeculo*) Quærit Poeta, cur ſpeculum tractet Paſiphae, quæ Taurum, non hominem, amet.

(d) *Poſitas*) Id eſt, quæ jam ſatis comta fuerint.

(e) *Viro*) *Ames hominem non Taurum.*

(f) *Fertur*) Iſtud cum admiratione legendum: quod maxime ad ſcopum facit, probatque fœminas ad libidinem magis eſſe pronas.

(g) *Aonio*) Bacchus a Patria Aonius dictus eſt: Fuit enim Aonia pars Bœotiæ montana, quæ & pro ipſa ſumitur, ubi Thebæ fuerunt Liberi patris natale ſolum.

(h) *Baccha*) Bacchi Sacerdos vini furore impulſa.

(i) *Domino*) Tauro *ſcil.*

(k) *Aſpice*) Hic diu, tanquam in re immoratur Poeta, quæ puellarum in amorem impetum & veſaniam prodat. Neque vero fabulam dixeris: nam omnem fabulam exſuperat plurimarum amentia & furor. Cæterum verba hæc *Aſpice*, &c. Paſiphaes ſunt in vaccam aliquam inſurgentis, quod Tauro quærat placere.

(l) *Pellicibus*) Vaccis *ſcil.* quas amare Taurum ſuum credebat.

(m) *Placete*) Per indignationem, & quaſi vaccæ exprobraret quo Tauro placere ſtuduiſſet.

(n) *Europen*) Quia hanc Agenoris filiam Jupiter Tauri ſpeciem indutus rapuit.

(o) *Io*) Quia huic Inachi filiæ idem Jupiter vaccæ formam dedit.

(p) Hanc

(*p*) Hanc tamen implevit (*q*) vacca deceptus acerna
(*r*) Dux gregis: & (*ſ*) partu proditus (*t*) auctor erat.
(*u*) Craſſa Thyeſteo ſi ſe abſtinuiſſet amore;
(*x*) (O quantum eſt, uni poſſe placere viro!)
(*y*) Non medium rapuiſſet iter, curruque retorto
Auroram verſis Phœbus adiſſet equis.
(*z*) Filia purpureos Miſo furata capillos,
(*a*) Pube premit rabidos inguinibuſque canes.
(*b*) Qui (*c*) Martem terra, (*d*) Neptunum effugit in undis,
(*e*) Conjugis Atrides victima dira fuit.
Cui non defleta eſt (*f*) Ephyræ (*g*) flamma Creuſæ?
Et (*h*) nece natorum ſanguinolenta parens?

INTERPRETATIO.

Taurus tamen deluſus juvenca acerna hanc fecit gravidam; & auctor erat manifeſtatus partu. Si Cretenſis reſtitiſſet amori Thyeſtro (a quantum eſt poſſe acceptam eſſe uni viro!) Sol non fregiſſet iter medium, curru reflexo; nec adiſſet auroram equis retrorſum actis. Filia quæ ſurripuit Niſo comam purpuream, urget pube & inguinibus canes rabioſos. Atrides qui vitavit Martem terra, Neptunum in aquis, fuit hoſtia feralis uxoris. Cui non plorata eſt flamma Creuſæ Ephyrææ; & mater cruenta cæde filiorum?

NOTÆ.

(p) *Hanc*) Paſiphaen *ſcil.*

(q) *Vacca*) In qua dilituit Paſiphae, ut ante diximus.

(r) *Dux gregis*) Taurus *ſcil.*

(ſ) *Partu*) Minotaurum nempe enixa eſt Paſiphae, monſtrum, quo turpiſſimi ejus concubitus ſunt cogniti.

(t) *Auctor*) Taurus *ſcil.* aut certe homo quidam ejus nominis, Minois ſcriba, cui ſimilem infantem cum altero Minois vultus referentem, uno partu Paſiphae edidit; Autore Servio.

(u) *Craſſa*) Ærope eſt Atrei uxor, quæ cum Thyeſte Atrei fratre concubuit; cujus rei impatientia Atreus fratri liberos adulterio natos epulandos appoſuit; quod ne videret Sol, reflexo ad Auroram curru retroceſſiſſe fertur.

(x) *O quantum*) Id eſt, *quantum eſt fœminam uni tantum viro ſtudere*. Fieri non poteſt quin multis una placeat; at forte evenerit ut placere non ſtudeat.

(y) *Non medium*) Illud eſt quod modo dixi de Solis regreſſu.

(z) *Filia*) Sylla *ſcil.* Niſi Megarenſium regis filia, quæ Minois amore capta, qui ejus patriam obſidebat, purpuream patris comam in qua fata urbis conſtabant illi attulit: quæ poſtea a Minoe ſpreta in avem Cyrim mutata eſt, ut alibi tradit Poeta.

(a) *Pube premit*) Fabulas, ut vides, hic ut & alibi confundit Poeta: nam Phorci, non niſi vulgo dicitur eſſe filia Scylla quæ in monſtrum aut ſcopulum mutata eſt.

(b) *Qui*) Agamemnon eſt Atrei filius, Rex regum, qui ſceleratæ conjugis Clytemneſtræ dolis ab Ægyſtho adultero interfectus eſt. Quo exemplo Poeta furioſam puellarum eſſe libidinem maxime probat.

(c) *Martem*) Id eſt, *vim armorum*, per Metonymiam.

(d) *Neptunum*) *Maris pericula*, per eandem Metonymiam, Deo pro re cui præſidet poſito.

(e) *Conjugis*) Clytemneſtræ *ſcil.* quæ Agamemnonem maritum, ut dixi, Troja advenientem trucidavit.

(f) *Ephyrææ*) Id eſt, *Corinthyaca*: *Ephyra* enim primo appellata eſt Corinthus, celeberrima illa urbs Achajæ.

(g) *Flamma*) De illa loquitur quam in Creontis Corinthiorum regis domum Medea a Jaſone repudiata immiſit; qua flamma ſeu potius muliebri furore & regia, & Creuſa regis filia, quam Jaſon uxorem ducebat, deflagravit.

(h) *Nece natorum*) Filios quos ex Jaſone ſuſceperat Medea ut maritum ulciſceretur, amore & ſpretæ flammæ dolore amens, laniavit.

Flevit

Flevit (*i*) Amyntorides per (*k*) inania lumina Phœnix:
(*l*) Hippolytum pavidi diripuistis equi.
Quid fodis immeritis, (*m*) Phineu, sua lumina natis?
Pœna reversura est in caput ista tuum.
Omnia fœminea sunt ista libidine mota.
Acrior est nostra, plusque furoris habet.
Ergo age, ne dubita cunctas superare puellas.
Vix erit e multis quæ neget una tibi.
Quæ dant, quæque negant, gaudent tamen esse rogatæ.
(*n*) Ut jam fallaris, tuta repulsa tua est.
Sed cur fallaris? cum sit nova grata voluptas;
Et capiant animos plus aliena suis?
(*o*) Fertilior seges est alienis semper in agris:
Vicinumque pecus grandius uber habet.
Sed prius ancillam captandæ nosse puellæ
(*p*) Cura sit: accessus molliat illa tuos.

INTERPRETATIO.

Phœnix Amyntorides lacrymas profudit per oculos vacuos: Equi efferati discerpsistis Hippolytum. Quamobrem Phyneu eruis oculos suos filiis? Ista pœna recidet in caput tuum. Hæc omnia facta sunt libidine fœminea. Vehementior est nostra & habet plus furoris. Ergo age ne diffide vincere omnes puellas; vix una erit e multis quæ recuset. Quæ præbent, & quæ recusant, lætantur tamen esse rogatæ. Quanquam etiam decipiaris, repulsa tua est secura. Sed cur decipiaris, cum voluptas nova placeat; & aliena plus moveant animum quam sua? Seges est semper uberior in agris alienis: Et pecus vicinum habet uber distentius. Sed prius memineris nosse famulam puellæ capiendæ: illa paret aditus suos.

NOTÆ.

(i) *Amyntorides*) Phœnix est Amintoris filius, Achillis præceptor, qui a patris concubina receptus, patrisque ob eam rem diris impetitus, in Thessaliam, relicta patria, profugit.

(k) *Inania*) Tandem illum oculis captum fuisse tradunt.

(l) *Hippolytum*) Fuit Hippolytus Thesei filius, qui turpissimo novercæ Phædræ amori obtemperare cum noluisset, apud patrem, tanquam de stupro eam appellasset, ab ipsa accusatus fuit: Cui furiosæ mulieri temere fidem adhibens Theseus, Neptunum adversus filium invocavit. Ex quo factum, ut, adversus honestissimum sed infelicissimum juvenem Phocas iniquus maris deus immiserit, a quibus territi Hippolyti equi ipsum loris implicitum inter saxa discerpserunt.

(m) *Phineu*) Fuit Phineus rex Arcadiæ, vel, ut aliis placet Thraciæ, aut Paphlagoniæ, (nam tota hæc fabula aliter ab aliis interpolata est) qui repudiata, aut Cleopatra mortua, uxorem Harpalicem duxit, cujus instinctu filios suos occæcavit: Quamobrem illum quoque dii oculis privarunt, & harpyas aves immiserunt, quæ dapes diripiebant, ventrisque profluvio fœdabant. Atque & istud quantus sit fœminarum in Amore furor, demonstrat.

(n) *Utinam*) Id est. *Quantumvis contra spem animi tui repulsam feras, atque optata negaverit mulier, tamen ex repulsa nihil pericli erit.*

(o) *Fertilior*) Istud ex parte dicit mulieris, cui elegans & magis gratus sit Amator quo non potitur, quam maritus.

(p) *Cura*) *Nam disciplina est eisdem munerarier*
Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.
Terent. in Heautontimor.

Pro-

Proxima consiliis dominæ sit ut illa videto;
Neve parum tacitis conscia fida jocis.
Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando:
Quod petis, e facili, si volet illa, feres.
Illa legat tempus (medici quoque tempora servant)
Quo facilis dominæ mens sit, & apta capi.
Mens erit apta capi tunc, cum lætissima rerum
Ut seges in pingui luxuriabit humo.
Pectora dum gaudent, nec sunt adstricta dolore,
Ipsa patent: blanda tum subit arte Venus.
Tum cum tristis erat defensa est Ilios armis:
(q) Militibus gravidum læta recepit equum.
Tum quoque tentanda est, cum pellice læsa dolebit:
Tum facias opera, ne sit inulta, tua.
Hanc (r) matutinos pectens ancilla capillos
Incitet: & (ſ) velo remigis addat opem.
Et secum tenui suspirans murmure dicat;
Ut puto, non poteris ipsa referre vicem.
Tum de te narret: tum persuadentia verba
Addat; & insano juret amore mori.
Sed properet, ne vela cadant, auræque residant.
Ut fragilis glacies, interit ira mora.
Quæris, an hanc ipsam prosit violare ministram?
Talibus admissis alea grandis inest.

INTERPRETATIO.

Cura ut illa sit intima consiliis dominæ; & sit fidelis conscia lusibus secretis. Tu vince illam promissis, fac tuam precando. Consequeris nullo negotio quod cupis, si illa volet. Illa dispiciat opportunitatem (Medici observant quoque opportunitates) qua ingenium Dominæ sit molle & idoneum moveri. Ingenium erit aptum tangi, tum cum festivissima rerum luxuriabis ut sata in solo stercorato. Dum cor lætatur nec premitur dolore, illud apertum est: tum Venus subrepit dolo illecebroso. Troja tum armis propugnata est cum erat mœsta: Hilaris admisit equum plenum militibus. Tum quoque captanda est cum offensa pellice mœrebit: tum efficias auxilio tuo ne sit inulta. Ancilla fingens comam matutinam hanc urgeat; & adjiciat operam remigis velo. Et tacite suspirans dicat levi murmure; Ipsa credo non poterit gratiam referre. Tunc loquatur de te; tunc adjiciat verba persuadentia: & te perire juret amore furioso. Sed festinet ne vela contrahantur, & venti quiescant. Ira tempore, sicuti glacies fragilis diffluit. Petis an juvet corrumpere hanc ipsam famulam? Alea magna est in ejusmodi ausibus.

NOTÆ.

(q) *Militibus*). Quo dolo Sinon equum ligneum militibus plenum in urbem Trojam invexerit, qui postea Græcis Portas aperuerunt ex Virgilii Æneidos lib. 2. a versu 162. omnino petendum.

(r) *Matutinos*) Id est, qui matutino tempore pectantur.

(ſ) *Velo rem.*) Metaphora est e re nautica, ubi non modo velis festinantes, sed insuper remis navem suam solent impellere. Mens est Poetæ, ut dominam ob pellicem jam satis iratam, ancilla insuper contra maritum instiget, quo amatoris votis facilius annuat.

Hæc

Hæc a concubitu fit fedula; tardior illa:
Hæc dominæ munus te parat, illa fibi.
(t) Cafus in eventu eft: licet hæc indulgeat aufis;
Confilium tamen eft abftinuiffe meum.
Non ego per præceps & (u) acuta cacumina vadam:
Nec juvenum quifquam me duce captus erit.
Si tamen illa tibi, dum dat recipitque tabellas,
Corpore, non tantum fedulitate, placet,
Fac domina potiare prius: comes illa fequatur:
Non tibi ab ancilla eft incipienda Venus.
Hoc unum moneo (fi quid modo creditur arti,
Nec mea dicta rapax per mare ventus agit):
Aut non tentaris, aut perfice. tollitur index,
Cum femel in partem criminis ipfa venit.
Non avis utiliter vifcatis effugit alis:
Non bene de laxis caffibus exit aper.
Saucius arrepto pifcis teneatur ab hamo.
Perprime tentatam: nec, nifi victor, abi.
Tum neque te prodet communi obnoxia culpæ;
Factaque erunt dominæ dictaque nota tibi.
Sed bene (x) celetur. bene fi celabitur (y) index,
Notitiæ fuberit femper amica tuæ.
Tempora qui folis operofa colentibus arva,
Fallitur, & nautis afpicienda putat.
Nec femper credenda Ceres fallacibus arvis:
Nec femper viridi concava puppis aquæ.

INTERPRETATIO.

Hæc fit diligens poft coitum; illa fegnior: hæc te adornat munus Dominæ, illa fibi. Eventus dubius eft. Quanquam hæc faveat inceptis; tamen confilium meum eft non feciffe. Ego non eam per abrupta, & faftigia ardua; nec quifquam adolefcentum decipietur me fuafore. Si tamen illa grata eft tibi corpore, non tantum diligentia, dum tradit & recipit tabellas; fac potiaris prius Domina; illa fequatur Comes. Venus non eft tibi incipienda ab ancilla. Admoneo hoc unum: (fi quid modo arti confiditur; nec ventus rapidus aufert mea præcepta per mare;) vel ne conatus fueris, vel ad metam perduce: removetur index, cum ipfa defcendit femel in partem flagitii. Avis damnofe avolat alis vi co illitis: aper damnofe erumpit ex retibus laxis. Pifcis vulneratus retineatur ab hamo apprehenfo. Superà captatam; nec recede, nifi voti compos. Tum neque te accufabit rea focii criminis: & facta & dicta dominæ tibi erunt perfpecta. Sed bene celetur; fi index celabitur bene, amica erit femper tibi perfpecta. Ille decipitur qui credit tempora obfervanda folis cultoribus agrorum laborioforum & nautis. Nec frumenta femper committenda agris incertis. Nec femper navis concava aquæ glaucæ.

NOTÆ.

(t) *Cafus eft in*) id eft, *forte fuccedet, forte non fuccedet.*

(u) *Acuta*) Ubi vix quifquam ftare poffit, cum potius ruina immineat.

(x) *Celetur*) Quicquid Ancilla dixerit de amica, & quidquid ipfa fecerit.

(y) *Index*) *Ancilla, fcilicet*, quæ dominæ confilia & res omnes aperit.

Nec teneras ſemper tutum captare puellas,
Sæpe dato melius tempore fiet idem.
Sive (z) dies ſuberit natalis; ſive Kalendæ,
(a) Quas Venerem Marti continuaſſe juvat;
(b) Sive erit ornatus, non ut fuit ante, ſigillis;
Sed regum poſitas Circus habebit opes;
Differ opus. tunc triſtis (c) hiems, tunc (d) Pliades inſtan
Tunc tener æquorea mergitur (e) Hœdus (f) aqua.
Tunc bene (g) deſinitur: tunc, ſi qui creditur alto,
(h) Vix tenuit laceræ naufraga membra ratis.
Tu licet incipias, qua flebilis (i) Allia luce
Vulneribus Latiis ſanguinolenta fuit:
Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis
Culta (k) Palæſtino (l) ſeptima feſta Syro.

INTERPRETATIO.

Nec ſemper tutum molles venari puellas. Idem fiet ſæpe melius occaſione oſtentata. Sive natalis dies aderit, ſive Kalendæ, quas gratum eſt Veneri continuaſſe Marti. Sive circus erit cultus, non ſignis, ut fuit ante, ſed habebit divitias illatas Regum; differ opus: tunc gravis tempeſtas; tunc Pliades urgent. Tunc tener hœdus tingitur aqua marina. Tunc bene ceſſatur; tunc ſi quis committitur profundo mari, vix tenuit partes naufragas navis diſcerptæ. Quanquam tu aggrediaris die quo luctuoſus Allia fuit cruentus plagis Latinis; & die quo feſta ſeptima obſervata a Palæſtino Syro redeunt minus idonea rebus agendis.

NOTÆ.

(z) *Dies natalis*) Qui apud priſcos in magna erat veneratione.

(a) *Quas Venerem*) Romanis primus dictus eſt menſis Martius; cujus Calendæ ſeu primus dies Marti ſacer fuit; quo Matronalia a matronis Marti, Romuli patri, celebrabantur, quoque primo anni die, ut etiam mos eſt noſtratibus, mariti, itemque amantes matronarum & puellarum gratiam muneribus ſibi conciliare ſtudebant. Secundus menſis Aprilis fuit, cujus Calendæ Veneri ſacræ, quibus etiam matronæ & puellæ de feſtis ſollicitæ. Patet ex his ſenſus iſtius Pentametri; niſi quod, ut Poetæ mos eſt, plura intelligit quam quæ primo intuitu mentem ſubeunt. Nota vero ſunt quæ de Marte & Venere ipſe Vulcanus in ſolem dedit; unde facile quid de puellis Marti operantibus olfaciendum voluerit Naſo.

(b) *Sive erit*) Negat Poeta tunc puellæ conciliandæ dandam eſſe operam, cum regum opibus ac ſpoliis, Romam ab Imperatoribus advectis, Circus exornatus omnium mentem & oculos retinet: fruſtra enim operam ſumi.

(c) *Hyems*) Id eſt, tempus, quo navigationem non ſine maximo periculo Amans ſuſcipiat; perinde ut nauta qui hyeme maria ſubiret. Metaphora eſt continuata, ſeu allegoria.

(d) *Pliades*) Stellæ ſunt ſeptem quas Latini dixerunt Vergilias, quibus occidentibus hyems oſtenditur, autore Hygino.

(e) *Hœdus*) Stellæ ſunt in auriga, quæ quia menſe Octobri oriuntur, quo tempore pluviæ & tempeſtates ſolent exoriri, eas cum quibuſdam aliis ſignis cœleſtibus ortu ſuo, & occaſu ciere dictæ ſunt.

(f) *Aqua*) Maris *ſcil.* in quod ſigna cœleſtia ſeſe, cum occidunt, videntur demergere.

(g) *Deſinitur*) *A captanda puella ceſſatur.*

(h) *Vix tenuit*) Id eſt, vix tabulæ alicujus beneficio ſeſe periculo ſubtraxerit.

(i) *Allia*) Fluvius eſt Italiæ, haud procul ab urbe, apud quem delatæ ſunt a Gallis copiæ Romanæ, ad 13. Calend. ſextiles, quem diem atrum, infauſta velut appellatione damnarunt.

(k) *Palæſtino*) Id eſt, *Judæo*: nam Palæſtina provincia eſt Syriæ, quæ Palæſtina Syria, & Judæa plurimis autoribus dicitur.

(l) *Septima*) quæ Sabbatha ſunt Judæorum.

Ma-

Magna (*m*) ſuperſtitio tibi ſit natalis amicæ;
 Quaque aliquid dandum eſt, illa ſit (*n*) atra dies.
Cum bene vitaris; tamen (*o*) auferet. invenit artem
 Fœmina, qua cupidi carpat amantis opes.
(*p*) Inſtitor ad dominam veniet (*q*) diſcinctus emacem:
 Expediet merces teque ſedente ſuas.
Quas illa, inſpicias, (*r*) ſapere ut videare, rogabit.
 Oſcula deinde dabit: deinde rogabit, emas.
Hoc fore contentam multos jurabit in annos:
 Nunc opus eſſe ſibi, nunc (*ſ*) bene dicet emi.
Si non eſſe domi, quos des, (*t*) cauſabere nummos;
(*u*) Littera poſcetur; ne didiciſſe juvet.
 Quid, quaſi natali cum poſcit munera (*x*) libo;
 Et quoties opus eſt, (*y*) naſcitur ipſa ſibi?
Quid cum mendaci damno mæſtiſſima plorat;
 Elapſuſque cava fingitur aure (*z*) lapis?
Multa rogant utenda dari; data reddere nolunt:
 Perdis; & in damno gratia nulla tuo.
Non mihi, ſacrilegas meretricum ut proſequar artes;
 Cum totidem linguis, ſint ſatis ora decem.

INTERPRETATIO.

Magna ſit tibi religio natalis amicæ; & illa ſit dies atra, qua aliquid præbendum eſt. Cum bene effugeris, tamen tollet: fœmina excogitat dolos quibus rapiat divitias amantis avidi. Inſtitor diſcinctus accedet ad dominam emendi cupidam: Et exponet merces ſuas te præſente. Quas illa orabit ſpectes, ut credaris eſſe callidus: poſtea oſculabitur: poſtea precabitur ut emas. Jurabit tibi ſatis fore hoc in multos annos: jam ſe opus habere; jam dicit emi vili pretio. Si prætexas pecuniam quam numeres non eſſe domi; littera petetur: ne gratum ſit eas didiciſſe. Quid dum petit dona quaſi die natali; & ipſa naſcitur ſibi quoties opus eſt? Quid cum flet triſtiſſima falſa jactura; & gemma ſimulatur defluxiſſe aure cava? Multa petunt tradi utenda: nolunt reſtituere tradita. Amittis; & nulla gratia eſt in tuo detrimento. Ora decem cum totidem linguis non ſufficiant mihi, ut doſes narrem deteſtandos ſeortorum.

NOTÆ.

(m) *Superſtitio ſit natalis*) Id eſt, *Caveſis ne quid illo die cum puella incipias; ejuſmodi dies maxime timeas:* quia *ſcilicet* natalis ſtrenæ dies & ſtipendii.

(n) *Atra*) Id eſt infauſta.

(o) *Auferet*) Dona *ſcilicet*, quæ extorqueat.

(p) *Inſtitor*) *Un facteur de boutique.*

(q) *Diſcinctus*) Id eſt, *in tunicis demiſſis*. Propert.

& ibo
Mundus demiſſis inſtitor in tunicis.

(r) *Sapere*) Id eſt, *in cognoſcendis & emendis mercibus callidum eſſe.*

(ſ) *Bene*) *Vili pretio.*

(t) *Cauſabere*) *In excuſationem dixeris.*

(u) *Littera*) Syngraphum *ſcilicet*, quo fidens inſtitor puellæ merces relinquat: ut tum ſatlus fuerit litteras non didiciſſe.

(x) *Libo*) Libum genus eſt placentæ de farre & melle, quod die natali amicis præbere ſolebant.

(y) *Naſcitur*) Hoc eſt, *ſe, muneris accipiendi cauſa, tali die natam dicit.*

(z) *Lapis*) Pretioſus *ſcil.* gemma, aut unio, quos hodieque auribus ſuſpendere ſolent puellæ.

(a) Cera (b) vadum tentet rafis infufa tabellis:
Cera tuæ primum nuncia mentis eat.
Blanditias ferat illa tuas: imitataque amantem
Verba; nec exiguas, quifquis es, adde preces.
Hectora donavit (c) Priamo prece motus Achilles:
Flectitur iratus voce rogante Deus.
Promittas facito: quid enim promittere lædit?
Pollicitis dives quilibet effe poteft.
Spes tenet in tempus, femel eft fi credita, longum:
Illa quidem fallax, fed tamen apta Dea eft.
Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui.
(d) Præteritum tulerit, perdideritque nihil.
At quod non dederis, femperque videare daturus.
Sic dominum fterilis fæpe fefellit ager.
Sic, ne perdiderit, non ceffat perdere lufor:
Et revocat cupidas alea (e) blanda manus.
Hoc opus; hic labor eft; primo fine munere jungi:
Ne dederit gratis: quæ dedit, ufque dabit.
Ergo eat; & blandis peraretur littera verbis:
Exploretque animos, primaque tentet iter.
Littera (f) Cydippen pomo perlata fefellit:
Infciaque eft verbis capta puella fuis.

INTERPRETATIO.

Cera illita tabellis expolitis exploret vadum; Cera eat primo nuntia confilil tui. Illa deferat lenocinia tua; & quifquis es adjice verba fimulantia te amantem, nec parce precibus. Achilles prece adductus reddidit Hectorem Priamo: Deus movetur voce fupplici. Fac pollicearis: quid enim nocet polliceri? Quivis poteft effe locuples promiffis. Spes durat in tempus prolixum, fi eft femel recepta: illa quidem dea eft mendax, fed tamen commoda. Si tradideris aliquid poteris carere ratione. Præteritum ftuleris, & nihil amiferit. At videaris femper traditurus quod non tradideris. Sic ager infœcundus fæpe decepit Dominum. Sic lufor non definit amittere, ne amiferit: & alea illecebrofa revocat manus avidas. Hoc opus hic labor eft coire primo fine dono: qua conceffit concedet femper ne concefferit fruftra. Ergo difcedat littera, & perfcribatur verbis fuavibus: & fcrutetur mentem, & prima exploret iter. Littera perlata pomo decepit Cydippen: & puella imperita eft implicita verbis fuis.

NOTÆ.

(a) *Cera*, Id eft, *Litera in tabellis ceratis*. Metonymia eft fubjecti.

(b) *Vadum*) Id eft, *qualis fit puella animus*. Metaph. eft ab iis qui flumen trajicere conantur.

(c) *Priamo prece*) Pretio tamen addito.
Examinamque auro corpus vendebat
Achilles. Virg.

(d) *Præteritum*) Munus *fcilicet* oblatum, cum tamen fui non faciat copiam Puella.

(e) *Blanda*), Quæ lene tormentum fpe acri addit lufori.

(f) *Cydippen.*) Tabulam fupra vidimus in epiftolis. Acontius Delum, ad Dianæ facra, quæ a virginibus celebrabantur, ex Cæa infula navigavit; ubi in Cydippes amorem exarfit: Et eam uxorem cum aperte non auderet petere, ad hunc dolum confugit. Lex erat ut quæ in templo Dianæ Deliæ dicerentur, rata effent: itaque pomum ad puellæ pedes projecit, in quo hi verfus fcripti erant.

Juro tibi fane per myftica facra Dianæ,
Me tibi venturam comitem, fponfamque futuram.

Di-

Disce bonas artes (moneo,) Romana juventus;
Non tantum trepidos ut tueare reos.
Quam populus, judexque gravis, lectusque senatus,
Tam dabit eloquio victa puella manus.
Sed (g) lateant vires; nec sit in fronte disertus.
Effugiant ceræ verba molesta tuæ.
Quis, nisi mentis inops, teneræ (h) declamat amicæ?
Sæpe valens odii (i) littera causa fuit:
Sit tibi credibilis sermo, consuetaque verba:
Blanda tamen, præsens ut videare loqui.
Si non accipiet scriptum, illectumque remittet:
Lecturam spera: propositumque tene.
Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci:
Tempore (k) lenta pati fræna docentur equi.
Ferreus assiduo consumitur anulus usu:
Interit (l) assidua vomer aduncus humo.
Quid magis est saxo durum? quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.
(m) Penelopen ipsam (persta modo) tempore vinces.
Capta vides sero Pergama; capta tamen.
Legerit, & nolit rescribere; cogere noli.
Tu modo blanditias fac legat usque tuas.
Quæ voluit legisse, volet rescribere lectis.
Per numeros venient ista gradusque suos.

INTERPRETATIO.

Perdisce liberales artes (hortor) Romana juventus, non tantum ut defendas reos timidos. Quam populus & Judex severus & lectus Senatus, tam puella superata concedet verbis disertis. Sed vires occultentur, nec sis primo facundus. Tabellæ tuæ vitent verba dura. Quis nisi amens declamet molli amicæ? Sæpe littera fuit potens causa odii. Sit tibi sermo credibilis, & verba usitata: suavia tamen, ut videaris coram loqui. Si non accipiat litteram, & remittat illectam, spera lecturam: & sta in incœpto. Juvenci rebelles accedunt ad aratra tempore: Equi coguntur pati habenas flexiles tempore. Anulus ferreus consumitur usu continuo: Dens curvus aratri teritur terra assidua. Quid est durius petra? quid mollius aqua? Petræ tamen duræ perforantur aqua tenera. Superabis ipsam Penelopen tempore: (Urge modo propositum.) Cernis Trojam superatam sero, superatam tamen. Legerit, & nolit respondere, noli cogere. Tu facito tantum ut legat semper molles tuos sermones. Quæ volet legisse, volet respondere lectis. Ista promovebuntur per numeros suos & gradus.

NOTÆ.

(g) *Lateant*) Artis est, *scilicet*, celare artem: & in eo laus artis ultima.

(h) *Declamat*) Id est, magno eloquentiæ conatu sese magis Oratorem quam amantem ridicule profiteatur.

(i) *Littera*) Quæ, *scilicet* nimis diserta & in declamationis modum composita fuerit.

(k) *Lenta fræna*) Quorum, *scilicet*, habenæ ex corio flexili constant.

(l) *Assidua*, Qua assidue inter arandum teritur.

(m) *Penelopen*) Pro quavis castissima muliere.

Forſitan & primo veniet tibi littera triſtis,
  Quæque roget, ne ſe ſollicitare velis.
Quod rogat illa, timet: quod non rogat, optat, ut inſtes.
  Inſequere, & voti poſtmodo compos eris.
Interea ſive illa toro reſupina feretur;
  Lecticam dominæ (n) diſſimulanter adi:
Neve aliquis verbis odioſas offerat aures.
  Quam potes, ambiguis callidus abde notis.
Seu pedibus (o) vacuis illi ſpatioſa teretur
  Porticus; hic ſocias tu quoque junge moras.
Et modo præcedas facito; modo terga ſequaris:
  Et modo feſtines; & modo lentus eas.
Nec tibi de mediis aliquot tranſire (p) columnas
  Sit pudor, aut lateri continuaſſe latus.
Nec ſine te curvo ſedeat ſpatioſa theatro:
  Quod ſpectes, humeris afferet illa ſuis.
Illam reſpicias, illam mirere licebit,
  Multa ſupercilio, multa loquare notis.
Et plaudas, aliquam mimo ſaltante puellam;
  Et faveas illi, quiſquis (q) agatur amans.
Cum ſurget, ſurges; donec ſedet illa, ſedebis.
  Arbitrio dominæ tempora perde tuæ.
Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos.
  Nec tua mordaci (r) pumice crura teras.

INTERPRETATIO.

Forte etiam littera mæſta tibi feretur primo; & quæ oret ne velis labefactare ſe. Illa reformidat quod petit; cupit ut urgeas quod non petit. Inſta & poſtmodo eris compos voti. Interea ſive illa vehetur reſupina lecto; adi diſſimulanter lecticam dominæ; & ne aliquis præbeat aures invidioſas verbis, vafer involve quantum potes ſignis dubiis. Seu porticus vaſta calcabitur ab illa pedibus incomitatis, tu quoque hic una hæreas. Et modo fac ante eas, modo ſequaris terga, & modo properes, & modo lente ambules. Nec te pudeat tranſire aliquot columnas de mediis, aut continuaſſe latus lateri. Nec magnifica ſedeat ſine te theatro curvo: illa afferet ſuis humeris quod ſpectes. Licebit illam intueri, illam ſuſpicias; proferas multa ſupercilio, multa ſignis. Et plaudas, hiſtrione ſaltante aliquam puellam; & faveas amanti, quiſquis ille repræſentetur. Surges cum ſurget; ſedebis quandiu illa ſedet. Tere tempus ad libitum dominæ tuæ. Sed neque criſpes comam calamiſtro: Nec expolias crura tua pumice aſpero.

NOTÆ.

(n) *Diſſimulanter*) *Quaſi neſcieris quæ in lectica fuerit.*

(o) *Vacuis*) Cum nullus ſit comes.

(p) *Columnas*) Quibus Porticus fultæ ſunt, *ſcilicet*.

(q) *Agatur*) *A mimo repræſentetur.*

(r) *Pumice*) Pumex ſpongioſus eſt lapis, quo in lævigando corpore & deterendis pilis fœminæ utebantur. Gall. *Pierre ponce*.

Iſta

Ista jube faciant, (*f*) quorum (*t*) Cybeleia mater
  Concinitur Phrygiis (*u*) exululata modis,
Forma viros neglecta decet. (*x*) Minoida Theseus
  Abstulit a nulla tempora comtus acu.
(*y*) Hippolytum Phædra, nec erat bene cultus, amavit.
  Cura (*z*) Deæ silvis aptus Adonis erat.
Munditiæ placeant: (*a*) fuscentur corpora (*b*) campo:
  Sit bene conveniens, & sine labe toga.
Linguaque ne rigeat: careant rubigine dentes:
  Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonsura capillos:
  Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues:
  Inque cava nullus stet tibi nare pilus.
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris:
  (*c*) Nec lædant nares virque paterque gregis.
(*d*) Cætera lascivæ faciant concede puellæ:
  Et si quis (*e*) male vir quærit habere (*f*) virum.

INTERPRETATIO.

Impera ista faciant quorum numeris Phrygiis mater Cybeleia exululata cantatur. Forma neglecta decet viros. Theseus nulla acu ornatus tempora avexit Minoida. Phedra amavit Hippolytum, nec erat bene comtus. Adonis Amor deæ erat idoneus silvis. Munditiæ probentur: corpora subnigra reddantur campo. Toga sit concinna & sine macula: Et lingua ne hæstet: Dentes sint absque rubigine: Nec pes incertus fluctuet tibi in calceo male cohærenti. Nec tonsura prave deformet comam asperam: sint capilli, sit barba detonsa perita manu. Et nihil existent, & sint ungues sine spurcitia: & nullus pillus sit tibi in nare cava. Nec spiritus oris male odorati sit gravis: Nec vir & pater gregis offendant nares. Fac puellæ luxuriosæ reliqua curent: Et si quis effeminatus studes consequi virum.

NOTÆ.

(f) *Quorum*) Semiviros magnæ matris Sacerdotes designat, qui totum corpus quotidie, ut mundi essent, radebant.

(t) *Cybeleia*) Opus est, seu Vesta, aut Rhea, magna Deorum mater, quæ a Cibele Phrygiæ monte, ubi primum instituta ejus sacra Cybele quoque dicta est.

(u) *Exululata*) Incondito fistularum & tympanorum strepitu, sicut in Bacchi sacris, & furiali sacrificantium ululatu bonæ Deæ sacra peragebant.

(x) *Minoida*) Phædram Minois filiam, cujus ex Epistola Ariadnes nota fabula.

(y) *Hippolytum*) De eo supra v. 338.

(z) *Dea*) Veneris *scil.* quæ Adonidem Cinyræ Cypriorum regis & Myrrhæ filium adamavit.

(a) *Fuscentur*) Solis ardore, *scilicet*.

(b) *Campo*) Martium intellige, ubi variis certaminibus sese Romani juvenes exercebant.

(c) *Nec lædant*) Id est, ne axillæ fætidum, qualem hircus emittit, odorem exhalent.

(d) *Cætera*) Cultui superfluo studeant.

(e) *Male vir*) Cinædum indicat.

(f) *Virum*) A quo, *scil.* patiatur muliebria. Atque atrocissimum est [illegible] in effeminatos & comulos [illegible] hodie multos, non sine maximo dedecore videmus.

Ecce (*g*) suum vatem Liber (*h*) vocat: hic quoque amantes
Adjuvat; & flammæ, qua calet ipse, favet.
(*i*) Gnoffis in ignotis amens errabat arenis,
Qua brevis æquoreis (*k*) Dia feritur aquis.
Utque erat e somno tunica velata recincta,
Nuda pedem, croceas irreligata comas,
Thesea crudelem surdas clamabat ad undas,
(*l*) Indigno teneras imbre rigante genas.
Clamabat, flebatque simul; sed utrumque decebat:
Nec facta est lacrymis turpior illa suis.
Jamque iterum tundens mollissima pectora palmis;
Perfidus ille abiit: quid mihi fiet? ait.
Quid mihi fiet? ait. sonuerunt cymbala toto
Littore, & (*m*) attonita tympano pulsa manu.
(*n*) Excidit illa metu, (*o*) rupitque novissima verba:
Nullus in examini corpore sanguis erat.

INTERPRETATIO.

Ecce Bacchus accersit suum Poetam: Hic etiam fert opem amantibus; & favet igni quo ipse uritur. Gnossis insana vagabatur in arenis insolitis, qua parva Dia percellitur aquis marinis. Et ut erat tecta, e somno tunica soluta, nudos habens pedes, capillis flavis haud astrictis, vociferabatur Thesеum crudelem ad surdas undas, lacrymis immeritis perfundentibus molles genas. Vociferabatur & simul lacrymabatur, sed utrumque decebat: nec illa est facta deformior lacrymis suis. Jamque iterum plangens tenerrima pectora manibus: Ille perfidus excessit dixit: quid mihi eveniet? Quid mihi eveniet? inquit: Cymbala & tympana pulsata manu furore correpta toto littore strepuerunt. Illa procubuit metu & abscidit ultima verba: Nullus sanguis erat in corpore exanimato.

NOTÆ.

(g) *Suum*) Quia & Bacchus, sicuti Apollo, Poetis præesse dicitur, sine quo Carmina bene non possunt procedere, ipsis etiam Poetis fatentibus.

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.
Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda.
nec vivere carmina possunt
Quæ scribuntur aquæ potoribus. Horat.

(h) *Vocat*) *Ad scribenda carmina impellit*: qui etiam favet amantibus.

(i) *Gnossis*) Ariadna est Minois filia, a Gnoso Cretæ urbe ubi ille regnavit sic dicta. Illam autem, Minotauro ejus ope superato in patriam, spe data matrimonii, Theseus ducebat, jamque ad Naxum insulam pervenerat; at ibi miseram reliquit, cujus misertus Liber Pater uxorem sibi copulavit.

(k) *Dia*) Naxus est insula, una ex Cycladibus, quæ & Dia appellata est.

(l) *Indigno imbre*) Id est, *Lacrymis quibus, ob Thesei ex insula discessum immerita vultus fœdabat.*

(m) *Attonita*) Furentium Baccarum *scil.* quæ Liberi patris sacra celebrabant.

(n) *Excidit*) Notat vox ista conversionem aut subitam animi mutationem, quam facit major objectorum impetus, quo ab alicujus rei contemplatione abstrahitur.

(o) *Rupit*) *Intermisit*, tympanorum strepitu territa.

Ecce

Ecce (p) Mimallonides ſparſis in terga capillis:
Ecce leve Satyri prævia turba Dei:
Ebrius ecce ſenex pando (q) Silenus aſello,
Vix ſedet; & preſſas continet arte jubas.
Dum ſequitur Bacchas, Bacchæ fugiuntque petuntque,
Quadrupedem ferula dum malus urget eques;
In caput aurito cecidit delapſus aſello.
Clamarunt Satyri, Surge age, ſurge, pater.
Jam (r) Deus e curru, quem ſummum texerat uvis,
(ſ) Tigribus adjunctis aurea lora dabat.
Et color, & Theſeus, & vox abiere puellæ:
Terque fugam petiit: terque retenta metu
Horruit, ut ſteriles, agitat quas ventus, ariſtæ:
Ut levis in madida canna palude tremit.
Cui deus, En adſum tibi (t) cura fidelior, inquit:
Pone metum; Bacchi, (u) Gnoſſias, uxor eris.
Munus habe (x) cœlum: cœlo ſpectabile ſidus
Sæpe reges dubiam Creſſa (y) Corona (z) ratem.
Dixit; & e curru, ne tigres illa timeret,
Deſilit: impoſito ceſſit arena pedi.

INTERPRETATIO.

Ecce Mimallonides comis effuſis in dorſum, Ecce ſatyri veloces turba præcedens Deum; Ecce Silenus vino oppreſſus, vix ſedet curvo aſello, & tenet jubas quas arte comprimit. Deum ſequitur Bacchas, Bacchæ & recedunt, & accedunt; dum ineptus eques premit aſinum ferula, procubuit in caput delapſus aurito aſello. Satyri vociferati ſunt, ſurge age, ſurge pater. Jam Deus laxabat habenas aureas tigribus alligatis, curru, quem ſummum velaverat racemis. Et color, & Theſeus & vox puellæ evanuerunt: Et ter in fugam ſe dedit, & ter repreſſa timore, tremuit, ut ariſtæ ſteriles quas aura impellit; ut mobilis arundo concutitur in palude uvida. Ad quam Deus; Ecce ait, præſto ſum, cura fidelior: Mitte timorem, Gnoſſias eris conjux Bacchi. Donum accipe cœlum; Corona Cretenſis ſydus conſpicuum gubernabit ſæpe navem incertam. Dixit; & e curru leviter deſcendit, ne illa reformidaret Tigres: arena ceſſit pedi immiſſo.

NOTÆ.

(p) *Mimallonides*) Bacchæ ſunt mulieres Bacchi ſacra celebrantes: quæ a Mimante Joniæ monte, Baccho ſacro ſic dictæ ſunt; niſi incomparabilis Bocharti ſententiam ſequi velis, qui vocem facit Hebræam; quaſi illæ eſſent *Memallelan*, id eſt, garrulæ & loquaculæ; aut a *mamal*, ſeu torculari deductam vocem malis.

(q) *Silenus*) Bacchi nutritius, pædagogus, & comes eſt aſſiduus, plerumque aſello ſuo, niſi quandoque pedes baculo nititur, inſidens, Satyrorum ſenior.

(r) *Deus*) Bacchus *ſcil.*

(ſ) *Tigribus*) Qui, ut & Lynces Bacchi currum trahere dicuntur.

(t) *Cura*) Id eſt, *Qui tui curam majorem habeam.*

(u) *Gnoſſias*) Patronymicum eſt fœmininum a Gnoſo Cretæ urbe, ficut & Gnoſis, de quo ſupra.

(x) *Cœlum*) Quo a Baccho translatum Poeta ſcripſit in Faſtis.

(y) *Corona*) Sydus eſt Ariadnes coronæ, novem ſtellis conſpicua, quam prope Bootes humero ſiniſtro contingit.

(z) *Ratem*) Id eſt, Nautas, qui curſum ſuum ſyderibus ſolent dirigere. Metonym. eſt ſubjecti, ſeu continentis pro re contenta.

Im-

Implicitamque finu (neque enim pugnare valebat)
Abftulit: ut facile eft omnia poffe Deo.
Pars, (a) Hymenæe, canunt: pars clamant, (b) Evie evoe!
Cic coeunt facro nupta Deufque toro.
Ergo, ubi contigerint pofiti tibi (c) munera Bacchi,
Atque erit in focii fœmina parte tori;
(d) Nyctéliumque patrem, nocturnaque facra precare,
Ne jubeant capiti vina nocere tuo.
Hic tibi multa licet fermone latentia tecto
Dicere, quæ dici fentiat illa fibi:
Blanditiafque leves tenui perfcribere vino;
Ut dominam in menfa fe legat illa tuam:
Atque oculos oculis fpectare fatentibus (e) ignem.
Sæpe tacens vocem verbaque vultus habet.
Fac primus rapias illius tacta labellis
Pocula; quaque bibet parte puella, bibas.
Et quodcumque cibi digitis libaverit illa,
Tu pete: dumque petes, fit tibi tacta manus.
Sint etiam tua vota viro placuiffe puellæ.
Utilior vobis factus amicus erit.
Huic, fi (f) forte bibes, (g) fortem concede priorem:
Huic detur capiti demta corona tuo.

INTERPRETATIO.

Et rapuit involutam finu; (neque enim poterat obniti:) ut facile eft Deo poffe omnia. Pars canunt, Hymenae: pars vociferantur, Evie Evoe! Sic Deus & fponfa junguntur facro lecto. Ergo, ubi obvenerint tibi dona Bacchi appofiti, atque fæmina erit in parte lecti focii; orato & patrem Nyctelium, & facra nocturna, ne imperent vina officere capiti tuo. Hic licet tibi proferre multa abfcondita verbis ambiguis, qua illa cognofcat fibi dici; & perfcribere molles blanditias vino exiguo; ut illa fe legat Dominam tuam in menfa: & afpicere oculos oculis profitentibus amorem. Facies muta fæpe habet vocem & verba. Fac primus corripiat pocula tacta illius labiis: & potes qua parte puella potabit. Et quodcunque efca illa attigerit digitis, tu carpes: & dum carpes, manus a te tangatur. Cupias etiam gratum effe marito puellar: Erit commodior vobis factus amicus. Si forte potaveris, permitte illi fortem priorem; Corona detracta capiti tuo illi tradatur.

NOTÆ.

(a) *Hymenae*) Deus eft quem in nuptiarum felicitatem folebant invocare; Liberi Patris & Veneris, vel ut alii malunt Uraniæ filius.

(b) *Evbie*) Evhius, vel Evohus, Bacchus dictus eft, quod bello adverfus gigantes in Lonem mutatus, eorum unum cum peremiffet, audierit a Jove εὖ υἱέ, *Macte*, *præclare fili*.

(c) *Munera*) Vinum *fcil.*

(d) *Nyctelium*) Eo nomine Bacchus a νυκτελέω, *nocte perficio*, dictus eft, quod noctu ejus facra celebrarentur.

(e) *Ignem*) Amorem *fcil.* quod quidem toties tædet repetere.

(f) *Sorte*) Sorte & talis regna vini data, aut arbitrum bibendi, feu Modiperatorem factum, qui bibendi modum præfcriberet ex Horatio aliifque liquet: Imo & forte dapes diftributæ nonnunquam.

(g) *Sortem*) Ut, *fcil.* prior maritus bibat.

Sive-

Sive erit inferior, seu par, prior omnia sumat:
  Neu dubites illi verba secunda loqui.
Tuta frequensque via est, per amicum fallere nomen.
  Tuta frequensque licet sit via; crimen habet.
Inde (*h*) procurator nimium quoque multa procurat,
  Et sibi mandatis plura videnda putat.
Certa tibi a nobis dabitur mensura bibendi:
  Officium præstent mensque pedesque suum.
Jurgia præcipue vino stimulata caveto,
  Et nimium faciles ad fera bella manus.
Occidit (*i*) Eurytion stulte data vina bibendo.
  Aptior est dulci mensa merumque joco.
Si vox est, canta; si mollia brachia, salta:
  Et quacumque potes dote placere, place.
Ebrietas ut vera nocet, sic ficta juvabit.
  Fac titubet blæso subdola lingua sono:
Ut, quidquid facies dicesve protervius æquo,
  Credatur nimium causa fuisse merum.
Et, Bene, dic, dominæ; bene, cum quo dormiat illa:
  Sed male sit, tacita mente precare viro.
At, cum discedet mensa conviva remota;
  (Ipsa tibi accessus turba locumque dabit)
Insere te turbæ: leviterque admotus eunti,
  Velle latus digitis; & pede tange pedem.
Colloquio jam tempus adest, fuge rustice longe
  Hin pudor: audacem Forsque Venusque juvant.

I N T E R P R E T A T I O.

Seu fuerit minor, seu aqualis, prior cupiat omnia: neve cuncteris illi verba faventia dicere. Secura & trita via est decipere per nomen amicum. Quamvis via sit secura & trita, habet crimen. Inde procurator procurat quoque nimium multa, & plura credit sibi curanda concreditis. Modus tuus bibendi præscribetur a nobis: mens & pedes fungantur officio suo. Fugito præsertim rixas motas vino, & manus nimium paratas ad bella crudelia. Eurytion insulse procubuit vino exhibito potando. Mensa & vinum est magis idoneum ludo suavi. Si vox tibi est, cane: si brachia levia, choreas ducito; Et esto gratus quacunque virtute potes esse gratus. Ut vera vinolentia officit, sic simulata proderit. Fac lingua fallax hæsitet voce blæsa, ut quidquid ages vel loquaris procacius justo, nimium vinum existimetur fuisse causa. Et, bene precare dominæ; & bene precare illi cum quo illa cubet: sed ora mente secreta male sit marito. At, cum conviva abibit, lectis sublatis; (ipsa turba faciet tibi aditus & locum) immisceto te turbæ & agiliter admotus discedenti, tange latus digitis & pedem pede. Jam tempus venit colloquio: pudor insulse hinc longe abesto: fortuna & Venus favent audenti.

N O T Æ.

(h) *Procurator*) Ille est qui absentis negotia gerit; cujus generis multi plura quam domino conducit curant.

(i) *Eurytion*) Centaurus est, qui in Pirithoi nuptiis cum vino incaluisset, Hippodameque rapuisset, a Theseo vasto cratere prostratus animam vinumque evomuit. ut in Metam. 12. legitur.

Non

(*k*) Non tua sub noſtras veniat facundia leges.
Fac tantum incipias, ſponte diſertus eris:
Eſt tibi agendus amans, imitandaque vulnera verbis.
Hinc tibi quæratur qualibet arte fides.
Nec credi labor eſt: ſibi quæque videtur amanda.
Peſſima ſit, (*l*) nulli non ſua forma placet.
Sæpe tamen vere cœpit ſimulator amare:
Sæpe, quod incipiens finxerat eſſe, fuit.
Quo magis o faciles imitantibus eſte, puellæ.
Fiet amor verus, qui modo falſus erat.
Blanditiis animum furtim deprendere nunc ſit:
Ut pendens liquida ripa ſubitur aqua.
Nec faciem, nec te pigeat laudare capillos;
Et teretes digitos, exiguumque pedem.
Delectant etiam caſtas præconia formæ.
Virginibus curæ grataque forma ſua eſt.
Nam cur in (*m*) Phrygiis Junonem & Pallada ſilvis
Nunc quoque judicium (*n*) non tenuiſſe pudet?
Laudatas oſtentat (*o*) avis Junonia pennas:
Si tacitus ſpectes, illa recondit (*p*) opes.
Quadrupedes, inter rapidi certamina curſus,
Depexæque jubæ plauſaque colla juvant.
Nec timide promitte: trahunt promiſſa puellas.
Pollicito teſtes quoslibet adde Deos.

INTERPRETATIO.

Eloquentia tua ne ſubjiciatur noſtris legibus; fac tantum initium facias, eris ultro facundus. Amans eſt tibi fingendus verbis, & vulnera ſimulanda. Hinc tibi fides quolibet artificio quæratur. Nec difficile eſt fidem facere: quælibet ſibi videtur diligenda. Sit deformiſſima, nulli ſua ſpecies non grata eſt. Sæpe tamen ſimulator initium fecit vere amandi: Sæpe fuit quod incipiens ſimulaverat eſſe: Quo magis, o puellæ, eſtote blandæ ſimulantibus: amor qui erat modo fictus fiet amor verus. Nunc liceat clam mentem occupare blanditiis: ut ripa declivis penetratur aqua fluida. Nec moleſtum ſit tibi approbare vultum & comam, & digitos teretes, & pedem parvum. Laudes pulcritudinis placent etiam pudicis. Forma ſua eſt curæ, & placet puellis. Nam quamobrem nunc quoque pudet Junonem, & Palladem non viciſſe in ſilvis Phrygiis? Avis Junonia expandit pennas approbatas: Si mutus aſpicias, illa denuo occulit divitias. Jubæ comtæ, & colla delinita proſunt equis, inter pugnas curſus celeris. Nec pollicearis meticuloſe: pollicitationes ducunt puellas. Sume quoslibet deos teſtes promiſſi.

NOTÆ.

(k) *Non tua*) Id eſt, *ſuam orationi non aſtatuo*: quippe Amor quæ ſunt opus ſuadebit.

(l) *Nulli non*) Inde fit ut puellis nulla quam ſpretæ formæ ſit major injuria.

(m) *Phrygiis*) Notius eſt judicium Paridis de tribus deabus, cum nulla alteram forma præcellentem vellet agnoſcere, quam ut toties repetita oculis ſubjiciamus.

(n) *Non tenuiſſe*) Veneri nempe formæ gloriam, & aureum malum Paris libidine corruptus aſſignavit.

(o) *Avis Junonia*) Pavo eſt, quo Junonis currum trahere voluerunt.

(p) *Opes*) Pennas *ſcil.* verſicolores.

Ju-

Jupiter ex alto perjuria ridet amantum;
Et jubet *(q)* Æolios irrita ferre *(r)* Notos.
Per *(ſ)* Styga Junoni falſum jurare ſolebat
Jupiter: exemplo nunc favet ipſe ſuo.
Expedit eſſe Deos: &, ut expedit, eſſe putemus.
(t) Dentur in antiquos thura merumque focos.
(u) Nec ſecura quies illos ſimiliſque ſopori,
Detinet: innocue vivite; numen adeſt.
Reddite depoſitum: *(x)* pietas ſua fœdera ſervet:
Fraus abſit: vacuas cædis habete manus.
Ludite, ſi ſapitis, ſolas impune puellas.
Hac magis eſt una fraude pudenda fides.
Fallite fallentes: ex magna parte profanum
Sunt genus, in laqueos, quos poſuere, cadant.
Dicitur Ægyptos caruiſſe juvantibus arva
Imbribus; atque annos ſicca fuiſſe novem.
(y) Cum Thraſius Buſirin adit, monſtratque piari
Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Jovem.
Illi Buſiris, Fies Jovis hoſtia primus,
Inquit: & Ægypto tu dabis hoſpes aquam.

INTERPRETATIO.

Jupiter contemnit ex cœlo perjuria amantum; & imperat Auſtros Æolios vana rapere. Solemne erat Jovi ficta jurare Junoni per Stygem: Ipſe nunc indulget exemplo ſuo. Utile eſt deos eſſe; & quandoquidem eſt utile, arbitremur eſſe. Thura & vinum mittantur in altaria antiqua. Nec quies ſecura & par ſtupori illos habet; innoxie vitam agite: Deus adeſt. Reſtituite depoſitum: pietas tueatur ſua jura: procul ſit dolus: habete manus inſontes homicidii. Fallite ſi ſapitis, ſolas puellas inulti. Fides eſt magis erubeſcenda hoc uno dolo. Decipite decipientes: ſunt genus profanum magna ex parte: Irretiantur retibus quæ tetenderunt. Ægyptus perhibetur caruiſſe pluvia fœcundante agros; & arida fuiſſe annos novem: Cum Traſius venit ad Buſirim & oſtendit Jovem poſſe placari ſanguine ſparſo peregrini. Buſiris reſpondit illi, eris primus victima Jovis: & tu peregrinus præbebis aquam Ægypto.

NOTÆ.

(q) *Æolio*) Quibus imperat Æolus ventorum rex.

(r) *Notos*) Venti ſunt meridie ſtantes.

(ſ) *Styga*) Styx fluvius eſt, aut inferorum palus,

Dii cujus jurare timent, & fallere numen. Virg.

(t) *Dentur*) Colendorum & venerandorum deorum cauſa, *ſcil.*

(u) *Nec ſecura*) Quod impie docuit Epicurus.

(x) *Pietas ſua*) Id eſt, *Quod docet Pietas aut pollicetur; pii homines faciant, ſerventque.*

(y) *Cum Traſius*) In eo eſt Poeta ut contra Auctores malum rejiciendum eſſe oſtendat: fabulam itaque narrat de Thraſio, quæ ſic ſe habet. Fuit Buſiris rex Ægypti, Neptuni & Libes filius, quem, cum novem annis ſiccitate nimia magna Ægyptum premeret ſterilitas, Thraſius hoſpitum ſanguine aquas elici poſſe docuit. Quiſnam & cujus eſſet Thraſius Buſiris interrogavit, cumque eum peregrinum didiciſſet, eundem primum mactavit. Buſiris vero eadem tandem ab Hercule affectus pœna, interiit.

Ea

Et (z) Phalaris tauro violenti membra Perilli
 Torruit, infelix imbuit auctor opus.
Justus uterque fuit; neque enim lex æquior ulla,
 Quam necis artifices arte perire sua.
Ergo, ut perjuras merito perjuria fallant,
 Exemplo doleat fœmina lusa suo.
Et lacrymæ prosunt: lacrymis (a) adamanta movebis.
 Fac madidas videat, si potes, illa genas.
Si lacrymæ (neque enim veniunt in tempore semper)
 Deficient; uncta lumina tange manu.
Qui sapiens blandis non misceat oscula verbis?
 Illa licet non det, non data sume tamen.
Pugnabit primo fortassis; &, Improbe, dicet:
 Pugnando vinci sed tamen illa volet.
Tantum, ne noceant teneris male rapta labellis,
 Neve queri possit dura fuisse, cave.
Oscula qui sumsit, si non & cætera sumet;
 Hæc quoque, quæ data sunt, perdere dignus erit.
Quantum defuerat pleno post oscula voto!
 Hei mihi! rusticitas, non pudor ille fuit.
Vim licet appelles; grata est vis ista puellis:
 Quod juvat, invitæ sæpe dedisse volunt.
Quæcunque est subita Veneris violata rapina;
 Gaudet: & improbitas muneris instar habet.
At, quæ cum cogi posset, non tacta recessit,
 Ut simulet vultu gaudia, tristis erit.

INTERPRETATIO.

Phalaris etiam cremavit tauro artus crudelis Perilli: Miser artifex rigavit opus. Uterque fuit æquus; neque enim lex ulla justior, quam auctores cædis interire arte sua. Ergo, ut perjuria jure decipiant perjuras, fœmina exemplo suo decepta indignetur. Lacrymæ sunt etiam utiles: flectes adamantem lacrymis. Fac si queat, illa aspiciat genas humidas. Si lacrymæ deerant, (neque enim fluunt semper opportune,) tange oculos manu illita. Qui sapiens non confundat oscula cum verbis lenibus? Quamvis illa non concedat, cape tamen non concessa. Forte repugnabit ab initio, & dicet, Pessime: sed tamen illa cupiet superari repugnando. Tantum ne male sumta lædant mollia labia, & vide ne possit conqueri fuisse rustica. Qui rapuit oscula si non & rapiet reliqua; erit dignus amittere hæc quoque quæ sunt concessa. Quantum deerat desiderio pleno post suavia! Hei mihi! illa fuit insulsitas, non verecundia. Quamvis dicat violentiam, ista violentia est accepta puellis: volunt sæpe coacta concessisse quod gratum est. Quæcunque est celeri furto Veneris temerata, lætatur; & nequitia habet præstantiam doni. At, quæ abiit intacta, cum posses cogi, quamvis testetur lætitiam vultu, erit mœsta

NOTÆ.

(z) *Phalaris*) Crudelissimus fuit Agrigentinorum in Sicilia tyrannus, cui is, de quo nunc, Perillus taurum æneum obtulit, in quem includendos noxios docuit, ut supposito igne, mugientis bovis boatum vox eorum imitaretur. Opus laudavit tyrannus: sed artificem primum experiri voluit quod tam pulchre invenerat.

(a) *Adamanta*) Puellam durissimam.

Vim

Vim passa est (*h*) Phœbe; vis est allata sorori:
Et gratus raptæ raptor uterque fuit.
Fabula nota quidem, sed non indigna referri,
(*c*) Scyrias (*d*) Hæmonio (*e*) juncta puella viro.
Jam (*f*) Dea laudatæ dederat sua præmia formæ
Colle sub (*g*) Idæo (*h*) vincere digna duas.
Jam (*i*) nurus ad Priamum diverso venerat orbe;
Grajaque in Iliacis mœnibus uxor erat.
Jurabant (*k*) omnes in læsi verba mariti:
Nam dolor unius, publica causa fuit.
Turpe, nisi hoc matris precibus tribuisset, Achilles
(*l*) Veste virum longa dissimulatus erat.
Quid facis, (*m*) Æacide? (*n*) non sunt tua munera lanæ.
Tu titulos (*o*) alia Palladis arte petas.
Quid tibi cum calathis? clypeo manus apta ferendo est.
Pensa quid in dextra, qua cadet (*p*) Hector, habes?

INTERPRETATIO.

Phœbe violata est; soror temerata est; & uterque stuprator fuit acceptus raptæ. Puella Scyrias juncta viro Hæmonio est equidem fabula trita, sed non indigna memorari. Jam Dea digna superare duas exibuerat sua præmia pulchritudinis sub monte Idæo. Jam nurus venerat ad Priamum orbe disjito; & conjux Græca erat in muris Trojanis. Omnes jurabant in verba mariti contumelia affecti: nam dolor unius fuit causa communis. Indecorum, nisi concessisset hoc precibus matris, Achilles sese virum esse tex rat prolixa tunica. Quid agis Æacide? lanæ non sunt tua negotia. Tu quære gloriam alia arte Minervæ. Quid tibi cum quasillis? manus idonea est tenendo scuto. Cur pensa geris dextra, qua Hector procumbet?

NOTÆ.

(b) *Phœbe*) Leucippi fuit filia, una cum Ilaira sorore, quas Idæ & Lynceo fratribus pater despondit, Castor & Pollux amore incensi rapuerunt, ut scribit Hyginus.

(c) *Scyrias*) Deidamia est; Lycomedis regis Scyri, (quæ Ægæi est insula) filia.

(d) *Hæmonio*) *Thessalico*, ab Hæmo Thessaliæ monte, vel Æmone Deucalionis filio. De Achille loquitur, qui Phtiam, Thessaliæ urbem patriam habuit.

(e) *Juncta*) Apud Lycomedem. Thetis, filium Achillem, ne ad bellum Trojanum proficisceretur, ubi periturum eum didicerat, muliebri habitu celaverat. Cum eo Deidamia rem habuit, ex quo concubitu Neoptolemus seu Pyrrhus procreatus est.

(f) *Dea*) Venus, *scil.* quæ Helenam præmium judicii in formæ suæ gloriam lati, Paridi promiserat, quæ Helena Trojani belli, cum Menelao nupsisset, & a Paride rapta fuisset, luctuosissimam facem accendit.

(g) *Idæo*) In Ida Phrygiæ monte Deas Junonem, Palladem & Venerem de formæ præstantia litigantes Paris audiverat.

(h) *Vincere digna duas*) Junonem & Palladem *scil.* Atque egregie, quod præcepit, Veneri suæ favet Poeta.

(i) *Nurus*) Helena, *scil.* quam rapuerat Paris, & ex Græcia, regione a Troja dissita, ad patrem Priamum duxerat.

(k) *Omnes*) Græci Principes *scil.* qui in unum coactis copiis; & totius belli Agamemnoni cura demandata, in Trojam navigaverunt, quam post decennalem obsidionem tandem everterunt.

(l) *Veste longa*) Illud est quod ante diximus, habitu muliebri apud Lycomedem regem inter puellas Achillem delituisse.

(m) *Æacide*) Vocativus est Græcus, ultima propter *e* producta. Æacides vero Achilles est ab Æaco avo sic dictus.

(n) *Non sunt*) Hoc ideo dicit, quod apud Lycomedem cum puellis vivens muliebria tractaret.

(o) *Alia*) Bellica *scil.* non enim lanificii modo; sed & belli dea credita est.

(p) *Hector*) Priami fuit fortissimus filius, quem Achilles interfecit.

Re-

Rejice succinctos operoso stamine fusos:
Quassanda est ista (q) Pelias hasta manu.
Forte erat in thalamo (r) virgo regalis eodem:
Hæc illum stupro comperit esse virum.
Viribus illa quidem victa est; ita credere oportet:
Ted voluit vinci viribus illa tamen.
Sæpe, *Mane*, dixit, cum jam (f) properaret Achilles:
Fortia nam posita sumserat arma colo.
(t) Vis ubi nunc illa est? quid blanda voce moraris
Auctorem stupri, Deidamia, tui?
Scilicet, ut pudor est quondam (u) cœpisse priorem;
Sic alio gratum est incipiente pati.
Ah nimia est juveni propriæ fiducia formæ,
Expectat si quis, dum prior illa roget!
Vir prior accedat: vir verba precantia dicat:
Excipiet blandas comiter illa preces:
Ut potiare, roga: tantum cupit illa rogari.
Da causam voti principiumque tui.
Jupiter ad veteres supplex (x) Heroidas ibat:
Corripuit magnum nulla puella Jovem.
Si tamen a precibus tumidos accedere (y) flatus
Senseris: incepto parce, referque pedem.

INTERPRETATIO.

Sperne fusos involutos stamine difficili. Hasta Pelias concutienda est ista manu. Forte virgo regia erat in eodem cubiculo: hæc sensit illum esse virum vitio. Illa quidem superata est viribus; ita opus est credere: sed tamen illa voluit superari viribus. Dixit sæpe, Mane, cum jam Achilles festinaret: nam induerat arma strenua colo abjecta. Ubi nunc est illa violentia? Quamobrem Deidamia detines verbis lenibus auctorem stupri tui? Nempe ut verecundia est sumsisse olim priorem; sic juvat pati alio incipiente. Ab confidentia elegantiæ propriæ est nimia adolescenti, si quis moratur, usquedum illa prior oret! Vir prior adeat: vir proferat verba orantia. Illa urbane accipiet preces blandas. Ut potiaris, orato; illa optat tantum orari. Præbe causam & principium desiderii tui. Jupiter veniebat supplex ad antiquas heroidas: nulla puella increpavit magnum Jovem. Si tamen adverteris fastus turgidos gigni precibus: desiste ab incepto & pedem reprime.

NOTÆ.

(q) *Pelias*) Hoc fuit ejus hastæ nomen quam Achilles tractabat, quamque fraxineam ex Pelio Thessaliæ monte Peleo Chiron tradiderat, tanti ponderis, ut Patroclus Achillis arma indutus, eam tanquam intractabilem reliquerit.

(r) *Virgo*) Deidamia, *scil.* Lycomedis filia.

(f) *Properaret*) Ad bellum Trojanum; ab Ulysse inventus, iret. Atque hic turpiter hallucinatus est Commentator.

(t) *Vis*) *Cum abit Achilles, ubinam vis, inquit, in quam culpam reficias, o Deidamia.*

(u) *Cœpisse*) Id est, priorem Deidamiam ab Achille Amoris illecebras captasse.

(x) *Heroidas*) Danaën, puta, Europen, Semelen, aliasque.

(y) *Flatus*) Hoc est pudicitiam simulantis puellæ superbiam.

Quo

Quod refugit, multæ cupiunt: odere, quod instat.
Lenius instando tædia tolle tui.
Nec semper Veneris spes est profitenda roganti:
Intret amicitiæ nomine tectus amor.
Hoc aditu vidi tetricæ data verba puellæ:
Qui fuerat cultor, factus amator erat.
(z) Candidus in nauta turpis color: æquoris unda
Debet, & a radiis sideris esse niger.
Turpis & agricolæ: quia vomere semper adunco,
Et gravibus rastris sub (a) Jove versat humum.
Et tua, (b) Palladiæ petitur cui fama coronæ,
Candida si fuerint corpora, turpis eris.
Palleat omnis amans; hic est color aptus amantis.
Hic decet: hoc vultu non valuisse putent.
Pallidus in (c) Lyrice silvis errabat (d) Orion:
Pallidus in (e) lenta Naide (f) Daphnis erat.
Arguat & macies (g) animum: nec turpe putaris,
(h) Palliolum nitidis imposuisse comis.
Attenuent juvenum vigilatæ corpora noctes;
Curaque, &, e magno qui fit amore, dolor.

INTERPRETATIO.

Multæ optant, quod elabitur, oderunt quod adest. Aufer tædia tui minus urgendo. Nec semper spes Veneris est indicanda tibi precanti: amor subeat velatus nomine amicitiæ. Vidi puellam terribilem deceptam hoc accessu: cui fuerat amicus, erat factus amator. Color albus fœdus in nauta: debet esse fuscus aqua maris & radiis Solis. Est etiam indecorus agricolæ; quia indesinenter invertit terram curvo vomere, & rastris onerosis. Eris etiam deformis, tu a quo quæritur fama corona Palladiæ, si tua corpora fuerint alba. Omnis amans sit pallidus: hic color est idoneus amanti. Hic decet: Existiment puellæ *hac specie ægrum fuisse. Orion vagabatur in silvis pallidus in Lyrice. Daphinis erat pallidus in molli Naide. Macies declaret etiam mentem, nec credideris indecorum imposuisse palliolum capillis unctis. Noctes insomnes & cura & dolor qui oritur ex magno amore, imminuant corpora adolescentum.*

NOTÆ.

(z) *Candidus*) Qualis amatis color esse debeat, indicat.

(a) *Jove*) Sub cœlo aperto. Ita & loquutus Horatius.

(b) *Palladiæ*) Id est *Oleaginæ*, nam Palladii olea sacra ex qua arbore coronæ petebantur, quibus victores in Olympicis certaminibus donabantur.

(c) *Lyrice*) Quænam hæc fuerit plane non scio, sed vide mihi, quæso, clar Heinsii varias lectiones; ex quibus quod libuerit conjicias. Forte non male *linces* legeris, ut intelligatur Orion, etiam cum in sylvis venaretur, pallido amantis colore fuisse.

(d) *Orion*) Insignis fuit Venator, Dianæ, comes assiduus, trium Deorum urina procreatus, qui post mortem in cœlum translatus sydus suo nomine fecit procellosum.

(e) *Lenta*) *Dura & ad amandum tarda*: quia fontibus & aquis Nais gaudens, *scilicet*.

(f) *Daphnis*) Mercurii fuit filius, qui in Sicilia patria Bucolici carminis fuit inventor.

(g) *Animum*) Id est. ejus ex Amore morbum.

(h) *Palliolum*) Quo, qui infirmæ erant valetudinis caput obnubebant.

Ut voto potiare tuo, miserabilis esto:
  Ut, qui te videat, dicere possit, Amas.
(i) Conquerar, an moneam, mistum fas omne nefasque?
  Nomen amicitiæ, nomen inane fides.
Hei mihi! non tutum est, quod ames, laudare sodali.
  Cum tibi laudanti credidit; ipse (k) subit.
At non (l) Actorides lectum temeravit Achillis:
  Quantum ad (m) Pirithoum, Phædra pudica fuit.
(n) Hermionen (o) Pylades, (p) quo Pallada Phœbus, amabat:
  Quodque tibi geminus, (q) Tyndari, Castor erat.
Si quis idem sperat; jacturas poma (r) myricas
  Speret: & e medio flumine mella petat.
(ſ) Nil, nisi turpe juvat: curæ est sua cuique voluptas.
  Hæc quoque ab alterius grata dolore venit.
Heu facinus! non est hostis metuendus amanti.
  Quod credis fidos, effuge; tutus eris.
Cognatum fratremque cave, earumque sodalem:
  Præbebit veros hæc tibi turba metus.

INTERPRETATIO.

Ut potiaris voto tuo; esto miserandus; ut qui te aspiciat possit dicere, Amas. Doleamne, an admoneam, fas omne & nefas confusum? Nomen amicitiæ, fides est nomen futile. Hei mihi! non est securum celebrare apud socium quod ames. Cum fidem adhibuit tibi celebranti, ipse surrepit. At Actorides non violavit torum Achillis: Phædra fuit casta quantum ad Pirithoum. Pylades amabat Hermionem quomodo Phœbus Minervam: & erat quod tibi geminus Castor, o Tyndari. Si quis sperat idem, speret myricas laturas poma: & captet mella e medio flumine. Nihil, nisi inhonestum prodest: gaudia sua sunt curæ cuique. Hæc quoque fiunt suavia dolore alterius. Heu nefas! hostis non est reformidandus amanti. Vita quos arbitraris fideles: securus eris. Fuge consanguineum & fratrem, & dilectum socium: hæc turba veros tibi creabit timores.

NOTÆ.

(i) *Conquerar*) Hac interrogatione quæ querimoniam habet, cum bonum malum, fas nefas, omnia denique essent promiscua, nulli in amore fidendum esse monet Poeta.

(k) *Subit*) Ut amantis partes, altero expulso, tueatur.

(l) *Actorides*) Patroclus est Achillis fidissimus comes, Menœtii filius, ab avo Actore sic dictus,

(m) *Pirithoum*) Fidissimus fuit Thesei comes & amicus, qui Phædram Thesei uxorem, utut impudicam nunquam amavit.

(n) *Hermionen*) Fuit ea Menelai & Helenæ filia, quam Orestes Agamemnonis & Clytemnestræ filius duxit uxorem.

(o) *Pylades*) Strophii fuit filius, indissolubili & muto amicitiæ cum Oreste junctus vinculo, qui neque hunc furiis agitatum in summis periculis deseruit; ut etiam pro illo mori non dubitaverit.

(p) *Quo*) Amore, *scil.* in sororem castissimam, fraterno.

(q) *Tyndari*) Helena est Tynderi filia, quam frater Castor cum Polluce non nisi honesto amore prosequuti sunt.

(r) *Myricas*) Virgulti genus est humilis, Gall. *Bruyere*.

(ſ) *Nil nisi*) Hoc per querimoniam dictum intellige.

Finiturus eram: sed sunt diversa puellis
   Pectora: mille animos excipe mille modis.
Nec tellus eadem parit omnia: vitibus illa
   Convenit; hæc oleis: hac bene farra virent.
Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ:
   Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.
Utque leves (t) Proteus modo se tenuabit in undas,
   Nunc leo, nunc arbor, nunc erit hirtus aper.
Hi jaculo pisces, illi capiuntur ab hamis,
   Hos cava contento retia fune trahunt.
Nec tibi conveniat cunctos modus unus ad annos:
   Longius insidias cerva videbit anus.
Si doctus videare rudi, petulansve pudenti;
   Diffidet miseræ protinus illa sibi.
Inde fit, ut, quæ se timuit committere honesto,
   Vilis in amplexus inferioris eat.
Pars superat cœpti, pars est exhausta, laboris.
   (u) Hic teneat nostras anchora jacta rates.

INTERPRETATIO.

Finem eram impositurus; sed varia sunt ingenia puellis. Falle mille modis mille animos: Nec idem solum generat omnia: illud aptum est vitibus; hoc oleis; hoc lata segetes virescunt. Tot sunt mores animis quot figura in mundo: qui sapit, idoneus erit infinitis moribus: Et tanquam Proteus modo liquesces in aquas tenues; nunc erit leo, nunc arbor, nunc aper horridus. Hi pisces corripiuntur jaculo, illi ab hamis; retia cava hos educunt fune adducto. Nec unus modus tibi suppetat ad omnem ætatem. Cerva annosa prospiciet insidias e longinquo. Si appareas doctus indoctæ, vel procax verecundæ; illa statim sibi misera diffidet. Inde oritur, ut, quæ reformidavit se credere nobili viro, veniat in amplexus aspernandi inferioris. Pars superest incepti laboris, pars est absoluta. Anchora immissa hic nostram navem coerceat.

NOTÆ.

(t) *Proteus*) Deus fuit marinus Neptuni filius, in quasvis formas sese mutare solitus, unde proverbium *Proteo mutabilior*.

(u) *Hic*) Id est, *Hic finiendum*. Metaphora a re nautica petita.

P. OVIDII NASONIS
SULMONENSIS,
ARTIS AMATORIÆ
LIBER II.

(a) DIcite, Io Pæan: &, io, bis dicite, Pæan.
Decidit in casses præda petita meos.
Lætus amans (b) donet viridi mea carmina palma:
Præferor (c) Ascræo (d) Mæonioque seni.
(e) Talis ab armiferis (f) Priameius hospes (g) Amyclis,
Candida cum rapta conjuge vela dedit.
Talis erat, (h) qui te curru victore ferebat,
Vecta (i) peregrinis Hippodamia rotis.
Quid (k) properas juvenis? mediis tua pinus in undis
Navigat: & longe, quem peto, portus abest.
Non satis est venisse tibi me vate puellam.
Arte mea capta est: arte tenenda mea est.

INTERPRETATIO.

IO, dicito Pæan, & io, bis dicite Pæan, præda quæsita cecidit in mea retia. Amans festivus meos versus decoret palma virenti: præponor Seni Ascræo, & Mæonio. Talis hospes Priameius explicuit vela alba cum uxore rapta ab Amyclis armiferis. Talis erat, qui abducebat te curru victore, Hippodamia ablata curru extraneo: Quid festinas, adolescens? Navis tua est in mediis aquis, & portus quem cupio longe abest. Non satis est puellam tibi in manus devenisse me vate: capta est arte mea: retinenda est arte mea.

NOTÆ.

(a) *Dicite*) De amica victa triumphandum esse dicit, & Apollinem invocandum, ut in Epiniciis omnibus, & cujuscumque celebratione victoriæ, mos inv.luerat. *Pæan* enim Apollinis unum nomen est, ex quo non modo ejus hymni Pæanes dicti sunt, sed & lætitiæ acclamationes verba illa *io Pæan* acceperunt.

(b) *Donec palma*) Quia eorum beneficio Puellam demeruerit.

(c) *Ascræo*) Hesiodo, ab Ascra Bœotiæ vico sic dicto.

(d) *Mæonio*) Homero, a Mæone patre, aut patria Mæonia, aut Mæone Lydorum rege, qui eum pro filio educaverit: nam hæc omnia incerta sunt.

(e) *Talis*) Qualis ego sum, aut amans, qui meis usus carminibus puella, quam amet, potitur.

(f) *Priameius*) Paris est quem Menelaus, ut uxorem raperet *scil.* hospitio excepit.

(g) *Amyclis*) Amyclæ civitas Laconica, patria Helenæ.

(h) *Quid te*) Pelops est Tantali filius, qui Hippodamiæ superato patre Oenomao, eam, quam ille, ne ejus nuptiarum die interiret, sicuti oraculo didicerat, virginitate perpetua damnaverat, uxorem duxit.

(i) *Peregrinis*) Pelopis, *scil.* peregrini.

(k) *Properas*) More eorum qui ad rei cujuslibet finem pervenerunt.

Nec

Nec minor est virtus, quam quærere, parta tueri.
Casus inest illic: hic erit artis opus
Nunc mihi, si quando, *(l)* Puer & Cytherea, favete:
Nunc *(m)* Erato: nam tu nomen amoris habes.
Magna paro; quas possit Amor remanere per artes,
Dicere, tam vasto *(n)* pervagus orbe puer.
Et levis est, & habet geminas, quibus avolet, alas.
Difficile est illis imposuisse modum.
(o) Hospitis effugio præstruxerat omnia Minos.
Audacem pennis reperit ille viam.
Dædalus ut clausit *(p)* conceptum crimine matris
Semibovemque virum semivirumque bovem;
Sit modus exilio, dixit, *(q)* justissime Minos:
(r) Accipiat cineres terra paterna meos.
Et quoniam in patria fatis agitatus iniquis
Vivere non potui, sit mihi posse mori.
Da reditum *(ſ)* puero, senis est si gratia vilis:
Si non vis puero parcere, parce seni.
Dixerat hæc. sed & hæc, & multo plura licebat
Dicere: regressus non dabat ille viro.
Quod mulac sensit: Nunc, o nunc, Dædale, dixit,
Materiam, qua sis ingeniosus, habes.
Possidet en terras, & possidet æquora Minos:
Nec tellus nostræ, nec patet unda fugæ:

INTERPRETATIO.

Nec virtus est inferior servare acquisita quam acquirere: fortuna est illic: hic opus erit artis. Hic mihi, si usquam, estote propitii Puer & Cytherea: hic faveas Erato, nam tu habes nomen amoris. Magna, dicere molior, quo artificio Amor, puer erro, tam vasto orbe possit consistere. Et inconstans est, & habet duas alas, quibus avolet: arduum est illis præscripsisse legem. Minos præcluserat omnia fugæ hospitis: ille invenit pennis iter arduum. Postquam Dædalus sepsit virum semibovem, & bovem semivirum procreatum scelere matris; sit finis exilio, inquit, Minos æquissime: solum patrium habeat meos cineres. Et quoniam actus fatis iniquis non potui vivere in patria, liceat mihi obire: Concede regressum puero, si gratia senis exigua est; si non vis favere puero, faveas seni. Locutus erat hæc; sed poterat loqui hæc & multo plura; ille non concedebat reditus viro. Quod statim atque cognovit: Nunc, o nunc, Dædale, inquit, suppetit materia qua sis solers. En Mino obtinet terras, & obtinet maria: nec terra, nec equa aperta est fuga nostra.

NOTÆ.

(l) *Puer*) Cupidinem & Venerem invocat.

(m) *Erato*) Musarum una est ab Amore nomen apud Græcos consequuta.

(n) *Pervagus*) Quo, *scilicet*, ab uno ad alium amantem deficiunt puellæ.

(o) *Hospitis*) Dædali nempe, Atheniensis fabri insignis, qui sibi & Icaro filio aptatis alis e Creta evolavit.

(p) *Conceptum*) De Minotauro loquitur, quem ex tauro gravida Pasiphae peperit, atque labyrintho a Dædalo fabricato Minos clausit.

(q) *Justissime*) Fuit ob justitiam apud inferos Minos quoque judex constitutus.

(r) *Accipiat*) Id est, *Discedere & patriam revisere liceat.*

(ſ) *Puero*) Icaro *scilicet* Dædali filio.

Reſtat iter cœlo: cœlo tentabimus ire.
Da veniam cœpto, Jupiter alte, meo,
Non ego ſidereas affecto tangere ſedes.
Qua fugiam dominum nulla, niſi iſta, via eſt.
(t) Per Styga detur iter: Stygias tranabimus undas.
Sint mihi naturæ jura (u) novanda meæ.
Ingenium mala ſæpe movent. quis crederet unquam,
Aerias hominem carpere poſſe vias?
(x) Remigium volucres diſponit in ordine pennas:
Et leve per lini vincula nectit opus:
Imaque pars ceris aſtringitur igne ſolutis:
Finituſque novæ jam labor artis erat.
Tractabat ceramque puer pennaſque renidens,
Neſcius hæc humeris arma parata ſuis.
Cui pater, His, inquit patria eſt adeunda carinis;
Hac nobis Minos effugiendus ope.
Aera non potuit Minos; alia omnia clauſit.
Quem licet, inventis aera rumpe meis.
Sed tibi nec virgo (y) Tegeæa, comeſque (z) Bootæ
(a) Enſiger Orion (b) aſpiciendus erit.
Me pennis ſectare datis: ego prævius ibo.
Sit tua cura ſequi: me duce tutus eris.

INTERPRETATIO.

Supereſt via cœlo: conabimur effugere cœlo. Jupiter ſumme, fave auſibus meis. Ego non expeto aſcendere ad ſedes cœleſtes: nullum eſt iter niſi hoc quo devitem dominum. Via concedatur per Stygem; trajiciemus undas Stygias: Liceat mihi mutare jura meæ naturæ. Incommoda acuunt ſæpe ingenium: quis crederet unquam hominem poſſe tentare iter aerium? Ordinat pennas volucres in remigium; & leve opus implicat ligaminibus lineis; & pars inferior jungitur cera igne liquefacta; & jam labor novæ artis erat abſolutus. Puer feſtivus movebat ceram & pennas, ignorans hæc inſtrumenta adornata pro humeris ſuis. Cui pater, His ait, navibus patria eſt petenda: Minos eſt nobis vitandus hoc auxilio: Minos nequivit obſtruere *aerem, obſtruxit alia omnia, quem, conceſſum eſt, frange aerem meis excogitatis. Sed nec virgo Tegæa, nec Orion enſifer, & comes Bootæ erit tibi ſpectandus. Sequere me pennis traditis; ego præcedam. Memineris ſequi; ſecurus eris me prævio.*

NOTÆ.

(t) *Per Styga*) Hoc dicit, quaſi invitus ſibi per cœlum aperiat iter.

(u) *Novanda*) Naturæ jura innovare videtur Dædalus qui aerem volucribus conceſſum, terra relicta, tentet.

(x) *Remigium*) Eo modo & alii Poetæ, Virgilius etiam alas *remigium* dixit.

(y) *Tegeæa*) Caliſto eſt Licaonis Arcadiæ regis filia: a Tegea urbe ſic dicta, quam, cum ei vitium Jupiter obtuliſſet, eamque in urſam Juno mutaſſet, ille inter ſydera tranſtulit, quæ etiamnum hodie Urſa major, ſeu Helice a Græcis vulgo dici ſolet.

(z) *Bootæ*) Sydus eſt Bootes ſeu Arctophilax juxta Arcton.

(a) *Enſiger*) Sydera ſua qua figura libuit finxerunt Aſtronomi; Orioni enſem attribuerunt, quod ad ejus formam ſtellæ nonnullæ diſpoſitæ videantur.

(b) *Aſpiciendus*) *Ut te*, ſcilicet, *eorum ſyderum intuitu, quod nautæ ſolent, regas.*

Nam

Nam sive ætherias vicino sole per auras
Ibimus; impatiens cera caloris erit.
Sive (c) humiles propiore freto jactabimus alas;
Mobilis æquoreis penna madescet aquis.
Inter utrumque vola. ventos quoque, nate, timeto:
Quaque ferent auræ, vela secunda dato.
Dum monet; aptat opus puero, monstratque moveri:
Erudit infirmas ut sua mater aves.
Inde sibi factas humeris accommodat alas:
Perque novum timide corpora librat iter.
Jamque volaturus parvo dedit oscula nato:
Nec patriæ lacrymas continuere genæ.
Monte minor collis, campis erat altior æquis:
Hinc data sunt miseræ corpora bina fugæ.
Et movet ipse suas, & nati respicit alas
Dædalus; & cursus sustinet usque suos.
Jamque novum delectat iter: positoque timore
Icarus audaci fortius arte volat.
Hoc aliquis, tremula dum captat arundine pisces,
Vidit; & inceptum dextra reliquit opus.
Jam (d) Samos a læva fuerant Naxosque relictæ,
Et Paros, & (e) Clario Delos amata Deo.
Dextra (f) Lebynthos erant silvisque umbrosa Calymne,
Cinctaque piscosis Astypalæa vadis:

INTERPRETATIO.

Nam seu tenebimus iter per aerem æthereum, Sole propinquo; Cera non tolerabit æstum. Seu agitabimus alas demissas, mari propinquiore; penna agitabilis humescet aquis marinis. Vola inter utrumque: reformida etiam, fili, ventos: & qua parte venti impelleat dato vela faventia. Dum hortatur, accommodat opus puero, & ostendit quomodo debeat agitari; Ut mater sua docet aves teneras. Deinde aptat humeris alas pro se structas, & librat meticulose corpus per iter novum. Jamque volaturus deosculatus est parvum filium; nec genæ patriæ retinuerunt lacrymas. Collis humilior monte erat sublimior campis planis: hinc duo corpora tradita sunt fugæ luctuosæ. Dædalus & ipse agitat alas suas, & respicit alas filii; & servat usque cursus suos. Et jam via nova placet: & metu amoto, Icarus volat vehementius arte audaci. Aliquis aspexit illos dum insidiatur piscibus arundine tremula: & manus omisit opus inceptum. Jam Samus & Naxus fuerant præterita a sinistra; & Paros, & Delos dilecta Deo Clario. Lebynthos, & Calymne umbrosa nemoribus, & Astipalæa, circumdata vadis piscosis, erant a dextra.

NOTÆ.

(c) *Humiles*) Si *scilicet* propiore freto eas jactassent.

(d) *Samos*) Sunt istæ omnes Ægæi maris insulæ: sed tabulæ nostræ hanc Samon ab Icariæ insulæ dextra collocant.

(e) *Clario*) Appollo est cui sacra Delos, quem Servius Clarium vel a Claro oppido in Colophoniorum confinio, ejus oraculo nobili, vel a Claro Cycladum una, ubi colebatur.

(f) *Lebynthos*) Sunt hæc omnia insularum maris Ægei nomina, quas in tabulis nostris primo oculi jactu invenias: nisi quod non omnino, eo quo indicat ordine Poeta sitæ sunt: Ex quo plurima nostros homines veteri Geographiæ adjecisse facile cognoscas.

Cum puer incautis nimium temerarius ausis
Altius egit iter, deseruitque ducem.
Vincla labant; & cera (*g*) Deo propriore liquescit:
Nec tenues ventos brachia mota tenent.
Territus e summo despexit in æquora cœlo:
(*h*) Nox oculis pavido venit oborta metu.
Tabuerant ceræ, nudos quatit ille lacertos:
Et trepidat; nec, quo sustineatur, habet.
Decidit; atque cadens, Pater, o pater, auferor, inquit.
Clauserunt virides ora loquentis aquæ.
At pater infelix, nec jam pater, Icare, clamat,
Icare, clamat, ubi es? quove sub axe volas?
Icare, clamabat: pennas aspexit in undis.
Ossa tegit tellus; æquora (*i*) nomen habent.
Non potuit Minos hominis compescere pennas:
Ipse (*k*) Deum volucrem detinuisse paro.
Fallitur, (*l*) Hæmonias si quis decurrit ad artes;
Datque, (*m*) quod a teneri fronte revellet equi:
Non facient, ut vivat amor, (*n*) Medeides herbæ;
Mistaque cum Magicis nænia (*o*) Marsa sonis.

INTERPRETATIO.

cum puer nimium audax inceptis temerariis carpsit viam sublimius, & ducem reliquit. Vincula cadunt & cera fluit Deo propinquiore: nec brachia agitata carpunt ventos subtiles. Perterrefactus deorsum aspexit e summo cœlo in maria: Caligo occupat oculos inducta timore trepido. Ceræ emollitæ erant; ille movet brachia vacua: & tremit; nec habet quo sustentetur. Decidit; & ruens, Pater, o pater, rapior, ait. Aquæ virides obstruxerunt os loquentis. At miser parens, nec jam parens, Icare, inclamat; Icare, inclamat, ubi es? & sub quo cœlo volas? Icare, inclamabat: vidit pennas in aquis. Humus occulit ossa; maria retinent nomen. Minos nequivit coercere pennas hominis; ego conor coercuisse Deum aligerum. Decipitur, si quis perfugit ad artes Hæmonias, & præbet quod revellet a fronte equi teneri. Planta Medeides, & cantus Marsus mistus cum sonis Magicis, non præstabunt ut duret amor.

NOTÆ.

(g) *Deo*) Sole *scilicet*, qui fictitiarum alarum ceram emolliisse dicitur.

(h) *Nox*) Mentis dicit alienationem; quam potissimum experiri liceat, si non assuetus ex eminentissimo loco in præcipitium oculos & quodammodo corpus rejicias. Ille qui subit horror, & cerebri inversio hæc est, de qua hic Poeta.

(i) *Nomen*) Mare Icarium pars illa maris Ægæi supra Samon & Icariam insulam vocatur, in quod decidisse Icarum fabulati sunt Poetæ.

(k) *Deum vol.*) Cupidinem *scil.* ut longo tempore duret Amor puellæ.

(l) *Hæmonias*) *Thessalicas*. Nam magicæ arte Thessali celebres facti sunt.

(m) *Quod a teneri*) Quot & hodie nugæ & somnia pro conciliandis amoribus circumferantur, animus non est inquirere. Plurima ad eam rem veteres habebant veneficia. Hic vero de caruncula quadam orbiculata nigra, caricæ magnitudine Poeta loquitur; quam in equini pulli fronte nasci dictitarunt; quaque ad amores usos veneficos Plinius, itemque Aristoteles scripserunt.

(n) *Medeides*) Id est, *quibus Medea insignis illa Colchica venefica uti solebat.*

(o) *Marsa*) Marsi populi fuerunt Italiæ, non procul a Roma, ad Septentrionem, a Marso, Circes veneficæ filio oriundi, veneficiis & incantationibus a Poetis notati.

(p) Phasias (q) Æsoniden, (r) Circe (ſ) tenuiſſet Ulyſſen:
Si modo ſervari carmine poſſit amor.
Nec data profuerint (t) pallentia philtra puellis.
Philtra nocent animis; vimque furoris habent.
Sit procul omne nefas. ut ameris, amabilis eſto:
Quod tibi non facies, ſolave forma, dabit.
Sis licet antiquo (u) Nireus (x) adamatus Homero;
Naiadumque tener crimine raptus (y) Hylas.
Ut dominam teneas, nec te mirere relictum,
(z) Ingenii dotes corporis adde bonis.
Forma bonum fragile eſt. quantumque accedit ad annos,
Fit minor; & ſpatio carpitur ipſa ſuo.
Nec violæ ſemper, nec hiantia lilia florent;
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.
Et tibi jam cani venient, formoſe, capilli:
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus (a) arent.
Jam molire animum, qui duret, & adſtrue formæ.
Solus ad extremos permanet ille (b) rogos.
Nec levis, ingenuas pectus coluiſſe per artes,
Cura ſit; & linguas edidiciſſe (c) duas.

INTERPRETATIO.

Phaſias retinuiſſet Æſoniden, Circe Ulyſſem; ſi modo amor poſſit retineri incantamentis. Nec philtra pallentia exhibita puellis juverint. Philtra officiunt mentibus, & habent vim furoris. Abſit omne nefas: ut ameris, eſto amabilis: quod vultus vel forma ſola non dabit. Quamvis fueris Nireus dilectus Homero veteri; & Hylas mollis ſublatus crimine Naiadum: ut retineas dominam, nec ſtupras te deſertum, cumula bona corporis dotibus ingenii: Forma eſt bonum caducum: & quantum inclinat ad annos minuitur; & ipſa corripitur ſpatio ſuo. Nec violæ, nec lilia patula florent ſemper; & ſpina deſtituta horrida eſt, roſa perdita. Et brevi, capilli fient tibi cani, o pulcher: mox rugæ orientur quæ ſulcent tibi corpus. Nunc finge animum qui perſtet; & ſuperadde formæ. Ille ſolus durat ad pyras ultimas. Nec parva ſit cura exercuiſſe ingenium per artes liberales; & perdidiciſſe duas linguas.

NOTÆ.

(p) *Phaſias*) Medea eſt; a Phaſi Colchorum fluvio.

(q) *Æſonidem*) Jaſonem Æſonis filium.

(r) *Circe*) Inſignem veneficam Solis filiam, quam etiam theatra noſtra cognoſcendam exhibuerunt, non opus eſt dicere.

(ſ) *Tenuiſſet*) Omnino, ſi quidem utraque venefica, utraque amans, nec quiſquam operæ aut arti pro ſe parcit.

(t) *Pallentia*) *Quæ homines faciunt pallidos*. Metonymia eſt.

(u) *Nireus*) Charopi fuit & Aglaiæ filius, omnium qui adverſus Trojam iverunt formoſiſſimus.

(x) *Adamatus*) Quia illum formæ excellentia Homerus laudavit.

(y) *Hylas*) Theodamantis fuit filius, Herculi unice dilectus, quem ipſe Colchos navigans cum aquam ex Myſiæ fluvio Aſcanio petitum miſiſſet: ideo Naiades ſeu fluviales Nymphas rapuiſſe Poetæ finxerunt, quod in profluentem cecidiſſet.

(z) *Ingenii dotes*) Alia omnia quam amorem ſi illiuſmodi Amor doceret, haud contemnendum præceptorem ſe ſe præberet.

(a) *Arent*) Sunt rugæ in facie hominis; quaſi ſulci in agro.

(b) *Rogos*) *Uſque ad mortem*. Corpora ſolebant cremare veteres.

(c) *Duas*) Latinam, & Græcam.

Ergo ege, fallaci timide confide figuræ,
  Quisquis es: aut aliquid corpore pluris habe.
Dextera præcipue capit indulgentia mentes:
  Asperitas odium sævaque verba movent.
Odimus accipitrem, quia semper vivit in armis.
  Et pavidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidiis hominum, quia mitis, hirundo:
  Quasque colat turres (n) Chaonis ales habet.
Este procul lites, & amaræ prælia linguæ.
  Dulcibus est verbis mollis alendus amor.
Lite fugent (o) nuptæque viros, nuptasque mariti.
(p) Inque vicem credant res sibi semper agi.
Hoc decet uxores: dos est uxoria lites.
  Audiat optatos semper amica sonos.
Non legis jussu lectum venistis in unum:
  Fungitur in vobis munere legis amor.
Blanditias molles, auremque juvantia verba
  Affer; ut adventu læta sit illa tuo.
Non ego divitibus venio præceptor Amoris.
  Nihil opus est illi, qui dabit, arte mea.
Secum habet ingenium, qui cum libet, *Accipe*, dicit.
  Cedimus: inventis plus placet ille meis.
Pauperibus vates ego sum, quia pauper amavi.
  Cum dare non possem munera, verba dabam.

INTERPRETATIO.

Ergo age, quisquis es confide cunctanter forma dolosa: aut habe aliquid majoris corpore: Cautum obsequium movet præsertim animos: rusticitas & verba immitia pariunt odium: Odio habemus accipitrem quia vitam agit semper in armis; & lupos assuetos ruere in pecus timidum. At hirundo, quia mansueta, nullos sentit dolos hominum: & avis Chaonis habet turres quas habites. Absint rixa & certamina lingua pestifera. Tener amor est fovendus blandis verbis. Nuptæ abigant maritos rixa, & mariti nuptas: & credant semper vicissim res sibi agi. Hoc decet uxores, dos est uxoris rixa. Amica audiat semper voces expetitas. Non coistis in unum torum præscripto legis: amor fungitur in vobis vice legis. Prome blanditias teneras & verba jucunda auribus, ut illa sit hilaris tuo accessu. Ego non accedo præceptor amoris opulentis: nihil est opus arte mea illi qui dabit. Qui dicit cum vult, Cape, habet secum ingenium. Cedimus: ille plus placet meis excogitatis. Ego sum vates pauperibus, quia amavi pauper. Cum non possem exhibere dona, exibebam verba.

NOTÆ.

(n) *Chaonis*) Fuit Chaon vir Trojanus; a quo Chaonia dicta pars Epiri, ubi templum Jovis Dodonei, & sylva, in qua columbæ humana voce responsa dabant. *Ales Chaonis* itaque pro quibuslibet columbis, per Synecdoch.

(o) *Nuptæ*) Vix concordiam inter conjuges esse tacite innuit.

(p) *Inque vicem*) Iis signate utitur vocibus, quibus solebant in divortiis; dicebant enim, *Tuas res agito*; vel *tuas res tibi habeto*.

Pau-

Pauper amet caute: timeat maledicere pauper:
Multaque, divitibus non patienda, ferat.
Me memini iratum dominæ turbaſſe capillos:
Hæc mihi quam multos abſtulit ira dies!
Nec puto, nec ſenſi tunicam laniaſſe; ſed ipſa
Dixerat: & pretio eſt illa redemta meo.
At vos, qui ſapitis, veſtri peccata magiſtri
Effugite: & culpæ damna timete meæ.
Prælia cum (q) Parthis, cum culta pax ſit amica;
Et jocus, & cauſas quicquid amoris habet.
Si nec blanda ſatis, nec erit tibi comis amanti;
Perfer, & obdura. poſtmodo mitis erit.
Flectitur (r) obſequio curvatus ab arbore ramus,
Frangis, ſi vires experiere tuas.
Obſequio tranantur aquæ: nec vincere poſſis
Flumina; ſi contra, quam rapit unda, nates.
Obſequium tigreſque domat (ſ) Numidaſque leones,
Ruſtica paulatim taurus aratra ſubit.
Quid fuit aſperius (t) Nonacrina (u) Atalanta?
Succubuit meritis trux tamen illa viri.
Sæpe ſuos caſus nec mitia facta puellæ
Fleſſe ſub arboribus (x) Milaniona ferunt.

INTERPRETATIO.

Pauper amet callide: pauper caveat maledicere: & patiatur multa non toleranda divitibus. Recordor me iratum confudiſſe capillos Dominæ: hæc ira quam multos dies mihi rapuit! Nec arbitror, nec adverti diſcerpſiſſe tunicam, ſed ipſa dixerat: & illa eſt redemta meis nummis. At vos qui ſapitis, vitate delicta præceptoris veſtri; & reformidate detrimenta peccati mei. Certamina ſint cum Parthis, pax cum amica comta; & jocus, & quicquid habet cauſas amoris. Si nec erit ſatis mitis, nec facilis tibi amanti, tolera uſque & perſta; mox erit blanda. Ramus deflexus ab arbore cedit obſequio: rumpis ſi periculum feceris virium tuarum. Aquæ trajiciuntur obſequio, nec queas ſuperare flumina, ſi nates contra, quam unda aufert. Obſequium vincit Tigres & Leones Numidas. Taurus ſubjicitur paulatim aratro agreſti. Quid fuit immitius Atalanta Nonacrina? tamen illa truculenta ceſſit meritis viri. Ajunt Milaniona deploraſſe ſæpe ſuam fortunam ſub arboribus, & facta crudelia puellæ.

NOTÆ.

(q) *Parthis*) Sunt Parthi gens ultra Medos Scytharum progenies, olim bellicoſiſſima.

(r) *Obſequio*) Id eſt, *lente & paulatim illum flectendo.*

(ſ) *Numidaſque.* Eſt Numidia Provincia Africæ, Getuliæ contermina, ubi aquæ inopia & calore, immitiſſima generantur animalia.

(t) *Nonacrina*) *Arcadica*, a Nonacri monte Arcadiæ ſic dicta.

(u) *Atalanta*) Duæ ejus nominis fuerunt. Hic autem de Arcadica ſermo eſt que Jaſii, vel ut alii volunt, Abantis regis Argivorum fuit filia, venatrix inſuper, quæ conſervandæ ſuæ virginitatis cauſa Dianæ ſeſe dedit comitem: quamquam tandem Meleagri ſeu Milanionis victa obſequio Parthenopœum peperit.

(x) *Milaniona*) Tam diverſa de iſto & Atalanta dixerunt fabularum ſcriptores, ut quid potiſſimum ſequaris vix reperias. Amphidamantem, patrem Milanioni fuiſſe ſcripſit Apollodorus, qui eidem Parthenopœum ex Atalanta filium tribuit: Hyginus. Parthenopœum Atalantæ quidem, ſed ex Meleagro cui Oeneus pater fuerit, filium facit. fabulæ.

Sæpe

Sæpe tulit jusso fallacia retia collo:
  Sæpe fera torvos cuspide fixit apros.
Sensit & (y) Hylæi contentum saucius arcum:
  Sed tamen hoc arcu notior (z) alter erat;
Non te (a) Menalias armatum scandere silvas;
  Nec jubeo collo retia ferre tuo.
Pectora nec missis jubeo (b) præbere sagittis.
  Artis erunt cauto mollia jussa meæ.
Cede repugnanti; cedendo victor abibis.
  Fac modo, quas partes illa jubebit, agas.
Arguet, arguito; quicquid probat illa, probato:
  Quod dicet, dicas: quod negat illa, neges.
Riserit, arride: si flebit, flere memento.
  Imponat leges vultibus illa tuis.
Seu ludet, (c) numerosque manu jactabit eburnos;
  Tu (d) male jactato, tu male jacta (e) dato.
Seu jacies talos, victam ne (f) pœna sequatur,
  Damnosi facito stent tibi sæpe (g) canes:

INTERPRETATIO.

Sæpe gestavit collo coacto retia dolosa: sæpe transverberavit apros truces mucrone immissi. Sensit etiam vulneratus arcum intentum Hylæi: sed tamen alter erat notior hoc arcu. Nolo te armis instructum ire in silvas Mænalias, nec gestare plagas cervicibus tuis. Nec suadeo offerre pectora sagittis emissis. Leges artis meæ erunt leves callido. Cede aversanti: Cedendo discedes victor. Fac modo tuearis partes quas illa imperabit. Reprehendet, reprehendito: quidquid illa laudat, laudato; quod affirmabit, affirmes: quod illa negat, nega. Riserit arride: si plores, memento plorare. Illa præscribat leges vultibus tuis. Seu ludet & jaciet numeros eburnos manu; tu jactato male, tu concede male jacta. Seu jacies talos, ne pœna sequatur victam; fac canes damnosi sæpe tibi eveniant.

NOTÆ.

(y) *Hylæi*) Centaurus fuit, qui una cum Rhœco Atalantæ vim paraverat, quos illa sagittis confecit; quanquam maximus noster fabularum enarrator & inventor, ultro se Milanionem Centaurorum jaculis Atalantæ puellæ causa objecisse innuere videtur.

(z) *Alter*) Cupidinis *scil.* quo saucius erat Milanion.

(a) *Mænalias*) *Arcadicas*, ab Arcadiæ monte Mænalo.

(b) *Præbere*) Ut fecit Milanion, siquidem Poetæ credimus.

(c) *Numeros*) Talos dicit; *des dez*, quibus latera punctis & numeris sunt distincta.

(d) *Male*) Ut vincat amica.

(e) *Dato*) Idest *calculos promoveto*: dicebant enim *calculum dare* pro *promovere*, annotante Salmasio: ita ut in jactandis tesseris potissimum fortunæ, in dandis seu promovendis calculis *les dames*, ars locum haberet. Vereor interim ne sensus alius lateat, qui ex accuratiori veterum ludorum cognitione esset petendus.

(f) *Pœna*) Nummos aut mulctam, quam qui victus est, tenetur persolvere, vetat ab amica repetere.

(g) *Canes*) Canis nomine appellabatur talus cum ex jactu unitatem referebat, qui omnium infaustissimus damnum creabat.

Sive

Sive (*h*) latrocinii sub imagine (*i*) calculus ibit;
Fac pereat (*k*) vitreo miles ab hoste tuus.
Ipse tene distenta suis (*l*) umbracula virgis:
Ipse face in turba, qua venit illa, locum.
Nec dubita tereti scamnum producere lecto:
Et tenero (*m*) soleam deme, vel adde, pedi.
Sæpe etiam dominæ, quamvis horrebis & ipse,
Algentis manus est calefacienda sinu.
Nec tibi turpe puta (quamvis tibi turpe, placebit)
Ingenua speculum sustinuisse manu.
Ille, fatigatæ perimendo monstra (*n*) novercæ,
Qui meruit cælum, quod prior ipse (*o*) tulit,
(*p*) Inter Joniacas calathum tenuisse puellas
Creditur, & lanas excoluisse rudes.
Paruit imperio dominæ (*q*) Tirynthius heros.
I nunc; & dubita ferre, quod ille tulit:
Jussus adesse foro, jussa maturius hora
Fac semper venias; nec nisi serus abi.
Occurras aliquo tibi dixerit; omnia differ.
Curre; nec inceptum turba moretur iter.

INTERPRETATIO.

Sive calculus movebitur sub specie latrocinii, fac miles tuus intereat ab hoste vitreo. Teneto ipse umbracula, exporrecta suis virgis: fac ipse locum in turba, qua illa pergit. Nec cunctator promovere scamnum lecto tereti: & tolle, vel appone soleam pedi tenero. Sæpe etiam manus dominæ frigentis est calefacienda gremio, quamvis & ipse tremes. Nec crede tibi indecorum (quamvis tibi indecorum, placebit) sustinuisse speculum manu liberali. Ille qui meruit Cœlum; quod ipse prior sustentavit, occidendo monstra novercæ defessæ, creditur tractasse quasillum inter puellas Joniacas, & emollisse lanas crudas. Heros Tirynthius obtemperavit imperio dominæ. Abi jam; & cunctator pati quod ille passus est. Facito, ut jussus adesse foro, adsis semper maturius hora præscripta; nec abi nisi serus. Monuerit obviam eas aliquo: omnia differ. Curre, nec turba obstes itineri incepto.

NOTÆ.

(h) *Latrocinii*) *Laterones* dicebantur olim qui a latere principis starent, itemque milites. Inde latrunculorum ludos, quos in mensa ordinare, & inter se bellum movere Palamedes docuit.

(i) *Calculus*) *Latro*, *latrunculus*, *calculus* unam & eandem rem significant. Gall. *De Echecs*.

(k) *Vitreo*) Ex vitro, ligno, aut simili materia fiunt latrunculi.

(l) *Umbracula*) De umbellis loquitur, quibus hodie etiam ad arcendum solem aut pluviam utuntur puellæ.

(m) *Soleam*) Calceamenti genus est quod pedis plantam tantum, teretibus habenis ei junctum, defendit.

(n) *Noverca*) Junonis *scil.* quæ Eurysthei ministerio tantum non eum laboribus oppressit, quotidie in nova monstra illum ablegans.

(o) *Tulit*) Cœlum, quod Atlas humeris dicitur sustentare, Hercules suis dicitur imposuisse dum fessus ille quiesceret.

(p) *Inter Joniacas*) Cum *scil.* apud Omphalen Lydiam seu Mæoniam, in Jonia Asiæ minoris parte, pro ancilla Hercules servivit, colum, & alia muliebria tractavit.

(q) *Tirynthius.*) Eo nomine a Tirynthe Peloponnesi oppido, ubi educatus, Hercules dictus est.

Nocte

Nocte domum repetens epulis perfuncta redibit:
Tunc quoque pro servo, si vocat illa, veni.
Rure eris, dicet venias, (Amor odit inertes)
Si *(r)* rota defuerit, tu pede carpe viam.
Nec grave te tempus *(f)* sitiensque *(t)* Canicula tardet,
Nec via per jactas candida facta nives.
Militiæ species amor est: discedite segnes,
Non sunt *(u)* hæc timidis signa tuenda viris.
Nox, & hiems, longæque viæ, sævique dolores
Mollibus his castris, & labor omnis inest.
Sæpe feres imbrem cælesti nube solutum;
Frigidus & nuda sæpe jacebis humo.
(x) Cynthius *(y)* Admeti vaccas pavisse Pheræas
Fertur, & in parva delituisse casa.
Quod Phœbum decuit, quem non decet? exue fastus,
Curam mansuri quisquis amoris habes.
Si tibi per tutum plenumque negabitur ire,
Atque erit apposita janua fulta sera;
At tu per preceps tecto delabere aperto:
Det quoque furtivas alta fenestra vias.
Læta erit, ut causam tibi se sciet esse pericli.
Hoc dominæ certi pignus amoris erit.
Sæpe tua poteras, *(z)* Leandre, carere puella:
Tranabas; animum nosset ut illa tuum.

INTERPRETATIO.

Nocte revertitur, rediens domum satura epulis: tunc quoque si illa accersit, adesto pro servo. Fueris rure, & monebit ut venias, (amor odit ignavos) si currus defuerit, tu suscipe iter pede. Nec tempus triste, nec Canicula urens moretur te, nec via facta alba per nives sparsas. Amor est species belli: ignavi abite. Hæc signa non sunt defendenda a viris meticulosis. Nox & Hiems & producta via & feri dolores, & labor omnis est in his castris mollibus. Sæpe patieris pluviam expressam nube calesti: & sæpe jacebis frigidus terra nuda. Cynthius dicitur pavisse vaccas Phereas Admeti, & habitasse in humili tugurio. Quod decorum fuit Phœbo, cui non est decorum? Depone superbiam quisquis curam geris amoris duraturi. Si proibitus fueris accedere per tutum & planum, & fores erunt munita sera affixa; at tu demittaris per præceps tecto patenti: fenestra sublimis det quoque ingressus clandestinos. Gaudebit, ut cognoscet se esse tibi causam discriminis: Hoc erit pignus Domina veri amoris. Leandre, poteras sæpe carere puella sua: trajiciebas, ut illa cerneret tuum animum.

NOTÆ.

(r) *Rota*) Pro curru aut rheda. Synecdoche est.

(f) *Sitiens*) Vel potius sitim creans. Metonymia est. Nec hyeme nec æstate amatorem segnem esse suadet Poeta.

(t) *Canicula*) Sydus est, a quo fervidos volunt oriri colores, quod eo exoriente graves sint.

Hæc) Amoris *scil.* qui ut castra, signa quoque militaria habere dicitur.

(u) *Cynthius*) Apollo est, a Deli monte Cynthio.

(y) *Admeti*) Pheræorum in Thessalia rex fuit Admetus, cujus vaccas divinitate, ob Cyclopas occisos, spoliatus Apollo, per annorum novem spatium pavit.

(z) *Leandre*) Ejus ad amicam epistolam vidimus.

Nec

Nec pudor ancillas, ut quæque erit ordine prima;
Nec tibi sit servos demeruisse pudor.
Nomine quemque suo (nulla est jactura) saluta:
Juge tuis humiles, ambitiose, manus.
Sed tamen & servo (levis est impensa) roganti
Porrige fortunæ munera parva tuæ.
Porrige & ancillæ, (a) qua pœnas luce pependit
Lusa (b) maritali (c) Gallica veste manus.
Fac plebem (mihi crede) tuam: sit semper in (d) illa
Janitor, & thalami qui jacet ante fores.
Nec dominam jubeo pretioso munere dones:
Parva, sed e parvis callidus apta dato.
Dum bene dives ager, dum rami (e) pondere nutant;
Afferat in calatho rustica dona puer.

INTERPRETATIO.

Nec te pudeat tuas fecisse ancillas, ut quæque erit prima ordine; nec te pudeat servos devincire. Saluta unumquemque nomine suo (nullum est detrimentum:) viles manus, ambitiose, confere tuis. Sed tamen parva etiam prabe dona fortuna tua servo petenti, (parvus est sumptus) Prabe etiam famula qua die exercitus Gallicus deceptus habitu maritali luit pœnas. Crede mihi demerere plebem. Janitor sit semper in illa, & qui cubat ante januam cubiculi. Nec impero dona pretiosa porrigas Domina: Prabe parva, sed vafer idonea ex parvis. Dum rus est opulentum, dum arbores labant oneres puer munera rustica in qualo afferat.

NOTÆ.

(a) *Qua*) Nonis *scil.* quintilibus, quæ Caprotinæ dictæ, & ancillarum festum, in ejus rei memoriam quod Reipublicæ servandæ causam invenissent. Quæ res sic se habet, sicuti ex Macrobio didicimus. *Post urbem captam, cum sedatus esset Gallicus motus, res vero publica esset ad tenue deducta, finitimi opportunitatem invadendi Romani nominis aucupati praferunt sibi Posthumium Livium, Fidenatium Dictatorem. Qui, mandatis ad Senatum missis postulavit, ut si vellent reliquias sua civitatis manere, matres familias sibi & virgines dederentur. Cumque Patres essent in ancipiti deliberatione suspensi, ancilla nomine* Philotis, *seu* Tutela, *pollicita est, se cum cateris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram; habituque matrum familias & virginum sumto, hostibus, cum prosequentium lacrymis, ad fidem doloris, ingesta sunt. Qua cum a Livio in castris distributa fuissent, viros plurimo vino provocarunt, diem festum apud se esse simulantes. Quibus soporatis, ex arbore caprifico, qua castris erat proxima, signum Romanis dederunt; qui cum repentina incursione superassent, memor beneficii Senatus, omnes ancillas manu jussit emitti, dotemque eis ex publico fecit, & ornatum quo tunc erant usa gestare concessit, diemque ipsum* Nonas Caprotinas, *nuncupavit ab illa Caprifico, ex qua signum victoria ceperunt, sacrificiumque statuit annua solemnitate celebrandum, cui lac, quod ex caprifico manat, propter memoriam facti pracedentis adhibetur.* Atque hinc vera hujus loci expositio petitur.

(b) *Maritali*) Id est, *qua marita, seu matrona Romana videretur.*

(c) *Gallica manus*) Id est *Gallorum exercitus:* unde alios Nasonem sequutum esse autores clarum est, nisi, quod suspicari pronum est, Italicis hominibus Gallos, quorum viribus illi niterentur immixtos fuisse credas.

(d) *Illa*) *Quam tuam facias* scil.

(e) *Pondere*) Pomorum *scil.*

Rure

Rure suburbano poteris tibi dicere (*f*) missa;
  Illa vel in (*g*) Sacra sint licet emta Via.
Afferat aut uvas, aut quas (*h*) Amaryllis amabat;
  (*i*) At nunc castaneas non amat illa nuces.
Quin etiam (*k*) turdoque licet missaque (*l*) corona
  Te memorem dominæ testificere tuæ.
Turpiter his emitur (*m*) spes mortis, & (*n*) orba senectus.
  Ah pereant, per quos munera crimen habent!
Quid tibi præcipiam teneros quoque mittere versus?
  Hei mihi! non multum carmen honoris habet.
Carmina laudantur: sed munera magna petuntur.
  Dummodo sit dives, barbarus ipse placet.
Aurea nunc vere sunt secula. plurimus auro
  Venit honos: auro conciliatur amor.
Ipse licet Musis venias comitatus, Homere;
  Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.
Sunt tamen & doctæ rarissima turba puellæ:
  Altera non doctæ turba, sed esse volunt.
Utraque laudentur per carmina: carmina lector
  Commendat dulci (*o*) qualiacunque sono.

INTERPRETATIO.

Licebit dicere tibi missa villa suburbana; quamvis vel emta fuerint in Via Sacra. Apportet aut racemos, aut quas Amaryllis amabat: at illa non amat nunc nuces castaneas. Quin etiam potes curam dominæ tuæ patefacere turdo & sertis missis. Spes mortis & orba senectus his inhoneste acquiritur. Ah pereant per quos dona habent crimen! Cur te admoneam mittere quoque versus molles? Hei mihi! carmina non habent multum laudis. Carmina probantur; sed dona magna quæruntur; Barbarus ipse est gratus dummodo sit opulentus. Nunc sunt vere secula aurea: laus multa accedit auro: amor delinitur auro. Quanquam ipse accedas, Homere, musis stipatus; ejicieris, Homere, si nihil attuleris. Sunt tamen etiam puellæ doctæ turba exigua; altera turba non doctæ sed esse volunt. Utraque celebrentur versibus: lector pondus afferat versibus qualibuscunque voce suavi.

NOTÆ.

(f) *Missa*) Quia magis decorum & honestum.

(g) *Sacra*) Sacra dicta, quod in ea fœdus inter Romulum & Tatium, non sine sacrificiis, ictum.

(h) *Amaryllis*) Ad illud Maronis respicit,

> *Castaneasque nuces mea quas Amaryllis amabat.*

(i) *At nunc*) Argute in sui sæculi puellis avaritiam notat.

(k) *Turdo*) Humanum sermonem imitari scripsit Plinius. Vel itaque quia garruli, vel quia in mensarum deliciis, ad puellam mittendos censet Poeta.

(l) *Corona*) Ad quam garruli turdi alligabantur: nisi simpliciter serta malis intelligere.

(m) *Spes mortis*) Hæreditatum execratur captatores, qui viventibus sub spe eorum mortis, munera, ut hæredes scriberentur, mittere solebant.

(n) *Orba*) *Senectus sine liberis.*

(o) *Qualiacumque*) Id est, *quæ materia inopia lævia fuerint;* nam ineptam & indoctam puellam, quis commode laudaverit

His ergo, aut illi, *(p)* vigilatum carmen in *(q)* ipsa;
  Forsitan exigui muneris instar erit.
At, quod eris per te facturus, & utile credis,
  Id tua te facito semper amica roget.
Libertas alicui fuerit promissa tuorum;
  Hanc tamen a domina fac petat ille tua.
Si pœnam servo, si vincula sæva remittis;
  Quod facturus eras, debeat illa tibi.
Utilitas tua sit: titulus donetur amicæ.
  Perde nihil: partes illa *(r)* potentis agat.
Sed te, cuicunque est retinendæ cura puellæ,
  Attonitum forma fac putet esse sua:
Sive erit in *(ſ)* Tyriis: Tyrios laudabis amictus;
  Sive erit in *(t)* Cois; Coa decere puta.
Aurata est; ipso tibi sit *(u)* pretiosior auro:
  Gausapa si sumsit; *(x)* gausapa sumta proba.
Adstiterit *(y)* tunicata, *(z)* Moves incendia, clama:
  Sed timida, caveat frigora, voce roga.
Compositum (*) discrimen erit; discrimina lauda:
  Torserit igne comam; torte capille place.

INTERPRETATIO.

Ergo expolitum carmen ad earum laudem pondus habebit, forsitan doni parvi apud has aut illas. At memento amica semper a te petat, quod ultro eris præstiturus, & arbitraris gratum. Libertas fuerit promissa alicui tuorum: fac tamen ille hanc oret dominam tuam. Si condonas pœnam servo, si vincula fera prætermittis, illa debeat tibi quod volebas facere. Compendium sit tuum; honor concedatur amicæ. Nihil amittas, illa tueatur partes divitis. Sed quicunque studes retinere puellam, fac credat te stupere forma sua. Sive erit induta vestes Tyrias, laudabis Tyrias: sive induta fuerit Coas; crede Coa decere. Si fuerit in aureis; sit tibi pretiosior auro ipso. Si ceperit gausapa; laudato gausapa capta. Constiterit tunicata: vociferator, Incendia excitas: sed orato voce pavida vites frigus: Discrimen erit concinnatum; proba discrimina. Ornaverit comam calamistro; Calamistrata coma place.

NOTÆ.

(p) *Vigilatum*) *In quo expoliendo vigilaveris.*

(q) *Ipsas*) Aut ipsarum laudem.

(r) *Potentis*) Cujus est dare, non accipere. Quanquam jam diu lex illa in desuetudinem abiit.

(ſ) *Tyriis*) In veste purpurea, a Tyro conchilio atque purpura nobili, sic dicta.

(t) *Cois*) Cos insula est maris Ægæi, unde bombycinæ vestes tenuissimæ, ad fœminarum luxum transportabantur.

(u) *Sit pretiosior*) *Ut eam magis quam aurum laudes.*

(x) *Gausapa*) Vestis erat, Gausape, villosa, quæ hyemali tempore gestabatur.

(y) *Tunicata*) *Tunica veste*, quæ usque ad talos, longioribus manicis, fluebat, *vestita*.

(z) *Movet incendia*) *Vous mourrez de chau. Laudetur*, inquit, *vestis, quæ maxime calorem fovet.* quod amicæ gratum sit.

(*) *Discrimen*) *Coma divisio.*

(a) *Torserit*) Calamistris, & instrumentis ferreis etiamnum hodie ad crispandos crines utuntur.

Bra-

Brachia saltantis, vocem mirare canentis:
Et, quod desierit, verba querentis habe.
Ipsos concubitus, ipsum venerere licebit,
Quod juvat; & querula gaudia voce notes.
Ut fuerit torva violentior illa (b) Medusa;
Fiet amatori lenis & æqua suo.
Tantum, ne pateas (c) turbis simulator in illis,
Effice: nec vultu destrue dicta tuo.
Si latet ars, prodest, adfert deprensa pudorem:
Atque adimit (d) merito tempus in omne fidem.
Sæpe sub autumnum (cum formosissimus (e) annus,
Plenaque purpureo subrubet uva mero;
Cum modo frigoribus premitur, modo solvitur æstu)
Aere non certo corpora languor habet.
Illa quidem valeat: sed si male firma cubabit,
Et vitium cœli senserit ægra sui;
Tunc amor & pietas tua sit manifesta puellæ:
Tunc (f) sere, quod plena postmodo falce metas.

INTERPRETATIO.

Mirator brachia saltantis, & vocem cantantis: & queritor quod desiterit. Licebit venereris ipsos concubitus, ipsum quod juvat, & indices voluptatem voce conquerente. Quamvis illa fuerit truculentior sæva Medusa, fiet mitis & benigna amatori suo. Fac tantum ne videaris fallax in illis turbis: ne redarguas dicta vultu tuo. Ars juvat, si dissimulatur; cognita creat pudorem: & jure tollit fidem in omne tempus. Sæpe Antumno accedente, (cum anni tempestas pulcherrima & uva plena vino purpureo subrubet, cum modo urgetur frigoribus, modo laxatur calore) morbus vexat corpora aere instabili. Illa quidem puella *læta fruatur valetudine: sed si ægra detinebitur, & morbo afflicta senseris intemperiem cœli sui; tunc amor & pietas tua sit aperta puellæ: tunc sparge quod resecces postmodo plena falce.*

NOTÆ.

(b) *Medusa*) Fuit ea Phorci filia, cui caput, non capillis, sed viperis fuit horridum; quo tantum intuentibus terrorem afferebat, ut in lapides illico rigescerent. Quo commento stupendam ejus pulchritudinem indicare voluerunt.

(c) *Turbis*) Non de concubitu, ut putavit vir claris. sed de cœtibus aut puellarum turbis, de quibus supra, intelligo. Atque hæc præcepta pleraque, qui ex Amore in civilem vitam induxerit, quantum sibi aliisque profuerit, vix quisquam satis possit dicere.

(d) *Merito*) Omnino: Siquidem enim certum est contra nos aliquid moliri, eum qui alia quam quæ verbis promit, in sinu fovet, & maxime ab omnibus oculis removet, qua causa cuiquam fidem habeam, quem ego in fraude deprehenderim, quam ipsum maxime occultare sciverim? Difficile vero, inquit, cum tam diversis moribus & opinionibus homunculis vivere, & cum iis idem sentire? Imo difficillimum; quantave prudentia, præsertim si sancte vivere vis, opus est! Interim si ab aliis, satius est a se saltem non dissentire, & cor inter, linguam, omnem denique statum, concordiam fovere, quam semper larvas, quas subinde quivis excutiat & premat, impudenter in hominum cœtus & ora portare. O miseros, quales quidem nonnullos novi, perverse sibi ex astutia sua placentes, qui usque eo tantum astuti sunt, ut aliis, non esse se, sed esse cupere callidos, vere malos & stultos esse demonstrent!

(e *Annus*) Pro anni parte: Ita & loquutus Horatius.

(f) *Sere*) Metaphora ab agricolis. Id est, *in amanda & colenda puella esto assiduus.*

Nec tibi morosi veniant fastidia morbi,
 Perque tuas fiant, quæ sinet ipsa, manus.
Et videat flentem; nec tædeat oscula ferre:
 Et sicco lacrymas combibat ore tuas.
Multa vove; sed cuncta palam: quotiesque libebit,
 Quæ referas illi, somnia læta vide.
(g) Et veniat, quæ lustret anus lectumque locumque:
 Præferat & tremula sulphur & ova manu.
Omnibus his inerunt gratæ vestigia curæ:
 In (h) tabulas multis hæc via fecit iter.
Ne tamen officiis odium quæratur ab ægra;
 Sit suus in blanda sedulitate modus.
(i) Neve cibo prohibe, nec amari pocula succi
 Porrige: rivalis misceat illa tuus.
(k) Sed non, cui dederis a littore carbasa, vento
 Utendum, medio cum potiere freto.
Dum novus errat amor, vires sibi colligas usu:
 Si bene nutrieris, tempore firmus erit.
Quem taurum metuis, vitulum mulcere solebas:
 Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.
Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo;
 Quaque venit, multas accipit amnis aquas.
Fac tibi consuescat: nil consuetudine majus.
 Quam tu dum captas, tædia nulla fuge.

INTERPRETATIO.

Nec te capiant fastidia morbi difficilis; & fiant per tuas manus quæ ipsa concedet. Et aspicias lacrymantem; nec tædeat osculari; & absumat ore arido lacrymas tuas. Concipe multa vota: sed omnia coram: & quoties placuerit finge somnia festiva quæ illi narres. Et accedat anus quæ purget & lectum & locum: & sulphur & ova manu trepidante præferat. In his omnibus manifesta erunt signa gratæ curæ: hæc ratio viam struxit plurimis in tabulas. Attamen ne odium reportetur ab ægra, ex meritis sua sit mensura in officiosa benevolentia. Neve a cibis absterreat, nec offer pocula succi ingrati: rivalis tuus illa temperet. Sed aura non est utendum cui vela tradideris a littore, postquam navigabis in mari aperto. Dum novus amor vagatur, vires sibi comparet usu; si bene alueris tempore erit fortis. Solebas palpari vitulum quem times taurum: arbor sub qua nunc decumbis fuit virga. Fluvius oritur parvus, sed comparat vires fluendo; & recipit multas aquas qua currit. Fac assuescat tibi: nihil majus consuetudine. Quam dum tu sectaris, nulla refuge tædia.

NOTÆ.

(g) *Et veniat*) Sacrum pro amicæ salute monet faciendum esse, cujus Apulejus meminit in Metam. ultimo, quo; summum Sacerdotem Isidis, tæda lucida, ovo, & sulphure, non sine solennissimis precibus usum esse dicit. De eo sacro Juvenal. Propert. Tibul. etiam scripserunt.

(h) *Tabulas*) Quibus suprema voluntas, seu testamentum creditur.

(i) *Neve cibo prohibe*) Quia ægris ingratum.

(k) *Sed non*) Metaphora a re nautica petita, non eadem omni tempore convenire, dicit.

Te ſemper videat: tibi ſemper præbeat aurem:
Exibeant vultus noxque dieſque tuos.
Cum tibi major erit fiducia, poſſe requiri;
Tum procul, abſenti cura futurus, abi.
Da requiem. requietus ager bene credita reddit:
Terraque cæleſtes arida ſorbet aquas.
(*l*) Phillida Demophoon præſens moderatius uſſit:
Exarſit velis acrius illa datis.
(*m*) (Penelopen abſens ſolers torquebat Ulyſſes:
(*n*) Phyllacides aberat, Laodamia, tuus.)
Sed mora tuta brevis: lenteſcunt tempore curæ;
Vaneſcitque abſens, & novus intrat, amor.
Dum Menelaus abeſt, Helene, ne ſola jaceret,
(*o*) Hoſpitis eſt tepido nocte recepta ſinu.
Qui ſtupor hic, Menelae, fuit? tu ſolus abibas:
Iſdem ſub tectis hoſpes & uxor erant.
Accipitri timidas credis, furioſe, columbas?
Plenum montano credis ovile lupo?
Nil Helene peccat; nil hic committis adulter:
Quod tu, quod faceret quilibet, ille facit.
Cogis adulterium, dando tempuſque locumque.
Quo, niſi conſilio eſt uſa puella tuo?
Quid faciat? vir abeſt; & adeſt non ruſticus hoſpes:
Et timet in vacuo ſola cubare toro.
(*p*) Viderit Atrides: Helenen ego crimine ſolvo.
Uſa eſt humani commoditate viri.

INTERPRETATIO.

Semper te aſpiciat: ſemper tibi aurem commodet: nox & dies cernant faciem tuam. Cum magis confides te poſſe deſiderari; tum procul recede cura futurus abſens. Quieſcat, ager requietus refert cum fructu commiſſa: & terra ſicca bibit aquas cæleſtes. Demophoon præſens minus inflammavit Phyllida: illa vehementius flagravit carbaſis explicitis. Ulyſſes callidus, abſens cruciabat Penelopen: Laodamia, tuus Phyllacides procul erat. Sed cunctatio brevis eſt ſecura: curæ ſedantur tempore: & amor abſens diſcutitur, novus ſubit. Dum Menelaus abeſt; Helena, ne cubaret ſola, admiſſa eſt nocte in gremium calidum hoſpitis. Quænam fuit hæc inſcitia, Menelae? Tu proficiſcebaris ſolus: hoſpes & conjux erant in eadem domo. Inſane, committis columbas pavidas accipitri? committis plenum ovile lupo montano? Vacat culpa Helena; Hic vacat culpa adulter: ille admittit quod tu, quod quivis admitteret. Suades adulterium, præbendo tempus & locum. Quo conſilio eſt uſa puella niſi tuo? Quid agat? vir peregre eſt; & præſens eſt hoſpes urbanus; & metuit jacere ſola in lecto derelicto. Atrides judicaverit; ego Helenen inſontem dico. Uſa eſt facilitate viri indulgentis.

NOTÆ.

(l) *Phyllida*) Hujus epiſtolam, ut & Penelopes, itemque Laodamiæ antea vidimus.

(m) *Penelopen*) Optime frigidiuſculum iſtud diſtichon eſſe annotavit clar. Heinſius.

(n) *Phyllacides*) Proteſilaus eſt ab avo Phylaco ſic dictus.

(o) *Hoſpitis*) Paridis, ſcil: quam fabulam toties tædet recoquere.

(p) *Viderit*) Ea de re judicet.

Sed neque fulvus aper media tam sævus in ira,
Fulmineo rabidos cum rotat ore canes;
Nec lea, cum catulis lactentibus ubera præbet:
Nec brevis ignaro vipera læsa pede:
Fœmina quam, socii deprensa pellice lecti,
Ardet; & in vultu pignora mentis habet.
In ferrum flammasque ruit: positoque decore
Fertur, ut (q) Aonii cornibus (r) icta Dei.
(s) Conjugis admissum, violataque jura maritæ,
Barbara per natos (t) Phasias ulta suos.
(u) Altera dira parens (hæc est, quam cernis, hirundo:
Aspice) signatum sanguine (x) pectus habet.
Hoc bene compositos, hoc firmos solvit amores:
Crimina sunt cautis ista timenda viris.
Nec mea vos uni (y) damnat censura puellæ.
Di (z) melius! vix hoc nupta tenere potest.
Ludite: sed furto celetur culpa modesto.
Gloria peccati nulla petenda sui.
Nec dederis munus, cognosce quod altera possit,
Nec sint nequitiæ tempora (a) certa tuæ.
Et, ne latebris capiat sibi fœmina notis,
Non uno est omnis convenienda loco.

INTERPRETATIO.

Sed neque aper rufus tam ferus in ira media, cum proterit canes furiosos dente fulmineo: nec Leæna, cum exhibet ubera catulis lactentibus, nec brevis vipera trita pede inscio, quam fœmina pellice correpta tori jugalis fuerit; & exhibet in facie animi indicia. Rapitur in tela & ignes; & agitur projecto decore, ut tacta cornibus Dei Aonii. Phasias barbara vindicavit filiorum suorum dispendio crimen mariti, & jura temerata nupta. Altera mater crudelis (hæc est hirundo, quam vides: respice) habet pectus notatum sanguine. Hoc rumpit amores quietos, hoc rumpit certos: hæc flagitia sunt fugienda viris callidis. Nec censura mea vos addicit uni puellæ. Di melius! vix marita hoc potest servare. Ludite: sed crimen tegatur furto modesto. Nulla est quærenda gloria delicti sui. Nec donum obtuleris, quod altera possit agnoscere: nec statuta sint tempora tuæ protervia. Et ne puella deprehendat te latibulis sibi perspectis, qualibet non est adeunda uno loco.

NOTÆ.

(q) *Aonii*) Bacchi, qui Thebas Beotiæ patriam habuit, quam primum Aones barbari tenuerunt.

(r) *Icta*) Id est, Baccha, vini Deique furore correpta.

(s) *Conjugis*) Jason *scil.* qui, spreta Medea, Creontis regis filiam uxorem duxit.

(t) *Phasias*) Medea est, de qua paulo ante a Phasi Colchorum fluvio sic dicta; quæ violati tori dolore liberos ex Jasone susceptos interfecit.

(u) *Altera*) Progne est, cujus jam antea scripsimus historiam, ipse eamdem si voles ex Metam. lib. 6. a v. 810. petere poteris.

(x) *Pectus*) Hoc dicit, quia hirundinis in pectore plumæ visuntur rubicundæ.

(y) *Damnat uni puellæ*) Id est, *Ad id cogit, ut cum una tantum puella rem habeatis.*

(z) *Melius*) Quæ bona, quæ mala fuerint sciunt, *scilicet*, tam lepidi Dii, quos ad ejusmodi nequitias licet arcessere.

(a) *Certa*) Quo te in alio occupatum esse amore amantem amica tandem cognosceret.

Et quoties scribes, totas prius ipse tabellas
(b) Inspice, plus multæ, quam sibi missa, legunt.
Læsa Venus justa arma movet, telumque remittit:
Et, modo quod questa est, ipse querare, facit.
Dum fuit (c) Atrides una contentus, & illa
Casta fuit; vitio est improba facta viri.
Audierat (d) laurumque manu vittasque ferentem
Pro nata Chrysen non valuisse sua.
Audierat, (e) Lyrnesi, tuos abducta dolores;
Bellaque per (f) turpes longius isse moras.
Hæc (g) tamen audierat: (h) Priameida viderat ipsam.
Victor eras prædæ præda pudenda tuæ.
Inde (i) Thyestiaden thalamoque animoque recepit;
Et male peccantem (k) Tyndaris ulta virum.
Quæ bene celaris, si qua tamen acta patebunt,
Illa licet pateant, tu tamen usque nega.
Tum neque subjectus, solito nec blandior esto.
Hæc animi multum signa nocentis habent.
Sed lateri nec parce tuo: pax omnis in uno
Concubitu: prior hoc inficianda Venus.

INTERPRETATIO.

Et quoties scribes, ipse excute prius totas tabellas: multæ plus legunt quam sibi scripta. Puella offensa justa arma tractat, & remittit telum & efficit ut ipse doleas quod modo doluit. Dum Atrides fuit contentus una, illa etiam fuit pudica; facta est impudica crimine mariti. Acceperat Chrysen gestantem manu & laurum & vittas nihil potuisse in gratiam filiæ suæ. Acceperat tuos dolores, Lyrnesi abrepta; & bella producta fuisse per inhonestas moras. Tamen acceperat hæc: aspexerat ipsam Priameida. Victor præda erat erubescenda prædæ tuæ. Inde admisit in cubiculum & animum Thyestiaden; & Tyndaris ulta maritum prave delinquentem. Si facta, quæ bene texeris, tamen aliqua innotescent, tu tamen semper nega, quamvis illa appareant. Tum neque sis subditus, nec mitior solito. Hæc habent indicia animi plurimum sontis. Sed neque ignosce lateri tuo; concordia omnis in solo concubitu; Venus prior ea re neganda.

NOTÆ.

(b) *Inspice*) *Quæ scripseris excute, ut plura interpretetur quam dixisse volueris.*

(c) *Atrides*) Agamemnon est, Atrei filius qui Chriseidem Chrysæ Apollinis sacerdotis filiam primo, deinde & Briseidem Achilli abreptam amavit, ut fuse in epistolis vidimus.

(d) *Laurumque*) Ad Agamemnonem Chryses redimendæ filiæ gratia, præferens manu aureum sceptrum, coronis Phœbi, vittisque redimitum, venerat; quem repulit, & e conspectu abire jussit.

(e) *Lyrnesi*) Hippodamia est; Lirnesso in Trojæ confinio, oppido, abrepta.

(f) *Turpes*) Quia propter abreptam Chryseidem, quam restituere Agamemnon recusavit, per novem dies & noctes, Sacerdotis precibus permotus Apollo sagittas emisit, quibus plurimi Græcorum interfecti sunt.

(g) *Tamen*) Innuit hac voce Poeta, ne hac quidem causa ab officio recessisse Clytemnestram.

(h) *Priameida*) Cassandra est Priami filia, quæ Agamemnoni in prædæ divisione cesserat; quamque ille si diis placet, ad uxorem ducebat.

(i) *Thyestiaden*) Ægysthus est Thyestis filius.

(k) *Tyndaris*) Clytemnestra est, Tyndari filia, quæ adulteri ope Agamemnonem maritum occidit.

Aspice, ut in curru modo det fluitantia rector
Lora, modo admissos arte retentet equos.
Sunt quibus ingrate timida indulgentia servit:
Et, si nulla subest æmula, languet amor.
Luxuriant animi rebus plerumque secundis;
Nec facile est æqua commoda mente pati.
Ut levis absumtis paulatim viribus ignis
Ipse latet, summo (b) candet in igne cinis;
Sed tamen extinctas admoto sulfure flammas
Invenit; & lumen, quod fuit ante, redit:
Sic, ubi pigra situ securaque pectora torpent,
Acribus est stimulis eliciendus amor.
Fac timeat de te, tepidamque recalface mentem:
Palleat indicio criminis illa tui.
O quater, & quoties numero comprendere non est,
Felicem, de quo læsa puella dolet!
Quæ, simul invitas crimen pervenit ad aures,
(c) Exeidit; & miseræ voxque colorque fugit.
Ille ego sim, cujus laniet furiosa capillos:
Ille ego sim, teneras cui petat ungue genas:
Quem videat lacrymans: quem torvis spectet ocellis:
Quo sine non possit vivere; posse velit.
Si spatium quæras; breve sit, quo læsa quæratur.
Ne lenta vires colligat ira mora.
Candida jamdudum cingantur colla lacertis:
Inque tuos flens est accipienda sinus.

I N T E R P R E T A T I O.

Vide, ut moderator in curru modo admittat laxas habenas, modo coerceat arte equos incitatos: Sunt quibus meticulosum obsequium est inutile: & amor torpet si nulla subit pellex. Mentes lasciviunt plerumque rebus prosperis: nec facile est bona ferre æquo animo. Ut ignis levis ipse conditur ardore paulatim consumto, cinis albicat in extremo igne, sed tamen manifestat flammas extinctas sulphure apposito, & lumen quod fuit ante renovatur: sic ubi mentes situ torpentes, & tranquillæ languent, amor est excitandus vehementibus aculeis. Fac metuat de te & excita animum torpentem: illa exalbescat indicio culpæ tuæ. O quater beatum, & quoties non licet assequi numero, de quo puella offensa mæsta est! Quæ statim atque peccatum aures subivit invitas lapsa est! & vox & color destituit infelicem! Ego sim ille cujus amens laceret crines: ego sim ille, in cujus genas molles involet: quem flens aspiciat: quem intueatur infensis oculis: sine quo non queat vivere: optet posse. Si tempus quæras; sit breve quo offensa doleat; ne ira sumat vires longa mora. Jamdudum cervices niveat complectaris brachiis: & lacrymans fovenda est tuo gremio.

N. O T. Æ.

(b) *Candet*) Candidus est admodum cinis quo pruna tegitur, postquam violentior ignis erupit.

(c) *Excidit*) Vide quæ supra art. aman. l. 1. v. 539. monuimus.

Oscula

Oscula da flenti: Veneris da gaudia flenti.
Pax erit: hoc uno solvitur ira modo.
Cum bene sævierit, cum certa videbitur hostis;
Tum pete concubitus fœdera: mitis erit.
Illic depositis habitat Concordia telis:
Illo (crede mihi) Gratia nata loco est.
Quæ modo pugnarunt, jungunt sua rostra columbæ;
Quarum blanditias verbaque murmur habet.
Prima fuit rerum confusa sine ordine moles,
Unaque erant facies sidera, terra, fretum.
Mox cœlum impositum terris; humus æquore cincta est:
Inque suas partes cessit inane (d) Chaos.
Silva feras, volucres aer accepit habendas:
In liquida pisces delituistis aqua.
Tum genus humanum solis errabat in agris;
Idque meræ (e) vires, & rude corpus erat.
Silva domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes:
Jamque diu nulli cognitus alter erat.
Blanda truces animos fertur mollisse voluptas.
Constiterant uno fœmina virque loco.
Quid facerent, ipsi nullo didicere magistro:
Arte Venus nulla dulce peregit opus.
Ales habet, quod amet: cum quo sua gaudia jungat
Invenit in media fœmina piscis aqua.
Cerva parem sequitur: serpens serpente tenetur:
Hæret adulterio cum cane nexa canis.
Læta salitur ovis: tauro quoque læta juvenca est:
Sustinet immundum sima capella marem.

INTERPRETATIO.

Da suavia lacrymanti: da gaudia Veneris lacrymanti. Concordia erit: ira sedatur hoc uno modo. Cum multum insanivérit, cum videbitur hostis pertinax: tum posce fœdera concubitus; lenis erit. Pax ibi habitat telis remotis: (Crede mihi) gratia nata est illo loco. Columbæ quæ modo certaverunt copulant sua rostra, quarum murmur habet blanditias & verba. Prima massa fuit confusa sine ordine rerum; & sidera, terra, mare erant unus vultus: Mox cœlum evectum super terras: terra circumdata est mari: & chaos inane distributum est in suas partes. Silva accepit feras possidendas, aer aves; pisces conditi estis aqua fluida. Tum gens humana vagabatur in campis desertis; & id erat vires puræ & corpus crassum. Nemus fuerat habitatio, herba esca, frondes lecti: & jamdiu nulli alter erat notus. Suavis voluptas dicitur delinisse animos feros: Fœmina & vir coaluerant uno loco. Ipsi didicerunt nullo præceptore quid agerent: Venus absolvit opus suave sine arte. Avis habet quod amet: piscis fœmina reperit in aquæ media cum quo fruatur suis gaudiis. Cerva sequitur comparem: anguis capitur angue: canis juncta adulterio manet cum cane. Ovis læta initur: junix quoque exhilaratur tauro: capella sima fert marem impurum.

NOTÆ.

(d) *Chaos*, Materia prima est informis seu confusa.

(e) *Vires*) Quia tum viribus corporis, non ratione animi quicquam administrabant.

(f) In

In furias agitantur equæ, spatioque remota
Per loca dividuos amne sequuntur equos:
Ergo age, & iratæ (g) meditamina fortia præbe:
Illa feri requiem sola doloris habent.
Illa (h) Machaonios superant medicamina succos:
His, ubi peccaris, restituendus eris.
Hæc ego cum canerem, subito manifestus (i) Apollo
Movit inauratæ pollice fila lyræ.
In manibus laurus: sacris inducta capillis
(k) Laurus erat: vates ille videndus agit.
Is mihi, Lascivi, dixit, præceptor Amoris,
Duc, age, discipulos ad (l) mea templa tuos.
Est ibi (m) diversum fama celebrata per orbem
(n) Littera; cognosci quæ sibi quemque jubet.
Qui sibi notus erit, solus sapienter amabit;
Atque opus ad vires exiget omne suas.
Cui faciem natura dedit, spectetur ab illa:
Cui color est, humero sæpe (o) patente cubet.
Qui sermone placet, taciturna silentia rumpat:
Qui canit arte, canat: qui bibit arte, bibat.

INTERPRETATIO.

Equæ in furias eunt, & sequuntur equos divisos flumine per loca intervallo dissita: Ergo age adhibe præstantia remedia iræ incensæ: illa sola medentur crudeli dolori. Illa medicamenta potiora sunt succis Machaoniis: Eris restituendus his, cum peccaveris. Cum hæc modularer, repente Apollo manifestus pulsavit pollice fila lyræ inauratæ. Laurus in manibus: laurus erat innexa sacris capillis; ille vates videndus me agitat. Is dixit mihi, præceptor amoris luxuriosi age, ducito discipulos tuos ad mea templa. Est ibi dictum fama approbatum per totum orbem, quod imperat unicuique ut seipsum cognoscat. Qui erit sibi perspectus, solus amabit sapienter; & modum faciet omnibus operibus ex suis viribus. Ille cui natura dedit formam aspiciatur ab illa: qui candidus est decumbat humero sæpe aperto. Qui gratus est sermone frangat silentia taciturna: qui suaviter cantat, cantet: qui bibit eleganter, bibat.

NOTÆ.

(f) *In furias*) *Scilicet ante omnes furor est insignis equarum.* Virgil.

(g) *Medicamina*) De Venere intelligit.

(h) *Machaonios*) Æsculapii fuit filius Machaon, medica arte insignis, quem cum Podalirio fratre Agamemnon ad bellum Trojanum duxit, ubi multum sanandis ægrotis profuit.

(i) *Apollo*) Phœbus est aut Sol, quem Medicinæ, Rhetoricæ, Musicæ, Poeticæ, inventorem voluerunt, lyra tantum valens, ut ad ejus cantum Trojæ mœnia extruxisse dicatur.

(k) *Laurus*) Hanc castissimam arborem propter Daphnen, quæ in eam sese abscondit Apollinis libidinem fugiens, ipse Apollo postea amavit.

(l) *Mea*) Ædem Apollinis Delphici intelligit, ubi plurima oracula ipse reddere solitus.

(m) *Diversum*) In partes diversas sectum.

(n) *Littera*) Chilonis, ut Plinius docet, mortales oraculorum societatem dedere, tria præcepta ejus Delphis consecrando aureis litteris, quæ hæc sunt: Noscere se quemque; Nihil nimium; Comitem æris alieni ac litis esse miseriam.

(o) *Patente*) Ut cutis candor appareat.

Sed

Sed neque declament (p) medio sermone diserti:
Nec sua vesanus scripta poeta legat.
Sic monuit Phœbus: Phœbo parete monenti.
Certa Dei sacro est hujus in ore fides.
Ad (q) propiora vocor. quisquis sapienter amabit,
Vincet; & e nostra, quod petet, arte feret.
Credita nec semper sulci cum fœnore reddunt:
Nec semper dubias adjuvat aura rates.
Quod juvat, exiguum; plus est, quod lædit amantes:
Proponant animo multa ferenda suo.
Quot lepores in (r) Atho, quot apes pascuntur in (ſ) Hybla;
Cærula quot baccas (t) Pallados arbor habet;
Littore quot conchæ, (u) tot sunt in amore dolores:
Quæ patimur, multo spicula felle madent.
Dicta erit isse foras, quam tu fortasse videbis:
Isse foras, & te falsa videre, puta.
Clausa tibi fuerit promissa janua nocte:
Perfer, & immunda ponere corpus humo.
Forsitan & vultu mendax ancilla superbo
Dicet, Quid nostras obsidet iste fores?
Postibus & duræ supplex blandire puellæ;
Et capiti demtas in fore pone rosas.

INTERPRETATIO.

Sed neque facundi declamant sermone medio: nec poeta insanus legat sua poemata. Ita jussit Apollo: obedite Apollini jubenti. Fides tuta est in ore sacro hujus Dei. Poscor ad propriora: quisquis sapienter amabit, victor erit & reportabit ab arte nostra quod postulabit. Neque sulci referunt semper commissa cum usuris: nec ventus promovet semper naves incertas. Quod gratum est amantibus est parvum, malum est quod offendit. Multa arbitrentur toleranda animo suo. Quot lepores in Atho, quot apes aluntur in Hybla; quot baccas habet arbor cærulea Minervæ: quot conchæ littore; tot sunt dolores in amore. Tela quibus vulneramur plena sunt plurimo felle. Illa quam tu forte aspicies, dicta erit exiisse: credito exivisse, & te falsa intueri. Fores fuerint tibi obstructæ nocte pacta; sustine etiam demittere corpus terra sordida. Forte etiam famula subdola dicet vultu elato, quamobrem iste obsessam tenet nostram januam? delinito etiam supplex postes puellæ crudelis, & suspende foribus rosas sublatas e capite.

NOTÆ.

(p) *Medio*) Tum præcipue declamandi periculum.

(q) *Propiora*) *Quæ magis ad amorum felicitatem conducant.*

(r) *Atho*) Athos Macedoniæ mons est altissimus.

(ſ) *Hybla*) Urbs fuit Siciliæ, apibus & optimo melle laudatissima.

(t) *Pallados arbor*) Olea est, quam derepente e terræ gremio hominibus Pallas obtulit, cum Cecropis urbi nomen suum, victo Neptuno, qui equum pro munere dederat, victrix imposuit.

(u) *Tot sunt in*) Atqui *nocet emta dolore voluptas*, si Epicureo sed callidissimo Flacco credimus. Cur non igitur in summ. objectum Mens nostra quæ a Deo est, tot nugis delusa, tandem reflectitur? Me piget profecto in his versari, nisi quia faciendum fuit, & forte aliquis facilius ex nostro labore nequitias naturæ cognoverit quas citius & in perpetuum oderit.

Cum

Cum volet, accedes: cum te vitabit, abibis.
Dedecet ingenuos (x) tædia ferre sui.
Effugere hunc non est; quare tibi possit amica
Dicere? (y) non omni tempore sensus adest.
Nec maledicta puta nec verbera ferre puellæ
Turpe, nec ad teneros oscula ferre pedes.
Quid moror in parvis? animus majoribus instet.
Magna canam: toto pectore, vulgus, ades.
Ardua molimur: sed nulla nisi ardua virtus.
Difficilis nostra poscitur arte labor.
Rivalem patienter habe; victoria tecum
Stabit: eris magni (z) victor in arce Jovis:
Hæc tibi non hominem, sed (a) quercus crede Pelasgas
Dicere. nil istis ars mea majus habet.
(b) Innuet illa, feras: (c) scribet, ne tange tabellas:
Unde volet, veniat: quoque libebit, eat.
Hoc in legitima præstent uxore mariti;
(d) Cum, tener, ad partes tu quoque, somne, venis.
Hæc ego, confiteor, non sum perfectus in arte.
Quid faciam? monitis sum minor ipse meis.
Mene palam nostræ det quisquam signa puellæ?
Et patiar? nec me quolibet ira ferat?

INTERPRETATIO.

*Adibis quando volet; recedes cum te fugiet. Dedecet ingenuos sui pati tædia. Quamobrem amica possit tibi dicere, non datur hunc vitare? ratio non adest omni tempore. Nec indecorum crede tolerare maledicta nec ictus puellæ, nec pedes molles deosculari. Quamobrem hæreo in parvis? Mens majora inquirat. Magna proferam; plebs adesto toto animo. Ad difficilia anhelamus, sed nulla virtus nisi difficilis. Labor improbus petitur a nostra arte. *Fer rivalem æquo animo: victoria tecum manebit: eris victor in arce magni Jovis. Puta non hominem sed quercus Pelasgas te hæc docere: ars mea nihil habet majus istis. Illa innuet, patere: scribet, ne tange tabellas: redeat unde libuerit; & eat quo voluerit. Mariti hæc agant in uxore legitima. Cum, somne mollis, tu quoque venis ad partes. Fateor, ego non sum perfectus in hac arte. Quid agam? sum ipse minor meis præceptis. Quisquamne signa det puellæ nostræ coram me? & feram? nec ira me quolibet rapiat?*

NOTÆ.

(x) *Tædia ferre sui*) Id est *Videre & pati quod alius ipsum ægre videat, aut cum eo sit.*

(y) *Non omni*) Verba sunt quæ ingrato amanti dicere possit puella, qui nequidem molestum sentit, &c. quem stupiditatis arguere oporteat.

(z) *Victor in*) Sicuti Imperatores, qui triumphantes ad Jovis Capitolini ædes triumphali curru vehebantur.

(a) *Quercus*) In Epiro Dodona urbs fuit, juxta quam Pelasgi Jovi templum construxerunt, adjacente nemore, cujus quercus, aut etiam iis insidentes columbæ humana voce responsa darent.

(b) *Innuet*) Id est, *Rivalem aliquo amoris signo habit.*

(c) *Scribet*) Ad rivalem *scil.*

(d) *Cum tener*) Id est, *Possit ire dormiente marito uxor quo volet, & unde volet venire.*

Oscu-

Oſcula vir dederat (memini) ſuus: oſcula queſtus
 Sum data, barbarie noſter abundat amor.
Non ſemel hoc vitium nocuit mihi. doctior ille,
 Quo veniunt alii conciliante viro.
Sed melius neſciſſe fuit. ſine furta tegantur:
 (e) Ne fugiat victo faſſus ab ore pudor.
Quo magis, o juvenes, deprendere parcite veſtras;
 Peccent: peccantes verba dediſſe putent.
(f) Creſcit amor prenſis. ubi par fortuna duorum eſt,
 (g) In cauſa damni perſtat uterque ſui.
Fabula narratur toto notiſſima cœlo,
 (h) Mulciberis capti Marſque Venuſque dolis.
Mars pater, inſano Veneris turbatus amore,
 De duce terribili factus amator erat.
Nec Venus oranti (neque enim Dea mollior ulla eſt)
 Ruſtica (i) Gradivo difficiliſve fuit.
Ah quoties laſciva (k) pede riſiſſe mariti
 Dicitur, & duras igne vel arte manus!
Marte palam ſimulat Vulcanum imitata, decebat;
 Multaque cum forma gratia miſta fuit.
Sed bene concubitus primos celare ſolebant:
 Plena verecundi culpa pudoris erat.

INTERPRETATIO.

maritus ſuus deoſculatus erat, (recordor) congeſtus ſum deoſculatum fuiſſe: amor noſter plenus eſt ferocia. Hoc vitium ſæpe mihi obfuit: Ille callidior quo conciliante fœmina adeunt alium virum. Sed utilius fuit ignoraſſe: permitte furtivi concubitus celentur; ne pudor agnitus recedat a facie deprehenſa. Quo magis o Juvenes, fugite corripere veſtras. Ludant: ludentes arbitrentur fefelliſſe. Amor augetur deprehenſis: ubi æqualis eſt fortuna duorum, uterque hæret firmiter in cauſa ſui diſpendii. Fabula notiſſima celebratur toto cœlo. Mars & Venus deprehenſi arte Vulcani. Mars pater correptus furioſo amore Veneris, factus erat amator de duce formidabili. Nec Venus (neque enim Dea ulla eſt blandior) fuit moroſa vel difficilis Gradivo. Ah quoties laſciva perhibetur deſpexiſſe pedes mariti, & manus aſperas igne vel arte! fingens Vulcanum imitatur coram Marte, decebat, & multa ſuavitas juncta erat *formæ. Sed ſolebant bene tegere primos concubitus; Peccatum erat plenum pudoris verecundi.*

NOTÆ.

(e) *Ne fugiat*) Ut poſtea impudenter, & in ipſo ore peccet puella.

(f) *Creſcit*) Ut ſi non te qui puellam in furto deprehenderis, ſed illum cum quo deprehenderis illa amet.

(g) *In cauſa*) *Uterque mutuo magis amore implicatur.*

(h) *Mulciberis*) Vulcanus eſt a mulcendo ferro *mulciber* aut *mulcifer* dictus, Jovis & Junonis filius, Veneris maritus; quam in adulterio cum Marte deprehenſam catenis conſtrinxit, deridendamque diis propinavit.

(i) *Gradivo*) Id nominis a gradiendo; vel a κραίνειν ſeu haſtæ vibratione Mars deus belli conſequutus eſt.

(k) *Pedes*) Eum e cœlo Jupiter in inſulam Lemnum propter corporis deformitatem dedit præcipitem; quo caſu crure fracto claudus factus eſt.

In-

Indicio *(l)* Solis (quis Solem fallere possit?
  Cognita Vulcano conjugis acta suæ.
Quam mala, Sol, exempla moves? pete munus ab illa.
  Et tibi, si taceas, quod dare possit, habet.
Mulciber obscuros lectum circaque superque
  Disponit *(m)* laqueos: lumina fallit opus.
Fingit iter *(n)* Lemnon: veniunt ad fœdus amantes:
  Impliciti laqueis nudus uterque jacent.
Convocat ille Deos. præbent spectacula capti.
  Vix lacrymas Venerem continuisse putant.
Non vultus texisse suos, non denique possunt
  Partibus obscœnis opposuisse manus.
Hos aliquis ridens, In me, fortissime *(o)* Mavors,
  Si tibi sunt oneri, vincula transfer, ait.
Vix precibus, *(p)* Neptune, tuis captiva resolvit
  Corpora, Mars *(q)* Threcen occupat; illa *(r)* Paphon.
Hoc tibi profectum, Vulcane: quod ante tegebant,
  Liberius faciunt; ut pudor omnis abest.
Sæpe tamen demens stulte fecisse fateris:
  Teque ferunt iræ pœnituisse tuæ.
Hoc vetui. vos ecce vetat deprensa *(ſ)* Dione
  Insidias illas, quas tulit ipsa, pati.
Nec vos rivali laqueos disponite: nec vos
  Excipite arcana verba notata manu.

INTERPRETATIO.

Facta uxoris suæ perspecta Vulcano indicio Solis. Quis possit Solem latere? Quam mala exempla doces, o Sol? posce illam donum. Et habet quod tibi dare queat, si sileas. Vulcanus aptat retia cæca & circa & super torum: opus fugit oculos. Simulat iter in Lemnon: amantes succedunt ad fœdus: uterque nudus retibus involuti jacent. Ille congregat Deos: impliciti sunt spectaculo. Credunt Venerem vix coercuisse lacrymas. Nequeunt operuisse faciem suam, non denique apposuisse manus partibus turpibus. Aliquis illos irridens inquit. Mars invicte, transfer retia in me si tibi sunt gravia. Vix expedivit corpora captiva tuis precibus, o Neptune, Mars in Thraciam contendit illa Paphon. Istud consequutus es, Vulcane: faciunt audacius quod ante velabant; postquam omnis pudor recessit. Sæpe tamen agnoscis inepte fecisse; insanes & aiunt te pœnituisse iræ tuæ. Hoc prohibui: ecce Venus correpta vos prohibet pati illos dolos quibus ipsa fuit capta. Nec vos retia tendite rivali: nec vos captate verba signata manu secreta.

NOTÆ.

(l) *Solis*) Ille vero deprehensos Vulcano indicavit.

(m) *Laqueos*) Ferreos, sed tamen tenuissimos ille supposuit.

(n) *Lemnon*) Insula est maris Ægæi, in qua Vulcanus sedem posuit & ferrariam fecit, multiplicemque ferri & ignis usum docuit incolas, memor quod cœlo ruentem excepissent.

(o) *Mavors*) Mavors quasi magna vertens Mars quoque dicitur a Poetis.

(p) *Neptune*) Hujus fingunt precibus iretitos Vulcanum dimisisse.

(q) *Threcen*) Quia populi bellicosissimi Thraces.

(r) *Paphon*) Urbs est Cypri Veneri sacra.

(ſ) *Dione*) Nimpha fuit Oceani & Tethyos filia Veneris, mater, a qua *Dionæa* dicta est, nonnunquam etiam *Dione*.

Ista

Iſta viri captent (ſi jam captanda putabunt)
(t) Quos faciunt juſtos ignis & unda viros.
Et iterum teſtor: nihil hic, niſi lege (u) remiſſum.
Luditur in noſtris (x) inſtita nulla jocis.
Quis (y) Cereris ritus auſit vulgare profanis,
Magnaque (z) Threicia ſacra (a) reperta Samo?
Exigua eſt virtus, præſtare ſilentia rebus:
At contra gravis eſt culpa, tacenda loqui.
O bene, quod, fruſtra captatis arbore pomis,
(b) Garrulus in media Tantalus aret aqua!
Præcipue (c) Cytherea jubet ſua ſacra taceri.
Admoneo: veniat ne quis ad illa loquax.
Condita ſi non ſunt Veneris myſteria (d) ciſtis;
(e) Nec cava veſanis ictibus æra ſonant.
Attamen inter nos medio verſantur in uſu:
Sic tamen, inter nos ut latuiſſe velint.

INTERPRETATIO.

Iſta quærant viri (ſi jam credent quærenda) quos ignis & aqua faciunt juſtos viros. Ecce iterum moneo; nihil hic niſi lege conceſſum. Nulla inſtita decipitur noſtris jocis. Quis audeat in vulgus prophanum propalare myſteria Cereris, & magna ſacra inventa in Samo Thracia? parva eſt virtus, res ſilentio condere: at contra magnum eſt crimen dicere tacenda. O bene, quod loquax Tantalus ſitit in media aqua, pomis fruſtra petitis ex arbore! Cytherea præſertim monet ſua ſacra ſilentio involvi. Hortor ne quis garrulus accedat ad illa. Arcana Veneris non ſunt clauſa Ciſtis; nec æra cava reſonant ictibus inſanis; attamen ſunt in uſu medio inter nos, Sic tamen, ut velint, celata eſſe inter nos.

NOTÆ.

(t) *Quos faciunt*) Solebant in ſolennibus nuptiis vir & fœmina ignem & aquam adhibita elementa utrinque contingere, ut ita cæteras quoque res neceſſarias communes eſſe diſcerent; atque hoc ritu legitimi dicuntur mariti.

(u) *Remiſſum*) Jam in primo matronas ſecluſerat.

(x) *Inſtita*) Matronæ per faſciolas quibus utebantur ſunt intelligendæ.

(y) *Cereris*) Hujus frugum Deæ tam ſecreta fuerunt ſacra, ut commune myſterii nomen illis tanquam proprium autores tribuerint.

(z) *Threicia*) Samothrace eſt Ægæi maris inſula ad Thraciam porrecta, ubi magnificum templum, & Cereris maxima religio.

(a) *Reperta*) *Ceremonias quas Athenienſes omnium celeberrimas in Eleuſina faciunt, quæ in Samothracia atque in Thracia, unde eas Orpheus ſumpſiſſe traditur, fiunt, in Gnoſo apud Cretam, priſca lege ſtatutoque tempore celebrantur: quo palam eſt ejuſmodi ceremonias ab iis ad alias gentes fuiſſe traducta.* Diodorus.

(b) *Garrulus*) Deorum arcana, quæ in eorum admiſſus convivium didicerat, mortalibus Tantalus Jovis ex Plote nympha filius, evulgaverat: qui impietatis ſuæ apud inferos huic pœnæ eſt addictus, ut inter epulas æterna fame, aquis labrorum tenus affluentibus, ſiti ardentiſſima torqueatur.

(c) *Cytherea*) Venus eſt a Cytheris inſula, quo primum concha maris advecta.

(d) *Ciſtis*) Ciſtæ in ſacris Cereris quibus ea clauſa inter ſymbola habebantur quibus clauſa atque arcana omnia eſſe debere ſignificabantur.

(e) *Nec cava*) Ad Cybeles ſacra alludit quæ plurimo tympanizantium Corybantum ſtrepitu, quo olim etiam Jovis pueri vagitus celaverant, celebrabantur: monetque ſine multo ſtrepitu ſacra Veneris eſſe peragenda.

Ipſa

Ipsa Venus pubem, quoties velamina ponit,
  Protegitur læva (*f*) semireducta manu:
In medio passimque coit pecus, hoc quoque viso
  Avertit vultus sæpe puella suos.
Conveniunt thalami furtis & janua nostris:
  Parsque sub injecta veste pudenda latet.
Et si non tenebras, at quiddam nubis opacæ
  Quærimus; atque aliquid luce patente minus.
Tunc quoque, cum solem nondum prohibebat & imbrem
  Tegula. (*g*) sed quercus tecta cibumque dabat;
In nemore atque antris, non sub (*h*) Jove, juncta voluptas:
  Tanta rudi populo cura pudoris erat;
At nunc nocturnis (*i*) titulos imponimus actis:
  Atque emitur magno nil, nisi (*k*) posse loqui.
(*l*) Scilicet excuties omnes ubicunque puellas,
  Cuilibet ut dicas, Hæc quoque nostra fuit:
Ne desint, quas tu digitis ostendere possis.
  Ut quamque attigeris, fabula turpis erit.
Parva queror: fingunt quidam quæ vera negarent,
  Et nulli non se concubuisse ferunt.
Corpora si nequeunt, quæ possunt nomina tractant:
  Famaque, non tacto corpore, crimen habet.
I nunc, claude foras, custos odiose, puellæ;
  Et centum duris postibus obde seras.

INTERPRETATIO.

Ipsa Venus, quoties exuit vestes, velatur pubem manu sinistra semi reflexa. Bruta junguntur palam & passim: & hoc viso puella distrahit sæpe oculos suos. Cubicula & janua apta sunt secretis nostris: & verenda teguntur veste imposita. Et si non expetimus tenebras, at aliquid umbra obscuræ, atque aliquid minus luce aperta. Tunc quoque cum tegula nondum tuebatur a sole & nimbis, sed quercus præbebant domos & escam; voluptas inita in silva & speluncis, non in aperto; tanta cura pudoris erat crasso populo. At jam laudi ducimus facta nocturna: & nihil comparatur magno, nisi posse loqui. Nempe investigabis omnes ubicunque puellas, ut dicas unicuique; Hæc quoque fuit nostra: ne deficiant, quas tu possis digitis indicare. Ut singulas tetigeris, erunt fabula infamis. Conqueror parva: quidam simulant quæ negarent si essent vera; & cum nulla non dicunt se corpus commiscuisse. Si non possunt tangere corpora, tangunt nomina quæ possunt: & fama habet vitium corpore intacto. Abi jam, oppone januam, custos invisa puellæ: & oppone centum seras duris postibus.

NOTÆ.

(f) *Semireducta*) Id est, *ad mediam usque corporis partem, dexteram versus, adducta.*

(g) *Sed quercus*) De primis loquitur temporibus, quibus glande vixisse homines, & in sylvis habitasse voluerunt.

(h) *Jove*) Id est, *cælo aperto.*

(i) *Titulos*) Eos damnat qui quod nocte egerunt, die; ut inde gloriam consequantur, proferunt.

(k) *Posse loqui*) Vix linguam continere posse dicit.

(l) *Scilicet*) Vim habet prohibendi hoc in loco hæc particula. Negat Poeta singulas esse quæ in urbe sunt recensendas puellas, ut quæ cum illis acta sint seu vero seu falso dicatur.

Quid tuti supereſt, cum nominis extat adulter;
Et credi, quod non contigit eſſe, cupit?
Nos etiam veros parce profitemur amores;
Tectaque ſunt ſolida myſtica furta fide,
Parcite præcipue vitia exprobrare puellæ,
Utile, quæ multis diſſimulaſſe fuit.
Nec *(m)* ſuus Andromedæ color eſt objectus ab illo,
(n) Mobilis in gemino cui pede penna fuit.
Omnibus *(o)* Andromache viſa eſt ſpatioſior æquo:
Unus, qui modicam diceret, Hector erat.
Quod male fers, aſſueſce; feres bene, multa vetuſtas
Lenit: at incipiens omnia ſentit amor.
Dum *(p)* novus in viridi coaleſcit cortice ramus;
Concutiat tenerum quælibet aura, cadet.
Mox eadem ventis ſpatio durata reſiſtet,
Firmaque *(q)* adoptivas arbor habebit opes.
Eximit ipſa dies omnes e corpore mendas;
Quodque fuit vitium, deſinit eſſe mora.
Ferre *(r)* novæ nares taurorum terga recuſant,
Aſſiduo domitas tempore fallit odor.

INTERPRETATIO.

Quid certi reſtat, ſiquidem adulter invenitur nominis; & optat credi quod non contigit eſſe? nos raro proferimus etiam veros amores; & furta myſtica celata ſunt fide firma. Nolite præſertim objicere puellæ, mendas quas multos juvit texiſſe. Nec color ſuus exprobratus Andromedæ ab illo cui ala fuit agitabilis in utroque pede: Andromache viſa eſt major juſto omnibus: Hector erat ſolus qui prædicaret modicam. Quod male toleras, aſſueſce; facile tolerabis: tempus multa delinit: at amor novus advertit omnia. Dum tener ramus adnaſcitur cortici viventi; quilibet ventus agitet tenerum, proteretur. Mox arbor eadem confirmata tempore contra ventos ſtabit, & valida habebit divitias adoptivas. Tempus ipſum tollit omnia vitia e corpore: & quod fuit vitium, ceſſat eſſe mora. Nares non aſſuetæ fugiunt tolerare coria taurorum: odor lateſ victas tempore continuo.

NOTÆ.

(m) *Andromeda*) Cephei Æthiopum regis filia Andromeda fuſca fuiſſe dicitur; quam ob Caſſiopeæ matris ſuperbiam Perſeus Jovis & Danaes filius Ceto, marino monſtro, expoſitam, liberavit.

(n) *Mobilis*) De Perſeo loquitur, qui talaribus, ſeu alatis calceamentis a Mercurio cui ille carus fuit, donatus eſt.

(o) *Andromache* Æetionis Thebarum regis fuit filia, Hectoris Priami filii uxor, qui illi ſtaturæ proceritatem utut ab omnibus cerneretur, non objiciebat, imo modicam dicebat.

(p) *Novus in viridi*) De arborum inſitione loquitur.

(q) *Adoptivas*) De fructibus loquitur, quorum ſuccus ex arbore agreſti equidem, bonitas ex inſito ſurculo eſt tamen.

(r) *Novæ nares*) Homines dicit non aſſuetos, vix primo corii quo calceamenta fiunt, odorem ferre,

No-

Nominibus mollire licet mala, fusca vocetur,
 Nigrior (*s*) Illyrica cui pisce (*t*) sanguis erit.
Si pæta est, Veneri similis: si flava, Minervæ.
 Sit gracilis, macie quæ male viva sua est.
Dic habilem, quæcunque brevis; quæ turgida, plenam:
 Et lateat vitium proximitate boni.
Nec quotus annus eat, nec quo sit nata require
 (*u*) Consule: quæ rigidus munera (*x*) Censor habet.
Præcipue, si flore caret, meliusque peractum
 Tempus; & albentes jam (*y*) legit illa comas.
Utilis, o juvenes, aut hæc, aut serior ætas.
 Iste feret segetes; iste serendus ager.
Dum vires annique sinunt, tolerate labores:
 Jam veniet tacito curva senecta pede.
Aut mare remigiis, aut vomere findite terras;
 Aut fera belligeras addite in arma manus:
Aut latus, & vires, operamque adferte puellis.
 Hoc quoque militiæ est: hoc quoque quærit opes.
Adde, quod est (*z*) illis operum prudentia major:
 Solus & artifices qui facit, usus adest.
Illæ munditiis annorum damna rependunt:
 Et faciunt cura, ne videantur anus.
* * * * * * * *

INTERPRETATIO.

Potes lenire mala nominibus: Dicatur fusca cui sanguis erit obscurior pice Illyrica. Si pæta est, Veneri similis: Si casta, Minervæ: gracilis sit, quæ male viva est macie sua. Dic agilem, quæcunque est parva: & bene habitam, quæ turgida: & vitium tegatur vicinitate boni. Nec pete quotus annus currat, nec quo consule sit nata: quam provinciam censor severus habet. Præsertim, si flos excidit, & anni festiviores exacti & illa jam habet capillos canos. Aut hæc, aut ætas provectior est apta, o Juvenes: iste ager proferet segetes: iste est ferendus. Dum vires & anni concedunt, ferte labores: senectus curva jam aderit pede tacito. Aut sulcate mare remigiis, aut humum vomere; aut conferte manus belligeras in arma sæva: aut adhibete latus & vires & operam puellis. Hoc quoque est militia: hoc quoque postulat vires. Adjice quod illis adest scientia major operum: & experientia quæ sola facit artifices. Illæ compensant damna annorum munditiis, & efficiunt cura ne credantur anus. * * * * * * * * * *

NOTÆ.

(*s*) *Illyrica*) Pro quavis pice. Est autem Illyris, Illyricum seu Illyria regio in ora maris Adriatici, Italiæ opposita.

(*t*) *Sanguis*) Qui cutem colorat *scil.* & per eam videtur.

(*u*) *Consule*) Per Consulum Seriem solebant Romani annos numerare.

(*x*) *Censor*) Cui in aliorum inspicere vitam & mores lege concessum, imo & officio præscriptum.

(*y*) *Legit*) Quas evellet, *scilicet*.

(*z*) *Illis*) Adulatioribus puellis, *scil.*

Finis adest operi. palmam date, grata juventus;
Sertaque odoratæ (a) myrtea ferte comæ.
Quantus apud (b) Danaos (c) Podalirius arte medendi,
Æacides dextra, (d) pectore (e) Nestor erat;
Quantus erat (f) Calchas extis, (g) Telamonius armis,
(h) Automedon curru; tantus amator ego.
Me vatem celebrate, viri; mihi dicite laudes:
Cantetur toto nomen in orbe meum.
Arma dedi vobis. dederat (i) Vulcanus Achilli:
Vincite muneribus, vicit ut ille, datis.
Sed quicunque meo superarit (k) Amazona ferro,
Inscribat spoliis, Naso magister erat.
Ecce rogant teneræ, sibi dem præcepta, puellæ.
Vos eritis chartæ proxima cura meæ.

INTERPRETATIO.

Finis appropinquat operi: date palmam, grata juventus; & exhibete corollas myrteas capillis unctis. Quantum Podalirius erat arte medica apud Græcos, Æacides dextra, Nestor eloquentia. Quantus Calchas visceribus, Telamonius armis, Automedon curru, ego tantus amator. Viri canite me vatem: laudibus me efferte: nomen meum celebretur in toto orbe. Præbui vobis arma: Vulcanus præbuerat Achilli: Victores estote donis exhibitis, ut ille fuit victor. Sed quicunque vicerit Amazona meis telis, insculpat spoliis, Naso erat magister. Ecce puellæ molles orant sibi præbeam documenta. Vos eritis cura proxima charta mea.

NOTÆ.

(a) *Myrtea*) Qua qui Amatoria scriberent Poetæ coronabantur, quia Veneri Myrtus sacra.

(b) *Danaos*) Græcos intellige a Danao Argivorum rege sic dictos.

(c) *Podalirius*) Æsculapii fuit filius, Machaonis frater de quo antea.

(d) *Pectore*) Ex quo melle dulcior Nestoris fluebat oratio.

(e) *Nestor*) Nelei fuit filius, summa prudentia & eloquentia celeberrimus, qui etiam 50. navibus in Trojam cum aliis Græcis Principibus navigavit.

(f) *Calchas*) Thestoris fuit filius, qui etiam cum Græcis ad Trojam profectus est, longe omnium ariolandi peritia, quam ab Apolline didicerat, præstantissimus.

(g) *Telamonius*) Ajax est Telamonis filius, qui Græcis sua virtute in expugnanda Troja multum profuit.

(h) *Automedon*) Achillis fuit auriga: Dioris filius.

(i) *Vulcanus*) Mortuo Patroclo, qui ab Hectore armis Achillis spoliatus, Thetis Achillis mater a Vulcano petiit, ut in ejus gratiam arma filio fabricaret.

(k) *Amazona*) Dicuntur Amazones feminas fuisse, quæ Mæotim & Tanaim incoluerunt, etiam fortissime bellum gesserunt, nisi pleraque fabulosa sunt. Pro quibusvis posuit puellis aut feminis quæ Amoris castra sequantur.

P. OVIDII NASONIS

SULMONENSIS

ARTIS AMATORIÆ

LIBER III.

ARma dedi (*a*) Danais in Amazonas. arma supersunt
Quæ tibi dem, & turmæ, (*b*) Penthesilea, tuæ.
Ite in bella pares: vincant, quibus alma (*c*) Dione
Faverit, & toto qui volat orbe, (*d*) Puer.
Non erat armatis æquum concurrere nudas:
Sic etiam vobis vincere turpe, viri.
Dixerit e multis aliquis, (*e*) Quid virus in anguem
Adjicis? & rabidæ tradis ovile lupæ?
Parcite paucarum diffundere crimen in omnes.
Spectetur meritis quæque puella suis.
Si (*f*) minor Atrides Helenen, (*g*) Helenesque sororem
Quo premat Atrides crimine major habet.
Si scelere (*h*) Occlides (*i*) Talajoniæ Eriphyles
Vivus, & in vivis ad (*k*) tyga venit equis;

INTERPRETATIO.

PRæbui arma Græcis adversus Amazonas: arma restant quæ tibi exhibeam & turmæ tuæ, o Penthesilea. Descendite pares ad militiam: superiores discedant quibus alma Dione faverit, & puer qui volat per omnes terras. Non erat justum inermes descendere adversus armatos: sic etiam victoria potiri vobis indecorum, o viri. Aliquis e multis dixerit, quamobrem addit venenum serpenti? & credit ovile lupæ furenti? nolite spargere vitium paucarum in omnes. Qualibet puella pendatur meritis suis. Si junior Atrides habet crimen quo urgeat Helenen, & major Atrides crimen quo urgeat *sororem Helenes; si Occlides descendit vivus, & in equis vivis ad stygem crimine Eriphyles Talajoniæ;*

NOTÆ.

(a) *Danais*) Id est, *Viris adversus puellas militantibus, illisque insidiantibus.*

(b) *Penthesilea*) Amazonum fuit regina, quæ etiam Trojanis in auxilium venit, & post multa præclara belli facinora ab Achille interfecta est.

(c) *Dione*) Nympham diximus antea Veneris matrem; quæ tamen pro ipsa Venere sæpius ponitur.

(d) *Puer*) Cupido est.

(e) *Quid virus*) Quasi dicat sua nequitia & calliditate satis armatas mulieres.

(f) *Minor*) Menelaus est Atrei minor natu filius, sicuti Agamemnon major fuit.

(g) *Helenesque soror.*) Clytemnestra est, quæ Ægysthi adulteri ope Agamemnonem maritum, ut ante vidimus, trucidavit.

(h) *Occlides*) Amphiaraus est Ocelei filius; augurandi arte peritissimus, quem latitantem Eriphyle uxor, aureo monili corrupta prodidit, & ad bellum Thebanum, ubi se periturum sciebat, compulit: quo factum, ut hiatu terræ, primo quo ad Thebas venit die, absorptus sit.

(i) *Talajoniæ*) *Talajonis Argivorum regis filia.*

(k) *Styga*) *Ad inferos;* Styx enim inferorum fluvius, aut palus.

Est pia Penelope, (l) lustris errante duobus,
Et totidem lustris bella gerente viro.
Respice (m) Phyllaciden: & (n) quæ comes isse marito
Fertur; & ante annos occubuisse suos.
Fata (o) Pheretiadæ conjux (p) Pagasæa redemit:
Proque sui est uxor funere lata viri.
Accipe me, (q) Capaneu; cineres miscebimus, inquit
(r) Iphias: in medios desiluitque rogos.
Ipsa quoque & (s) cultu est & nomine fœmina Virtus.
Non mirum, populo si favet illa suo.
Nec tamen (t) hæ mentes nostra poscuntur ab arte.
Conveniunt cymbæ (u) vela minora meæ.
(x) Nil, nisi lascivi per me discuntur amores:
Fœmina præcipiam quo sit amanda modo.
Fœmina nec flammas, (y) nec sævos discutit arcus.
Parcius hæc video tela nocere viris.

INTERPRETATIO.

Est pia Penelope, marito decem annis vagante, & totidem annis bella gerente. Aspice Phyllaciden, & quæ dicitur descendisse comes marito: & interiisse ante annos suos. Conjux Pagasæa redemit fata Pheretiadæ: & uxor est elata pro funere mariti sui. Excipe me, Capaneu, inquit Iphias, confundemus cineres: & se dedit in medios rogos. Ipsa quoque virtus est fœmina habitu & nomine. Non mirum si illa favet populo suo. Nec tamen ejusmodi ingenia expetuntur ab arte nostra. Vela minora competunt navigio meo. Nihil nisi amores lascivi cognoscuntur per me. Docebo quomodo puella sit amanda. Puella neque excutit flammas, neque arcus feros. Video hæc tela minus obesse viris.

NOTÆ.

(l) *Lustris errante*) Decem annos errasse Ulyssem antequam ad uxorem prostrato Ilio, pervenire posset, voluerunt Poetæ: Ex quo piam Penelopen, pias esse & honestas alias mulieres, quædam si malæ sunt, Naso noster contendit.

(m) *Phyllaciden*) Protesilaus est Iphicli filius, a Phylace quæ sub ejus imperio fuit, sic dictus.

(n) *Quæ comes*) Protesilaum primum e navi descendentem Hector, ut in Laodamiæ uxoris ejus epistola vidimus, mactavit. Quod cum intellexisset fæmina fidissima, ut mortui umbra saltem posset intueri a Diis solatium optavit: qua re impetrata in illius amplexibus expiravit. Sed fabula est.

(o) *Pheretiada*) Admetus est Pheretis filius Thessalus, qui Alcestin Pæliæ filiam uxorem duxit, quæ maritum tanto amore dilexit, ut, parentibus ejus, mortem pro ipso oppetere renuentibus, illam ipsa ultro amplexa fuerit.

(p) *Pagasæa*) Alceste est, quæ a Pagasis Thessaliæ urbe sic dicta est.

(q) *Capaneu*) Fuit Capaneus nobilis Argivus, qui una cum Polynice ad bellum Thebanum profectus, cum Scalas muris admovere vellet, lapidibus a Thebanis fuit obrutus.

(r) *Iphias*) Evadne est, Iphidis filia; quæ cum mariti funus celebraretur, se, nequicquam a tam præclaro amoris facinore patre dehortante, in rogum projecit.

(s) *Cultu*) Habitu muliebri Romæ colebatur Virtus.

(t) *Hæ mentes*) Quæ *scilicet* virtute præditæ. Optime vero quod, fatente ipso nefariæ artis magistro, Virtutem deturbare sit amoribus indulgenti necesse.

(u) *Vela minora*) Metaph. est, cujus sensum si penitus inspicias, non tam fœminas per vela, quam earum mentem, intelligis.

(x) *Nil, nisi*) Multum illi profuerint profecto Nasonis nequitiæ, quicumque nequitias confitenti credere voluerit. Tela prævisa minus nocent; nec minimum confert ad vitam virus omne cognoscere.

(y) *Nec discutit*) *Constanter amat.*

Sæpe

Sæpe viri fallunt; teneræ non sæpe puellæ:
Paucaque, si quæras, crimina fraudis habent.
(z) Phasida jam matrem fallax dimisit Jason:
Venit in (a) Æsonios (b) altera nupta sinus.
Quantum in te, Theseu, volucres Ariadna marinas
(c) Pavit, in ignoto sola relicta loco.
Quære, (d) novem cur iste vias dicatur; & audi
Depositis silvas Phyllida flesse comis.
(e) At famam pietatis habet; tamen hospes & ensem
Præbuit, & causam mortis, (f) Elissa, tuæ.
Quid vos perdiderit, dicam? nescistis amare,
Defuit ars vobis. arte perennat amor,
Nunc quoque nescirent: sed me (g) Cytherea docere
Jussit. & ante oculos constitit ipsa meos.
Tum mihi, quid miseræ, dixit, meruere puellæ?
Traditur armatis vulgus inerme viris.
Illos artifices gemini fecere (h) libelli:
Hæc quoque pars monitis erudienda tuis,

INTERPRETATIO

Viri sæpe decipiunt, puellæ molles non sæpe: & si inquiras arguuntur paucis criminibus fraudis. Jason deceptor repudiavit Phasida jam matrem: altera conjux venit in sinus Æsonios. Theseu, Ariadna destituta in loco sola, præda fuit avibus marinis, quantum in te fuit: Pete cur Phyllis perhibeatur novem vias trivisse; & disce silvas deplorasse Phyllida comis amissis. At laude pietatis celebratur; tamen o Dido tibi hospes exhibuit & gladium, & causam necis tuæ. Docebo quid vos occiderit? nescivistis amare. Ars vos destituit: amor durat arte. Nunc etiam ignorarent: sed Venus imperavit ut docerem: & ipsa se ante oculos meos exhibuit. Tum dixit mihi, quid, admiserunt miseræ puellæ? vulgus nudum proditur viris armatis. Duo libelli præstiterunt illos artifices: hæc quoque pars instituenda præceptis tuis.

NOTÆ.

(z) *Phasida*) Medea est; de qua jam sæpius, a Phaseo Colchorum fluvio.

(a) *Æsonios*) Jasonis Æsoniæ filii.

(b) *Altera*) Creusa *scil.* Creontis Corinthiorum regis filia.

(c) *Pavit*) Quia per Theseum, qui in littore deserto Ariadnen reliquit, quo minus ea moretur & avibus præda esset, non stetit.

(d) *Novem*) Hanc fabulam explicat Hyginus his verbis fabula 59. *Demophoon Thesei filius in Thraciam ad Phyllidem in hospitium dicitur venisse, & ab ea esse amatus. Qui cum in patriam vellet redire, fidem ei dedit se ad eam rediturum. Qui die constituta cum non venisset, illa ea die dicitur novies ad littus cucurrisse, quod ex ea* Enneados *græce appellatur, Phyllis autem ob desiderium Demophoontis spiritum emisit, Cui parentes cum sepulcrum constituissent; arbores ibi sunt natæ, quæ certo tempore Phyllidis mortem lugent, quo folia arescunt & diffluunt. Cujus ex nomine folia græce* Phylla *sunt appellata.*

(e) *Ad famam*) De Ænea loquitur; cujus decantatam pietatem oblique arguens Poeta cum Elissam fraudaverit, quoslibet fallaces esse viros probasse intendit.

(f) *Elissa*) Didonis nomen est proprium; de qua antea in epistola vidimus.

(g) *Cytherea*) Venus est, de qua jam toties.

(h) *Libelli*) Nasoniani quos ante vidimus.

(i) *Hæc*) Puellæ *scilicet*.

Probra (*k*) Therapnææ (*l*) qui dixerat ante maritæ,
Mox cecinit laudes profperiore lyra.
Si bene te novi, cultas ne læde puellas:
Gratia, dum vives, ifta petenda tibi.
Dixit: & e myrto (myrto nam vincta capillos
Confliterat) folium, (*m*) granaque pauca dedit.
Senfimus acceptis numen quoque: (*n*) purior æther
Fulfit, & e toto pectore ceffit (*o*) onus.
Dum (*p*) facit ingenium, petite hinc præcepta, puellæ,
(*q*) Quas pudor, & leges, & fua jura finunt.
Venturæ memores jam nunc eftote fenectæ:
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet, & veros etiam nunc editis annos:
Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.
Nec, quæ præteriit, iterum revocabitur unda:
Nec, quæ præteriit, hora redire poteft.
Utendum eft ætate. cito pede labitur ætas:
Nec bona tam fequitur, quam bona prima fuit.
Hos ego, qui (*r*) canent frutices, violaria vidi:
Hac mihi de fpina grata corona data eft.

INTERPRETATIO.

Qui maledicta objecerat conjugi Therapnææ, mox prædicavit laudes lyra lætiore. Si bene te novi, ne offende puellas ornatas. Hæc gratia tibi quærenda quoad vixeris. Dixit & porrexit folium & grana pauca e myrto: (nam fe fe obtulerat religata comam myrto.) Experti fumus quoque numen donis fumtis: purior æther micuit & pondus difcuffum toto pectore. Dum valet ingenium; hinc fumite documenta puellæ, quas pudor, & leges, & fua jura non prohibent. Memineritis jam nunc fenectutis futuræ: fic nullum tempus vobis effluet vacuum. Ludite dum licet, & agitis etiam nunc annos florentes; anni effluunt ficut aqua liquida, nec unda quæ effluxit iterum revocabitur: nec hora quæ effluxit poteft recurrere. Utendum eft ætate: ætas currit pede celeri: nec tam bona fequitur quam prima fuit bona. Ego vidi violaria, hos frutices qui albicant: jucundum fertum oblatum eft mihi de hac fpina.

NOTÆ.

(k) *Therapnææ*) Helena eft, cui *Therapnæ* oppidum Laconiæ, ubi nata dicitur, hoc dedit nominis.

(l) *Qui*) Stefichorus eft Poeta Lyricus, Siculus, qui carmen in Helenam Trojani excidii facem fcripfit; qua re a Caftore & Polluce Helenæ fratribus occæcatus eft; deinde fomnio monitus, cum palinodiam cecinisset, vifum recepit.

(m) *Granaque*) Paucas myrti baccas.

(n) *Purior*) Aptiffima profecto metaphora cœlo, quo nubibus & nebulis vacuo facilius omnia videntur; ut Veneris donis Poetæ mentem folutam & illuminatam fuiffe intelligas.

(o) *Onus*) Quod incumbebat in tradendis de Amore præceptis, mulieribus.

(p) *Facit*) Ad Venerem retulit Clar. Heinfius. Potius videtur tamen, ut ad puellas referam, quarum ingenium ad amorem propendeat.

(q) *Quas*) Matronas ab his nequitiis in primo ipfe Poeta fejunxerat.

(r) *Canent*) Ariditate *fcil.*

Tem-

Tempus erit, quo tu, quæ nunc excludis amantem,
Frigida deserta nocte jacebis anus:
(s) Nec tua nocturna frangetur janua rixa:
(t) Sparsa nec invenies limina mane rosa.
Quam cito (me miserum!) laxantur corpora rugis,
Et perit in nitido qui fuit ore color!
Quasque fuisse tibi canas a virgine jures,
Spargentur subitæ per caput omne comæ.
(u) Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas;
(x) Nec faciunt cervos cornua jacta senes.
Nostra sine auxilio fugiunt bona. carpite florem:
Qui, nisi carptus erit, turpiter ipse cadet.
Adde, quod & partus faciunt breviora juventæ
Tempora. continua messe senescit ager.
(y) Latmius (z) Endymion non est tibi, Luna, rubori;
Nec (a) Cephalus (b) roseæ præda pudenda Deæ.

INTERPRETATIO.

Tempus veniet, quo tu, quæ nunc propellis amantem, cubabis anus gelida nocte destituta: nec fores tuæ rumpentur jurgio nocturno: nec comperies mane limina conspersa rosa. Quam cito (me infelicem!) corpora marcescunt rugis, & effluit nitor qui floruit in facie splendidus & comæ, quas jures fuisse tibi candidas a puerili ætate, diffluent statim per omne caput. Serpentes deponunt senectutem cum pelle subtili; nec cornua amissa efficiunt cervos senes. Nostra bona dilabuntur sine remedio: decerpite florem, qui nisi decerptus fuerit ipse male defluet. Adde quod partus etiam faciunt tempora juventutis breviora; ager senescit messe assidua. Endymion Latmius non est tibi pudori, o Luna, nec Cephalus præda erubescenda Deæ roseæ.

NOTÆ.

(s) *Nec tua*) Sic Horat. lib. 1. Carm. Ode 25. ad Lydiam,

Parcius junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi:
Nec tibi somnos adimunt, amatque
Janua limen.

(t) *Sparsa*) Amantium tangit vesaniam, qui nocte coronati ante amicæ limen stabant; & exclusi coronas relinquebant.

(u) *Anguibus*) Singulis annis pellem & senectutem exuere angues scripsit Plinius: Tamen & ejusmodi quæ nostrates Indusia vocant, ipsemet vidi, & etiam in agris inveni.

(x) *Nec faciunt*) Quotannis sua cornua amittere cervos procul dubio verum est; quanquam haud scio annon aliqui, præsertim quibus tanta succrescunt, per plures annos ea retineant. Cornibus aut eorum ramis ætas usque ad annum sextum cognoscitur, deinde similia reviviscunt, ex quibus nihil certi de ætate cognoscas; uti quidem veteribus visum. Quæ melius venatores sciunt, hac de re consulendi. Longam agunt ætatem cervi, atque etiam centesimum annum excedunt.

(y) *Latmius*) Dearum exemplo puellas ad amores inducit.

(z) *Endymion*) Pastor quidam fuit, cujus amore Luna capta, cœlo deturbatum & perpetuo somno damnatum in Latmi Cariæ montis specu, a quo Latmius dictus, occultavit.

(a) *Cephalus*) De eo Dejonei, aut, ut alii volunt Mercurii filio, quem Aurora rapuit, neque a dilectissima Procri ad sui amorem potuit perducere antea vidimus, & postea in 6. Metam. videbimus.

(b) *Rosea*) Aurora est, quæ a colore cœli quem ipsa ante Solis exortum induit Rosea dicitur.

Ut

Ut Veneri, quem luget adhuc, donetur (c) Adonis;
Unde habet (d) Ænean (e) Harmonienque suos;
Ite per exemplum, genus o mortale, Dearum;
Gaudia nec cupidis vestra negate viris.
Ut jam decipiant, quid perditis? omnia constant.
Mille licet sumant: deperit inde nihil.
Conteritur ferrum, silices tenuantur ab usu.
Sufficit, & damni pars caret illa metu.
Quid vetet apposito lumen de lumine sumi,
Quisve cavo vastas in mare servet aquas?
(f) Det tamen ulla viro mulier, non expedit, inquis.
(g) Quid, nisi quam sumes, dic mihi, perdis aquam?
Nec vos prostituit mea vox; sed vana timere
Damna vetat. damnis munera vestra carent.
Sed me flaminibus venti majoris iturum,
Dum sumus in (h) portu provehat aura levis.
Ordior a cultu. cultis bene (i) Liber ab uvis
Provenit; & culto stat seges alta solo.
Forma Dei munus: forma quota quæque superbit?
Par vestrum tali munere magna caret.
Cura dabit faciem: facies neglecta peribit;
(k) Idaliæ similis sit licet illa Deæ.

INTERPRETATIO.

Quanquam Adonis condonetur Veneri, quem flet adhuc: unde habet suos Ænean & Hermonica? O gens mortalis imitemini exemplum Dearum; nec denegate gaudia vestra viris cupidis. Qaid amittitis quamvis etiam fallant? omnia permanent. Quamvis mille capiant: nihil inde absumitur; Ferrum exteritur, saxa minuuntur attritu. Illa pars perstat, & caret periculo detrimenti. Quid probibeat lumen accendi de lumine admoto, quisve custodiat aquas latas in æquore cavo? attamen, inquis, non juvat ulla fœmina det viro. Dic mihi quid amittis nisi aquam quam capies? nec mea verba vos pervulgant; sed probibent reformidare vana damna: dona vestra sunt sine detrimento. Sed ventus lenis me impellat, dum navigo in portu, me, inquam, navigaturum flatibus venti vehementioris. Incipio a cultu; Bacchus bene nascitur ex uvis cultis; & seges procera crescit in agro exculto. Forma donum Dei: quota quæque inflatur forma? pars multa vestrum destituitur tali dono. Cura finget formam: forma neglecta evanescet; quamvis illa sit par Deæ Idaliæ.

NOTÆ.

(c) *Adonis*) Filius fuit Cynagæ, Cypriorum regis, quem Venus unice amavit; & apri dente occisum ad desperationem usque flevit.

(d) *Ænean*) Ex Anchise Ænean Venus procreavit: unde & illam viris indulsisse probatur.

(e) *Harmonienque*) Hanc Venus ex Marte suscepit.

(f) Id est; sui faciat copiam: quomodo non semel loquuti sunt & alii.

(g) *Quid nisi*) Qunquam honestissimis verbis, scelera tamen docet, quæ detestandi causa non erasi. Optimum esset longissime a malo cogitare: verum mentem cum subit, id unum superest aversari.

(h) *Portu*) Metaphora est a re nautica; *Portus* pro rei initio positus.

(i) *Liber*) Bacchus est, pro vino, cui præest.

(k) *Idalia*) Venus est ab Idalio Cypri monte.

Cor-

Corpora si veteres non sic coluere puellæ;
Nec veteres cultos sic habuere viros.
Si fuit Andromache tunicas induta (*l*) valentes;
Quid mirum? duri militis uxor erat.
Scilicet Ajaci (*m*) conjux ornata venires,
Cui tegumen septem terga fuere boum?
Simplicitas rudis ante fuit: nunc aurea Roma
Edomiti magnas possidet orbis opes.
Aspice, quæ nunc sunt Capitolia, quæque fuerunt;
(*n*) Alterius dicas illa fuisse Jovis.
(*o*) Curia, concilii quæ nunc dignissima tanti est,
De stipula, (*p*) Tatio regna tenente, fuit.
Quæ nunc sub (*q*) Phœbo (*r*) ducibusque Palatia fulgent;
Quid, nisi araturis pascua bubus, erant?
Prisca juvent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor: hæc ætas moribus apta meis.
Non quia nunc terræ (*f*) lentum subducitur aurum;
Lectaque diverso littore (*t*) concha venit.
Nec quia decrescunt effosso marmore montes:
Nec quia cæruleæ mole (*u*) fugantur aquæ.

INTERPRETATIO.

Si veteres puellæ non sic curarunt corpora; nec veteres habuerunt viros sic expolitos. Si Andromache fuit vestita vestibus crassis; quid mirum? erat conjux asperi militis. Nempe uxor comta adires Ajacem, cui terga septem boum fuerunt tegumentum? olim crassa rusticitas viguit: nunc Roma potens habet magnas divitias orbis perdomiti. Vide Capitolia quæ nunc stant, & quæ steterunt: dicas illa fuisse alterius Jovis. Curia quæ est nunc spectatissima tanto consessu, fuit de stipula, Tatio regnante. Palatia quæ nunc sunt splendida sub Phœbo & ducibus; quid erant nisi pascua bobus terram versaturis? antiqua delectent alios: ego mihi plaudo esse nunc denique natum; hæc ætas convenient moribus meis. Non quia aurum ductile effoditur nunc terra; & concha lecta mittitur littore remoto. Nec quia montes minuuntur marmore reciso: nec quia aquæ Cæruleæ removentur cæmentis.

NOTÆ.

(l) *Valentes*) Crassas & densas fuisse, non quales tum Romæ gestabant bombycinas & pellucidas innuit.

(m) *Conjux*) Tecmessam ancillam dicit, quam Ajax Telamonius amavit.

Movit Ajacem Telamone natum
Forma captiva dominum Tecmessa.
Horat.

(n) *Alterius*) Miseri *scil.* alicujus; non Deum atque hominum patris.

(o) *Curia*) Curiam duorum generum [illegible] se scribit Varro, ubi curarent Sacer[illegible] res divinas, & ubi Senatus humanas.

(p) *Tatio*) Fuit Ta[illegible] acerrimus, quem eti[illegible] pugnam in regni par[illegible]

(q) *Phœbo*) Apollinis Palatini templum intelligit, quod in Palatio Augustus ædificavit.

(r) *Ducibusque*) Augustum præcipue & Tiberium intelligit, quorum ille in palatio habitavit, hic ibidem natus est.

(f) *Lentum*) Quod in tenuissimas laminas duci potest.

(t) *Concha*) Pro baccis seu [illegible] in conchis nascuntur, & e[illegible] mari petuntur, usurpa[illegible] [illegible]ue magnæ, rotun[illegible] [illegible]andidæ.

[illegible] *Fugantur*) In [illegible] [illegible]sis sumtibus [illegible] [illegible]s Romani: [illegible]

Sed

Sed quia cultus adest; nec nostros mansit in annos
  Rusticitas priscis illa superstes avis.
Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
  Quos legit in viridi (x) decolor Indus aqua:
Nec prodite graves insuto vestibus auro:
  Per quas nos petitis, sæpe fugatis, opes.
Munditiis capimur: non sint sine lege capilli.
  Admotæ formam dantque negantque manus:
Nec genus ornatus unum est: quod quamque decebit,
  Eligat; & speculum consulat ante suum.
Longa probat facies capitis (y) discrimina (z) puri:
  Sic erat ornatis Laodamia comis.
Exiguum summa (a) nodum sibi fronte relinqui,
  Ut pateant aures, ora rotunda volunt.
Alterius crines humero jactentur utroque.
  Talis es assumta, Phœbe canore, lyra.
Altera succinctæ (b) religetur more Dianæ:
  Ut solet, attonitas cum petit illa feras.
Huic decet inflatos laxe jacuisse capillos.
  Illa sit adstrictis impedienda comis.
Hanc placet ornari (c) testudine (d) Cyllenæa:
  Sustineat similes fluctibus illa (e) sinus.

INTERPRETATIO.

Sed quia cultus adest; nec mores agrestes vigentes apud avos antiquos duraverunt ad nostrum sæculum. Vos quoque non gravate aures pretiosis lapillis, quos fuscus Indus petit ex glauca aqua. Nec venite in conspectum tarda auro intexto vestimentis: vos sæpe abigitis per divitias, per quas nobis insidiamini. Ducimur munditiis: coma non sit neglecta. Manus adhibitæ conciliant & destruunt formam. Nec genus cultus est unum: Unaquæque sibi assumat quo unaquaque ornabitur, & ante consulat speculum suum. Longa facies expetit discrimina capitis nudi. Laodamia sic erat capillis comtis. Ora rotunda postulant parvum nodum sibi relinqui suprema fronte, ut aures appareant. Capilli alterius spargantur humero utroque. Talis es, Phœbe sonore, lyra capta. Altera nectatur in modum Dianæ expeditæ, ut soles, cum illa insequitur feras timore perculsas. Hanc decorat coma tumens & fluctuans: illa sit implicanda capillis religatis. Gratum est hanc ornari testudine Cyllenæa: illa gerat cincinnos similes fluctibus.

NOTÆ.

(x) *Decolor*) Quia Sole fuscus.

(y) *Discrimina*) Divisionem dicit capillorum.

(z) *Puri*) Id est, *quod sine velamine est.*

(a) *Nodum*) Crines dicit in orbem coactos, quos Juvenalis cincinnum, Martialis annulum appellat.

(b) *Religetur*) Colligi & ad cervicem astringi cupit, ita tamen ut defluant.

(c) *Testudine*) Reticulo curvo in modum testudinis, quo utebantur mulieres ad ornatum capitis.

(d) *Cyllenæa*) Quia ad testudinis similitudinem Mercurius a Cyllene Arcadiæ monte ubi is natus, sic dictus, lyram invenit.

(e) *Sinus*) Capillorum *scil.* aut quos faciant fluctantes.

Sed neque ramosa numerabis in ilice glandes;
Nec quot apes (f) Hyble, nec quot in (g) Alpe feræ;
Nec mihi tot (h) positus numero comprendere fas est.
(i) Adjicit ornatus proxima quæque dies.
Et neglecta decet multas coma (k) sæpe jacere
Hesternam credas; illa repexa modo est.
Ars (l) casum simulet; (m) sic capta vidit ut urbe
(n) Alcides (o) Iolen, Hanc ego, dixit, amo.
Talem te Bacchus, Satyris clamantibus Evœ,
Sustulit in currus, (p) Gnossi relicta, suos.
O quantum indulget vestro Natura decori,
Quarum sunt multis damna pianda modis!
Nos male detegimur, raptique ætate capilli
Ut Borea frondes excutiente, cadunt.
Fœmina canitiem (q) Germanis inficit herbis:
Et melior vero quæritur arte color.
Fœmina procedit (r) densissima crinibus emtis;
Proque suis alios efficit ære suos.
Nec rubor est emisse palam. Vænire videmus
(s) Herculis ante oculos, Virgineumque chorum.]

INTERPRETATIO.

Sed neque comprehendes numero glandes in Ilice ramosa; nec quot apes in Hyble, nec quot feræ in Alpibus: nec possum numerare tot genera cultus: Qualibet dies exoriens invenit ornatus. Capilli neglecti conveniunt etiam multis: sæpe putes hesternos neglectos; illi modo fuerunt ordinati. Ars imitetur casum. Sic statim atque Alcides aspexit Jolen in urbe expugnata, dixit, Ego hanc amo. Bacchus evexit te similem in currus suos, Gnossi destituta, Satyris vociferantibus Evoe. O quantum natura favet vestro honori, quarum vitia sunt tegenda multis modis! nos infeliciter nudamur; & coma sublata ætate defluit, tanquam folia Aquilone prosternente. Fœmina imbuit canos succis Germanis: & color jucundior nativo captatur arte. Fœmina ambulat spississima capillis emptis: & facit alios suos nummis suorum loco. Nec pudet comparasse palam: cernimus vendi coram Hercule & choro virgineo.

NOTÆ.

(f) *Hyble*) Mons est Siciliæ, de quo supra.

(g) *Alpe*) Sunt alpes montes altissimi Galliam ab Italia dividentes.

(h) *Positus*) Quibus in mille figuras flectuntur capilli.

(i) *Adjicit ornatus*) *La mode trouve tous les jours quelque ajustement nouveau.*

(k) *Sæpe jacere*) Ea arte nonnunquam ornatas fuisse dicit puellas, ut non esse viderentur: qua re eo modo ornandas esse nonnullas, sicuti & aliis secus opus est facere, innuit.

(l) *Casum*) Ne sentiant viri arte quæsitam negligentiam.

(m) *Sic*) Haud stulte sapiit Poeta.

(n) *Alcides*) Hercules est, primum a parentibus ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, a robore immenso, sic dictus; vel ab Alcæo avo, ut placet Herodoro.

(o) *Jolen*). Euryti Oechaliæ regis fuit filia quam pater Herculi uxorem dare cum denegaret, vi direpta urbe, & interfecto Euryto, abduxit.

(p) *Gnossi*) Ariadnen dicit, de qua vide quæ supra in epistolis.

(q) *Germanis*) Germania allatis, aut quas a Germanis didicerint: nam quænam sint nescio, nec quibus utuntur hodie in Germania, quod quidem audiverim, canitiem arcent.

(r) *Densissima*) *Crinibus densis.*

(s) *Herculi*) Pluses Romæ Herculi sacras ædes fuisse constat. Hic de illa agitur quam apud Circum Flaminium Herculi & Musis Fulvius Nobilior ædificavit.

Quod

Quid de veste loquar? nec vos, *(t)* segmenta, requiro,
Nec quæ *(u)* bis Tyrio murice lana rubes.
Cum tot prodierint pretio leviore colores;
Qui furor est, census corpore ferre suo?
(x) Aeris ecce color, tum cum sine nubibus aer,
Nec tepidus pluvias concitat Auster aquas.
Ecce *(y)* tibi similis, qui quondam *(z)* Phryxon & Hellen
Diceris *(a)* Inois eripuisse dolis.
(b) Hic undas imitatus, habet quoque nomen ab undis:
Crediderim Nymphas hac ego veste tegi.
Ille crocum simulat: croceo velatur amictu
(c) Roscida luciferos cum Dea jungit equos.
Hic *(d)* Paphias myrtos: hic purpureas *(e)* amethystos,
Albentesve rosas, Threiciamve *(f)* gruem.
Nec *(g)* glandes, Amarylli, tuæ, nec amygdala desunt:
Et sua velleribus nomina cera dedit.
Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas; pigraque cedit hiems:
Lana tot, aut *(h)* plures succos bibit; elige *(i)* certos.
Nam non conveniens omnibus omnis erit.

INTERPRETATIO.

Quid dicam de vestimentis? Nec vos expeto, segmenta; nec te lana: quæ fulges bis Tyrio murice: Cum tot sint inventi colores pretio minore; quis furor est bajulare census corpore suo? ecce color aeris, tum cum aer est sine nubibus, nec Notus tepidus vehit aquas pluvias. Ecce color tibi similis qui jactaris abstulisse olim Phryxon & Hellen fraudibus Inoi. Hic undis similis, habet quoque nomen ab undis similis arbitratus fuero nymphas hac veste velari: Ille imitatur crocum: Dea roscida tegitur veste crocea cum copulat equos luciferos. Hic simulat Myrtos Paphias: hic Amethystos purpureas, vel rosas albicantes, vel gruem Thraciam. Nec glandes tuæ, Amarylli, nec amygdala desiderantur. Cera etiam imposuit suum nomen lanis. Quot flores terra nova gignit, cum vitis protrudit gemmas vere tepido: & hiems segnis fugit; lana imbuitur tot aut pluribus succis: dispice decentes: nam non omnis erit congruens omnibus.

NOTÆ.

(t) *Segmenta*) Vestes intelligit auro vel aureis segmentis aut etiam fasciolis distinctas.

(u) *Bis*) Dibapham appellabant, lanam bis tinctam murice.

(x) *Aeris*) Cæsius appellatur, nonnullis hyacinthinus.

(y) *Tibi similis*) Referendum est ad aureum arietis Phrixei colorem.

(z) *Phryxon*) Fuit Phryxus Athamantis regis Thebarum filius, qui novercæ Inus insidias declinans, una cum sorore Helle ex Græcia in Colchida profugit, nisi quod puellam, aureo ariete mare cum fratre transfretantem, in Hellespontum, cui nomen dedit, ferunt delapsam.

(a) *Inois*) Inus novercæ, Cadmi filiæ.

(b) *Hic und.*) Glaucum designat, ni fallor; quanquam de undulatis vestibus exponit Micyllus.

(c) *Roscida*) Auroram dicit, quæ mane quia surgit perfusa est.

(d) *Paphias*) Veneri sacra myrtus, quæ à Papho Cypri, Veneri urbe sacra, Paphia dicitur. Coloris autem est viridis nigricantis.

(e) *Amethystos*) Violaceum colorem intelligit ab Amethysto gemma appellatum.

(f) *Gruem*) Avis est nota, qua hoc in loco ejus colorem cineraceum intelligit Poeta.

(g) *Glandes*) Castaneas dicit quas Maronis *Amaryllis amabat*.

(h) *Plures*) Id est, *varii coloris*.

(i) *Certos*) Decentes *scil.*

Pul-

Pulla decent niveas: Briseida pulla decebant.
Cum (*k*) rapta est, pulla tum quoque veste fuit.
Alba decent fuscas: albis, (*l*) Cephei, placebas.
Sic tibi vestitæ pressa (*m*) Seriphos erat.
Quam pæne admonui, ne trux (*n*) caper iret in alas,
Neve forent duris aspera crura pilis!
(*o*) Sed non (*p*) Caucasea doceo de rupe puellas,
Quæque bibant undas, (*q*) Myse Caice, tuas.
Quid, si præcipiam, ne fuscet inertia dentes;
Oraque suscepta mane laventur aqua?
Scitis & (*r*) inducta candorem quærere cera,
Sanguine quæ vero non rubet; arte rubet.
Arte, supercilii confinia (*s*) nuda repletis,
Parvaque sinceras velat (*t*) aluta genas.
Nec pudor est oculos tenui signare favilla;
Vel prope te nato, lucide (*u*) Cydne, croco.
Est mihi, quo dixi vestræ medicamina formæ,
Parvus, sed cura grande (*x*) libellus opus.

INTERPRETATIO.

Nigra decent candidas: nigra decebant Briseida. Induta erat quoque nigro amictu tum cum capta est. Candida decent fuscas: grata eras in candidis, Cephei. Seriphos erat calcata a te sic velata. Quam prope jussi ne truculentus hircus cubares in axillis; neve crura essent scabrosa pilis asperis! Sed non instituo puellas de saxo Caucaseo, & quæ potent aquas tuas, Caice Myse. Quid, si moneam ne pigritia denigret dentes, & ora abluantur mane aqua sumta? nostis etiam captare alborem cera illita. Quæ non rubet sanguine sincero; rubet artificio. Artificio repletis confinia vacua supercilii, & tenuis aluta tegit veras genas. Nec pudet circumlinire oculos tenui favilla; vel croco juxta te nato, clare Cydne. Est mihi libellus parvus, sed opus magnum cura quo scripsi medicamina vestræ formæ.

NOTÆ.

(k) *Rapta*) Vel ab Achille, ejus diruta patria, vel ab Agamemnone, qui eandem Achilli, Talthybio & Eurybate ad eam rem missis præconibus, mœstam & recusantem eripuit.

(l) *Cephei*) Andromeda est; Cephei Æthiopum regis filia.

(m) *Seriphos*) Parva est insula Cycladum una in Ægæo, ubi educatum Perseum tradunt.

(n) *Caper*) Alarum fœtorem dicit, qui capri odorem refert; unde in illis cubare jocose dicitur.

(o) *Sed non*) Romanas puellas per se satis cautas & curiosas dicit, ut minutas munditias eas docere non sit necesse.

(p) *Caucasea*) Est Caucasus mons Scythiam ab India dirimens usque ad Taurum porrectus; ubi ferocissimi & durissimi vivunt homines.

(q) *Myse*) Caicus fluvius est Phrygiæ & Lydiæ a Mysia veniens.

(r) *Inducta*) Quam nostræ vocant *Pommade*.

(s) *Nuda*) Fœminæ calamistro & coloribus superciliorum raritatem emendabant. Juvenal.

Ille supercilium madida fuligine tinctum,
Obliqua producit acu.

(t) *Aluta*) Pellis est mollissima.

(u) *Cydne*) Fluvius est Ciliciæ, unde optimus crocus afferebatur, quo etiam, sicuti & cineribus, aut ejusmodi pigmentis in venustandis oculis utebantur.

(x) *Libellus*) De eo Ovidii libello quem de medicamine faciei scripsit, postea videbimus.

Hinc

Hinc quoque præsidium læsæ petitote figuræ :
Non est pro vestris ars mea rebus iners.
Non tamen expositas mensa deprendat amator
(y) Pyxidas ; ars faciem dissimulata juvet.
Quem non offendat toto fæx illita vultu,
Cum fluit in tepido pondere lapsa sinus ?
(z) Oesypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis,
Demtus ab immundo vellere succus ovis ?
Nec coram mistas cervæ sumsisse medullas,
Nec coram dentes defricuisse probem.
Ista dabunt (a) faciem ; sed erunt deformia visu.
Multaque, dum fiunt turpia, facta placent.
Quæ nunc nomen habent operosi signa (b) Myronis,
Pondus iners quondam duraque massa fuit.
Anulus ut fiat, primo colliditur aurum :
Quas geritis vestes, sordida lana fuit.
Cum fieret, lapis asper erat ; nunc nobile signum
Nuda (c) Venus madidas (d) exprimit imbre comas.
Tu quoque cum coleris, nos te dormire putemus ;
Aptius (e) a summa conspiciare manus.
Cur mihi (f) nota tuo causa est candoris in ore ?
Claude forem thalami, quid rude prodis opus ?

INTERPRETATIO.

Sumite quoque hinc auxilium formæ imminutæ ; ars mea non est segnis pro vestris rebus. Attamen amator nec corripiat Pyxidas explicitas mensa : ars latens formam adjuvet. Quem non lædat fæx sparsa tota facie, cum fluit in sinus tepidos decidens pondere ? Oesypa, succus extractus ab impuro vellere ovis quid olent, quamvis asportentur Athenis ? nec laudem coram cepisse medullas confusas cervæ ; nec purgasse coram dentes. Ista formam præstabunt ; sed erunt visu turpia ; & multa indecora, dum fiunt, facta placent. Signa quæ nunc celebrantur accurati Myronis, fuerunt olim pondus grave & moles dura. Ut anulus fiat, aurum primo tunditur. Vestimenta quibus tegimini, fuit lana obscœna. Cum fieret, erat saxum durum ; nunc præstans signum Venus nuda siccat capillos humidos aqua. Tu etiam cum ornaris, nos credamus te dormire ; melius spectaberis a manu ultima. Quamobrem causa alboris in facie tua sit mihi perspecta ? Obde ostium cubiculi ; quare ostendis opus infectum ?

NOTÆ.

(y) *Pyxidas*) Quibus sua pigmenta puellæ asservant.

(z) *Oesypa*) Medicamentum aut pigmentum dicit, quod ex sordibus ovillæ lanæ, illius præsertim quæ natibus adhærescit, extrahitur : Cujus extrahendi modum Plinius, & ante ipsum Dioscorides docuit.

(a) *Faciem*) Aut ejus pulchritudinem.

(b) *Myronis*) Statuarius fuit insignis Ageladis discipulus, quem Petronius pene hominum animas ferarumque ære comprehendisse dicit : quanquam alius fuit Polycleti discipulus.

(c) *Venus*) De illa licet intelligere decantatissima Venere Praxitelica nuda, quæ fuit in templo Bruti Callaici, una cum Martis colosso, apud Circum Flaminium : Quanquam & plures aliæ fuerunt Veneris statuæ.

(d) *Exprimit*) Talem plurimi artifices, e mari exeuntem Venerem sculpserant & pinxerant.

(e) *A summa*) Id est, postquam suo cultui ultimam manum puella posuit.

(f) *Nota*) Non vult Poeta qua causa candido sit vultu puella cognoscere, sed nativum esse ejus colorem credere.

Mul-

Multa viros nescire decet, pars maxima rerum
Offendat, si non interiora tegas.
Aurea quæ pendent ornato signa theatro
Inspice, quam *(g)* tenuis bractea ligna tegat.
Sed neque ad illa licet populo, nisi facta, venire;
Nec nisi submotis *(h)* forma paranda viris.
At non pectendos coram præbere capillos,
Ut jaceant fusi per tua terga, vetem.
Illo præcipue, ne sis morosa, caveto
Tempore: nec *(i)* lapsas sæpe resolve comas.
(k) Tuta sit ornatrix. odi, quæ sauciat ora
Unguibus, & rapta *(l)* brachia figit acu.
Devovet, & dominæ tangit caput illa: simulque
Plorat ad invisas *(m)* sanguinolenta comas.
Quæ male crinita est, custodem in limine ponat;
Orneturve *(n)* Bonæ semper *(o)* in æde Deæ.
Dictus eram cuidam subito venisse puellæ;
Turbida *(p)* perversas induit illa comas.
Hostibus eveniat tam fœdi causa pudoris;
Inque nurus *(q)* Parthas dedecus illud eat.

INTERPRETATIO.

Decet viros ignorare multa: pars maxima rerum lædat, si non veles interiora. Signa aurea intuere, quæ pendent culto theatro: quam tenuis lamella ligna operiat. Sed neque datur populo accedere ad illa nisi absoluta; nec forma quærenda nisi viris dimissis. At coram coram ornandam non prohibeam tradere; ut jaceat sparsa per tua terga. Vide præsertim ne sis difficilis illo tempore: nec sæpe diffinge comas lapsas. Secura sit ornatrix: odi quæ vulnerat faciem unguibus, & fodit brachia acu correpta. Illa male precatur & tractat caput Dominæ: & simul cruenta lacrymatur ad comas odiosas. Quæ male comata est custodem statuat in limine; vel comatur semper in templo bonæ Deæ. Nuntiatum fuerat me intervenire repente cuidam puellæ; illa turbata sumit comas adscititias. Causa tam turpis pudoris accidat hostibus, & illud dedecus cadat in nurus Parthas.

NOTÆ.

(g) *Tenuis*) Vix credibilis est tenuitas in quam aurum deduci potest.

(h) *Forma*) Faciem sibi, viris remotis, fingendam esse docet puellas.

(i) *Lapsas*) Forte per *lapsas* comas intelligit, quas non satis apte ornatrix astrinxit; quamobrem morosa domina totum opus destruat, & de novo fingendos & pectendos capillos jubeat.

(k) *Tuta sit*) Ornatricem pulsare, aut alia injuria afficere vetat.

(l) *Brachia figit*) Ornatricis *scil.* quam domina imperitam aut malam clamitet. Quod præcedenti nostræ expositioni non parum favere videtur.

(m) *Sanguinolenta*) Si domina, *scilicet*, ipsam verberaverit.

(n) *Bona Dea*) Cybele est Deorum mater, bona Dea, Fauna & fatua dicta, ut nonnullis placet. Tantæ autem pudicitiæ hæc Fauna seu bona Dea fertur fuisse, ut dum vixit illam nisi maritus Faunus, mas nullus viderit; quam ille propter ebrietatem virgis myrteis occidit: Unde illi in operto sacrificandi & viros excludendi mos fluxit Tibullus.

Sacra Bonæ, maribus non adeunda, Deæ.

(o) *In æde*) Id est, *ubi nulli sint viri.*

(p) *Perversas*) *Capillos adscititios.*

(q) *Parthas*) Pro quibusvis posuit hostium puellis, quia ex Crassiana & Antoniana clade Romanis formidabiles Parthi

Probra (*k*) Therapnææ (*l*) qui dixerat ante maritæ,
Mox cecinit laudes prosperiore lyra.
Si bene te novi, cultas ne læde puellas:
Gratia, dum vives, ista petenda tibi.
Dixit: & e myrto (myrto nam vincta capillos
Constiterat) folium, (*m*) granaque pauca dedit:
Sensimus acceptis numen quoque: (*n*) purior æther
Fulsit, & e toto pectore cessit (*o*) onus.
Dum (*p*) facit ingenium, petite hinc præcepta, puellæ,
(*q*) Quas pudor, & leges, & sua jura sinunt.
Venturæ memores jam nunc estote senectæ:
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet, & veros etiam nunc editis annos:
Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.
Nec, quæ præteriit, iterum revocabitur unda:
Nec, quæ præteriit, hora redire potest.
Utendum est ætate. cito pede labitur ætas:
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.
Hos ego, qui (*r*) canent frutices, violaria vidi:
Hac mihi de spina grata corona data est.

INTERPRETATIO.

Qui maledicta objecerat conjugi Therapnææ, mox prædicavit laudes lyra lætiore. Si bene te novi, ne offende puellas ornatas. Hæc gratia tibi quærenda quoad vixeris. Dixit & porrexit folium & grana pauca e myrto: (nam se se obtulerat religata comam myrto.) Experti sumus quoque numen donis sumtis: purior æther micuit & pondus discussum toto pectore. Dum valet ingenium; hinc sumite documenta puellæ, quas pudor, & leges, & sua jura non prohibent. Memineritis jam nunc senectutis futuræ: sic nullum tempus vobis effluet vacuum. Ludite dum licet, & agitis etiam nunc annos florentes; anni effluunt sicut aqua liquida, nec unda quæ effluxit iterum revocabitur: nec hora quæ effluxit potest recurrere. Utendum est ætate: ætas currit pede celeri: nec tam bona sequitur quam prima fuit bona. Ego vidi violaria, hos frutices qui albicant: jucundum sertum oblatum est mihi de hac spina.

NOTÆ.

(k) *Therapnææ*) Helena est, cui Therapne oppidum Laconiæ, ubi nata dicitur, hoc dedit nominis.

(l) *Qui*) Stesichorus est Poeta Lyricus, Siculus, qui carmen in Helenam Trojani excidii facem scripsit; qua re a Castore & Polluce Helenæ fratribus occæcatus est; deinde somnio monitus, cum palinodiam cecinisset, visum recepit.

(m) *Granaque*) Paucas myrti baccas.

(n) *Purior*) Aptissima profecto metaphora cœlo, quo nubibus & nebulis vacuo facilius omnia videntur; ut Veneris donis Poetæ mentem solutam & illuminatam fuisse intelligas.

(o) *Onus*) Quod incumbebat in tradendis de Amore præceptis, mulieribus.

(p) *Facit*) Ad Venerem retulit Clar. Heinsius. Potius videtur tamen, ut ad puellas referam, quarum ingenium ad amorem propendeat.

(q) *Quas*) Matronas ab his nequitiis in primo ipse Poeta sejunxerat.

(r) *Canent*) Ariditate *scil.*

Tem-

Tempus erit, quo tu, quæ nunc excludis amantem,
  Frigida deserta nocte jacebis anus:
(ſ) Nec tua nocturna frangetur janua rixa:
  (r) Sparsa nec invenies limina mane rosa.
Quam cito (me miserum!) laxantur corpora rugis,
  Et perit in nitido qui fuit ore color!
Quasque fuisse tibi canas a virgine jures,
  Spargentur subitæ per caput omne comæ.
(u) Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas;
  (x) Nec faciunt cervos cornua jacta senes.
Nostra sine auxilio fugiunt bona. carpite florem:
  Qui, nisi carptus erit, turpiter ipse cadet.
Adde, quod & partus faciunt breviora juventæ
  Tempora. continua messe senescit ager.
(y) Latmius (z) Endymion non est tibi, Luna, rubori;
  Nec (a) Cephalus (b) roseæ præda pudenda Deæ.

INTERPRETATIO.

Tempus veniet, quo tu, quæ nunc propellis amantem, cubabis anus gelida nocte destituta: nec fores tua rumpentur jurgio nocturno: nec comperies mane limina conspersa rosa. Quam cito (me infelicem!) corpora marcescunt rugis, & effluit nitor qui floruit in facie splendidus & comæ, quas jures fuisse tibi candidas a puerili ætate, diffluent statim per omne caput. Serpentes deponunt senectutem cum pelle subtili; nec cornua amissa efficiunt cervos senes. Nostra bona dilabuntur sine remedio: deripite florem, qui nisi dereptus fuerit ipse male defluet. Adde quod partus etiam faciunt tempora juventutis breviora; ager senescit messe assidua. Endymion Latmius non est tibi pudori, o Luna, nec Cephalus præda erubescenda Deæ roseæ.

NOTÆ.

(ſ) *Nec tua*) Sic Horat. lib. 1. Carm. Ode 25. ad Lydiam,

Parcius junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi:
Nec tibi somnos adimunt, amatque
Janua limen.

(r) *Sparsa*) Amantium tangit vesaniam, qui nocte coronati ante amicæ limen stabant; & exclusi coronas relinquebant.

(u) *Anguibus*) Singulis annis pellem & senectutem exuere angues scripsit Plinius: Immo & ejusmodi quæ nostrates Indosia vocant, ipsemet vidi, & etiam in agris inveni.

(x) *Nec faciunt*) Quotannis sua cornua amittere cervos procul dubio verum est; quanquam haud scio annon aliqui, præsertim quibus tanta succrescunt, per plures annos ea retineant. Cornibus aut eorum ramis ætas usque ad annum sextum cognoscitur, deinde similia reviviscunt, ex quibus nihil certi de ætate cognoscas; uti quidem veteribus visum. Quæ melius venatores sciunt, hac de re consulendi. Longam agunt ætatem cervi, atque etiam centesimum annum excedunt.

(y) *Latmius*) Dearum exemplo puellas ad amores inducit.

(z) *Endymion*) Pastor quidam fuit, cujus amore Luna capta, cœlo deturbatum & perpetuo somno damnatum in Latmi Cariæ montis specu, a quo Latmius dictus, occultavit.

(a) *Cephalus*) De eo Dejonei, aut, ut alii volunt Mercurii filio, quem Aurora rapuit, neque a dilectissima Procri ad sui amorem potuit perducere antea vidimus, & postea in 6. Metam. videbimus.

(b) *Rosea*) Aurora est, quæ a colore cœli quem ipsa ante Solis exortum induit Rosea dicitur.

Ut Veneri, quem luget adhuc, donetur (c) Adonis;
Unde habet (d) Ænean (e) Harmonienque suos;
Ite per exemplum, genus o mortale, Dearum;
Gaudia nec cupidis vestra negate viris.
Ut jam decipiant, quid perditis? omnia constant.
Mille licet sumant: deperit inde nihil.
Conteritur ferrum, silices tenuantur ab usu.
Sufficit, & damni pars caret illa metu.
Quid vetet apposito lumen de lumine sumi,
Quisve cavo vastas in mare servet aquas?
(f) Det tamen ulla viro mulier, non expedit, inquis.
(g) Quid, nisi quam sumes, dic mihi, perdis aquam?
Nec vos prostituit mea vox; sed vana timere
Damna vetat. damnis munera vestra carent.
Sed me flaminibus venti majoris iturum,
Dum sumus in (h) portu provehat aura levis.
Ordior a cultu. cultis bene (i) Liber ab uvis
Provenit; & culto stat seges alta solo.
Forma Dei munus: forma quota quæque superbit?
Par vestrum tali munere magna caret.
Cura dabit faciem: facies neglecta peribit;
(k) Idaliæ similis sit licet illa Deæ.

INTERPRETATIO.

Quanquam Adonis condonetur Veneri, quem flet adhuc: unde habet suos Ænean & Hermonien? O gens mortalis imitemini exemplum Dearum; nec denegate gaudia vestra viris cupidis. Quid amittitis quamvis etiam fallant? omnia permanent. Quamvis mille capiant: nihil inde absumitur; Ferrum exteritur, saxa minuuntur attritu. Illa pars perstat, & caret periculo detrimenti. Quid probibeat lumen accendi de lumine admoto, quisve custodiat aquas latas in æquore cavo? attamen, inquis, non juvat ulla fœmina det viro. Dic mihi quid amittis nisi aquam quam capies? nec mea verba vos pervulgant; sed probibent reformidare vana damna: dona vestra sunt sine detrimento. Sed ventus lenis me impellat, dum navigo in portu, me, inquam, navigaturum flatibus venti vehementioris. Incipio a cultu; Bacchus bene nascitur ex uvis cultis: & seges procera crescit in agro exculto. Forma donum Dei: quota quæque inflatur forma? pars multa vestrum destituitur tali dono. Cura finget formam: forma neglecta evanescet; quamvis illa sit par Dea Idalia.

NOTÆ.

(c) *Adonis*) Filius fuit Cynagæ, Cypriorum regis, quem Venus unice amavit; & apri dente occisum ad desperationem usque flevit.

(d) *Ænean*) Ex Anchise Ænean Venus procreavit, unde & illam viris indulsisse probatur.

(e) *Harmonienque*) Hanc Venus ex Marte suscepit.

(f) Id est; sui faciat copiam: quomodo non semel loguuti sunt & alii.

(g) *Quid nisi*) Qunquam honestissimis verbis, scelera tamen docet, quæ detestandi causa non erasi. Optimum esset longissime a malo cogitare: verum mentem cum subit, id unum superest aversari.

(h) *Portu*) Metaphora est a re nautica: *Portus* pro rei inisio positus.

(i) *Liber*) Bacchus est, pro vino, cui præest.

(k) *Idalia*) Venus est ab Idalio Cypri monte.

Cor-

Corpora si veteres non sic coluere puellæ;
Nec veteres cultos sic habuere viros.
Si fuit Andromache tunicas induta (*l*) valentes;
Quid mirum? duri militis uxor erat.
Scilicet Ajaci (*m*) conjux ornata venires,
Cui tegumen septem terga fuere boum?
Simplicitas rudis ante fuit: nunc aurea Roma
Edomiti magnas possidet orbis opes.
Aspice, quæ nunc sunt Capitolia, quæque fuerunt;
(*n*) Alterius dicas illa fuisse Jovis.
(*o*) Curia, concilii quæ nunc dignissima tanti est,
De stipula, (*p*) Tatio regna tenente, fuit.
Quæ nunc sub (*q*) Phœbo (*r*) ducibusque Palatia fulgent;
Quid, nisi araturis pascua bubus, erant?
Prisca juvent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor: hæc ætas moribus apta meis.
Non quia nunc terræ (*s*) lentum subducitur aurum;
Lectaque diverso littore (*t*) concha venit.
Nec quia decrescunt effosso marmore montes:
Nec quia cæruleæ mole (*u*) fugantur aquæ.

INTERPRETATIO.

Si veteres puellæ non sic curarunt corpora; nec veteres habuerunt viros sic expolitos. Si Andromache fuit vestita vestibus crassis; quid mirum? erat conjux asperi militis. Nempe uxor comta adires Ajacem, cui terga septem boum fuerunt tegumentum? olim crassa rusticitas viguit: nunc Roma potens habet magnas divitias orbis perdomiti. Vide Capitolia quæ nunc stant, & quæ steterunt; dicas illa fuisse alterius Jovis. Curia quæ est nunc spectatissima tanto consessu, fuit de stipula, Tatio regnante. Palatia quæ nunc sunt splendida sub Phœbo & ducibus; quid erant nisi pascua bobus terram versaturis? antiqua delectent alios: ego mihi plaudo esse nunc denique natum; hæc ætas convenient moribus meis. Non quia aurum ductile effoditur nunc terra; & concha lecta mittitur littore remoto. Nec quia montes minuuntur marmore reciso: nec quia aquæ Cæruleæ removentur cæmentis.

NOTÆ.

(l) *Valentes*) Crassas & densas fuisse, non quales tum Romæ gestabant bombycinas & pellucidas innuit.

(m) *Conjux*) Tecmessam ancillam dicit, quam Ajax Telamonius amavit.

Movit Ajacem Telamone natum
Forma captiva dominum Tecmessa.
Horat.

(n) *Alterius*) Miseri *scil.* alicujus; non Deum atque hominum patris.

(o) *Curia*) Curiam duorum generum fuisse scribit Varro, ubi curarent Sacerdotes res divinas, & ubi Senatus humanas.

(p) *Tatio*) Fuit Tatius Sabinorum dux acerrimus, quem etiam post atrocissimam pugnam in regni partem Romulus accepit.

(q) *Phœbo*) Apollinis Palatini templum intelligit, quod in Palatio Augustus ædificavit.

(r) *Ducibusque*) Augustum præcipue & Tiberium intelligit, quorum ille in palatio habitavit, hic ibidem natus est.

(s) *Lentum*) Quod in tenuissimas laminas duci potest.

(t) *Concha*) Pro baccis seu margaritis quæ in conchis nascuntur, & ex rubro aut Indico mari petuntur, usurpavit. Laudatissimæ sunt quæ magnæ, rotundæ, ponderosæ, læves, candidæ.

(u) *Fugantur*) In mari voluptatis causa immensis sumtibus ædificabant luxuria diffluentes Romani: quod non uno loco queritur Horatius.

Sed

Sed quia cultus adest; nec nostros mansit in annos
Rusticitas priscis illa superstes avis.
Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi (*x*) decolor Indus aqua.
Nec prodite graves insuto vestibus auro:
Per quas nos petitis, sæpe fugatis, opes.
Munditiis capimur: non sint sine lege capilli.
Admotæ formam dantque negantque manus:
Nec genus ornatus unum est: quod quamque decebit,
Eligat; & speculum consulat ante suum.
Longa probat facies capitis (*y*) discrimina (*z*) puri:
Sic erat ornatis Laodamia comis.
Exiguum summa (*a*) nodum sibi fronte relinqui,
Ut pateant aures, ora rotunda volunt.
Alterius crines humero jactentur utroque.
Talis es assumta, Phœbe canore, lyra.
Altera succinctæ (*b*) religetur more Dianæ:
Ut solet, attonitas cum petit illa feras.
Huic decet inflatos laxe jacuisse capillos.
Illa sit adstrictis impedienda comis.
Hanc placet ornari (*c*) testudine (*d*) Cyllenæa:
Sustineat similes fluctibus illa (*e*) sinus.

INTERPRETATIO.

Sed quia cultus adest; nec mores agrestes vigentes apud avos antiquos duraverunt ad nostrum sæculum. Vos quoque non gravate aures pretiosis lapillis, quos fuscus Indus petit ex glauca aqua. Nec venite in conspectum tardæ auro intexto vestimentis: nos sæpe abigitis per divitias, per quas nobis insidiamini. Ducimur munditiis: coma non sit neglecta. Manus adhibitæ conciliant & destruunt formam. Nec genus cultus est unum: Unaquæque *sibi assumat quo unaquæque ornabitur, & ante consulat speculum suum. Longa facies expetit discrimina capitis nudi. Laodamia sic erat capillis comtis. Ora rotunda postulant parvum nodum sibi relinqui suprema fronte, ut aures appareant. Capilli alterius spargantur humero utroque. Talis es, Phœbe sonore, lyra capta. Altera nectatur in modum Dianæ expeditæ: ut solet, cum illa insequitur feras timore perculsas. Hanc decorat coma tumens & fluctuans: illa sit implicanda capillis religatis. Gratum est hanc ornari testudine Cyllenæa: illa gerat cincinnos similes fluctibus.*

NOTÆ.

(x) *Decolor*) Quia Sole fuscus.

(y) *Discrimina*) Divisionem dicit capillorum.

(z) *Puri*) Id est, *quod sine velamine est.*

(a) *Nodum*) Crines dicit in orbem coactos, quos Juvenalis cincinnum, Martialis annulum appellat.

(b) *Religetur*) Colligi & ad cervicem astringi cupit, ita tamen ut defluant.

(c) *Testudine*) Reticulo curvo in modum testudinis, quo utebantur mulieres ad ornatum capitis.

(d) *Cyllenæa*) Quia ad testudinis similitudinem Mercurius a Cyllene Arcadiæ monte ubi is natus, sic dictus, lyram invenit.

(e) *Sinus*) Capillorum *scil.* aut quos faciant fluctantes.

Sed

Sed neque ramosa numerabis in ilice glandes;
Nec quot apes (f) Hyble, nec quot in (g) Alpe feræ;
Nec mihi tot (h) positus numero comprendere fas est.
(i) Adjicit ornatus proxima quæque dies.
Et neglecta decet multas coma (k) sæpe jacere
Hesternam credas; illa repexa modo est.
Ars (l) casum simulet; (m) sic capta vidit ut urbe
(n) Alcides (o) Iolen, Hanc ego, dixit, amo.
Talem te Bacchus, Satyris clamantibus Evœ,
Sustulit in currus, (p) Gnossi relicta, suos.
O quantum indulget vestro Natura decori,
Quarum sunt multis damna pianda modis!
Nos male detegimur, raptique ætate capilli
Ut Borea frondes excutiente, cadunt.
Fœmina canitiem (q) Germanis inficit herbis:
Et melior vero quæritur arte color.
Fœmina procedit (r) densissima crinibus emtis;
Proque suis alios efficit ære suos.
Nec rubor est emisse palam. Vænire videmus
(s) Herculis ante oculos, Virgineumque chorum.

INTERPRETATIO.

Sed neque comprehendes numero glandes in ilice ramosa; nec quot apes in Hyble, nec quot feræ in Alpibus; nec possum numerare tot genera cultus: Qualibet dies exoriens invenit ornatus. Capilli neglecti conveniunt etiam multis; sæpe putes hesternos neglectos; illi modo fuerunt ordinati. Ars imitetur casum. Sic statim atque Alcides aspexit Iolen in urbe expugnata, dixit, Ego hanc amo. Bacchus evexit te similem in currus suos, Gnossi destituta, Satyris vociferantibus Evoe. O quantum natura favet vestro honori, quarum vitia sunt tegenda multis modis! nos infeliciter nudamur; & comæ sublata ætate defluit, tanquam folia Aquilone prosternente. Fœmina imbuit canos succis Germanis; & color jucundior nativo captatur arte. Fœmina ambulat spississima capillis emptis; & facit alios suos nummis suorum loco. Nec pudet comparasse palam; cernimus vendi coram Hercule & choro virgineo.

NOTÆ.

(f) *Hyble*) Mons est Siciliæ, de quo supra.

(g) *Alpe*) Sunt alpes montes altissimi Galliam ab Italia dividentes.

(h) *Positus*) Quibus in mille figuras flectuntur capilli.

(i) *Adjicit ornatus*) *La mode trouve tous les jours quelque ajustement nouveau.*

(k) *Sæpe jacere*) Ea arte nonnunquam ornatas fuisse dicit puellas, ut non esse viderentur: qua re eo modo ornandas esse nonnullas, sicuti & aliis secus opus est facere, innuit.

(l) *Casum*) Ne sentiant viri arte quæsitam negligentiam.

(m) *Sic*) Haud stulte sapit Poeta.

(n) *Alcides*) Hercules est, primum a parentibus ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, a robore immenso, sic dictus; vel ab Alcæo avo, ut placet Herodoto.

(o) *Iolen*). Euryti Oechaliæ regis fuit filia quam pater Herculi uxorem dare cum denegaret, vi direpta urbe, & interfecto Euryto, abduxit.

(p) *Gnossi*) Ariadnen dicit, de qua vide quæ supra in epistolis.

(q) *Germanis*) Germania allatis, aut quas a Germanis didicerint: nam quænam sint nescio, nec quibus utuntur hodie in Germania, quod quidem audiverim, canitiem arcent.

(r) *Densissima*) *Crinibus densis.*

(s) *Herculi*). Plures Romæ Herculi sacras ædes fuisse constat. Hic de illa agitur quam apud Circum Flaminium Herculi & Musis Fulvius Nobilior ædificavit.

Quod

Quid de veste loquar? nec vos, *(t)* segmenta, requiro,
Nec quæ *(u)* bis Tyrio murice lana rubes.
Cum tot prodierint pretio leviore colores;
Qui furor est, census corpore ferre suo?
(x) Aeris ecce color, tum cum sine nubibus aer,
Nec tepidus pluvias concitat Auster aquas.
Ecce *(y)* tibi similis, qui quondam *(z)* Phryxon & Hellen
Diceris *(a)* Inois eripuisse dolis.
(b) Hic undas imitatus, habet quoque nomen ab undis:
Crediderim Nymphas hac ego veste tegi.
Ille crocum simulat: croceo velatur amictu
(c) Roscida luciferos cum Dea jungit equos.
Hic *(d)* Paphias myrtos: hic purpureas *(e)* amethystos,
Albentesve rosas, Threiciamve *(f)* gruem.
Nec *(g)* glandes, Amarylli, tuæ, nec amygdala desunt:
Et sua velleribus nomina cera dedit.
Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas; pigraque cedit hiems:
Lana tot, aut *(h)* plures succos bibit; elge *(i)* certos.
Nam non conveniens omnibus omnis erit.

INTERPRETATIO.

Quid dicam de vestimentis? Nec vos expeto, segmenta; nec te lana quæ fulges bis Tyrio murice. Cum tot sint inventi colores pretio minore; quis furor est bajulare census corpore suo? ecce color aeris, tum cum aer est *sine nubibus, nec Notus tepidus vehit aquas pluvias. Ecce color tibi similis qui jactaris abstulisse olim Phryxon & Hellen fraudibus Inoi. Hic undis similis, habes quoque nomen ab undis similis arbitratus fuero nymphas hac veste velari. Ille imitatur crocum: Dea roscida tegitur veste crocea cum copulat equos luciferos. Hic simulat Myrtos Paphias: hic Amethystos purpureas, vel rosas albicantes, vel gruem Thraciam. Nec glandes tuæ, Amarylli, nec amygdalæ desiderantur. Cera etiam imposuit suum nomen lanis. Quot flores terra nova gignit, cum vitis protrudit gemmas vere tepido & hiems segnis fugit; lana imbuitur tot aut pluribus succis: dispice decentes: nam non omnis erit congruens omnibus.*

NOTÆ.

(t) *Segmenta*) Vestes intelligit auro vel aureis segmentis aut etiam fasciolis distinctas.

(u) *Bis*) Dibapham appellabant lanam bis tinctam murrice.

(x) *Aeris*) Cæsius appellatur, nonnullis hyacinthinus.

(y) *Tibi similis*) Referendum est ad aureum arietis Phrixei colorem.

(z) *Phryxon*) Fuit Pryxus Athamantis regis Thebarum filius, qui novercæ Inus insidias declinans, una cum sorore Helle ex Græcia in Colchida profugit, nisi quod puellam, aureo ariete mare cum fratre transfretantem, in Hellespontum, cui nomen dedit, ferunt delapsam.

(a) *Inois*) Inus novercæ, Cadmi filiæ.

(b) *Hic und.*) Glaucum designat, ni fallor; quanquam de undulatis vestibus exponit Micyllus.

(c) *Roscida.*) Auroram dicit, quæ mane quia surgit perfusa est.

(d) *Paphias.*) Veneri sacra myrtus, quæ a Papho Cypri, Veneri urbe sacra, Paphia dicitur. Coloris autem est viridis nigricantis.

(e) *Amethystos*) Violaceum colorem intelligit ab Amethysto gemma appellatum.

(f) *Gruem*) Avis est nota, qua hoc in loco ejus colorem cineraceum intelligit Poeta.

(g) *Glandes*) Castaneas dicit *quas* Maronis *Amaryllis amabat*.

(h) *Plures*) Id est, *varii coloris*.

(i) *Certos*) Decentes *scil.*

Pulla decent niveas: Briseida pulla decebant.
Cum (*k*) rapta est, pulla tum quoque veste fuit.
Alba decent fuscas: albis, (*l*) Cephei, placebas.
Sic tibi vestitæ pressa (*m*) Seriphos erat.
Quam pæne admonui, ne trux (*n*) caper iret in alas,
Neve forent duris aspera crura pilis!
(*o*) Sed non (*p*) Caucasea doceo de rupe puellas,
Quæque bibant undas, (*q*) Myse Caice, tuas.
Quid, si præcipiam, ne fuscet inertia dentes;
Oraque suscepta mane laventur aqua?
Scitis & (*r*) inducta candorem quærere cera,
Sanguine quæ vero non rubet; arte rubet.
Arte, supercilii confinia (*s*) nuda repletis,
Parvaque sinceras velat (*t*) aluta genas.
Nec pudor est oculos tenui signare favilla;
Vel prope te nato, lucide (*u*) Cydne, croco.
Est mihi, quo dixi vestræ medicamina formæ,
Parvus, sed cura grande (*x*) libellus opus.

INTERPRETATIO.

Nigra decent candidas: nigra decebant Briseida. Induta erat quoque nigro amictu tum cum capta est. Candida decent fuscas: grata eras in candidis, Cephei. Seriphos erat calcata a te sic velata. Quam prope jussi ne truculentus hircus cubaret in axillis; neve crura essent scabrosa pilis asperis! Sed non instituo puellas de saxo Caucaseo, & quæ potant aquas tuas, Caice Myse. Quid, si moneam ne pigritia denigret dentes, & ora abluantur mane aqua sumta? nostis etiam captare alborem cera illita. Quæ non rubet sanguine sincero; rubet artificio. Artificio repletis confinia vacua supercilii, & tenuis aluta tegit veras genas. Nec pudet circumlinire oculos tenui favilla; vel croco juxta te nato, clare Cydne. Est mihi libellus parvus, sed opus magnum cura quo scripsi medicamina vestræ formæ.

NOTÆ.

(k) *Rapta*) Vel ab Achille, ejus diruta patria, vel ab Agamemnone, qui eandem Achilli, Talthybio & Eurybate ad eam rem missis præconibus, mœstam & recusantem eripuit.

(l) *Cephei*) Andromeda est; Cephei Æthiopum regis filia.

(m) *Seriphos*) Parva est insula Cycladum una in Ægæo, ubi educatum Perseum tradunt.

(n) *Caper*) Alarum fœtorem dicit, qui capri odorem refert; unde in illis cubare jocose dicitur.

(o) *Sed non*) Romanas puellas per se satis cautas & curiosas dicit, ut minutas munditias eas docere non sit necesse.

(p) *Caucasea*) Est Caucasus mons Scythiam ab India dirimens usque ad Taurum porrectus; ubi ferocissimi & durissimi vivunt homines.

(q) *Myse*) Caicus fluvius est Phrygiæ & Lydiæ a Mysia veniens.

(r) *Inducta*) Quam nostræ vocant *Pommade*.

(s) *Nuda*) Fœminæ calamistro & coloribus superciliorum raritatem emendabant. Juvenal.

Ille supercilium madida fuligine tinctum,
Obliqua producit acu.

(t) *Aluta*) Pellis est mollissima.

(u) *Cydne*) Fluvius est Ciliciæ, unde optimus crocus afferebatur, quo etiam, fucati & cineribus, aut ejusmodi pigmentis in venustandis oculis utebantur.

(x) *Libellus*) De eo Ovidii libello quem de medicamine faciei scripsit, postea videbimus.

Hinc

Hinc quoque præsidium læsæ petitote figuræ:
Non est pro vestris ars mea rebus iners.
Non tamen expositas mensa deprendat amator
(y) Pyxidas; ars faciem dissimulata juvet.
Quem non offendat toto fæx illita vultu,
Cum fluit in tepido pondere lapsa sinus?
(z) Oesypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis,
Demtus ab immundo vellere succus ovis?
Nec coram mistas cervæ sumsisse medullas,
Nec coram dentes defricuisse probem.
Ista dabunt (a) faciem; sed erunt deformia visu.
Multaque, dum fiunt turpia, facta placent.
Quæ nunc nomen habent operosi signa (b) Myronis,
Pondus iners quondam duraque massa fuit.
Anulus ut fiat, primo colliditur aurum:
Quas geritis vestes, sordida lana fuit.
Cum fieret, lapis asper erat; nunc nobile signum
Nuda (c) Venus madidas (d) exprimit imbre comas.
Tu quoque cum coleris, nos te dormire putemus;
Aptius (e) a summa conspiciare manus.
Cur mihi (f) nota tuo causa est candoris in ore?
Claude forem thalami, quid rude prodis opus?

INTERPRETATIO.

Sumite quoque hinc auxilium formæ imminutæ; ars mea non est segnis pro vestris rebus. Attamen amator nec corripiat Pyxidas explicitas mensa: ars latens formam adjuvet. Quem non lædat fæx sparsa tota facie, cum fluit in sinus tepidos decidens pondere? Oesypa, succus extractus ab impuro vellere ovis quid olent, quamvis asportentur Athenis? nec laudem coram cepisse medullas confusas cervæ; nec purgasse coram dentes. Ista formam præstabunt; sed erunt visu turpia; & multa indecora, dum fiunt, facta placent. Signa quæ nunc celebrantur accurati Myronis, fuerunt olim pondus grave & moles dura. Ut anulus fiat, aurum primo tunditur. Vestimenta quibus tegimini, fuit lana obscœna. Cum fieret, erat saxum durum; nunc præstans signum Venus nuda siccat capillos humidos aqua. Tu etiam cum ornaris, nos credamus te dormire; melius spectaris a manu ultima. Quamobrem causa alboris in facie tua sit mihi perspecta? Obde ostium cubiculi; quare ostendis opus infectum?

NOTÆ.

(y) *Pyxidas*) Quibus sua pigmenta puellæ asservant.

(z) *Oesypa*) Medicamentum aut pigmentum dicit, quod ex sordibus ovillæ lanæ, illius prætertim quæ natibus adhærescit, extrahitur: Cujus extrahendi modum Plinius, & ante ipsum Dioscorides docuit.

(a) *Faciem*) Aut ejus pulchritudinem.

(b) *Myronis*) Statuarius fuit insignis Ageladis discipulus, quem Petronius pene hominum animas ferarumque ære comprehendisse dicit: quanquam alius fuit Polycleti discipulus.

(c) *Venus*) De illa licet intelligere decantatissima Venere Praxitelica nuda, quæ fuit in templo Bruti Callaici, una cum Martis colosso, apud Circum Flaminium: Quanquam & plures aliæ fuerunt Veneris statuæ.

(d) *Exprimit*) Talem plurimi artifices, e mari exeuntem Venerem sculpserant & pinxerant.

(e) *A summa*) Id est, postquam suo cultui ultimam manum puella posuit.

(f) *Nota*) Non vult Poeta qua causa candido sit vultu puella cognoscere, sed nativum esse ejus colorem credere.

Mul-

Multa viros nescire decet, pars maxima rerum
Offendat, si non interiora tegas.
Aurea quæ pendent ornato signa theatro
Inspice, quam (g) tenuis bractea ligna tegat.
Sed neque ad illa licet populo, nisi facta, venire;
Nec nisi submotis (h) forma paranda viris.
At non pectendos coram præbere capillos,
Ut jaceant fusi per tua terga, vetem.
Illo præcipue, ne sis morosa, caveto
Tempore: nec (i) lapsas sæpe resolve comas.
(k) Tuta sit ornatrix. odi, quæ sauciat ora
Unguibus, & rapta (l) brachia figit acu.
Devovet, & dominæ tangit caput illa: simulque
Plorat ad invisas (m) sanguinolenta comas.
Quæ male crinita est, custodem in limine ponat;
Orneturve (n) Bonæ semper (o) in æde Deæ.
Dictus eram cuidam subito venisse puellæ;
Turbida (p) perversas induit illa comas.
Hostibus eveniat tam fœdi causa pudoris;
Inque nurus (q) Parthas dedecus illud eat.

INTERPRETATIO.

Decet viros ignorare multa: pars maxima rerum lædat, si non veles interiora. Signa aurea intuere, quæ pendent culto theatro: quam tenuis lamella ligna operiat. Sed neque datur populo accedere ad illa nisi absoluta; nec forma quærenda nisi viris dimissis. At coram coram ornandam non prohibeam tradere; ut jaceat sparsa per tua terga. Vide præsertim ne sis difficilis illo tempore: nec sæpe diffinge comas lapsas. Secura sit ornatrix: odi quæ vulnerat faciem unguibus, & fodit brachia acu correpta. Illa male precatur & tractat caput Dominæ: & simul cruenta lacrymatur ad comas odiosas. Quæ male comata est custodem statuat in limine; vel comatur semper in templo bonæ Deæ. Nuntiatum fuerat me intervenire repente cuidam puellæ; illa turbata sumit comas adscititias. Causa tam turpis pudoris accidat hostibus, & illud dedecus cadat in nurus Parthas.

NOTÆ.

(g) *Tenuis*) Vix credibilis est tenuitas in quam aurum deduci potest.

(h) *Forma*) Faciem sibi, viris remotis, fingendam esse docet puellas.

(i) *Lapsas*) Forte per *lapsas* comas intelligit, quas non satis apte ornatrix astrinxit; quamobrem morosa domina totum opus destruat, & de novo fingendos & pectendos capillos jubeat.

(k) *Tuta sit*) Ornatricem pulsare, aut alia injuria afficere vetat.

(l) *Brachia figit*) Ornatricis *scil.* quam domina imperitam aut malam clamitet. Quod præcedenti nostræ expositioni non parum favere videtur.

(m) *Sanguinolenta*) Si domina, *scilicet*, ipsam verberaverit.

(n) *Bonæ Deæ*) Cybele est Deorum mater, bona Dea, Fauna & fatua dicta, ut nonnullis placet. Tantæ autem pudicitiæ hæc Fauna seu bona Dea fertur fuisse, ut dum vixit illam nisi maritus Faunus, mas nullus viderit; quam ille propter ebrietatem virgis myrteis occidit: Unde illi in operto sacrificandi & viros excludendi mos fluxit Tibullus.

Sacra Bonæ, maribus non adeunda, Deæ.

(o) *In æde*) Id est, *ubi nulli sint viri.*

(p) *Perversas*) *Capillos adscititios.*

(q) *Parthas*) Pro quibusvis posuit hostium puellis, quia ex Crassiana & Antoniana clade Romanis formidabiles Parthi

Turpe pecus mutilum: turpe eſt ſine gramine campus;
Et ſine fronde frutex; & ſine crine caput:
Non mihi veniſtis, *(r)* Semele *(ſ)* Ledeve, docendæ;
Perque fretum *(t)* falſo, *(u)* Sinodi, vecta bove:
Aut Helene, quam non ſtulte, *(x)* Menelae, repoſcis;
Tu quoque non ſtulte, *(y)* Troie raptor, habes.
Turba ducenda venit pulchræ turpeſque puellæ:
Pluraque ſunt ſemper deteriora bonis.
Formoſæ minus artis opem præceptaque curant:
Eſt illis ſua dos, forma ſine arte potens.
Cum mare compoſitum eſt, ſecurus navita ceſſat:
Cum tumet, auxiliis aſſidet ille ſuis.
Rara tamen mendo facies caret, occule mendas:
Quamque potes, vitium corporis abde tui.
Si brevis es, ſedeas; ne ſtans videare ſedere:
Inque tuo jaceas quantulacunque toro.
Hic quoque, ne poſſit fieri menſura cubantis,
Injecta lateant fac tibi veſte pedes.
Quæ nimium gracilis, *(z)* pleno velamina filo
Sumat: & ex humeris laxus amictus eat.

INTERPRETATIO.

Indecorum eſt pecus mutilatum: indecorum campus ſine herba; & frutex ſine foliis, & caput ſine capillis. Non mihi oblata eſtis inſtituenda Semele, vel Leda, & Sidoni rapta ficto tauro per mare, vel Helene, quam non imperite repetis, o Menelae, tu quoque non imperite retines, o raptor Trojane. Formoſa & deformes puellæ oblata eſt turba inſtituenda: & plura ſunt ſemper pejora bonis. Quæ pulchra ſunt minus laborant de auxilio & præceptis artis: dos ſua eſt illis, pulchritudo valens ſine arte. Cum mare eſt tranquillum nauta tutus quieſcit: cum inflatur, ille adeſt & confert ſuam operam: Interim non multa forma caret nævo: tege nævos: & occulta quantum potes deformitatem corporis tui. Si parva es ſedeas; ne ſtans videaris ſedere: & puſilla jaceas in tuo lecto. Hic etiam, ne ſumi poſſit menſura jacentis, fac pedes occultentur, veſtibus tibi ſuperſtratis. Quæ eſt nimis tenuis induat veſtes craſſo filo; & veſtitus defluat laxus ex humeris.

NOTÆ.

(r) *Semele*) Cadmi Thebarum regis fuit filia, Bacchi mater, quam Jupiter amavit. Hic vero una cum ſequentibus pro pulcherrima ponitur fœmina, quod genus docere ſe tantum, negat Poeta.

(ſ) *Ledeve*) Fuit Leda Tyndari uxor, Caſtoris & Pollucis mater, cujus fuit captus forma Jupiter.

(t) *Falſo*) De Jove loquitur bovis formam induto, cum Europen in Cretam portavit.

(u) *Sidoni*) Europa eſt, Agenoris Phœnicum regis filia, quæ a Sidone urbe Phœnicia maxima & antiquiſſima, illo nomine appellata eſt.

(x) *Menelae*) Jam ſæpius hunc Atrei filium Helenæ maritum fuiſſe vidimus.

(y) *Troje*) Paris eſt, qui Helenam Trojani excidii facem rapuit.

(z) *Pleno*) Ut veſtis beneficio plenior & ſucculentior videatur.

Pal.

Pallida (*a*) purpureis tangat sua corpora virgis:
Nigrior ad (*b*) Pharii confuge piscis opem.
Pes malus in nivea semper celetur aluta:
Arida nec vinclis crura resolve suis.
Conveniunt tenues scapulis (*c*) analectrides altis:
(*d*) Inflatum circa fascia pectus eat.
Exiguo signet gestu quodcunque loquetur;
Cui digiti pingues, & scaber unguis erunt.
Cui gravis oris odor, nunquam jejuna loquatur;
Et semper spatio distet ab ore viri.
Si niger, aut ingens, aut non erit ordine natus
Dens tibi; ridendo maxima damna feres.
Quis credat? discunt etiam ridere puellæ:
Quæritur atque illis hac quoque parte decor.
Sint modici (*e*) rictus, sint parvæ utrimque lacunæ,
Et summos dentes ima labella tegant.
Nec sua perpetuo contendant ilia risu:
Sed leve nescio quid fœmineumque sonent.
Est quæ perverso distorqueat ora cachinno.
Cum risu læta est altera, flere putes
Illa sonat raucum, quiddamque inamabile stridet;
Ut rudit ad scabram turpis asella molam.

INTERPRETATIO.

Pallens illinat sua corpoea virgis puepureis: fusca pete auxilium a pisce Phario. Pes tuepis tegatur semper aluta candida: nec spolia crura macilenta vinculis suis. Parva analectrides sunt apta humeris prominentibus: fascia viaciat pectus obesum. Cui digiti erunt crassi, & unguis asper, indicet rarissimo gestu quodcunque dicet. Cui spieitus grave olens, nunquam loquatur jejuna; & sejungatur sempee spatio ab ore viei. Si dens fuerit tibi atee, aut nimius, aut male ordinatus; maximo detrimento erit ridere. Quis fidem adhibeat? puella discunt etiam eidere: & species petitur quoque hac paete ab illis. Hiatus sint parvi, lacuna sint exigua ex utraque paete: & extrema labia operiant dentium radices. Nec insluent sua latera eisu continuo: sed eeddeant nescio quid leve & fœmineum. Est qua pervertat ora pravo cacchinno: alteea cum risu effusa est, credas plorare. Illa vocem reddit raucam, & steidet quiddam odio dignum: ut obscœna asella rudit ad molam aspeeam.

NOTÆ.

(a) *Puepureis*) *Purpueeo colore infectis*.

(b) *Pharii*) Pharum insulam fuisse ad ostia Nili fluvii, qui crocodilos alit, satis compertum est; anne vero crocodilos, cujus intestina & stercus ad sua pigmenta & fucos puellæ quærebant, quem Plinius minorem & in terra tantum vivere scripsit, bene piscem appellaverit Poeta, aut qui de crocodrillo hunc locum exposuerunt, ipsi viderint: me equidem hac in parte cæcutire plane fateor.

(c) *Analecteides*) Pulvilli erant aut ejusmodi aliquid ex gossipio, quo prominentium scapularum vitium puellæ emendare conabantur.

(d) *Inflatum*) Vide, si placet clar. Heinsii notam, qua nihil melius ad hunc locum possim comminisci.

(e) *Rictus*) Os apertum quale ridentis est hominis, aut canis ringentis *rictus* dicitur.

Quo non ars penetrat? discunt lacrymare decenter:
Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.
Quid, cum legitima fraudatur littera voce,
Blæsaque fit jusso lingua coacta sono?
In vitio decor est, quædam male reddere verba.
Discunt posse minus, quam potuere, loqui.
Omnibus his, quoniam prosunt, impendite curam
Discite fœmineo corpora ferre gradu.
Est & in incessu pars non temnenda decoris.
Allicit ignotos ille fugatque viros.
Hæc movet arte latus, tunicisque fluentibus auras
Excipit; extensos fertque superba pedes.
Illa, velut conjux *(f)* Umbri rubicunda mariti,
Ambulat; ingentes *(g)* varica ferique gradus.
Sed sit, ut in multis, modus hic quoque rusticus alter
Motus; in accessu mollior alter erit.
Pars humeri tamen ima tui, pars summa lacerti
Nuda sit, a læva conspicienda manu.
Hoc vos præcipue, niveæ, decet. hoc ubi vidi,
Oscula ferre humero, qua patet, usque libet.
Monstra maris *(h)* Sirenes erant; quæ voce canora
Quamlibet admissas *(i)* detinuere rates.

INTERPRETATIO.

Quo ars non pervenit? discunt flere condecore, & fleas quando & quomodo volunt. Quid cum littera negatur sonus debitus, & lingua fit blæsa coacta sono accersito? venustas invenitur in vitio, male efferre quædam verba. Discunt posse minus loqui quam poterunt. Curate hæc omnia, quandoquidem juvant. Discite gerere corpora passu fœmineo. Est etiam pars non spernenda venustatis in gressu. Ille conciliat & perturbat viros incognitos. Hæc agitat arte latus, & excipit auras vestibus fluitantibus; & superbiens movet pedes porrectos. Illa incedit, sicut uxor rubicunda viri Umbri; & varica progreditur amplius gressibus. Sed modus adsit hic quoque, sicut in multis: alter incessus crassus; alter erit lascivus in motu. Pars tamen ultima tui humeri, pars ultima brachii sit exerta, inspicienda a manu sinistra. Hoc vobis decorum præsertim, candidæ: hoc ubi aspexi, subit usque qua patet dare oscula humero. Sirenes erant monstra maris, quæ retinuerunt voce sonora naves quamvis festinantes.

NOTÆ.

(f) *Umbri,*) Populi fuerunt Italiæ fortissimi, Appennini accolæ, quorum uxores tanquam agrestiores hic damnat Poeta.

(g) *Varica*) Varicus dicitur ille, qui cruribus distortis, & pedibus introrsum retortis ambulat: cui *Valgus* opponitur.

(h) *Sirenes*) Monstra numero tria, nomina apud alios alia fuerunt, specie oris fœmineo, reliquo corpore, secundum aliquos volucres, aut pisces; juxta Pelorum Siciliæ promontorium, habitantes, quæ cantus suavitate præternavigantes allicere, allectos devorare solebant. Quas Ulysses sociorum auribus cera obturatis, cum se malo alligari jussisset, cautus vitavit.

(i) *Detinuere*) Sirenum meminit Poeta, ut puellas, cantare discant, admoneat.

His

His sua (*k*) Sisyphides auditis pœne (*l*) resolvit
  Corpora. nam sociis illita cera fuit.
Res est blanda canor: discant cantare puellæ.
  Pro facie multis vox sua lena fuit.
Et modo marmoreis referant audita theatris;
  Et modo (*m*) Niliacis carmina lusa modis.
Nec (*n*) plectrum dextra, citharam tenuisse sinistra
  Nesciat arbitrio fœmina docta meo.
Saxa ferasque lyra movit (*o*) Rhodopeius Orpheus,
  Tartareosque lacus, (*p*) tergeminumque canem:
Saxa tuo cantu, (*q*) vindex justissime matris,
  Fecerunt muros officiosa novos.
Quamvis mutus erat, voci favisse putatur
  Piscis, (*r*) Arioniæ fabula nota lyræ.

INTERPRETATIO.

Sisyphides his auditis propemodum dissolvit corpora: nam cera fuit adhibita sociis. Cantus est res suavis: puellæ discant canere. Vox sua fuit conciliatrix multis loco formæ: & interdum recinant audita theatris marmoreis; & interdum versus modulatos modis Niliacis. Nec fœmina docta nesciat, judicio meo, tractasse plectrum dextra, citharam sinistra. Orpheus Rhodopeius demulsit lyra silices, & feras, & stagna Tartarea, & canem tergeminum. Ultor æquissime matris, saxa obsequiosa tuo cantu struxerunt nova mœnia. Piscis, fabulæ vulgata lyra Arioniæ, creditur motus fuisse cantu, quanquam esset mutus.

NOTÆ.

(k) *Sisyphides*) Ulysses est Sisyphi filius, qui Autolycam, Laertæ desponsatam violavit, ex quo Ulyssem peperit.

(l) *Resolvit*) Diximus jam: sese malo Navis Ulysses alligaverat: Atque ex eo, quod sese propemodum resolverit, cantus illecebræ intelliguntur.

(m) *Niliacis*) Fuit Nilus fluvius Ægypti, quæ ex regione cantilenæ, ob lasciviam, maxime placebant.

(n) *Plectrum*) Instrumentum est quo pulsatur cithara.

(o) *Rodopeius*) *Thracius*, a Rhodope Thraciæ monte. Thrax enim fuit Orpheus, Apollinis & Calliopes filius, qui a patre accepta lyra tantum valuisse dicitur, ut feras cicuraret, fluvios sisteret, aliaque incredibilia, cantus suavitate ludens efficeret.

(p) *Tergeminum*) Cerberum dicit tricipitem, quem atras aures demittere cantus suavitate coegit, cum ad inferos Eurydicen uxorem a Plutone ivit repetitum.

(q) *Vindex*) De Amphione loquitur, Jovis & Antiopes filio, qui lyræ a Mercurio acceptæ sono, hoc ab Horatio habuit elogium;

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arbis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Dictus autem est *vindex* ideo quod una cum fratre Letho Lycum matris maritum, Dircenque superinductam pellicem, interfecerunt.

(r) *Arionia*) Fuit Arion Poeta Lyricus, patria Methymnæus e Lesbo insula, qui artis beneficio quam profitebatur cum multam pecuniam collegisset, patriamque repetens, propter opes, sibi paratas insidias mortemque cognovisset, nautas orasse fertur, ut carmen aliquod prius sibi concinere liceret, quam moreretur; quo impetrato, sumta cithara suavissime carmen modulans, in mare sese dejecit: sed a Delphino quem cantu exciverat, dorso exceptus ad Tænarum deportatus est.

Disce etiam duplici genialia (s) naulia palma
  Verrere: conveniunt dulcibus illa jocis.
Sit tibi (t) Callimachi, sit (u) Coi nota poetæ,
  Sit quoque vinosi (x) Teia Musa senis.
Nota sit & (y) Sappho: quid enim lascivius illa?
  (z) Cuive pater vafri luditur arte Getæ.
Et teneri possis carmen legisse Properti:
  Sive aliquid (a) Galli, sive, Tibulle, tuum:
Dictaque (b) Varroni fulvis insignia villis
  Vellera germanæ, (c) Phryxe, querenda tuæ.
Et profugum (d) Ænean, altæ (e) primordia Romæ;
  Quo nullum Latio clarius extat opus.
Forsitan & nostrum nomen miscebitur istis;
  Nec mea (f) Lethæis scripta dabuntur aquis.

INTERPRETATIO.

Disce etiam pulsare utraque manu naulia delectantia: illa apta sunt suavibus lusibus. Musa Callimachi sit tibi perspecta, sit poeta Coi, sit quoque Teja senis potoris. Cognita sit etiam Sappho; quid enim mollius illa? & a quo pater decipitur dolis Getæ callidi. Possis etiam legisse carmen mollis Propertii: sive aliquid Galli, sive tuum, o Tibulle. Possis etiam legisse vellera flenda sororis tuæ, Phryxe; spectabilia villis aureis, celebrata a Varrone: & Ænean profugum, initium excelsæ Romæ; quo opere nullum datur illustrius apud Latinos. Forsitan nomen etiam nostrum apponetur istis: nec scripta mea mittentur in aquas Lethæas.

NOTÆ.

(s) *Naulia*) *Nablium* sive *Naulium* nomen est barbarum instrumenti musici, quod Græci vocant *Psalterium*.

(t) *Calimachus*) Poeta fuit insignis, Batti filius, cui primas in Elegia Quintilianus tribuit, cujusque nonnulla opera supersunt.

(u) *Coi*) Philetas est Poeta Elegiographus ex Co Ægæi maris insula oriundus, qui Philippi & Alexandri magni temporibus floruit.

(x) *Teia*) De Anacreontis Lyrici Poetæ & supra modum lascivi musa loquitur, cujus Patria Teios fuit, Joniæ civitas.

(y) *Sappho*) Poetria fuit Mitylenea, quæ cum Alcæo claruit usque adeo insignis, ut Musarum choro ascribi meruerit! Ab ea Sapphicum carmen nomen invenit.

(z) *Cuive*) Terentium dicit, apud quem Getum herum suum simul & ejus fratrem fallere invenias.

(a) *Galli*) Jam aliquid antea de isto Cornelio Gallo insigni Poeta diximus. Augusto fuit amicitia conjunctissimus, a quo Ægypti præses constitutus; quanquam adversus eum conjurasse non obscure indicat Svetonius, quamobrem & sibi violentas manus intulisse creditus est.

(b) *Varroni*) Non de illo omnium Romanorum crudelissimo loquitur, philosopho pariter & poeta, tantopere laudato; sed de Varrone alio Attacino, ab Attace Narbonensis provinciæ vico, sic dicto, qui Argonautica scripsit.

(c) *Phryxe*) Fuit Phryxus Athamantis & Nepheles filius, qui una cum sorore Helle, conscenso aurei velloris ariete, Inus novercæ insidias fugiens, Pontum transfretare aggressus est; quo incœpto Helle periit, quæ aquæ strepitu territa in mare decidit.

(d) *Ænean*) Per Æneam Virgilii Æneiden intellige, qua illius herois virtus celebratur.

(e) *Primordia*) Quomodo in Latium Trojani excidii reliquias Æneas deduxerit, & quibus orti qui Romæ posuerunt fundamenta, ex Virgilio cognoscimus.

(f) *Lethæis*) Fuit Lethe fluvius inferorum, cujus aquam quicumque gustasset, præteritorum omnium obliviscebatur.

At-

Atque aliquis dicet, Nostri lege culta magistri
Carmina, quis partes instruit ille *(g)* duas,
Deve tribus libris, titulus quos signat Amorum,
Elige, quod docili molliter ore legas.
Vel tibi composita cantetur *(h)* Epistola voce;
Ignotum hoc aliis ille *(i)* novavit opus.
O ita, Phœbe, velis; ita vos, pia numina vatum,
Insignis cornu Bacche, *(k)* novemque Deæ!
Quis dubitet, quin scire velim saltare puellam;
Ut moveat posito brachia jussa mero?
(l) Artifices lateris scenæ spectacula amantur
Tantum mobilitas illa decoris habet.
Parva monere pudet: *(m)* talorum ducere jactus
Ut sciat, & vires, tessera *(n)* missa, tuas.
Et modo *(o)* tres jactet numeros, modo cogitet, apte
(p) Quam subeat partem callida, quamque vocet.
Cautaque non stulte *(q)* latronum prælia ludat:
Unus cum gemino calculus hoste perit.

INTERPRETATIO.

Atque aliquis dicet, inspice elegantes versus nostri magistri, quibus ille instituit partes duas: Vel elige de tribus libris quos titulus indicat Amorum, quod amatorie legas ore facili. Vel cantetur a te Epistola voce accomodata; ille invenit hoc opus incognitum aliis. O ita faveas, Phœbe; ita vos, Bacche spectabilis cornu, & Deæ novem pia numina Poëtarum! Quis in dubium revocet, quin cupiam puellam posse saltare; ut agitet lacertos provocatos, vino remoto. Histriones, spectacula scenæ amantur: tantum illa mobilitas habet venustatis. Pudet monere parva: ut didicerit jactare talos, & vires tuas, tessera jacta. Et modo jactet tres numeros; modo reputet, quam partem utiliter cauta ineat, & quam petat. Et callida non ludat inepte certamina latronum, cum calculus unus perit hoste gemino.

NOTÆ.

(g) *Duas*) Viros & fœminas *scil.*

(h) *Epistola*) De epistolis loquitur, quas nomine conscripsis Heroidum, ubi plurima amatoria reperias.

(i) *Novavit*) Epistolarum scribendarum laudem aucupatur Poeta, quia aliis ante ipsum non usitatum illud scribendi genus.

(k) *Novemque*) De Musis loquitur. Bacchum quod attinet illum jam antea vidimus Poetis amicum. Plura qui cupit Horat. adeat, & 19. l. 2. Carm. Odam legat, qua Bacchum carmina docentem audiet.

(l) *Artifices lateris*) Histriones sunt, qui in lateribus coercendis, & concinne movendis non levem ponunt operam.

(m) *Talorum*) Tali quatuor tantum, tesseræ quibus & hodie utimur, sex habebant latera.

(n) *Missa*) Notum est hodie, quomodo in pyrgo aut turricula tesseræ agitentur, & ex eo in alveum seu tabulam lusoriam emittantur. Notæ etiam variæ leges quibus vincunt aut vincuntur qui aleæ student; ut nihil opus sit pluribus rem apertam patefacere.

(o) *Tres*) Quamobrem *tres* me nescire, plane, fateor: quod ut quisque explicet, veterum perspectam ludendi rationem habeat, necesse arbitror. tanti ego non duxi.

(p) *Quam subeat partem*) *Cui sit periculo subjecta*, inquit Merula. Ego per *partem* numerum intelligo quo ad vincendum opus sit: Nam conjectura omnino opus est in his leviusculis, quæ, ludendi modus quia varius est, haud scio an quisquam satis certo possit probare.

(q) *Latronum*) Ante monui hunc esse ludum, quem nostri dicunt *des Echecs.*

Bellatorque sua prensus sine (r) compare bellat;
Æmulus & cœptum sæpe recurrit iter.
(ſ) Reticuloque pilæ læves fundantur aperto:
Nec, nisi quam tolles, ulla movenda pila est.
Est genus in totidem tenui ratione redactum
(t) Scriptula, (u) quos menses lubricus annus habet.
Parva tabella capit (x) ternos utrimque lapillos;
In qua vicisse est, continuasse suos.
Mille facesse jocos. turpe est nescire puellam
Ludere: ludendo sæpe paratur amor.
Sed minimus labor est, sapienter (y) jactibus uti.
Majus opus, mores composuisse suos.
Dum sumus incauti, (z) studioque aperimur in ipso;
Nudaque per lusus pectora nostra patent;
Ira subit (a) deforme malum, lucrique cupido;
Jurgiaque, & rixæ, solicitusque dolor.
Crimina dicuntur: resonat clamoribus æther:
Invocat (b) iratos & sibi quisque Deos.
Nulla fides tabulis, (c) quæ non per vota petuntur:
Et lacrymis vidi sæpe madere genas.

INTERPRETATIO.

Et bellator correptus sine sua compare certat: & æmulus sæpe pedem refert promotum. Et pilæ expolitæ spargantur, reticulo aperto: nec pila ulla movenda nisi quam rapies. Est genus lusus facile distributum in totidem scrupos, quot annus celer habet menses. Parva tabella habet ternos calculos utrinque: in qua continuasse suos est superasse. Finge mille ludos; indecorum est puellam nescire ludere: amor conciliatur sæpe ludendo. Sed labor est minimus uti peritè jactibus: majus opus temperasse mores suos. Dum minus cavemus, & detegimur in studio ipsos & mens nostra patet nuda per ludos; ira malum turpe, & cupiditas lucri irrepit; & jurgia, & rixa & dolor anxius. Probra objiciuntur; aer personat clamoribus; & quisque sibi implorat Deos iratos. Nulla fides tabulis, quæ non petuntur per vota: Et vidi sæpe genas humidas esse lacrymis.

NOTÆ.

(r) *Compare*) De *regina* intelligit, quam eo nomine, in calculorum ludo vocitant. Sed hæc omnia frustra peritis juxta & imperitis quisquam exponat, quæ solo usu cognoscuntur.

(ſ) *Reticuloque*) Ludum describit; cujusmodi nos nullum quod quidem sciam hodie habemus; nisi forte illum aliquatenus imitantur pueri, dum sulphurata aut bacillos manu comprehensos in mensam spargunt, quos singulos, immotis aliis oporteat colligere.

(t) *Scriptula*) Scrupos dicit, quibus etiam hodie utimur in eo ludo quem vocamus, *les Dammes*.

(u) *Quos menses*) Duodecim vero scrupis collusor uterque utitur.

(x) *Ternos*) Ludum describit quem dicimus *aux Merelles*.

(y) *Jactibus*) Id est numero, qui ex tesserarum jactu oritur.

(z) *Studio*) Ludendi, *scil.* aut vincendi.

(a) *Deforme*) Quod vultum & oculos deformat.

(b) *Iratos*) *Qui iræ nostræ participes facti, illatam, nostro judicio, injuriam ulciscantur.*

(c) *Quæ non per vota petuntur*) Quid sibi alii in expositione hujus versus, voluerint non satis assequutus sum; sic tamen intelligo. Videtur dicere Poeta male lusori fidendum esse, cujus votis, neque ludus, neque alea, neque Dii favent: quippe qui in collusorem, damni impatientia sæpissime insurgat.

Jupi-

Jupiter a vobis tam turpia crimina pellat,
  In quibus est ulli cura placere viro.
Hos (d) ignava jocos tribuit Natura puellis:
  Materia ludunt uberiore viri.
Sunt illis celeresque pilæ, jaculumque, trochique,
  Armaque, & in gyros ire coactus equus.
Nec vos (e) Campus habet, nec vos gelidissima (f) Virgo;
  Nec (g) Tuscus placida devehit amnis aqua.
At licet & prodest, (h) Pompejas ire per umbras;
  (i) Virginis ætheriis cum caput ardet equis.
Visite laurigero sacrata (k) Palatia Phœbo:
  (l) Ille (m) Parætonias mersit in alta rates.
Quæque (n) soror (o) conjuxque Ducis monumenta pararunt:
  Navalique gener (p) cinctus honore caput.
Visite thuricremas vaccæ (q) Memphitidos aras:
  Visite conspicuis (r) terna theatra locis.

INTERPRETATIO.

Jupiter amoliatur a vobis. quæ curatis placere ulli viro, crimina tam indecora. Natura imbellis dedit hos ludos fœminis: Viri ludunt materia ampliore. Sunt illis pilæ veloces, & jaculum, & trochi, & arma, & equus jussus moveri in orbes. Nec campus vos accipit; nec Virgo gelidissima; nec fluvius Tuscus aufert aqua levi. At licet, & juvat ambulare per porticus Pompejas; cum caput æstuat equis ætheriis Virginis. Celebrate Palatia dicata Phœbo laurifero: ille detrusit naves Parætonias in profundum. Visite etiam monumenta quæ soror & uxor Imperatoris struxerunt; & gener redimitus caput corona navali. Frequentate altaria thuricrema juvencæ Memphiticæ: Adite terna theatra locis conspicuis.

NOTÆ.

(d) *Ignava*) Ut puellis non liceat tanquam armatis pugnare.

(e) *Campus*) Campum Martium dicit, ubi ludorum & omni genere certaminum sese Romana juventus exercebat.

(f) *Virgo*) Aqua fuit in campum Martium derivata, qua sudorem & pulverem abluebant qui sese in eo exercebant. Illam autem a virgine quæ ejus aquæ fontem indicavit, ut Frontinus docet, vel potius, ut Plinius scribit, id nominis ex eo sortitam volunt, quod ad Herculaneum rivum ubi pervenit, eum refugit, quasi Herculis congressum metuat.

(g) *Thuscus*) De Tiberi loquitur, qui ab Apennino monte defluens per Thusciam Romam defertur; quem fluvium, Romani exercitii causa, natando superare consueverant.

(h) *Pompejas*) De porticu loquitur Pompeii, de qua antea, quæ in campo Martio fuit.

(i) *Virginis*) Æstatem designat, qua, docente Hygino, per Cancrum, Leonem, & Virginem Sol transit.

(k) *Palatia*) De porticu loquitur de qua etiam supra lib. 1, ℣, 73. quam in Palatino Augustus una cum templo Apollini sacram fecit.

(l) *Ille*) Apollo, qui in pugna Actiaca Augusto adfuisse dictus est: qua de re Virgilius, itemque Plutarchus.

(m) *Parætonias*) Ægyptias dicit quibus usus est Antonius adversus Augustum, a Parætonio Ægypti urbe maritima.

(n) *Soror*) Octaviam dicit Augusti sororem, cujus nomine ædificata fuit porticus, juxta Marcelli filii theatrum.

(o) *Conjux*) Livia est, Augusti uxor, quæ etiam suo nomine porticum habuit.

(p) *Cinctus*) Agrippam dicit Augusti generum, quem ille post debellatum Pompejum in Sicilia, ut Plinius scribit, navali corona decoravit; a quo etiam porticus una nomen accepit.

(q) *Memphitidos*) De templo Isidis intelligit, cujus supra, lib. 1. de Arte ℣. 77. meminit Poeta.

(r) *Terna*) Ea in campi Martii vicinitate fuisse docet Strabo.

Spe-

Spectentur tepido maculosæ (*s*) sanguine arenæ;
(*t*) Metaque ferventi circueunda rota.
(*u*) Quod latet, ignotum est: ignoti nulla cupido.
Fructus abest, facies cum bona teste caret.
Tu licet & (*x*) Thamyran superes, & (*y*) Amœbea cantu;
Non erit ignotæ gratia magna lyræ.
Si (*z*) Venerem Cous nusquam posuisset (*a*) Apelles;
Mersa sub æquoreis illa lateret aquis.
Quid petitur sacris, nisi tantum fama, poetis?
Hoc (*b*) votum nostri summa laboris habet.
Cura Deum fuerunt olim Regumque poetæ:
Præmiaque antiqui magna tulere (*c*) chori.
Sanctaque majestas, & erat venerabile nomen
Vatibus: & largæ sæpe dabantur opes.
(*d*) Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.
Nunc (*e*) hederæ sine honore jacent: operataque doctis
Cura vigil Musis nomen inertis habet.

INTERPRETATIO.

Arenæ tinctæ sanguine tepido spectentur; & meta ambienda rota fervida. Quod latitat est incognitum; nullum desiderium rei incognitæ. Utilitas nulla est, cum pulchra facies caret teste. Licet tu vincas cantu & Thamiran & Amœbea: non erit magnus favor lyræ ignotæ. Si Apelles Cous nusquam pinxisset Venerem; illa lateret submersa aquis marinis. Quid quæritur a sacris vatibus, nisi fama tantum? summa nostri laboris habet hoc votum. Poetæ fuerunt olim cura Deorum & Regum: & chori antiqui reportaverunt ingentia præmia. Erat etiam majestas sancta & nomen reverendum poetis; & amplæ divitiæ sæpe offerebantur. Ennius natus in montibus Calabris emeruit erigi tibi proximus, Scipio magne. Nunc hederæ neglectæ jacent: & cura vigil addicta doctis Musis habet famam ignava.

NOTÆ.

(s) *Sanguine*) Gladiatorum *scil.* qui illic suum sanguinem profundebant.

(t) *Metaque*) Per metam Circum intellige, aut ludos in Circo celebrari solitos.

(u) *Quod latet*) Ea gratia puellas docet loca publica frequentare, ut a viris videantur, deinde amentur.

(x) *Thamyram*) Fuit Thamyras Poeta Thracius, qui Musas etiam lyra provocare ausus, victus ab iis oculis & lyra privatus est.

(y) *Amœbea*) Fuit Amœbeus citharœdus Atheniensis magni nominis, de quo Athenæus, Plutarchus, & alii.

(z) *Venerem*) Eam *Anadyomenen* e mari egredientem pinxerat Apelles, quam in delubro patris Cæsaris Augustus dedicavit.

(a) *Apelles*) Pictor fuit, cujus etiamnum hodie fama præstantissimum prædicat, qui tempore floruit Alexandri magni. Patriam eandem cum Hippocrate medico habuit Coon, Ægæi maris insulam, & urbem.

(b) *Votum*) Ut, *scil.* fama nostra præclara fit, & plurimis fausto nomine innotescamus.

(c) *Chori*) Proprie *chorus* multitudo est canentium aut saltantium; sed hic pro Poetis ponitur.

(d) *Ennius*) Poeta fuit ingenio maximus, arte rudis, qui Rudias, Calabriæ oppidum patriam habuit, Scipioni Affricano majori adeo charus, ut e marmore in Scipionum sepulcro constitutus, ne eo quidem divelli voluerit.

(e) *Hederæ*) Id est, Poetæ, qui hedera coronantur.

Sed

Sed famæ vigilare juvet; qui nosset Homerum,
(f) Ilias æternum si latuisset opus?
Quis Danaen nosset, si semper clausa fuisset:
Inque sua turri perlatuisset (g) anus?
Utilis est vobis, formosæ, turba, puellæ;
Sæpe vagos ultra limina ferte pedes.
Ad multas lupa tendit oves, prædetur ut unam:
Et (h) Jovis in multas devolat ales aves.
Se quoque det populo mulier speciosa videndam:
Quem trahat; e multis forsitan unus erit.
Omnibus illa locis maneat studiosa placendi:
Et curam tota mente decoris agat.
Casus ubique valet: semper tibi pendeat hamus,
Quo minime credas gurgite, piscis erit.
Sæpe canes frustra nemorosis montibus errant:
Inque plagam nullo cervus agente cadit.
Quid minus Andromedæ fuerat sperare revinctæ,
Quam lacrymas ulli posse placere suas?
Funere sæpe viri vir quæritur; ire solutis
Crinibus, & fletus non tenuisse decet.
Sed vitate viros cultum formamque professos;
Quique suas ponunt in statione comas.
Quæ vobis dicunt, dixerunt mille puellis.
Errat, & in nulla sede moratur amor.
Fœmina quid faciat, cum sit vir levior ipsa;
Forsitan & plures possit habere viros?

INTERPRETATIO.

Verum placeat famæ studere: cui cognitus esset Homerus, si Ilias opus æternum latuisset? Cui cognita esset Danae, si fuisset semper inclusa; & usque delituisset anus in sua turri? O pulchræ puellæ: Cœtus vobis prodest. Efferte sæpe pedes incertos domibus. Lupa it ad multas oves ut unam surripiat. & avis Jovis devolat in multas aves. Fœmina formosa præbeat se quoque aspiciendam populo: forsitan unus erit e multis, quem capiat. Illa studeat placere omnibus locis: & toto animo curam gerat venustatis. Fors ubique valet; hamus semper tibi pendeat. Piscis invenietur in gurgite quo minime arbitreris. Sæpe canes vagantur frustra in montibus nemorosis: & cervus ruit in retia nullo insequente. Quid minus fuit expectandum Andromedæ constrictæ, quam lacrymas suas posse cuiquam placere? Vir capitur sæpe in exequiis viri: decet incedere capillis passis, & non cohibuisse ejulatus. Sed fugite viros profitentes ornatus & speciem, & qui ordinant suos capillos. Dixerunt mille puellis quæ dicunt vobis. Amor eorum vagatur, & in nullo loco permanet. Quid faciat puella, cum vir sit ipsa expolitior, & forte possit habere plures viros?

NOTÆ.

(f) *Ilias*): Alterum est Homeri opus, quo Ilii, seu Trojæ describitur excidium.

(g) *Anus*) Id est, quæ in sua turri fuisset anus facta.

(h) *Jovis ales*) Aquila.

Vix

Vix mihi credetis; sed credite: Troja maneret,
Præceptis (*i*) Priami si foret usa sui.
Sunt qui mendaci specie grassentur amoris,
Perque (*k*) aditus tales lucra pudenda petant.
Nec coma vos fallat liquida nitidissima (*l*) nardo:
Nec brevis in (*m*) rugas (*n*) cingula pressa suas:
Nec toga decipiat filo tenuissima: nec si
Anulus in digitis alter & alter erit.
Forsitan ex horum numero cultissimus ille
Fur sit, & uratur vestis amore tuæ.
Redde meum, clamant spoliatæ sæpe puellæ:
Redde meum, toto voce boante foro.
Has, Venus, e templis multo radiantibus auro
Lenta vides lites, (*o*) Appiadesque tuæ.
Sunt quoque non dubia quædam (*p*) mala nomina famæ:
Decepta a multis crimen amantis habent.
Discite ab alterius vestris timuisse querelis;
Janua fallaci ne sit aperta viro.
Parcite, (*q*) Cecropides, juranti credere Theseo;
Quos faciet testes, facit & ante Deos.

I N T E R P R E T A T I O.

Vix mihi fidem habebitis, sed habete. Troja staret, si paruisset monitis sui Priami. Sunt qui mendaci amoris titulo prædabundi oberrent, & quærant erubescendum quæstum per ejusmodi accessus. Nec capilli splendidissimi nardo liquida vos decipiant: nec brevis fascia adstricta in sinus suos. Nec toga filo subtilissima fallat; nec si multus anulus erit in digitis: forsitan ille ornatissimus ex horum numero fur sit: & flagret desiderio vestis tuæ. Pone meum, vociferantur sæpe puellæ nudatæ: toto foro voce remugiente pone meum. Venus mollis, & tuæ Appiades, cernis has rixas e templis fulgentibus multo auro. Sunt quoque rumore certo nonnulla famosa nomina: Delusa a multis habent crimen amantis: discite ex querimoniis alterius metuisse vestrie: fores ne pateant viro fraudulento. Cecropides nolite fidem habere Theseo juranti; Deos quos adhibebit testes, prius adhibuit.

N O T Æ.

(i) *Priami si*) Quia ille Helenam belli causam reddendam censebat.

(k) *Aditus*) Amoris speciem, *scil.*

(l) *Nardo*) *Nardus vel nardum* planta est seu frutex, ex India aut Syria, ex quo unguentum pretiosissimum parabatur.

(m) *Rugas*) Quas faciunt vestes fascia collectæ.

(n) *Cingula*) Fasciam dicit, qua cingebatur toga.

(o) *Appiadesque*) Meretriculas dicit, quæ extra urbem, via Appia, circaque templum illic Veneri dicatum, habitabant.

(p) *Malæ nomina*) Plane hunc locum Commentator non intellexit, siquidem ego aliquid video. Per nomina viros intelligo, nequitia sua & dolis factos celebres, quos fugitare debere puellas, ne ipsæ eorum in se crimen derivent, docet Poeta.

(q) *Cecropides*) Athenienses puellas a Cecrope rege sic dictas, Poeta compellat, quas perfido Theseo, qui Ariadnen destituit, minus credere debere, admonet; quo exemplo quaslibet ab omnibus prostitgæ famæ hominibus abstinere jubet.

Et

Et tibi, Demophoon, Thesei criminis (r) hæres,
Phyllide decepta nulla relicta fides.
Si bene promittant, totidem promittite verbis:
Si dederint, & vos gaudia pacta date.
Illa potest vigilis flammas extinguere (s) Vestæ;
Et rapere e templis, (t) Inachi, sacra tuis;
Et dare mista viro tritis (u) aconita cicutis:
Accepto Venerem munere si qua negat.
Fert animus (x) propius consistere; supprime habenas,
Musa; nec admissis excutiare rotis.
(y) Verba vadum tentent abiegnis scipta tabellis.
Accipiat missas apta ministra notas.
Inspice: (z) quodque leges, ex ipsis collige verbis,
Fingat, an ex animo sollicitusque roget.

INTERPRETATIO.

Nec ulla tibi superest fides, Demophoon hæres perfidiæ Thesea, Phyllide elusa. Si multum polliceantur, pollicoamini totidem verbis: Si dederint, vos etiam præbete voluptatem promissam. Illa potest opprimere flammas Vestæ inextincta; & tollere sacra e templis tuis, o Inachi: & viro porrigere aconita intrita tusis cicutis; si aliqua negat Venerem dono accepto. Mens est propius accedere; corripe lora, o Musa: nec turberis rotis ferventibus. Si verba exarata tabellis abiegnis tenent vadum: famula idonea accipiat litteras missas. Inspice, & ex verbis ipsis cognosce, an simulet quod leges, an petat anxius & sincere.

NOTÆ.

(r) *Hæres*) Quia patris Thesei exemplo qui Ariadnen deseruerat, Demophoon Phyllida destituit, jn epistolis vidimus.

(s) *Vestæ*) Ignis ipse est, quem, Vestam virginem incorruptam voluerunt, Vestæ antiquæ Deum matris, & quæ Terra est, filiam, cujus nulla fuit effigies, sed ejus loco, in templo ignis sempiternus magna solicitudine a virginibus vestalibus custodiebatur.

(t) *Inachi*) Isis est, vel Io, Inachi filia, dequa jam toties.

(u) *Aconita*) Aconitum, sicut & cicutæ plantæ sunt seu herbæ venenosæ.

(x) *Propius*) Metaphora sumta est a curulibus certaminibus, in quibus, ut jam sæpe monuimus, artis erat currus rotam interiorem, ut compendiosissimum circulum describeret, quam proxime metam admovere. Sensum vero non assequutus videtur Merula; tacuerunt alii, quos quidem ego vidi. Hunc autem esse arbitror, In eo est Poeta, ut quæ fœminas spectant, magis quam quæ viros moneat, qui nihilominus proxime precedentibus versibus quædam viris depromsit aptissima, cum puellis tanquam scelestissimas damnavit, & quæ Venerem accepto munere denegaverint. Ad scopum jam, quasi aberrasset, revertitur Naso, atque Musam hortatur propius metam accedat, puellisque non viris consulat.

(y) *Verba vadum*) Metaphora est, qua amandum, aut amare simulantium virorum, in capiendis puellis ratio cognoscitur; quam quomodo deludant, eas postmodum docebit. Perinde verbum *tentent* expone ac si esset, *cum tentat*, aut *si tentent*.

(z) *Quodque*) Acute profecto ex ipsis verbis legendum aut colligendum esse monet Poeta, fingatne an ex animo roget qui ad puellam scribit; vix enim qui nec sollicitus, nec amans, solliciti & amantis verba facile & ut fert rei natura, expresserit.

Post-

Postque (*a*) brevem rescribe moram, mora semper amantes
(*b*) Incitat, exiguum si modo tempus habet.
Sed neque te facilem juveni promitte roganti:
Nec tamen eduro, quod petit, ore nega.
Fac timeat speretque simul: quotiesque remittes,
Spesque magis veniat certa, minorque metus.
Munda, sed e medio, consuetaque verba, puellæ,
Scribite; sermonis publica forma placet.
Ah quoties (*c*) dubius scriptis exarsit amator;
Et nocit formæ barbara lingua bonæ!
Sed quoniam, (quamvis (*d*) vittæ careatis honore.)
Est vobis vestros fallere cura viros;
Ancillæ puerive manus ferat apta tabellas;
Pignora nec juveni (*e*) credite vestra novo.
Vidi ego pallentes isto (*f*) terrore puellas,
(*g*) Servitium miseras tempus in omne pati.

INTERPRETATIO.

Et rescribe post exiguum spatium: Dilatio semper inflammat amantes, si modo exigua est mora. Sed neque te prabe facilem adolescenti oranti: nec tamen recusa ore pertinaci quod cupit. Fac metuat & speret simul: & quoties remittes, & spes magis tuta accedat, & minor metus. Puellæ, scribite verba culta, sed usitata, & e medio petita: *forma orationis usu approbata arridet. Ah quoties amator fluctuans scriptis insanivit: & lingua barbara obfuit laudatæ formæ! Sed quoniam, utcunque absit laus vittæ, sollicitæ estis decipere viros vestros: manus idonea famulæ vel pueri portet tabellas; nec committite vestra pignora ignoto juveni. Ego vidi puellas infelices pallidas isto pavore, premi servitio in omne tempus.*

NOTÆ.

(a) *Brevem moram*) Duo dicit, mora ut detur, deinde brevis sit.

(b) *Incitat*) Quia inter spem, metumque fluctuans animus accenditur, & acuuntur spiritus; qui tamen mora si nimia est residunt. Inde fit ut gratiam qui maximam cupit inire cujusquam, non prius vota ejus implere debeat, quam multum ferbuerint. Qui autem a semetipso veram laudem expetierit, etiam aliorum vota prævertat: nam evenit sæpissime ut illum callidum sua spes frustretur; hunc generosum & fortem sua nec laus nec merces unquam destituat.

(c) *Dubius*) Ob puellæ verba ambigua.

(d) *Vittæ*) Vittas castitatis & pudicitiæ symbolum antea diximus: adeoque non nisi ad infames meretriculas scribit Poeta: quæ quomodo, quove animo legamus nostrum est internoscere. Malis omnia mala, etiam bona; Bonis omnia bona, etiam mala: Mentem humanam tentant omnia. Quidquisque amplectetur ipse curet. Quanquam nequidem cogitando tetigisse quæ nos suaviter solicitant, & statim convellunt, nullus credo non dixerit tutissimum; nisi quærit proteri qui jam sua sponte victus est.

(e) *Credite*) Tabellas ab ancilla referendas esse innuit, ne eas novus amator pignora habeat; quibus puellam quovis tempore accusare, possit & arguere.

(f) *Terrore*) Qui ex creditis tabellis oritur; quia, *scil.* metuit semper fœmina sese ne quando iratus amator apud maritum accuset.

(g) *Servitium*) Cogitur nempe fœmina, tabellarum pignore devincta, ne accusetur utcumque perfido amatori collibitum fuerit, omnia facere.

Per-

Perfidus ille quidem, qui talia munera servat:
Sed tamen (*h*) Ætnæi fulminis instar habet.
Judice me fraus est concessa, repellere fraudem.
Armaque in armatos sumere jura sinunt.
Ducere consuescat (*i*) multas manus una figuras,
Ah pereant, (*k*) per quos ista monenda mihi!
Nec nisi deletis tutum rescribere ceris:
Ne teneat (*l*) geminas una tabella manus.
(*m*) Fœmina dicatur scribenti semper amator.
Illa sit in vestris, qui fuit ille, notis.
Sed libet a parvis animum ad majora referre,
Plenaque curvato pandere vela sinu.
(*n*) Pertinet ad faciem rabidos compescere mores.
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira; nigrescunt sanguine venæ;
Lumina (*o*) Gorgoneo sævius (*p*) igne micant.
I procul hinc, dixit, non es mihi tibia tanti;
Ut (*q*) vidit vultus Pallas in amne suos:
Vos quoque si media speculum spectetis in ira;
Cognoscat faciem vix satis ulla suam.

INTERPRETATIO.

Ille quidem perfidus qui retinet talia munera: sed tamen habet potestatem fulminis Ætnæi. Per me licet artem arte deludere: nec jura prohibent capere arma adversus armatos. Una manus discat pingere diverso caractere. Ah pereant, per quos ista a me inculcanda! Nec tutum rescribere nisi ceris absterfis: ne una tabella duas habeat manus. Fœmina dicatur semper amator scribenti. Illa sit in vestris literis qui fuit ille. Sed animum placet a parvis ad majora retrahere, & plena carbasa explicare sinu inflato. Conducit ad vultum frænare mores furiosos. Pax læta decet homines, ira truculenta feras. Facies inflatur ira; venæ obscurantur sanguine; oculi coruscant truculentius oculis Gorgoneis. Procul hinc tibia, inquit Pallas, non es mihi tanti, cum faciem suam intuita est in aqua. Vos quoque si aspiciatis speculum in media ira; vix ulla cognoscat satis vultus suos.

NOTÆ.

(h) *Ætnai*) In Ætna monte Jovis fulmina fabricare etiam Cyclopas voluerunt Poetæ.

(i) *Multas*) Ut sua manu exaratam epistolam negare, si opus sit, puella audeat.

(k) *Per quos*) Perfidos dicit, qui epistolas a fœminis acceptas, maritis tradere moliuntur.

(l) *Geminas*) Amantis *scil.* viri, & puellæ.

(m) *Fœmina*) Hujus distichi sensus est, ut mutatis partibus cum ad puellam scribit amator, perinde scribat ac si ipse puella foret, puella vero tanquam vir esset. Atque ex ea methodo eveniret potissimum ut neque perfidus amans, neque maritus fœminam coarguere posset.

(n) *Pertinet*) Forma nempe morum feritate, quæ in oculos & vultum erumpit, multum minuitur, vel etiam extinguitur.

(o) *Gorgoneo*) Tres fuerunt Gorgones Phorci filiæ, monstra, quibus caput non capillis, sed anguibus horrida; aspectu usque adeo terribili, ut in lapide illico intuentes illas rigescerent.

(p) *Igne*) Ex oculis erumpente, *scil.*

(q) *Vidit vultus*) Minervam volunt tibiam abjecisse, ejus inflatu quod vultus vidisset deformari.

Nec

Nec tumeat vultu damnosa superbia vestro.
Comibus est oculis alliciendus amor.
Odimus immodicos (expertæ credite) fastus.
Sæpe (r) tacens odii femina vultus habet.
Spectantem specta: ridenti mollia ride.
Innuet; acceptas tu quoque redde notas.
Sic ubi prælusit, (ſ) rudibus puer ille relictis,
Spicula de pharetra promit acuta sua.
Odimus & mœstas; (t) Tecmessam diligat (u) Ajax:
Nos hilarem populum fœmina læta capit.
Nunquam ego te, (x) Andromache, nec te, Tecmessa, rogarem,
Ut mea de vobis altera amica foret.
Credere vix videor, cum cogar credere partus,
Vos ego cum vestris concubuisse viris.
Scilicet Ajaci mulier mœstissima dixit,
Lux mea; quæque solent verba juvare viros;
Quid vetat a magnis ad res exempla minores
Sumere, nec nomen pertimuisse ducis?
Dux bonus huic centum commisit (y) vite regendos:
Huic equites; illi signa tuenda dedit.
Vos quoque, de nobis quem quisque sit aptus ad usus
Inspicite: & certoponite quemque loco.

INTERPRETATIO.

Nec turgeat superbia perniciosa per vestram faciem. Amor est conciliandus oculis blandis. Odimus fastus immoderatos (expertæ credite:) Sæpe vultus silens habet causas odii. Aspice aspicintem: arride suaviter ridenti. Innuet; tu quoque remitte signa accepta. Ubi puer ita prælusit, ille omissis rudibus profert sagittas acutas ex pharetra sua. Odimus etiam tristes. Ajax amet Tecmessam: fœmina festiva movet nos populum alacrem. Ego, Andromache, nunquam te orarem, nec te Tecmessa, ut altera de vobis esset mea amica. Ego vix videor credere cum cogar credere partus, vos consuevisse cum vestris viris. Enim vero fœmina tristissima dixerit Ajaci, Sol mi, & verba quæ solent prodesse viris? quid prohibet petere exempla a magnis ad res minores, nec expavisse nomen ducis? Dux peritus credidit huic centum milites moderandos vite; huic equites: illi signa tradidit defendenda. Vos quoque videt ad quem usum unusquisque de nobis sit idoneus; & unumquemque in certum locum referte.

NOTÆ.

(r) *Tacens*) Quæcumque bona sunt sibi quisque expetit; nec nisi aliquo fine aut bono, quo homo moveatur quisquam alium quærit. Annon igitur, illi male erit, quempiam qui quærit, videt, & amat, a quo negligitur aut spernitur. Si male erit, annon & illud per quod sibi male est, oderit? Vultum itaque, statum, verba omnia sua denique ad aliorum arbitrium aut commodum saltem etiam fingere discant qui sese amari, & sibi bene esse volunt.

(ſ) *Rudibus*) Quibus non tam potenter insigitur, quodammodo tamen amor conciliatur.

(t) *Tecmessam*) Ajacis captiva fuit, adeoque mœsti.

(u) *Ajax*) Telamonis est filius, post Achillem Græcorum fortissimus.

(x) *Andromache*) Fidissima fuit Hectoris uxor, mœstissima, quod, Troja deleta in Pyrrhi manus venisset.

(y) *Vite*) De vite loquitur quam centurio gestabat.

Mu-

Munera det dives: ejus qui profitebitur, adsit:
Facundus causam sæpe clientis agat.
Carmina qui facimus, mittamus carmina tantum.
Hic chorus ante alios aptus amare sumus.
Nos facimus placitæ late præconia formæ.
Nomen habet (z) Nemesis: (a) Cynthia nomen habet.
(b) Vesper & Eoæ novere (c) Lycorida terræ:
Et multi, quæ sit nostra (d) Corinna, rogant.
Adde, quod insidiæ sacris a vatibus absunt:
Et facit ad mores ars quoque nostra suos.
Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi:
Contemto colitur (e) lectus & umbra foro.
Sed facile (f) hæremus, validoque perurimur æstu;
Et nimium certa scimus amare fide.
Scilicet (g) ingenium placida mollimur ab arte:
Et studio mores convenienter eunt.
Vatibus (h) Aoniis faciles estote, puellæ.
Numen inest illis; (i) Pieridesque favent.
Est Deus in nobis; & sunt commercia cœli:
Sedibus ætheriis (k) spiritus ille venit.
A doctis pretium scelus est sperare poetis.
Me miserum! scelus hoc nulla puella timet.

INTERPRETATIO.

Dives præbeat dona: qui profitebitur jus, adsit: disertus dicat sæpe causam clientis. Qui versus struimus; mittamus tantum versus. Hæc turba sumus idonei præ cæteris ad amandum. Nos celebramus late formam quæ grata fuit. Nemesis habet famam: Cynthia habet famam. Hesperus, & terræ quæ spectant ad Auroram cognoscunt Lycorida: & multi exquirunt quæ sit nostra Corinna. Adde quod doli procul sunt a sacris poetis: & ars nostra confert quoque ad mores suos. Nec ambitio, nec cupido habendi nos movet: lectus & umbra quæritur foro neglecto. Sed facile capimur, & æstuamus potenti amore; & novimus amare fide nimium firma. Nempe mitescit ingenium ab arte dulci; & mores apte respondent studio. Puellæ estote lubentes poetis Aoniis. Numen adest illis; & Pierides favent. Deus est in nobis; & sunt consortia cœli. Ille spiritus mittitur sedibus cœlestibus. Nefas est expetere dona a doctis Poetis. Me miserum! nulla puella refugit hoc nefas

NOTÆ.

(z) *Nemesis*) Hanc Tibullus amavit, & celebravit.

(a) *Cynthia*) Propertii fuit amica.

(b) *Vesper*) Plaga occidentalis per vespertinam stellam intelligitur.

(c) *Lycorida*) Galli Poetæ carminibus cognita.

(d) *Corinna*) Isthoc nomine amicam suam Naso celebravit.

(e) *Lectus & umbra*) Amoribus res maxime aptæ.

(f) *Hæremus*) *Amore capimur.*

(g) *Ingenium mollimur*) Græcismus Poetis familiaris.

(h) *Aoniis*) Poetas a Bœotiæ parte montana Musis sacra, quæ Aonia dicitur, Aonios nominat.

(i) *Pieridesque*) Musas dicit, quæ a Pierio monte Thessaliæ, aut Pieri filiabus, quas victas in picas transformaverunt, illo nomine appellatæ sunt.

(k) *Spiritus*) Quo in poematibus pangendis opus, ut nihil vates moliantur inepte, eorum omnia nescio quid magnum spirent.

Bellatorque ſua prenſus ſine (*r*) compare bellat;
Æmulus & cœptum ſæpe recurrit iter.
(*ſ*) Reticuloque pilæ læves fundantur aperto:
Nec, niſi quam tolles, ulla movenda pila eſt.
Eſt genus in totidem tenui ratione redactum
(*t*) Scriptula, (*u*) quos menſes lubricus annus habet.
Parva tabella capit (*x*) ternos utrimque lapillos;
In qua viciſſe eſt, continuaſſe ſuos.
Mille faceſſe jocos. turpe eſt neſcire puellam
Ludere: ludendo ſæpe paratur amor.
Sed minimus labor eſt, ſapienter (*y*) jactibus uti.
Majus opus, mores compoſuiſſe ſuos.
Dum ſumus incauti, (*z*) ſtudioque aperimur in ipſo;
Nudaque per luſus pectora noſtra patent;
Ira ſubit (*a*) deforme malum, lucrique cupido;
Jurgiaque, & rixæ, ſolicituſque dolor.
Crimina dicuntur: reſonat clamoribus æther:
Invocat (*b*) iratos & ſibi quiſque Deos.
Nulla fides tabulis, (*c*) quæ non per vota petuntur:
Et lacrymis vidi ſæpe madere genas.

INTERPRETATIO.

Et bellator correptus ſine ſua compare certat: & æmulus ſæpe pedem refert promotum. Et pilæ expolitæ ſpargantur, reticulo aperto: nec pila ulla movenda niſi quam rapies. Eſt genus luſus facile diſtributum in totidem ſcrupos, quot annus celer habet menſes. Parva tabella habet ternos calculos utrinque: in qua continuaſſe ſuos eſt ſuperaſſe. Finge mille ludos; indecorum eſt puellam neſcire ludere: amor conciliatur ſæpe ludendo. Sed labor eſt minimus uti peritè jactibus: majus opus temperaſſe mores ſuos. Dum minus cavemus, & detegimur in ſtudio ipſo: & mens noſtra patet nuda per ludos; ira malum turpe, & cupiditas lucri irrepit; & jurgia, & rixa & dolor anxius. Probra objiciuntur; aer perſonat clamoribus; & quiſque ſibi implorat Deos iratos. Nulla fides tabulis, quæ non petuntur per vota: Et vidi ſæpe genas humidas eſſe lacrymis.

NOTÆ.

(r) *Compare*) De *regina* intelligit, quam eo nomine, in calculorum ludo vocitant. Sed hæc omnia fruſtra peritis juxta & imperitis quiſquam exponat, quæ ſolo uſu cognoſcuntur.

(ſ) *Reticuloque*) Ludum deſcribit; cujuſmodi nos nullum quod quidem ſciam hodie habemus; niſi forte illum aliquatenus imitantur pueri, dum ſulphurata aut bacillos manu comprehenſos in menſam ſpargunt, quos ſingulos, immotis aliis oporteat colligere.

(t) *Scriptula*) Scrupos dicit, quibus etiam hodie utimur in eo ludo quem vocamus, *les Dammes*.

(u) *Quos menſes*) Duodecim vero ſcrupis colluſor uterque utitur.

(x) *Ternos*) Ludum deſcribit quem dicimus *aux Merelles*.

(y) *Jactibus*) Id eſt numero, qui ex teſſerarum jactu oritur.

(z) *Studio*) Ludendi, *ſcil.* aut vincendi.

(a) *Deforme*) Quod vultum & oculos deformat.

(b) *Iratos*) *Qui iræ noſtræ participes facti, illatam, noſtro judicio, injuriam ulciſcantur.*

(c) *Quæ non per vota petuntur*) Quid ſibi alii in expoſitione hujus verſus, voluerint non ſatis aſſequutus ſum; ſic tamen intelligo. Videtur dicere Poeta male luſori fidendum eſſe, cujus votis, neque ludus, neque alea, neque Dii favent: quippe qui in colluſorem, damni impatientia ſæpiſſime inſurgat.

Jupi-

Jupiter a vobis tam turpia crimina pellat,
  In quibus est ulli cura placere viro.
Hos (*d*) ignava jocos tribuit Natura puellis:
  Materia ludunt uberiore viri.
Sunt illis celeresque pilæ, jaculumque, trochique,
  Armaque, & in gyros ire coactus equus.
Nec vos (*e*) Campus habet, nec vos gelidissima (*f*) Virgo;
  Nec (*g*) Tuscus placida devehit amnis aqua.
At licet & prodest, (*h*) Pompejas ire per umbras;
  (*i*) Virginis ætheriis cum caput ardet equis.
Visite laurigero sacrata (*k*) Palatia Phœbo:
  (*l*) Ille (*m*) Parætonias mersit in alta rates.
Quæque (*n*) soror (*o*) conjuxque Ducis monumenta pararunt:
  Navalique gener (*p*) cinctus honore caput.
Visite thuricremas vaccæ (*q*) Memphitidos aras:
  Visite conspicuis (*r*) terna theatra locis.

INTERPRETATIO.

Jupiter amoliatur a vobis, quæ curatis placere ulli viro, crimina tam indecora. Natura imbellis dedit hos ludos fœminis: Viri ludunt materia ampliore. Sunt illis pilæ veloces, & jaculum, & trochi, & arma, & equus jussus moveri in orbes. Nec campus vos accipit; nec Virgo gelidissima; nec fluvius Tuscus aufert aqua levi. At licet, & juvat ambulare per porticus Pompejas; cum caput æstuat equis ætheriis Virginis. Celebrate Palatia dicata Phœbo laurifero: ille detrusit naves Parætonias in profundum. Visite etiam monumenta quæ soror & uxor Imperatoris struxerunt; & gener redimitus caput corona navali. Frequentate altaria thuricrema juvencæ Memphiticæ. Adite terna theatra locis conspicuis.

NOTÆ.

(d) *Ignava*) Ut puellis non liceat tanquam armatis pugnare.

(e) *Campus*) Campum Martium dicit, ubi ludorum & omni genere certaminum sese Romana juventus exercebat.

(f) *Virgo*) Aqua fuit in campum Martium derivata, qua sudorem & pulverem abluebant qui sese in eo exercebant. Illam autem a virgine quæ ejus aquæ fontem indicavit, ut Frontinus docet, vel potius, ut Plinius scribit, id nominis ex eo sortitam volunt, quod ad Herculaneum rivum ubi pervenit, eum refugit, quasi Herculis congressum metuat.

(g) *Thuscus*) De Tiberi loquitur, qui ab Apennino monte defluens per Thusciam Romam defertur; quem fluvium, Romani exercitii causa, natando superare consueverant.

(h) *Pompejas.*) De porticu loquitur Pompeii, de qua antea, quæ in campo Martio fuit.

(i) *Virginis*) Æstatem designat, qua, docente Hygino, per Cancrum, Leonem, & Virginem Sol transit.

(k) *Palatia*) De porticu loquitur de qua etiam supra lib. 1. ℣. 73. quam in Palatino Augustus una cum templo Apollini sacram fecit.

(l) *Ille*) Apollo, qui in pugna Actiaca Augusto adfuisse dictus est: qua de re Virgilius, itemque Plutarchus.

(m) *Parætonias*) Ægyptias dicit quibus usus est Antonius adversus Augustum, a Parætonio Ægypti urbe maritima.

(n) *Soror*) Octaviam dicit Augusti sororem, cujus nomine ædificata fuit porticus, juxta Marcelli filii theatrum.

(o) *Conjux*) Livia est, Augusti uxor, quæ etiam suo nomine porticum habuit.

(p) *Cinctus*) Agrippam dicit Augusti generum, quem ille post debellatum Pompejum in Sicilia, ut Plinius scribit, navali corona decoravit; a quo etiam porticus una nomen accepit.

(q) *Memphitidos*) De templo Isidis intelligit, cujus supra, lib. 1. de Arte ℣. 77. meminit Poeta.

(r) *Terna*) Ea in campi Martii vicinitate fuisse docet Strabo.

Spectentur tepido maculosæ (*s*) sanguine arenæ;
(*t*) Metaque ferventi circueunda rota.
(*u*) Quod latet, ignotum est: ignoti nulla cupido.
Fructus abest, facies cum bona teste caret.
Tu licet & (*x*) Thamyran superes, & (*y*) Amœbea cantu;
Non erit ignotæ gratia magna lyræ.
Si (*z*) Venerem Cous nusquam posuisset (*a*) Apelles;
Mersa sub æquoreis illa lateret aquis.
Quid petitur sacris, nisi tantum fama, poetis?
Hoc (*b*) votum nostri summa laboris habet.
Cura Deum fuerunt olim Regumque poetæ:
Præmiaque antiqui magna tulere (*c*) chori.
Sanctaque majestas, & erat venerabile nomen
Vatibus: & largæ sæpe dabantur opes.
(*d*) Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.
Nunc (*e*) hederæ sine honore jacent: operataque doctis
Cura virgil Musis nomen inertis habet.

INTERPRETATIO.

Arenæ tinctæ sanguine tepido spectentur; & meta ambienda rota fervida. Quod latitat est incognitum; nullum desiderium rei incognitæ. Utilitas nulla est, cum pulchra facies caret teste. Licet tu vincas cantu & Thamiran & Amœbea: non erit magnus favor lyræ ignotæ. Si Apelles Cous nusquam pinxisset Venerem; illa lateret submersa aquis marinis. Quid queritur a sacris vatibus, nisi fama tantum? summa nostri laboris babet boc votum. Poetæ fuerunt olim cura Deorum & Regum: & chori antiqui reportaverunt ingentia premia. Erat etiam majestas sancta & nomen reverendum poetis; & ampla divitiæ sæpe offerebantur. Ennius natus in montibus Calabris emeruit erigi tibi proximus, Scipio magne. Nunc bedera neglecta jacent: & cura vigil addicta doctis Musis babet famam ignavæ.

NOTÆ.

(s) *Sanguine*) Gladiatorum *scil.* qui illic suum sanguinem profundebant.

(t) *Metaque*) Per metam Circum intellige, aut ludos in Circo celebrari solitos.

(u) *Quod latet*) Ea gratia puellas docet loca publica frequentare, ut a viris videantur, deinde amentur.

(x) *Thamyram*) Fuit Thamyras Poeta Thracius, qui Musas etiam lyra provocare ausus, victus ab iis oculis & lyra privatus est.

(y) *Amœbea*) Fuit Amœbeus citharœdus Atheniensis magni nominis, de quo Athenæus, Plutarchus, & alii.

(z) *Venerem*) Eam *Anadyomenen* e mari egredientem pinxerat Apelles, quam in delubro patris Cæsaris Augustus dedicavit.

(a) *Apelles*) Pictor fuit, cujus etiamnum hodie fama præstantissimum prædicat, qui tempore floruit Alexandri magni. Patriam eandem cum Hippocrate medico habuit Coon, Ægæi maris insulam, & urbem.

(b) *Votum*) Ut, *scil.* fama nostra præclara sit, & plurimis fausto nomine innotescamus.

(c) *Chori*) Proprie *chorus* multitudo est canentium aut saltantium; sed hic pro Poetis ponitur.

(d) *Ennius*) Poeta fuit ingenio maximus, arte rudis, qui Rudias, Calabriæ oppidum patriam habuit, Scipioni Africano majori adeo charus, ut e marmore in Scipionum sepulcro constitutus, ne eo quidem divelli voluerit.

(e) *Hederæ*) Id est; Poetæ, qui hedera coronantur.

Sed

Sed famæ vigilare juvet; qui nosset Homerum,
(f) Ilias æternum si latuisset opus?
Quis Danaen nosset, si semper clausa fuisset:
Inque sua turri perlatuisset (g) anus?
Utilis est vobis, formosæ, turba, puellæ;
Sæpe vagos ultra limina ferte pedes.
Ad multas lupa tendit oves, prædetur ut unam:
Et (h) Jovis in multas devolat ales aves.
Se quoque det populo mulier speciosa videndam:
Quem trahat, e multis forsitan unus erit.
Omnibus illa locis maneat studiosa placendi:
Et curam tota mente decoris agat.
Casus ubique valet: semper tibi pendeat hamus,
Quo minime credas gurgite, piscis erit.
Sæpe canes frustra nemorosis montibus errant:
Inque plagam nullo cervus agente cadit.
Quid minus Andromedæ fuerat sperare revinctæ,
Quam lacrymas ulli posse placere suas?
Funere sæpe viri vir quæritur; ire solutis
Crinibus, & fletus non tenuisse decet.
Sed vitate viros cultum formamque professos;
Quique suas ponunt in statione comas.
Quæ vobis dicunt, dixerunt mille puellis.
Errat, & in nulla sede moratur amor.
Fœmina quid faciat, cum sit vir levior ipsa;
Forsitan & plures possit habere viros?

INTERPRETATIO.

Verum placeat famæ studere: cui cognitus esset Homerus, si Ilias opus æternum latuisset? Cui cognita esset Danae, si fuisset semper inclusa; & usque delituisset anus in sua turri? O pulchræ puellæ! Cœtus vobis prodest. Efferte sæpe pedes incertos domibus. Lupa it ad multas oves ut unam surripiat. & avis Jovis devolat in multas aves. Fœmina formosa præbeat se quoque aspiciendam populo: forsitan unus erit e multis, quem capiat. Illa studeat placere omnibus locis: & toto animo curam gerat venustatis. Fors ubique valet; hamus semper tibi pendeat. Piscis invenietur in gurgite quo minime arbitreris. Sæpe canes vagantur frustra in montibus nemorosis: & cervus ruit in retia nullo insequente. Quid minus fuit expectandum Andromedæ constrictæ, quam lacrymas suas posse cuiquam placere? Vir capitur sæpe in exequiis viri: decet incedere capillis passis, & non cohibuisse ejulatus. Sed fugite viros profitentes ornatus & speciem, & qui ordinant suos capillos. Dixerunt mille puellis quæ dicunt vobis. Amor eorum vagatur, & in nullo loco permanet. Quid faciat puella, cum vir sit ipsa expolitior, & forte possit habere plures viros?

NOTÆ.

(f) *Ilias*) Alterum est Homeri opus, quo Ilii, seu Trojæ describitur excidium.

(g) *Anus*) Id est, quæ in sua turri fuisset anus facta.

(h) *Jovis ales*) Aquila.

Vix

Vix mihi credetis; sed credite: Troja maneret,
Præceptis *(i)* Priami si foret usa sui.
Sunt qui mendaci specie grassentur amoris,
Perque *(k)* aditus tales lucra pudenda petant.
Nec coma vos fallat liquida nitidissima *(l)* nardo:
Nec brevis in *(m)* rugas *(n)* cingula pressa suas.
Nec toga decipiat filo tenuissima: nec si
Anulus in digitis alter & alter erit.
Forsitan ex horum numero cultissimus ille
Fur sit, & uratur vestis amore tuæ.
Redde meum, clamant spoliatæ sæpe puellæ;
Redde meum, toto voce boante foro.
Has, Venus, e templis multo radiantibus auro
Lenta vides lites, *(o)* Appiadesque tuæ.
Sunt quoque non dubia quædam *(p)* mala nomina famæ:
Decepta a multis crimen amantis habent.
Discite ab alterius vestris timuisse querelis;
Janua fallaci ne sit aperta viro.
Parcite, *(q)* Cecropides, juranti credere Theseo;
Quos faciet testes, facit & ante Deos.

INTERPRETATIO.

Vix mihi fidem habebitis, sed habete. Troja staret, si paruisset monitis sui Priami. Sunt qui mendaci amoris titulo prædabundi oberrent, & quærant erubescendum quæstum per ejusmodi accessus. Nec capilli splendidissimi nardo liquida vos decipiant: nec brevis fascia adstricta in sinus suos. Nec toga filo subtilissima fallat; nec si multus anulus erit in digitis: forsitan ille ornatissimus ex horum numero fur sit: & flagret desiderio vestis tuæ. Pone meum, vociferantur sæpe puellæ nudatæ: toto foro voce remugiente pone meum. Venus mollis, & tuæ Appiades, cernis has rixas e templis fulgentibus multo auro. Sunt quoque rumore certo nonnulla famosa nomina: Delusa a multis habeat crimen amantis: discite ex querimoniis alterius metuisse vestris: fores ne pateant viro fraudulento. Cecropides nolite fidem habere Theseo juranti; Deos quos adhibebit testes, prius adhibuit.

NOTÆ.

(i) *Priami si*) Quia ille Helenam belli caussam reddendam censebat.

(k) *Aditus*) Amoris speciem, *scil.*

(l) *Nardo*) *Nardus vel nardum* planta est seu frutex, ex India aut Syria, ex quo unguentum pretiosissimum parabatur.

(m) *Rugas*) Quas faciunt vestes fascia collectæ.

(n) *Cingula*) Fasciam dicit, qua cingebatur toga.

(o) *Appiadesque*) Meretriculas dicit, quæ extra urbem, via Appia, circaque templum illic Veneri dicatum, habitabant.

(p) *Mala nomina*) Plane hunc locum Commentator non intellexit, siquidem ego aliquid video. Per nomina viros intelligo, nequitia sua & dolis factos celebres, quos fugitare debere puellas, ne ipsæ eorum in se crimen derivent, docet Poeta.

(q) *Cecropides*) Athenienses puellas a Cecrope rege sic dictas, Poeta compellat, quas perfido Theseo, qui Ariadnen destituit, minus credere debere, admonet; quo exemplo quaslibet ab omnibus protritæ famæ hominibus abstinere jubet.

Et

Et tibi, Demophoon, Thesei criminis (r) hæres,
Phyllide decepta nulla relicta fides.
Si bene promittant, totidem promittite verbis:
Si dederint, & vos gaudia pacta date.
Illa potest vigilis flammas extinguere (ſ) Vestæ;
Et rapere e templis, (t) Inachi, sacra tuis;
Et dare mista viro tritis (u) aconita cicutis:
Accepto Venerem munere si qua negat.
Fert animus (x) propius consistere; supprime habenas,
Musa; nec admissis excutiare rotis.
(y) Verba vadum tentent abiegnis scipta tabellis.
Accipiat missas apta ministra notas.
Inspice: (z) quodque leges, ex ipsis collige verbis,
Fingat, an ex animo sollicitusque roget.

INTERPRETATIO.

Nec ulla tibi superest fides, Demophoon hæres perfidiæ Thesea, Phyllide elusa. Si multum polliceantur, polliceamini totidem verbis: Si dederint, vos etiam præbete voluptatem promissam. Illa potest opprimere flammas Vestæ inextincta; & tollere sacra e templis tuis, o Inachi: & viro porrigere aconita intrita tusis cicutis; si aliqua negat Venerem dono accepto. Mens est propius accedere; corripe lora, o Musa: nec [illegible] turberis rotis ferventibus. Si verba exarata tabellis abiegnis tenent vadum: famula idonea accipiat litteras missas. Inspice, & ex verbis ipsis cognosce, an simulet quod leges, an petat anxius & sincere.

NOTÆ.

(r) *Hæres*) Quia patris Thesei exemplo qui Ariadnen deseruerat, Demophoon Phyllida destituit, in epistolis vidimus.

(ſ) *Vestæ*) Ignis ipse est, quem, Vestam virginem incorruptam voluerunt, Vestæ antiquæ Deum matris, & quæ Terra est, filiam, cujus nulla fuit effigies, sed ejus loco, in templo ignis sempiternus magna sollicitudine a virginibus vestalibus custodiebatur.

(t) *Inachi*) Isis est, vel Io, Inachi filia, de qua jam toties.

(u) *Aconita*) Aconitum, sicut & cicutæ plantæ sunt seu herbæ venenosæ.

(x) *Propius*) Metaphora sumta est a curulibus certaminibus, in quibus, ut jam sæpe monuimus, artis erat currus rotam interiorem, ut compendiosissimum circulum describeret, quam proxime metam admovere. Sensum vero non assequutus videtur Merula; tacuerunt alii, quos quidem ego vidi. Hunc autem esse arbitror, In eo est Poeta, ut quæ fœminas spectant, magis quam quæ viros moneat, qui nihilominus proxime precedentibus versibus quædam viris depromsit aptissima, cum puellas tanquam scelestissimas damnavit, & quæ Venerem accepto munere denegaverint. Ad scopum jam, quasi aberrasset, revertitur Naso, atque Musam hortatur propius metam accedat, puellisque non viris consulat.

(y) *Verba vadum*) Metaphora est, qua amantium, aut amare simulantium virorum, in capiendis puellis ratio cognoscitur; quam quomodo deludant, eas postmodum docebit. Perinde verbum *tentent* expone ac si esset, *cum tentat*, aut *si tentent*.

(z) *Quodque*) Acute profecto ex ipsis verbis legendum aut colligendum esse monet Poeta, fingatne an ex animo roget qui ad puellam scribit; vix enim qui nec sollicitus, nec amans, solliciti & amantis verba facile & ut fert rei natura, expresserit.

Post-

Postque (a) brevem rescribe moram, mora semper amantes
(b) Incitat, exiguum si modo tempus habet.
Sed neque te facilem juveni promitte roganti:
Nec tamen eduro, quod petit, ore nega.
Fac timeat speretque simul: quotiesque remittes,
Spesque magis veniat certa, minorque metus.
Munda, sed e medio, consuetaque verba, puellæ,
Scribite; sermonis publica forma placet.
Ah quoties (c) dubius scriptis exarsit amator;
Et nocit formæ barbara lingua bonæ!
Sed quoniam, (quamvis (d) vittæ careatis honore.)
Est vobis vestros fallere cura viros;
Ancillæ puerive manus ferat apta tabellas;
Pignora nec juveni (e) credite vestra novo.
Vidi ego pallentes isto (f) terrore puellas,
(g) Servitium miseras tempus in omne pati.

INTERPRETATIO.

Et rescribe post exiguum spatium: Dilatio semper inflammat amantes, si modo exigua est mora. Sed neque te præbe facilem adolescenti oranti: nec tamen recusa ore pertinaci quod cupit. Fac metuat & speret simul: & quoties remittes, & spes magis tuta accedat, & minor metus. Puellæ, scribite verba culta, sed usitata, & e medio petita: *forma orationis usu approbata arridet. Ah quoties amator fluctuans scriptis insanivit; & lingua barbara obfuit laudatæ formæ. Sed quoniam, utcunque absit laus vittæ, sollicitæ estis decipere viros vestros; manus idonea famulæ vel pueri portet tabellas; nec committite vestra pignora ignoto juveni. Ego vidi puellas infelices pallidas isto pavore, premi servitio in omne tempus.*

NOTÆ.

(a) *Brevem moram*) Duo dicit, mora ut detur, deinde brevis sit.

(b) *Incitat*) Quia inter spem, metumque fluctuans animus accenditur, & acuuntur spiritus; qui tamen mora si nimia est residunt. Inde fit ut gratiam qui maximam cupit inire cujusquam, non prius vota ejus implere debeat, quam multum ferbuerint. Qui autem a semetipso veram laudem expetierit, etiam aliorum vota prævertat: nam evenit sæpissime ut illum callidum sua spes frustretur; hunc generosum & fortem sua nec laus nec merces unquam destituat.

(c) *Dubius*) Ob puellæ verba ambigua.

(d) *Vittæ*) Vittas castitatis & pudicitiæ symbolum antea diximus: adeoque non nisi ad infames meretriculas scribit Poeta: quæ quomodo, quove animo legamus nostrum est internoscere. Malis omnia mala, etiam bona; Bonis omnia bona, etiam mala: Mentem humanam tentant omnia. Quidquisque amplectetur ipse curet. Quanquam nequidem cogitando tetigisse quæ nos suaviter solicitant, & statim convellunt, nullus credo non dixerit tutissimum; nisi quærit poteri qui jam sua sponte victus est.

(e) *Credite*) Tabellas ab ancilla referendas esse innuit, ne eas novus amator pignora habeat; quibus puellam quovis tempore accusare, possit & arguere.

(f) *Terrore*) Qui ex creditis tabellis oritur: quia, *scil.* metuit semper fœmina sese ne quando iratus amator apud maritum accuset.

(g) *Servitium*) Cogitur nempe fœmina, tabellarum pignore devincta, ne accusetur utcumque perfido amatori collibitum fuerit, omnia facere.

Perfidus ille quidem, qui talia munera servat:
Sed tamen (*h*) Ætnæi fulminis instar habet.
Judice me fraus est concessa, repellere fraudem,
Armaque in armatos sumere jura sinunt.
Ducere consuescat (*i*) multas manus una figuras,
Ah pereant, (*k*) per quos ista monenda mihi!
Nec nisi deletis tutum rescribere ceris:
Ne teneat (*l*) geminas una tabella manus.
(*m*) Fœmina dicatur scribenti semper amator.
Illa sit in vestris, qui fuit ille, notis.
Sed libet a parvis animum ad majora referre,
Plenaque curvato pandere vela sinu.
(*n*) Pertinet ad faciem rabidos compescere mores.
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira; nigrescunt sanguine venæ;
Lumina (*o*) Gorgoneo sævius (*p*) igne micant.
I procul hinc, dixit, non es mihi tibia tanti;
Ut (*q*) vidit vultus Pallas in amne suos:
Vos quoque si media speculum spectetis in ira;
Cognoscat faciem vix satis ulla suam.

INTERPRETATIO.

Ille quidem perfidus qui retinet talia munera: sed tamen habet potestatem fulminis Ætnæi. Per me licet artem arte deludere: nec jura prohibent capere arma adversus armatos. Una manus discat pingere diverso caractere. Ah pereant, per quos ista a me inculcanda! Nec tutum rescribere nisi ceris abstersis: ne una tabella duas habeat manus. Fœmina dicatur semper amator scribenti. Illa sit in vestris literis qui fuit ille. Sed animum placet a parvis ad majora retrahere, & plena carbasa explicare sinu inflato. Conducit ad vultum frænare mores furiosos. Pax læta decet homines, ira truculenta feras. Facies inflatur ira; venæ obscurantur sanguine; oculi coruscant truculentius oculis Gorgoneis. Procul hinc tibia, inquit Pallas, non es mihi tanti, cum faciem suam intuita est in aqua. Vos quoque si aspiciatis speculum in media ira; vix ulla cognoscat satis vultus suos.

NOTÆ.

(h) *Ætnæi*) In Ætna monte Jovis fulmina fabricare etiam Cyclopas voluerunt Poetæ.

(i) *Multas*) Ut sua manu exaratam epistolam negare, si opus sit, puella audeat.

(k) *Per quos*) Perfidos dicit, qui epistolas a fœminis acceptas, maritis tradere mitantur.

(l) *Geminas*) Amantis *scil.* viri, & puellæ.

(m) *Fœmina*) Hujus distichi sensus est, ut mutatis partibus cum ad puellam scribit amator, perinde scribat ac si ipse puella foret, puella vero tanquam vir esset. Atque ex ea methodo eveniret potissimum ut neque perfidus amans; neque maritus fœminam coarguere posset.

(n) *Pertinet*) Forma nempe morum feritate, quæ in oculos & vultum erumpit, multum minuitur, vel etiam extinguitur.

(o) *Gorgoneo*) Tres fuerunt Gorgones Phorci filiæ, monstra, quibus caput non capillis, sed anguibus horrida, aspectu usque adeo terribili, ut in lapide illico intuentes illas rigescerent.

(p) *Igne*) Ex oculis erumpente, *scil.*

(q) *Vidit vultus*) Minervam volunt tibiam abjecisse, ejus inflatu quod vultus vidisset deformari.

Nec

Munera det dives: jus qui profitebitur, adsit:
  Facundus causam sæpe clientis agat.
Carmina qui facimus, mittamus carmina tantum.
  Hic chorus ante alios aptus amare sumus.
Nos facimus placite late præconia formæ.
  Nomen habet (z) Nemesis: (a) Cynthia nomen habet.
(b) Vesper & Eoæ novere (c) Lycorida terræ:
  Et multi, quæ sit nostra (d) Corinna, rogant.
Adde, quod insidiæ sacris a vatibus absunt:
  Et facit ad mores ars quoque nostra suos.
Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi:
  Contemto colitur (e) lectus & umbra foro.
Sed facile (f) hæremus, validoque perurimur æstu;
  Et nimium certa scimus amare fide.
Scilicet (g) ingenium placida mollimur ab arte:
  Et studio mores convenienter eunt.
Vatibus (h) Aoniis faciles estote, puellæ.
  Numen inest illis; (i) Pieridesque favent.
Est Deus in nobis; & sunt commercia cœli:
  Sedibus ætheriis (k) spiritus ille venit.
A doctis pretium scelus est sperare poetis.
  Me miserum! scelus hoc nulla puella timet.

INTERPRETATIO.

Dives prabeat dona: qui profitebitur jus, adsit: disertus dicat sæpe causam clientis. Qui versus struimus; mittamus tantum versus. Hæc turba sumus idonei præ cæteris ad amandum. Nos celebramus late formam quæ grata fuit. Nemesis habet famam: Cynthia habet famam. Hesperus, & terra quæ spectant ad Auroram cognoscunt Lycoridam; & multi exquirunt quæ sit nostra Corinna. Adde quod doli procul sunt a sacris poetis: & ars nostra confert quoque ad mores suos. Nec ambitio, nec cupido habendi nos movet: lectus & umbra quæritur foro neglecto. Sed facile capimur, & æstuamus potenti amore; & novimus amare fide nimium firma. Nempe mitescit ingenium ab arte dulci; & mores apte respondent studio. Puellæ estote lubentes poetis Aoniis. Numen adest illis; & Pierides favent. Deus est in nobis; & sunt consortia cœli. Ille spiritus mittitur sedibus cœlestibus. Nefas est expetere dona a doctis Poetis. Me miserum! nulla puella refugit hoc nefas

NOTÆ.

(z) *Nemesis*) Hanc Tibullus amavit, & celebravit.

(a) *Cynthia*) Propertii fuit amica.

(b) *Vesper*) Plaga occidentalis per vespertinam stellam intelligitur.

(c) *Lycorida*) Galli Poetæ carminibus cognita.

(d) *Corinna*) Isthoc nomine amicam suam Naso celebravit.

(e) *Lectus & umbra*) Amoribus res maxime aptæ.

(f) *Hæremus*) *Amore capimur.*

(g) *Ingenium mollimur*) Græcismus Poetis familiaris.

(h) *Aoniis*) Poetas a Bœotiæ parte montana Musis sacra, quæ Aonia dicitur, Aonios nominat.

(i) *Pieridesque*) Musas dicit, quæ a Pierio monte Thessaliæ, aut Pieri filiabus, quas victas in picas transformaverunt, illo nomine appellatæ sunt.

(k) *Spiritus*) Quo in poematibus pangendis opus, ut nihil vates moliantur inepte, eorum omnia nescio quid magnum spirent.

Dissimulate tamen; nec prima fronte rapaces
Este. novus viso *(l)* casse resistet amans.
Sed neque vector equum, qui *(m)* nuper sensit habenas,
(n) Comparibus frænis, *(o)* artificemque reget.
Nec stabiles annis animos, viridemque juventam
Ut capias, idem *(p)* limes agendus erit.
Hic rudis, & castris nunc primum notus Amoris,
Qui tetigit thalamos præda novella tuos;
Te solam norit; tibi semper inhæreat uni.
Cingenda est altis sepibus ista seges;
Effuge rivalem: vinces, dum sola tenebis.
Non bene cum sociis regna Venusque manent.
(q) Ille vetus miles sensim & sapienter amabit:
Multaque tironi non patienda feret.
Nec franget postes, nec sævis ignibus uret;
Nec dominæ teneras appetet ungue genas.
Nec scindet tunicasve suas tunicasve puellæ:
Nec raptus flendi causa capillus erit.
(r) Ista decent pueros ætate & amore calentes:
Hic *(s)* fera composita vulnera mente feret.
Ignibus hic lentis uretur, ut humida tæda;
Ut modo montanis silva recisa jugis.

INTERPRETATIO.

Dissimulate tamen, nec estote rapaces prima fronte: novus amans restabit viso laqueo. Sed neque eques equum moderabitur cui nuper fræna imposita, & domitum habenis æqualibus: Nec ut capias mentes annis confirmatas, & juventutem virescentem, eadem via erit terenda. Hic inexpertus & nunc primum cognitus castris amoris, qui, præda recens iniit thalamos tuos, cognoverit te solam; semper tibi uni adhærescat. Ista seges est munienda altis sepibus. Vita rivalem: superabis, dum sola tenebis. Regna & Venus non bene fiunt cum sociis. Ille vetus miles amabit paulatim & sapienter; & patietur multa non ferenda novitio. Nec quatiet januam nec eam accendet flammis furentibus: nec involabit unguibus in molles genas dominæ. Nec lacerabit vestes suas, vel vestes puellæ: nec coma dilaniata erit causa ejulandi. Ista conveniunt adolescentulis ætate & amore ardentibus: hic tolerabit plagas sævas mente pacifica. Hic ardebit moderatis ignibus, ut fax humida; ut lignum nuper desectum verticibus montanis.

NOTÆ.

(l) *Casse*) Metaphora est a feris, quæ cognitis insidiis, etiam esca, quam maxime appetunt, abstinere solent.

(m) *Nuper sensit*) Nondum domitus est.

(n) *Comparibus*) Duriori nempe fræno, ad regendum equum indomitum opus est.

(o) *Artificemque*) Equum dicit fræno assuetum.

(p) *Limes*) Per limitem, viam intellige. Aptissima autem metaphora quomodo puellæ cum adolescentibus, quomodo cum adultioribus sit vivendum, indicat Poeta.

(q) *Ille vetus*) De Amatore loquitur, qui jam diu Amoris castra sequutus est.

(r) *Ista*) Amore insanire, januas frangere, vestes lacerare, &c.

(s) *Fera*) Scilicet ferus Amor est, & fera vulnera impingit.

Cer-

Certior hic amor est: brevis & fœcundior ille:
Quæ fugiunt, celeri carpite (*t*) poma manu.
Omnia tradantur. portas reseravimus (*u*) hosti;
Et sit (*x*) in infida proditione fides.
Quod datur ex facili longum male nutrit amorem.
Miscenda est lætis rara repulsa jocis.
Ante fores jaceat: Crudelis janua, clamet:
Multaque submisse, multa minanter agat.
Dulcia (*y*) non ferimus: (*z*) succo renovemur amaro.
(*a*) Sæpe perit ventis obruta cymba suis.
(*b*) Hoc est, uxores quod non patiatur amari;
Conveniunt illas, cum voluere, viri.
Obde forem; & duro dicat tibi janitor ore,
(*c*) Non potes. exclusum te quoque tanget amor.
(*d*) Ponite jam gladios hebetes; pugnetur acutis.
Nec dubito, telis quin (*e*) petar ipse meis.
Dum cadit in laqueos captus quoque nuper amator;
Solum se thalamos speret habere tuos.
Post modo rivalem, partitaque fœdera lecti
Sentiat. has artes tolle; senescet amor.

INTERPRETATIO.

Hic amor est certior. Ille brevis & uberior. Deripite manu propera poma quæ effluunt. Omnia doceantur: prodidimus portas hosti; & fides inveniatur in perfida proditione. Quod facile conceditur male fovet longum amorem. Repulsa rara est jungenda festivis jocis. Sternatur ante januam: Sæva fores, increpitet: & gerat multa modeste, multa minaciter. Non patimur dulcia: restituamur succo amaro. Navigium perit sæpe pessundatum ventis suis. Hoc est, quod non sinat conjuges amari; viri adeunt illas cum cupiverunt. Claude januam; & janitor tibi dicat ore sævo, non potes: amor movebit te quoque repulsum. Relinquite nunc enses obtusos; certetur acutis. Nec dubito, quin ipse appetar meis telis. Amator etiam nuper correptus, speret, dum cadit in retia, se solum frui tuis cubiculis. Postmodo experiatur rivalem & fœdera tori divisa: Remove hos dolos, amor languebit.

NOTÆ.

(t) *Poma*) De juvenilibus amoribus loquitur.

(u) *Hosti.*) De puellis loquitur, quibus adversus viros arma tradit.

(x) *In infida proditione*) Infidis puellis, sese tamen virum dicit, a suis partibus desciscentem vera præcepta tradere, quibus illæ studere debeant.

(y) *Non ferimus*) Viris suam felicitatem tædia afferre confitetur.

(z) *Succo amaro*) Repulsas dicit, & puellarum fastidia.

(a) *Sæpe perit*) Metaphora à ventis, quibus nimium secundis, si tamen secundi dici debent, quandoque etiam navis obruitur.

(b) *Hoc est*) Quod, *scilicet*, cum volunt viri uxores suas conveniunt.

(c) *Non potes*) Sensus est, quod si maritum janitor ab uxore excluderet, eam quoque maritus amaret.

(d) *Ponite*) Hujus Metaphoræ sensus est, ut amatoribus, amoris redintegrandi causa, difficile sese præbeant puellæ.

(e) *Petar*) *Ut mihi quoque dura sit amica.*

Tum

Tum bene fortis equus reserato (*f*) carcere currit,
Cum quos prætereat, quosque sequatur, habet.
Quamlibet extinctos injuria suscitat ignes.
En ego (confiteor) non nisi læsus amo.
Causa tamen nimium non sit manifesta doloris:
Pluraque sollicitus, quam sciat, esse putet.
Incitet & (*g*) ficti tristis custodia servi,
Et nimium duri cura molesta viri.
Quæ venit ex tuto, minus est accepta voluptas.
Ut sis liberior (*h*) Thaide; (*i*) finge metus.
Cum melius foribus possis, admitte fenestra:
Inque tuo vultu signa timentis habe.
Callida prosiliat, dicatque ancilla, perimus:
Tu juvenem trepidum quolibet abde loco.
Admiscenda tamen Venus est secura timori;
Ne tanti noctes non putet esse tuas.
Qua vafer eludi possis ratione maritus,
Quaque vigil custos, præteriturus eram.
Nupta virum timeat: (*k*) rata sit custodia nuptæ.
Hoc decet: hoc leges jusque pudorque jubent.
Te quoque servari, modo quam (*l*) vindicta redemit,
Quis ferat? ut fallas, ad (*m*) mea sacra veni.
Tot licet observent, (adsit modo certa voluntas)
Quot fuerant (*n*) Argo lumina; verba dabis.

INTERPRETATIO.

Equus generosus tum bene currit carcere aperto, cum habet quos antevertat, & quos sequatur. Injuria accendit amores, quantumvis oppressos. En ego (agnosco) non amo nisi offensus. Causa tamen doloris non sit nimium aperta. Et anxius credat plura esse quam noscat. Custodia molesta simulati servi etiam stimulet, & gravis cura mariti nimium asperi. Voluptas quæ oritur ex certo, est minus grata. Quamvis sis liberior Thaide; simula timores. Introduc per fenestram, cum possis melius per januam: & præbe indicia metuentis in facie tua. Famula astuta irruat & dicat, interiimus. Tu occulta juvenem trepidantem quolibet loco. Venus tamen tuta est admiscenda timori; ne credat noctes tuas non esse tanti. Omissurus eram quomodo maritus astutus & sedulus custos possit falli. Nupta metuat maritum: custodia sit certa nuptæ. Hoc decet: leges, jus & pudor hoc imperant. Quis patiatur te quoque servari quam vindicta modo asseruit? ut decipias veni ad mea sacra. Quamvis tot vigilent, (modo firma voluntas adsit) quot oculi fuerant Argo, falles.

NOTÆ.

(*f*) *Carcere*) Quibus carceribus antequam certaminis signum datum fuerit, equi coercentur.

(*g*) *Ficti*) Quem sibi a marito custodiæ causa datum puella fingat.

(*h*) *Thaide*) Quæ apud Terentium meretricula est planissime suo genio indulgens, nulli obnoxia.

(*i*) *Finge metus*) Quasi custodem aut maritum haberes.

(*k*) *Rata*) Certum habeat custodem, ne quis ad eam furtim venias.

(*l*) *Vindicta*) Virga erat, qua a Prætore imposita servi libertate donabantur.

(*m*) *Mea sacra*) De præceptis suis amatoriis loquitur.

(*n*) *Argo*) Fuit Argus vaccæ Io custos centum oculis a Junone impositus; quem fistulæ cantu sopitum Mercurius obtruncavit.

Sci-

(o) Scilicet obstabit custos, ne scribere possis,
Sumendæ detur cum tibi tempus (p) aquæ?
Conscia cum possit scriptas portare tabellas,
Quas tegat in tepido fascia lata sinu?
Cum possit sura chartas celare ligatas;
Et vincto blandas sub pede ferre notas?
(q) Caverit hæc custos: pro charta conscia tergum
Præbeat; inque suo corpore verba ferat.
Tuta quoque est, fallitque oculos e lacte recenti
Litera; carbonis pulvere tange; leges.
(r) Fallet & humiduli quæ fiet acumine lini,
Et feret occultas pura tabella notas.
Adfuit (ſ) Acrisio servandæ cura puellæ:
Hunc tamen illa suo crimine (t) fecit avum.
Quid faciat custos; cum sint tot in Urbe theatra?
Cum spectet (u) junctos illa libenter equos?
Cum sedeat (x) Phariæ (y) sistris operata (z) **juvencæ**;
Quoque sui comites ire (a) vetentur, eat?

INTERPRETATIO.

Scilicet impediet custos ne possis scribere cum concedatur tibi tempus aquæ capienda? cum conscia possit ferre tabellas exaratas, quas fascia lata operiat in sinu tepido? Cum possit occulere chartas alligatas cruribus; & deferre dulces litteras, sub pede adstricto? Custos hæc vitaverit: conscia exhibeat tergum loco charta; & deferat verba in suo corpore. Littera quoque est secura, & fugit oculos e lacte novo: asperge pulvere carbonis; legere poteris. Latebit quoque quæ exarabitur acumine lini humiduli, & tabella alba feret signa secreta. Cura puella custodienda non defuit Acrisio; illa tamen fecit hunc avum suo scelere. Quid agat custos, cum tot theatra sint in urbe? cum illa spectet cupide equos junctos? cum sedeat operata sistris vacca Pharia; & eat quo sui comites probibeantur ire?

NOTÆ.

(o) *Scilicet*) Negandi vim habet hæc particula, non sine irrisione.

(p) *Aqua*) Corporis sordes abluendi causa.

(q) *Caverit*) Custodem negat impedimento esse quo minus puella in consciæ tergo ad amatorem scribat.

(r) *Falle*) Lini viridis calamo loco styli uti posse fœminas docet, ne scriptura, nisi addito pulvere, appareat. Sed potiora habemus nos quibus chartas nostras inficimus, succum puta ceparum, citreorum, imo lorium cujus nulla nisi igne quasi ad chartæ nigredinem admoto, vestigia conspiciuntur.

(ſ) *Acrisio*) Patrem jam sæpe diximus Danaes e quam turri conclusit ænea; Jupiter tamen in imbrem aureum conversus vitiavit.

(t) *Fecit avum*) Quia nepotem Acrisio, cum filium peperit Perseum.

(u) *Junctos*) In circo *scil.* quo confluebant puellæ.

(x) *Pharia*) Isidis sacra dicit, quæ ex Ægypto Romam fuerunt transvecta, *Pharia* a Pharo quondam Insula Ægypto adjacente sic dicta. Ea autem a Romanis mulieribus multorum dierum castimonia, ficta saltem, celebrabantur.

(y) *Sistris*) Instrumentum fuit sistrum, quibus crepitaculis crebra agitatione circumsonantibus argutum.

(z) *Juvenca*) Juvenca dicitur Isis, quia prius Io in vaccam mutata est, quam numen apud Ægyptios obtinuerit.

(a) *Vetentur*) Ab Isidis & bonæ Deæ sacris mares arcebantur.

Cum fuget e templis oculos *(b)* Bona Diva virorum;
Præterquam *(c)* si quos illa venire jubet:
Cum, custode foris tunicas servante puellæ,
Celent furtivos balnea tuta viros:
Cum, quoties opus est, fallax ægrotet *(d)* amica;
Et cedat lecto quamlibet ægra suo:
(e) Nomine cum doceat, quid agamus, adultera clavis,
Quasque petas, *(f)* non det janua sola, vias?
Fallitur & multo custodis *(g)* cura *(h)* Lyæo:
Illa *(i)* vel Hispano lecta sit uva jugo.
Sunt quoque quæ faciant altos medicamina somnos,
Victaque *(k)* Lethæa lumina nocte premant.
Nec male delitiis *(l)* odiosum *(m)* conscia tardis
Detinet; & longa jungitur ipsa mora:
Quid juvat ambages præceptaque parva monere;
Cum minimo custos munere possit emi?
Munera (crede mihi) capiunt hominesque Deosque:
Placatur donis Jupiter ipse datis.
Quid sapiens faciat? stultus quoque munere gaudet.
Ipse vir, accepto munere, mutus erit.
Sed semel est custos longum redimendus in annum:
Sæpe dabit, dederit quas semel, ille manus.

INTERPRETATIO.

cum bona Dea perturbet a templis suis *oculos virorum, præterquam si illa imperat aliquos adesse; cum balnea secura tegant viros furtim receptos, custode servante foris amictus puellæ; cum amica dolosa ægra sit, quoties usus postulat; & moveatur lecto suo quantumvis ægra; cum clavis adulterina admoneat nomine quid agamus, & janua sola non præbeat ingressus quos petis? vigilantia etiam custodis decipitur multo vino: quamvis illa uva sit collecta ex colle Hispano. Sunt quoque succi qui creent somnos profundos, & opprimant oculos victos nocte Lethæa. Nec conscia moratur imperite molestum lentis gaudiis; & ipsa connectitur longo spatio. Quid prodest docere ambages & præcepta minuta: cum custos possit emi minimo dono? Dona (crede mihi) movent homines & Deos: Jupiter ipse delinitur muneribus oblatis. Quid agat sapiens? Fatuus quoque lætatur dono. Vir ipse erit mutus dono accepto. Sed custos est conciliandus semel in longum annum: ille commodabit sæpe manus quas semel commodaverit.*

NOTÆ.

(b) *Bona diva*) Cybebe est, magna deorum mater.

(c) *Si quos*) De amantibus loquimur quos admittere Cybelen fingit Poeta.

(d) *Amica*) Ad quam eat puella, ubique amans latitet.

(e) *Nomine*) Nempe adulteria loquuntur claves adulterinæ.

(f) *Non sola*) Quia etiam per fenestras patet aditus.

(g) *Cura*) Quæ in servanda puella retinetur, *scil.*

(h) *Lyæo*) *Vino*, quod a Lyæo, seu Libero patre, seu Baccho vini Deo, qui curas solvit, eo appellatur nomine.

(i) *Vel Hispano*) Hispanum pro immiti aut minus generoso vino posuit, ut patet ex particula *vel*: quod vinum ex Laletana Provincia petebatur. Quanquam optimo etiam abundat Hispania.

(k) *Lethæa*) Id est, *obliviosa*: fuit enim Lethe Inferorum fluvius, cujus aquam si quis gustasset præteritorum omnium obliviscebatur.

(l) *Odiosum*) Custodem, *scilicet*.

(m) *Conscia*) Ancillam intellige.

Que-

Quæſtus eram (memini) metuendos eſſe ſodales:
(n) Non tangit ſolos iſta querela viros.
Credula ſi fueris, aliæ tua gaudia carpent;
Et (o) lepus hic aliis exagitandus erit.
Hæc quoque, quæ præbet lectum ſtudioſa locumque;
Crede mihi, mecum non ſemel illa fuit.
Nec nimium vobis formoſa ancilla miniſtret:
Sæpe vicem dominæ præſtitit illa mihi.
Quo feror inſanus? quid (p) aperto pectore in hoſtem
Nitor; & indicio prodor ab ipſe meo?
Non avis aucupibus monſtrat, qua parte petatur:
Non docet infeſtos currere cerva canes.
(q) Viderit utilitas: præcepta fideliter edam.
(r) Lemniaſi gladios in mea fata dabo.
Efficite (& facile eſt) ut nos credamus amari:
Prona venit cupidis in ſua vota fides.
Spectet amabilius juvenem; ſuſpiret ab (ſ) imo
Fœmina; tam ſero cur veniatque (t) roget.
Accedant lacrimæ, dolor & de (u) pellice fictus;
Et laniet digitis illius ora ſuis.
Jamdudum perſuaſus erit; miſerebitur ultro:
Et dicet, Cura carpitur iſta mei.

INTERPRETATIO.

Conqueſtus eram (memini) ſocios eſſe timendos: iſta querimonia non ſpectat ad ſolos viros. Si fueris credula, aliæ tua fruentur voluptate & hic lepus erit premendus aliis. Hæc quoque quæ officioſa exhibet torum & locum; crede mihi illa non fuit ſemel meum. Nec ancilla nimis pulchra ſerviat vobis: illa ſæpe mihi præbuit vicem Dominæ. Quo rapior ſtultus? Quamobrem in hoſtem contendo pectore nudo? & ipſe retegor indicio meo? Avis non indicat aucupibus, qua parte appeti oportent: Cerva non inſtituit canes infeſtos ad currendum. Utilitas conſulueris; tradam fideliter præcepta. Præbebo enſes Lemniadibus in meam necem. Facite (& pronum eſt) ut arbitremur nos amari; fides accedit facilis in ſua deſideria cupidis. Puella intueatur amabilius juvenem; ducat ſuſpiria ex imo pectore; & quærat cur accedat tam ſero. Lacrymæ adjiciantur, & dolor ſimulatus de pellice & illius diſcerpat faciem digitis ſuis. Jamdudum erit victus; miſerebitur ſponte; & dicet, iſta tangitur mei amore.

NOTÆ.

(n) *Non tangit*) Puellas monet ab æqualibus ſuis etiam cavere, ne ſibi amatores ſuos præripiant.

(o) *Lepus*) Pro præda, ſeu amatore poſuit.

(p) *Aperto pectore*) Iſtud dicit, quia puellis omnia virorum conſilia aperit.

(q) *Viderit utilitas*) Perinde eſt ac ſi diceret, *Viris ſcio non utilia fore quæ ego dico: ſed minus curo: ſatis nunc mihi fuerit puellas fideliter docere.* Cæterum in iſta ſui proditione maxima fuit Poetæ cautio.

(r) *Lemniaſi*) Dativus eſt græcus, pro *Lemniadibus*. Pro quibuſvis vero poſuit fœminis in viros ſævis Lemniades, quas omnes viros ſuos una nocte trucidaſſe antea vidimus.

(ſ) *Imo*) *Pectore*) ſcil.

(t) *Roget*) Ut ſui deſiderio amator teneri credat puellam.

(u) *Pellice*) Id eſt de aliqua puella, quam amica fingat ſuum amatorem retinere, qua re maxime ad credendum ſeſe amari inducatur.

Præcipue, si cultus erit, speculoque placebit,
  Posse suo tangi credet amore Deas.
Sed te, quæcunque es, moderate injuria turbet;
  Neu sis audita pellice mentis inops.
Nec cito credideris. quantum cito credere lædat,
  Exemplum vobis non leve (x) Procris erit.
(y) Est prope (z) purpureos colles florentis (a) Hymetti
  Fons sacer, & viridi cespite mollis humus.
Silva nemus non alta facit: tegit arbutus herbam:
  Ros maris, & lauri, nigraque myrtus olent.
Nec densæ foliis buxi, fragilesque (b) myricæ,
  Nec tenues (c) cytisi, cultaque pinus abest.
Lenibus impulsæ Zephyris auraque salubri
  Tot generum frondes herbaque summa, tremunt.
Grata quies (d) Cephalo. famulis canibusque relictis
  Lassus in hac juvenis sæpe resedit humo.
Quoque meos releves æstus, cantare solebat,
  Accipienda sinu, mobilis (e) Aura, veni.
Conjugis ad timidas aliquis male sedulus aures
  Auditos memori detulit ore sonos.
Procris ut accepit nomen, quasi pellicis, Auræ;
  Excidit, & subito muta dolore fuit.

INTERPRETATIO.

Præsertim, si erit ornatus, & se probabit speculo, arbitrabitur Deas posse capi amore suo. Sed quæcunque es, injuria te parum moveat; neve sis exanimis audita pellice. Nec statim fidem adhibueris: Procris erit vobis exemplum non contemnendum quantum obsit statim credere. Est juxta clivos purpureos Hymetti floridi fons sacer, & solum tenerum cespite virenti. Silva non excelsa efficit nemus: arbutus occulit herbam: Lybanotis & lauri, & myrtus fusca odores emittunt. Nec buxi, spissa foliis: & myricæ fragiles, nec Cytisi tenues, & pinus culta deest. Folia tot generum & herba ultima tremunt, agitata placidis Zephyris & aura salutifera. Jucunda quies Cephalo: Juvenis defessus quievit sæpe in hac terra servis & canibus omissis. Solebat canere, accede aura levis recipienda sinu meo, ut sedes meos ardores. Aliquis prave officiosus deportavit voces acceptas ore memori ad aures pavidas uxoris. Ut Procris audivit nomen Auræ tanquam Pellicis, lapsa est; & continuo obmutuit dolore.

NOTÆ.

(x) *Procris*) Erechthei Atheniensium regis fuit filia quæ Cephalo nupsit, a quo inscio, cum ipsam in sylvas sequuta esset, ubi eum cum quadam nympha congredi solitum audierat, interfecta est. Fabulam prolixe repetit Ovidius Metam. lib. 7. a v. 690. quam nunc ipse narrabit.

(y) *Est prope*) Procridis fabulam narrare occipit.

(z) *Purpureos*) Ex florum coloribus.

(a) *Hymetti*) Mons est Atticæ, melle, & marmoribus celebratus.

(b) *Myrica*) Virgulti genus est humilis; quod gallice vocamus *bruyere*.

(c) *Cytisi*) Est Cytisus in re pecuaria usus eximii frutex, lactis copiam inducens.

(d) *Cephalus*) Procridis fuit maritus, quem Aurora amavit.

(e) *Aura*) Ventum seu Auram petebat, qua refocillaretur; unde datus locus fabulæ & Procridis zelotypiæ.

Pal-

Palluit, ut seræ, lectis de vite racemis,
Pallescunt frondes, quas nova læsit hiems;
Quæque suos curvant matura cydonia ramos;
Cornaque adhuc nostris (*f*) non satis apta cibis.
Ut rediit animus, tenues e pectore vestes
Rumpit, & indignas sauciat ungue genas.
Nec mora; per medias passis furibunda capillis
Evolat, ut (*g*) thyrso concita baccha, vias.
Ut (*h*) prope perventum; comites in valle relinquit.
Ipsa nemus tacito clam pede fortis init.
Quid tibi mentis erat, cum sic male sana lateres,
Procri? quis attoniti pectoris arbor erat?
Jam jam venturam, quæcunque erat Aura, putabas
Scilicet; atque oculis probra videnda tuis.
Nunc venisse piget; neque enim deprehendere velles:
Nunc juvat. incertus pectora versat amor.
Credere quæ jubeant, (*i*) locus est, & nomen, & index.
Et quia amans semper, quod timet, esse putat.
Vidit ut oppressam vestigia corporis herbam:
Pulsantur trepidi corde micante sinus.
Jamque dies medius tenues contraxerat umbras;
(*k*) Inque pari spatio vesper & ortus erant.
Ecce reddit Cephalus silvis (*l*) Cyllenia proles,
Oraque fontana fervida spargit aqua.

INTERPRETATIO.

Expalluit, tanquam folia ultima, quæ hyems ingruens ussit, uvis vite recisis: Et tanquam Cydonia matura quæ deprimunt suos ramos, & corna non satis adhuc idonea ad nostros cibos. Postquam animus rediit, lacerat subtiles amictus a pectore, & vulnerat genas immeritas ungue. Nec mora; amens prorumpit per medias vias coma sparsa, ut Baccha tacta Thyrso. Ut prope accessum; deserit pedisequas in valle: ipsa strenua furtim suspenso gradu silvam subit. Quid tibi erat animi, Procri, cum sic amens latitares? Quis erat impetus mentis perculsæ? Nempe arbitrabaris jam jam accessuram, quæcunque erat Aura: & flagitia aspicienda esse *oculis tuis. Nunc piget accessisse; (neque enim cuperes* pellicem *corripere:) nunc placet: amor fluctuans agit mentem. Locus est, & nomen, & index, quæ suadeant fidem adhibere: & quia amans credit semper esse quod reformidat. Postquam aspexit herbam protritam, signa corporis: sinus tremuli agitantur, corde saliente. Et jam dies medius minuerat umbras leves; & occasus & ortus erant in æquali intervallo. Ecce Cephalus progenies Cyllenia revertitur silvis, & abluit ora æstuantia aqua fontana.*

NOTÆ.

(f) *Non satis*) Subpallida enim sunt & albescentia immatura corna.

(g) *Thyrso*) Iam sæpius de hoc Bacchi gestamine, deque Bacchis ejus sacra celebrantibus, verba fecimus.

(h) *Prope*) Ad locum, *scilicet*, ubi Cephalus requiescebat.

(i) *Locus*) Occultus, *scilicet*, & ab hominum ore remotus, cujusmodi quærunt amantes.

(k) *Inque pari*) Medium diem describit.

(l) *Cyllenia*) Cyllenium dicit Cephalum a Mercurio patre, qui vulgo a monte ubi educatus Cyllenius appellatus est. Quanquam Dejonii alii Cephalum volunt fuisse filium.

Aur-

Anxia, Procri, lates, solitas jacet ille per herbas;
Et, Zephyri molles, Auraque, dixit, ades.
Ut patuit miseræ jucundus nominis error;
Et mens, & rediit verus in ora color,
Surgit; & appositas agitato corpore frondes
Movit; in amplexus uxor itura viri.
Ille feram sonuisse ratus, juveniliter arcus
Corripit: in dextra tela fuere manu.
Quid facis, infelix? non est fera: supprime tela.
Me miserum! jaculo fixa puella tuo est.
Hei mihi! conclamat, fixisti pectus amicum.
(m) Hic locus a Cephalo vulnera semper habet.
Ante diem morior, sed nulla pellice læsa:
(n) Hoc (o) faciet positæ te mihi terra levem.
Nomine (p) suspectas jam spiritus erit in auras;
(q) Labor io! cara lumina (r) conde manu.
Illa sinu dominæ morientia corpora mœsto
Sustinet, & lacrymis vulnera sæva lavat.
(s) Exit, & (t) incauto paulatim pectore lapsus,
Excipitur miseri spiritus ore viri.
(u) Sed repetamus iter, (x) nudis mihi rebus agendum est,
Ut tangat portus fessa carina suos.

INTERPRETATIO.

Procri sollicita, latitas: ille sternitur per herbas notas; & inquit, Zephyri lenes, & Aura, accede. Ut gratus error nominis apertus miseræ; & animus & color nativus redit in vultum, exilis; & conjux in amplexus mariti ventura, frondes proximas agitavit corpore moto. Ille credens feram strepitum fecisse, arcus sumit alacriter: tela fuerunt in manu dextra. Quid agis, miser? Non est fera: mitte sagittas. Me infelicem! puella transverberata est telo tuo. Hei mihi! exclamat, amicum pectus vulnerasti. Hic locus habet semper plagas a Cephalo. Fato fungor ante diem, sed nulla offensa Pellice: hoc te mihi condita reddet levem, o terra. Jam anima erumpit in auras invisas nomine. Io cado! claude oculos manu dilecta. Ille sinu tristi fovet corpora cadentia dominæ, & abluit lacrymis crudeles plagas. Anima erumpit, & soluta paulatim inconsulto pectore excipitur ore mariti infelicis. Sed redeamus in viam, incumbendum est mihi rebus apertis, ut navis lassa perveniat in portus suos.

NOTÆ.

(m) *Hic locus*) Procridis pectus, quod Cephali amore etiam vulneratum erat.

(o) *Hoc*) *Quod mihi nullam superinductam scivero pellicem.*

(o) *Faciet levem*) Id est, solatio fuerit per mortem.

(p) *Suspectas*) Quia pellicis vices in Procridis pectore Aura impleverat.

(q) *Labor io*) Verba sunt Procridis morientis.

(r) *Conde*) Quod fuit olim officium propinquiorum.

(s) *Exit*) Repetitio est verborum Procridis.

(t) *Incauto*) Cauta etenim non fuit Procris, quæ Cephalo de improviso interveniens pro fera ab inscio interfecta est.

(u) *Sed repetamus*) Hoc dicit quia ipsum Procridis fabula longe ab instituto avocavit; & Metaphora utitur petita a viatoribus.

(x) *Nudis*) Apertis verbis, sine omni ambage, aut exemplo.

Spin-

Scilicet expectas, dum te in convivia ducam,
Et quæris monitus hac quoque parte meos?
Sera veni; (y) positaque decens incede lucerna.
Grata mora est Veneri: maxima (z) lena mora est.
(a) Etsi turpis eris, formosa videbere potis:
Et latebras vitiis nox dabit ipsa tuis.
Carpe cibos digitis; est (b) quiddam gestus edendi;
Ora nec immunda tota perunge manu.
(c) Neve domi præsume dapes: (d) sed desine, citra
Quam cupies paulo, quam potes esse, minus.
Priamides Helenen avide si spectet edentem,
Oderit; & dicat, Stulta rapina mea est.
Aptius est, deceatque magis potare puellas.
Cum Veneris puero non male, Bacche, facis.
(f) Hoc quoque, qua patiens caput est: animusque pedesque
Constent; nec, quæ sint (g) singula, bina vide.
Turpe jacens mulier multo madefacta (h) Lyæo:
Digna est concubitus quoslibet illa pati.
Nec somnis posita tutum succumbere mensa:
Per somnos fieri multa pudenda solent.

INTERPRETATIO.

Nempe moraris, donec ducam te in convivia: & captas quoque mea præcepta in hac parte? Tarda accedito: & decora progredere lucerna adhibita. Cunctatio jucunda est Veneri: dilatio est lena maxima. Quamvis eris deformis, videbere pulchra ebriis; & nox ipsa præbebit vela mendis tuis. Sume escam digitis: gestus edendi est aliquid: nec obline totam faciem manu sordida. Neve ante cape cibos domi: & omitte comedere citra paulo minus quam expetes, & quam potes comedere. *Si Priamides videat Helenen comedentem cupide, oderit; & dicat mea præda est inepta. Concinnius est, & magis deceat puellas bibere. Bacche non male stas cum puero Veneris. Hoc quoque, quatenus fert caput: & mens & pedes suo fungantur officio: nec cerne gemina quæ sint unica. Fœmina jacens delibuta multo vino est res deformis: illa meretur ferre quaslibet congressus. Nec securum vinci somnis mensa apposita: multa erubescenda solent fieri per somnos.*

NOTÆ.

(y) *Posita*) Nam per lucernæ lumen pulchriores videntur puellæ.

(z) *Lena*) *Amoris conciliatrix*.

(a) *Et si turpis*) Alia ratio quamobrem sero veniendum.

(b) *Quiddam*) Non est nihil gestus edendi, sed habet quod etiam ad amorem alliciat.

(c) *Neve domi*) Eas damnat domi quæ panem atrum vorant, deinde cum amatore dum cœnant liguriunt, quasi cibum attingere non auderent aut vento viverent.

(d) *Sed*) Hanc vocem, quam clar. Heinsius mutandam censuerat, revocavi, utpote quæ ad scopum maxime faciat. Dixit Poeta. *Ne domi edas, ut sobria videaris in convivio*, nunc ab opposito vitio cavet, *sed vide*, inquit, *ne nimium absumas, aut vorax vociteris*.

(e) *Priamides*) Paris est Priami Trojanorum regis filius, qui Helenam rapuit.

(f) *Hoc*) Ut bibat puella, *scil.*

(g) *Singula bina*) Qualia ebriis videntur.

(h) *Lyæo*) *Vino*, cui a Baccho vini Deo hoc nomen, ut paulo ante diximus.

Ul-

Ulteriora pudet docuisse: . . . . . .
. . . .
Lusus habet finem: *(i)* cycnis descendere tempus,
Duxerunt collo qui juga nostra suo.
Ut quondam juvenes, ita nunc mea turba puellæ
Inscribant *(k)* spoliis; Naso magister erat.

INTERPRETATIO.

Pudet docuisse ulteriora. . . . . Lusus habet finem: tempus est desilire Cygnis qui gesserunt juga nostra collo suo. Ut juvenes olim, sic nunc puellæ mea turba insculpant exuviis: Naso erat magister.

NOTÆ.

(i) *Cycnis*) Non immerito Poeta, qui est in tutela Apollinis, & res Venereas cecinit, ab avibus utrique numini sacris se vectum fuisse dicit. *Descendere cygnis* pro *curru descendere*, quem cygni traxerunt.

(k) *Spoliis*) Quas adolescentibus detraxerunt.

P. OVIDII NASONIS
REMEDIUM AMORIS.

Legerat hujus Amor titulum nomenque libelli:
Bella mihi, video, bella parantur, ait.
Parce tuum vatem sceleris damnare, Cupido,
Tradita qui toties te duce signa tuli.
Non ego *(l)* Tydides, a quo tua saucia mater
In liquidum rediit æthera *(m)* Martis equis.
Sæpe tepent alii juvenes: ego semper amavi.
Et si, quid faciam nunc quoque, quæris; amo.
Quid etiam docui, *(n)* qua possis arte parari:
Et quod nunc ratio est, impetus ante fuit.

INTERPRETATIO.

Amor viderat titulum & nomen hujus libelli: cerno inquit bella adversus me bella parantur. Noli arguere flagitii tuum Poetam, o Cupido: qui toties gestavi signa credita te imperatore. Ego non sum Tydides, a quo mater tua vulnerata rediit in fluidum cœlum equis Martis: Alii juvenes sæpe frigent: ego semper amavi: & si petis quid agam nunc quoque, amo. Quin etiam ostendi qua arte possit conciliari: & quod nunc est ratio, fuit ante furor.

NOTÆ.

(l) *Tydides*, Diomedes est Tydei filius, qui bello Trojano, Veneris dextram vulnere violavit.

(m) *Martis equis*) Quos una cum curru sibi orat Venus, Homeri Iliados lib. 5.

(n) *Qua arte*, Hanc artem quæ in conciliando Amore versatur superioribus libris docuit.

Nec

Nec te, blande puer, nec noſtras prodimus artes:
Nec nova præteritum Muſa retexit opus.
Si quis amat, quod amare juvat, feliciter ardens
Gaudeat, & (o) vento naviget ille ſuo:
At ſi quis male fert indignæ regna puellæ;
Ne pereat, noſtræ ſentiat artis opem.
Cur aliquis collum laqueo nodatus ab arcto
Et trabe ſublimi triſte pependit onus?
Cur aliquis rigido fodit ſua viſcera ferro?
Invidiam cædis, pacis amator, habes.
Qui, niſi deſierit, miſero periturus amore eſt;
Deſinat: & nulli funeris auctor eris.
Et puer es; nec te quicquam, niſi ludere, oportet:
Lude: decent annos mollia regna tuos.
Nam poteras uti (p) nudis ad bella ſagittis:
Sed tua letifero ſanguine tela carent.
(q) Vitricus & gaudiis & acuta dimicet haſta;
Et victor multa cæde cruentus erat.
Tu cole (r) maternas, tuto quibus utimur, artes:
Et quarum vitio nulla ſit orba parens.
Effice nocturna frangatur janua rixa;
Et tegat ornatas multa corona fores.
Fac coeant furtim juvenes, timidæque puellæ:
Verbaque dent cauto qualibet arte viro.
Et modo blanditias, rigido modo jurgia poſti
Dicat; & excluſus (ſ) flebile cantet amans.

INTERPRETATIO.

Nec deſtituimus te, puer ſuavis, nec noſtras artes: nec muſa nova diſſolvit opus anteactum. Si quis amat quod gratum eſt amare, feliciter incenſus lætetur, & ille naviget vento ſecundo. At ſi quis indigne patitur imperia ſævæ puellæ; experiatur auxilium noſtræ artis, ne intereat. Cur aliquis preſſus collum conſtricto laqueo pependit, onus lugubre ex tigno alto? Cur aliquis fixit ſua præcordia ferro duro? Fers invidiam necis, conciliator pacis. Qui periturus eſt amore infelici niſi omiſerit, omittat: & nemini eris cauſa mortis. Et puer es; nec oportet te quicquam facere, niſi ludere. Lude: imperia conveniunt annis tuis. Nam poteras uti depromtis ſagittis ad bella: ſed tua tela carent ſanguine mortifero. Vitricus pugnet enſibus & haſta acuta; & victor feratur ſanguinolentus plurima ſtrage. Tu indulge artibus maternis, quibus utimur ſecure: & quarum culpa nulla mater ſit orba. Fac fores ſternantur jurgio nocturno; & plurimum ſertum tollet januam cultam. Fac juvenes & puellæ meticuloſæ conveniant furtim; & decipiant maritum vaſrum qualibet fraude. Et modo amator dicat blanditias, modo probra duræ januæ; & repulſus cantat miſerabiliter.

NOTÆ.

(o) *Vento*) Metaphora familiaris petita a ventis quibus navis impellitur; qua figura, fortuna & felicitate ſua in Amore utendum ſuadet Poeta.

(p) *Nudis*) *Ex pharetra depromptis.*

(q) *Vitricus*) Mars eſt Deus belli, qui cum Venere Cupidinis matre concubuit.

(r) *Maternas*) Jocus *ſcil.*

(ſ) *Flebile*) Pro *flebiliter*, quomodo & alibi.

His

His lacrymis contentus eris sine crimine mortis,
Non tua (x) fax avidos digna subire rogos.
Hæc ego. movit Amor gemmatas aureus alas;
Et mihi, (y) Propositum perfice, dixit, opus.
Ad mea, decepti Juvenes, præcepta venite;
Quos suus ex omni parte fefellit amor.
Discite sanari, per quem didicistis amare:
(z) Una manus vobis vulnus opemque feret:
Terra salutares herbas, eademque nocentes,
Nutrit: & urticæ proxima sæpe rosa est.
Vulnus in (a) Herculeo quæ quondam fecerat hoste,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.
Sed quæcunque viris, vobis quoque dicta, puellæ,
Credite. diversis partibus arma damus.
E (b) quibus ad vestros si quid non pertinet usus;
Attamen exemplo multa docere potest.
(c) Utile propositum, sævas extinguere flammas;
Nec servum vitii pectus habere sui.
Vixisset (d) Phyllis, si me foret usa magistro,
Et per quod novies, sæpius (e) isset iter.

INTERPRETATIO.

Contentus eris his lacrymis sine probro mortis. Fax tua non meruit accedere ad pyras rapaces. Hæc ego... amor splendidus agitavit alas radiantes; & mihi dixit absolve opus inceptum. Juvenes elusi, quos amor suus perdidit ex omni parte, accedite ad mea monita. Discite sanari, per quem docti estis amare: una manus feret vobis vulnus & remedium. Terra gignit herbas salutiferas; & eadem gignit noxias: & rosa est sæpe proxima urticæ. Hasta Pelias quæ infixerat olim vulnus hosti Herculeo, præbuit remedium vulneris. Sed puellæ, credite quoque dicta vobis quæcumque dicta viris: præbemus arma partibus diversis. E quibus, si quid non spectat ad vestra comoda; attamen potest docere multa exemplo. Utile est institutum opprimere ignes feros; nec habere animum servum vitii sui. Phyllis vixisset si habuisset me præceptorem; & trivisset sæpius viam quam trivit novies.

NOTÆ.

(x) *Fax*) Amori tribuuntur faces quibus etiam in nuptiis utebantur; sed in funeribus diversæ prorsus admovebantur.

(y) *Propositum*) Libellum dicit de Remedio Amoris.

(z) *Una*) Suam dicit, qua amatorios & lascivos versus scripsit; jam adversus amorem scripturus

(a) *Herculeo*) De Telepho loquitur Herculis ex Auge filio, qui Achillis hasta, quæ Pelias dicta est, vulneratus, ejusdem rubigine sanatus est.

(b) *Quibus*) De puellis loquitur ad quarum usus non sunt, quæ monebit Naso, plurima, tametsi contra indicat.

(c) *Utile*) Nunquam satis dici potest quam utile, quam Deo gratum qui mentes castas amat, quam jucundum per seipsum liberum esse. Sed statim & mature libidini obviam eundem; principiis obstandum; fugiendum; non de voluntate cogitandum præsertim, quæ ipsa usque adeo mentis est venenum præsentissimum, ut cogitationem cum subit, eo ipso quod subit, vincat, quippe quæ amatur cum intelligitur, nisi pectus sit certis quibusdam vocibus quas paucissimi sciunt, egregie præparatum.

(d) *Phyllis*) Quæ Amoris impatientia, ob Demophoontis absentiam laqueo vitam finivit, ut vidimus in epistolis.

(e) *Isset*) Sæpius ad mare profecta est, Phyllis, ut prospiceret suusne Demophoon rediret: quæ diutius si expectasset, & sæpius adhuc ad mare ivisset, suum tandem qui post ejus obitum rediit, Demophoonta vidisset.

Nec

Nec moriens *(f)* Dido summa vidiſſet ab arce
(g) Dardanidas vento vela dediſſe rates.
Nec dolor armaſſet contra ſua viſcera *(h)* matrem;
Quæ *(i)* focii damno ſanguinis ulta virum eſt.
Arte mea *(k)* Tereus, quamvis Philomela placeret,
Per facinus fieri non meruiſſet avis.
Da mihi *(l)* Paſiphaen; jam tauri ponet amorem:
Da *(m)* Phædram; Phædræ turpis abibit amor.
Redde Parin nobis; Helenen Menelaus habebit:
(n) Nec manibus Danais Pergama victa cadent.
Impia ſi noſtros legiſſet *(o)* Scylla libellos;
Hæſiſſet capiti *(p)* purpura, Niſe, tuo.
Me *(q)* duce damnoſas, homines, compeſcite curas:
Rectaque cum ſociis me duce *(r)* navis eat.
Naſo legendus erat, tunc cum didiciſtis amare;
Idem nunc vobis Naſo legendus erit.
Publicus aſſertor dominis oppreſſa levabo
Pectora: *(ſ)* vindictæ quiſque favete ſuæ.

INTERPRETATIO.

Nec Dido moriens aſpexiſſet ab arce excelſa naves Trojanas tradidiſſe vela vento. Nec dolor arma præbuiſſet matri quæ ulta eſt maritum jactura ſanguinis focii adverſus ſua viſcera. Tereus, arte mea, non meruiſſet mutari in avem per flagitium, quamvis Philomela placeret. Da mihi Paſiphaen: jam relinquet amorem tauri. Da Phædram; amor inhoneſtus Phædræ recedet. Da nobis Paridem; Menelaus obtinebit Helenen: nec Pergama ſuperata procumbent manibus Danais. Si Scylla impia volviſſet noſtros libellos; Niſe, purpura manſiſſet in capite tuo. Homines coercete amores perniciofos, me ſuaſore: & navis currat recta cum ſociis me præeunte. Naſo erat legendus tunc cum didiciſtis amare: idem Naſo erit nunc vobis legendus. Ego vindex publicus exonerabo corda oppreſſa dominis: Unuſquiſque favete vindictæ ſuæ.

NOTÆ.

(f) *Dido*) Hanc in epiſtolis diximus ſuæ necis autorem, ob Æneæ, quem amabat diſceſſum.

(g) *Dardanidas*) Æneæ, *ſcil.* comitumque Trojanorum, qui a Dardano Trojæ ædificatore hoc nomen ſortiti ſunt.

(h) *Matrem*, De Medea loquitur, quæ ab Jaſone repudiata filios communes in ſui ultionem mactavit: ut jam ſæpe vidimus.

(i) *Socii*) Optime & feliciter ea voce Jaſonis & Medeæ filios deſignavit.

(k) *Tereus*) Fabulam hanc vidimus antea; quam prolixe ſi cupis legere, inſpice, Metam. lib. 6. a ỷ. 428.

(l) *Paſiphaen*) De hac quoque Minois uxore, Tauri amore incenſa antea verba fecimus.

(m) *Phædram*) Quæ privigni Hippolyti amore exarſit.

(n) *Nec manibus*) Fruſtra, opinor, quæ de Troja a Græcis propter Helenam a Paride raptam, diruta, diximus, huc retulero.

(o) *Scylla*) Quæ patri Niſo fatalem crinem, ut amori ſuo ſerviret, ſurripuit: Quam fabulam ſæpius repetitam Metam. 8. vidimus.

(p) *Purpura*) *Crinis purpureus.*

(q) *Duce*) Quia de Amoris remediis ſcribit.

(r) *Navis*) Se Typhin & gubernatorem Amoris in 1. de arte vocavit.

(ſ) *Vindicta*) Virga quæ *Vindicta* dicebatur in libertatem a Prætore ſervi aſſerebantur; quam ad rem alludit Poeta qui ſe Amatores a graviſſimo ſervitio liberaturum profitetur: ut *Vindicta* pro ipſa libertate ſit hoc in loco intelligenda.

Te

Te precor, (*t*) arcitenens, adsit tua (*u*) laurea nobis;
Carminis & medicæ Phœbe repertor opis:
Tu pariter vati, pariter succurre (*x*) medenti:
Utraque tutelæ subdita (*y*) cura tuæ.
Dum licet, & modici tangunt præcordia (*z*) motus;
(*a*) Si piget, in primo limine (*b*) siste pedem.
Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi;
Et tunc (*c*) incipiens ire resistat equus.
(*d*) Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas:
Et validas segetes, quod fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,
Quo posita est primum tempore, virga fuit.
Tum poterat manibus summa tellure revelli;
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.
Quale sit id, quod amas, celeri circumspice mente:
Et tua læsuro subtrahe colla jugo.
Principiis obsta. sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.
Sed propera: nec te venturas differ in horas.
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
Verba dat omnis amor, reperitque alimenta morando.
Optima vindictæ proxima quæque dies.

INTERPRETATIO.

Te oro, Phœbe arcitenens, inventor carminis & auxilii medici, tua laurea nos non destituat. Tu juva pariter poetam, juva pariter medicum: utraque cura subjecta est tutelæ tuæ: Dum licet, & motus moderati afficiunt viscera, si piget, fige gradum in primo aditu. Proculcato mala semina morbi repentini, dum nova sunt; & equus tuus primo progrediens gradum sistat. Nam tempus suppeditat vires; tempus decoquit uvas teneras; & præstat fortes segetes, quod fuit herba. Arbor quæ offert spatiosas umbras ambulantibus, fuit virga, quo tempore primum sata est. Tum poterat eradicari extremo solo manibus; nunc hæret aucta in immensum suis viribus. Circumlustrato mente veloci quale sit id quod amas; & subducito cervices tuas jugo te pressuro. Obnitere primordiis: remedium quæritur sero, cum morbi vires collegerunt per longa tempora, sed festina nec te dimitte in tempus futurum. Qui non est idoneus hodie, cras erit minus. Omnis amor fallit & invenit pabula manendo. Quæque dies prima aptissima libertati.

NOTÆ.

(t) *Arcitenens*) Apollo est, arcu suo apud Poetas notissimus.

(u) *Laurea*) Corona est ex lauro Apollini sacra arbore facta. Cum vero lauream ab Apolline, magis ejus opem, quam & postmodum nominat, expetit.

(x) *Medendi*) *Remedia amatoribus afferenti.*

(y) *Cura*) Poetica *scil.* & Medicina.

(z) *Motus*) Amorem dicit.

(a) *Si piget*) Quia iis tantum scribere dixit quibus in amore non sunt res secundæ.

(b) *Siste pedem*) O optimum consilium! Vinceris perpetuo quisquis primo hosti tua ruina crescenti non potuisti resistere.

(c) *Incipiens*) Idem quod modo hac docet comparatione, facilius esse initio amori resistere.

(d) *Nam mora*) Non mora quidem, sed causæ quibus conceditur mora.

Flu-

Flumina pauca vides de magnis fontibus orta:
Plurima collectis multiplicantur aquis.
Si cito sensisses, quantum peccare parares,
(e) Non tegeres vultus cortice, Myrrha tuos.
Vidi ego, quod primo fuerat sanabile, vulnus
Dilatum longæ damna tulisse moræ.
Sed, quia delectat Veneris decerpere flores,
Dicimus assidue, Cras quoque fiet (f) idem.
Interea tacitæ serpunt in viscera flammæ;
Et mala radices altius arbor agit.
Si tamen auxilii perierunt tempora primi,
Et vetus in capto pectore sedit amor;
(g) Majus opus superest: sed non, quia serior ægro
Advocor, ille mihi destituendus erit.
(h) Quam læsus fuerat partem (i) Pœantius heros;
Certa debuerat (k) præsecuisse manu.
(l) Post tamen hic multos sanatus creditur annos
(m) Supremam bellis imposuisse manum.
Qui non nascentes properabam pellere morbos,
Admoveo tardam nunc tibi lentus opem.

INTERPRETATIO.

Cernis paucos fluvios natos de magnis scaturiginibus; plurimi augentur aquis congestis. Myrrha, si statim cognovisset quantum institueres peccare, non velares faciem tuam cortice. Ego vidi plagam, quæ fuerat primo medicabilis prorogatam habuisse incommoda prolixa mora. Sed quia juvat decerpere flores Veneris, dicimus indesinenter, idem curabitur quoque cras. Interea ignes secreti gliscunt in præcordia; & prava arbor ducit altius radices. Si tamen opportunitas primi remedii præterita est, & vetus amor occupavit mentem irretitam; majus opus restat: sed quanquam accessor tardius ad ægrotum, ille non erit mihi deferendus. Heros Pœantius debuerat excidisse manu confirmata partem qua vulneratus fuerat. Ille tamen valetudini restitutus post multos annos, existimatur admovisse manum ultimam bellis. Qui festinabam fugare modo morbos incipientes, nunc serus affero tibi auxilium lentum.

NOTÆ.

(e) *Non tegeres*) Quia si patris flagitio. so amore abstinuisset, nec ille eam trucidare parasset, nec ipsa aufugisset, nec in arborem sui nominis mutata esset.

(f) *Idem*) Ut, *scilicet* Amorem propellamus.

(g) *Majus opus*) In Amore eradicando *scilicet*.

(h) *Quam*) Græcismus elegans nostro familiaris.

(i) *Pœantius*) Philoctetes est Pœantis filius, Herculis comes, qui sagitta hydræ veneno infecta, una ex iis quas ab Hercule acceperat, in pede casu vulneratus fuit. Quanquam alii a serpente læsum asserunt.

(k) *Præsecuisse*) Ne venenum *scilicet* ad sanas partes cum sanguine flueret.

(l) *Post tamen*) In Lemno relictus, fuerat Philoctetes quod fœtorem ex ejus vulnere Græci ferre non possent; quem tandem tamen Machaon medicus valetudini restituit.

(m) *Supremam*) Occiso Achille, Ulysse in Lemnum regressus, Philoctetem ad Trojam seduxit, qui Herculis sagittas habebat, sine quibus Troja capi non poterat.

Aut nova, si possis, sedare incendia tentes:
(n) Aut ubi per vires procubuere suas.
Cum furor in cursu est; currenti cede furori.
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Stultus, ab obliquo qui cum descendere possit,
Pugnat in adversas ire natator aquas.
Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte
Respuit, atque odio verba monentis habet.
Aggrediar melius tunc, cum sua vulnera tangi
Jam finet, & (o) veris vocibus aptus erit.
Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetet? non hoc illa monenda loco.
Cum dederit lacrymas (p) animumque impleverit ægrum;
Ille dolor verbis emoderandus erit.
Temporis ars medicina fere est, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando;
Temporibus si non aggrediare suis.
Ergo, ubi visus eris nostræ medicabilis arti,
Fac monitis fugias otia (q) prima meis.
Hæc, ut ames, faciunt: hæc, ut fecere, tuentur:
Hæc sunt jucundi causa cibusque mali.
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus;
Contemtæque jacent, & sine luce, faces.
Quam platanus rivo gaudet, quam populus unda,
Et quam limosa canna palustris humo;

INTERPRETATIO.

Vel coneris opprimere incendia nascentia si queas: vel ubi remiserunt per vires suas. Cum furor, est in impetu, obsequere furori ruenti. Omnis impetus habet accessus arduos. Natator est imperitus qui cum possit devolvi ab obliquo, conatur natare in aquas oppositas. Animus impatiens, nec adhuc medicabilis arti rejicit, atque odit vocem admonentis. Incipiam melius tunc, cum jam patietur suas plagas tangi, & erit opportunus verbis salutiferis. Quis, nisi amens, prohibeat matrem lacrimari in funere filii? Illa non est admonenda hoc loco. Cum profuderit lacrymas & morem gesserit animo dolenti; illa ægritudo delinienda erit verbis. Medicina est propemodum ars temporis: vina exhibita opportune juvant, & exhibita intempestive obsunt. Quin etiam inflammes vitia, & acriora facias probibendo: si non attentes temporibus suis. Ergo ubi visus eris sanabilis nostræ arti, fac primo præceptis meis vites otia. Hæc faciunt ut ames: hæc, postquam effecerunt, fovent: hæc sunt causa & esca morbi grati. Si removeas otia, arcus cupidinis elanguerunt, & tædæ jacent spreta, & sine igne. Quam platanus delectatur flumine, quam populus aqua; & quam arundo palustris solo lutulento;

NOTÆ.

(n) *Aut ubi*) Immedicabiles dicit esse Amores, dum fervent; nec nisi post aliquod tempus adhibendum remedium quod non ab initio allatum fuerit.

(o) *Veris*) Pro utilibus posuit. Optime: nam certe veritas omnis boni fundamentum, aut certe ipsum bonum omne est.

(p) *Animum implev.*) *Sibi in flendo animo morem gesserit.*

(q) *Prima*) Pro primo.

Tam

Tam Venus otia amat: qui finem quæris amoris,
(Cedit amor rebus) res age: tutus eris.
Languor, & immodici ſub nullo (r) vindice ſomni,
Aleaque, & multo (ſ) tempora quaſſa mero,
Eripiunt omnes animis ſine vulnere nervos.
Adfluit incautis inſidioſus Amor.
Deſidiam puer ille ſequi ſolet, odit agentes,
Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.
Sunt fora: ſunt leges: ſunt, quos tuearis, amici,
(t) Vade per urbanæ candida caſtra togæ.
Vel tu ſanguinei juvenilia munera Martis
Suſcipe, (u) delitiæ jam tibi terga dabunt.
(x) Ecce fugax Parthus, magni nova cauſa triumphi,
(y) Jam videt in campis Cæſaris arma ſuis.
Vince Cupidineas pariter Parthaſque ſagittas:
Et refert ad patrios bina (z) tropæa Deos.
Ut ſemel (a) Ætola Venus eſt a cuſpide læſa;
(b) Mandat amatori bella gerenda ſuo.
Quæritis, (c) Ægiſthus quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt: deſidioſus erat:

INTERPRETATIO.

tam Venus lætatur otio. Qui cupis finem amoris, (amor cedit rebus) negotia tracta; eris ſecurus. Languor & ſomni multi ſub nullo moderatore, & alea & tempora fracta multo vino, auferunt omnes vires animis ſine plaga. Amor doloſus adrepit incurioſis. Ille puer ſolet ſectari inertiam: odit ſedulos. Da menti oſcitanti opus quo impediatur. Sunt fora: ſunt leges; ſunt amici quos defendas. Ambula per caſtra alba toga urbana. Vel immiſce te oneribus juvenilibus Martis cruenti: Jam voluptas a te recedet. Ecce Parthus fugax, nova materia magni triumphi, jam cernis arma Cæſaris in campis ſuis. Frange pariter cupidineas & Parthas ſagittas: & refer bina tropæa ad Deos patrios. Poſtquam Venus eſt ſemel vulnerata a mucrone Ætola; committit bella adminiſtranda amatori ſuo. Petitis, quamobrem Ægyſthus ſit factus adulter? Cauſa eſt ad manum, erat otioſus.

NOTÆ.

(r) *Vindice*) Qui aliquem e lecto cogat ſurgere.

(ſ) *Tempora quaſſa*) Caput dicit nimio vino titubans.

(t) *Vade per*) In Candidatorum numero & honorum ambitu eſſe debere monet eum, qui Amorem fugare cupiat. Solebant enim in togis candidis ambulare qui Magiſtratus a Populo petebant.

(u) *Delitiæ*) *Amor a te fugerit.*

(x) *Ecce fugax*) Bellum Parthicum deſignat, quod Cajus, vel Tiberius Auguſti ſumſit auſpiciis, de quo antea. *Fugacem* vero Parthum appellat, quoniam a tergo non minus infeſtas fugiens immittit hoſti ſagittas, quam conſiſtens.

(y) *Jam vides*) Senſus eſt, *Jam cuivis Amatori datur occaſio, qua Amorem negotioſus propellat.*

(z) *Tropæa*) Spolia ſunt ab hoſtibus reportata, quæ veteres in loco ubi victoria parta, monumentum poſtibus affigere ſolebant.

(a) *Ætola*) Diomedis Ætoliæ regis; quod factum bello Trojano accidiſſe antea monuimus.

(b) *Mandat*) Marti, amatori ſuo belli curam Venus reliquit, ut jam in caſtris nec reperiatur ipſa, nec filius comeſve ejus Amor. Quæ an vera ſint ſemper, viderit Naſo.

(c) *Ægyſthus*) Thyeſtis fuit filius, qui Clytemneſtram Agamemnonis uxorem corrupit: de qua re jam ſæpe. Adulter fuerat pater qui cum fratris Atrei uxore concubuerat, cum filia Pelopeja inceſtum patraverat, qualis inde naſci potuit filius?

Pugnabant alii *(d)* tardis apud Ilion armis:
  Transtulerat vires Græcia tota suas.
Sive operam bellis vellet dare, nulla gerebat:
  Sive foro vacuum litibus *(e)* Argos erat.
Quod potuit, ne nil illic ageretur, amavit.
  (f) Sic venit ille puer: sic puer ille manet.
Rura quoque oblectant animos, studiumque colendi:
  Quælibet huic curæ cedere cura potest.
Colla jube domitos oneri supponere tauros;
  Sauciet ut duram vomer aduncus humum.
Obrue versata *(g)* Cerealia semina terra,
  Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager.
Aspice curvatos pomorum pondere ramos;
  Ut sua, quod peperit, vix ferat arbor onus
Aspice jucundo labentes murmure rivos:
  Aspice tondentes fertile gramen oves.
Ecce petunt rupes peruptaque saxa capellæ.
  Jam referent hœdis ubera plena suis.
Pastor *(h)* inæquali modulatur arundine carmen:
  Nec desunt comites, sedula turba canes.
Parte sonant alia silvæ mugitibus altæ;
  Et queritur vitulum mater abesse suum.
Quid cum suppositos fugiunt *(i)* examina fumos,
  Ut revelent denti *(k)* vimina toria favi.

INTERPRETATIO.

Alii certabant apud Trojam lentis armis. Gracia tota auxerat vires suas. Sive optaret uavare operam bellis, nulla administrabat, sive foro. Argos erat sine litibus. Ne nibil illic moveretur, quod licuit, amavit. Ille puer sic subit: ille puer sic moratur. Rura quoque, & desiderium colendi ea demulcent mentes: qualibet cura potest cedere buic cura. Fac tauri jugo assueti prabeant cervices oneri, ut vomere proscindas duram terram. Et operi semina Cerealia terra subacta, qua ager refegat tibi cum multo fructu. Vide ramos pressos onere pomorum: ut arbor sua vix par sit oneri quod protulit. Pasce oculos rivis fluentibus suavi murmure: Cerne oves pascentes h rbas fœcundas. En capella scandunt rupes & saxa abrupta: Jam referent ubera distenta bœdis suis. Pastor meditatur carmen arundine inaquali: nec canes comites turba vigil desiderantur. Alia parte silva excelsa remugiunt; & mater gemit vitulum suum desiderari. Quid cum examina vitant fumos subjectos, ut favi sublati pondus detrahant viminibus tortis.

NOTÆ.

(d) *Tardis*) Decem annos duravit Trojana obsidio.

(e) *Argos*) Vetus ac nobilis fuit civitas in Argolide, ubi sicuti & Mycenis Agamemnon regnavit: Sed & aliæ fuerunt ejusdem nominis civitates in Græcia, quæ tota quandoque illo nomine intelligitur.

(f) *Sic*) Cum nihil aliud agendum succurrit.

(g) *Cerealia*) Quæ Ceres frugum dea invenit.

(h) *Inæqualis arund.*) *Fistula imparibus juncta calamis.*

(i) *Examina*) De Apibus loquitur quas fumo fugare mos erat, cum favos subtrahere volebant.

(k) *Vimina*) Ex quibus alvearia fiunt, quæ mellis ab apibus collectis pondere gravantur.

Po-

Poma dat autumnus; formosa est messibus æstas;
Ver præbet flores: igne levatur hiems.
Temporibus certis maturam rusticus uvam
Deligit; & nudo sub pede musta fluunt;
Temporibus certis desectas alligat (*l*) herbas;
Et tonsam (*m*) raro pectine verrit humum.
Ipse potes riguis plantam deponere in hortis:
Ipse potes rivos ducere lenis aquæ.
Veneri insitio; fac ramum ramus adoptet;
Stetque peregrinis arbor operta (*n*) comis.
Cum semel hæc animum cœpit mulcere voluptas,
Debilibus pennis irritus exit Amor.
Vel tu venandi studium cole: sæpe recessit
Turpiter a (*o*) Phœbi victa sorore Venus.
Nunc leporem (*p*) pronum catulo sectare sagaci:
Nunc tua frondosis retia tende jugis.
Aut pavidos terræ varia formidine cervos;
Aut cadat adversa cuspide fossus aper.
Nocte fatigatum somnus, non cura puellæ,
Excipit; & pingui membra quiete levat.
Lenius est (*q*) studium, studium tamen, alite capta,
Aut lino, aut (*r*) calamis præmia parva sequi.
Vel, quæ picis edax avido (*ſ*) male devoret ore,
Addere supremis æra recurva cibis.

INTERPRETATIO.

Autumnus exhibet poma; æstas pulchra est messibus; ver exhibet flores; hyems lenitur foco. Rusticus carpit temporibus constitutis racemos maturos; & musta defluunt sub pede nudo. Colligit herbas detonsas temporibus constitutis; & radit rastro terram tonsam. Ipse potes statuere plantam in hortis riguis: ipse potes derivare aquam placidam. Cum aderit insitio; fac ramus sibi adsciscat ramum: & arbor sit ornata frondibus alienis. Cum hæc voluptas semel occepit delinire mentem, amor imbecillis recedit pennis infirmis. Vel tu indulge studio venandi: Venus sæpe discessit turpiter superata a sorore Apollinis. Nunc sequere leporem obvium catulo sagaci: nunc pone tuas plagas montibus nemorosis: Aut percelle vario terrore cervos timidos: aut aper transfixus mucrone opposito prosternatur. Somnus, non cura puellæ nocte excipit defessum; & membra mulcet quiete humectante. Levius est studium, studium tamen, captare exiguos fructus ave capta, aut retibus, aut calamis viscatis: *Vel tegere hamos aduncos escis superinductis, quos piscis vorax male absorbeat ore cupido.*

NOTÆ.

(l) *Herbas*) De fœno agitur, quod vel in metas extruitur, vel per fasciculos in pratis religatur.

(m) *Raro*) De rastris sermo est quibus in metas colligitur fœnum.

(n) *Comis*) De ramis seu frondibus loquitur, quæ per insitionem in variis generis trunco succrescere videmus.

(o) *Phœbi sorore*) Diana est venationis dea, quam qui sequatur vix in Amoris casses incidat.

(p) *Pronum*) *Quem facile sagax canis inveniat.*

(p) *Studium*) *Occupatio.*

(r) *Calamis*) Viscatis *scilicet.*

(ſ) *Male*) Pro ipso, pisce, *scilicet.*

Aut his, aut aliis, donec dediscis amare,
Ipse tibi furtim decipiendus eris.
Tu tantum i, quamvis firmis retinebere (*t*) vinclis,
I procul, & longas carpere perge vias.
Flebis, ut occurret desertæ nomen amicæ:
Stabit & in media pes tibi sæpe via.
Sed quanto minus ire voles, magis ire memento.
Perfer; & invitos currere coge pedes.
Nec pluvias vites: nec te (*u*) peregrina morentur
Sabbatha; nec damnis (*x*) Allia nota suis.
(*y*) Nec quot transieris, sed quot tibi quære supersint
Millia: nec, maneas ut prope finge moras.
Tempora nec numera: nec crebro respice Romam,
Sed fuge. tutus adhuc (*z*) Parthus ab hoste fuga est.
Dura aliquis præcepta vocet mea: dura fatemur
Esse: sed, ut valeas, multa dolenda feres.
Sæpe bibi succos, quamvis invitus, amaros
Æger; & oranti mensa negata mihi.
Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes;
Arida nec sitiens ora lavabis aqua.
Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.

INTERPRETATIO.

Ipse eris tibi fallendus clanculum, his aut aliis, donec desuescis amare. Tu tantum recede, quamvis coercebere validis vinculis, procul abi, nec desine sequi longas vias. Lugebis cum subibit nomen amicæ relictæ: & pes tibi hærebit sæpe in medio itinere: at quo minus progredi cupies, magis progredi memor esto: usque tolera: & vim facito pedibus renitentibus, ut currant. Nec timeas imbres: nec sabbatha aliena te detineant; nec Allia cognita suis stragibus. Nec cura quot millia præterieris, sed quot tibi restent: nec comminiscitor moras ut maneas prope. Nec rationem habe temporum: nec sæpius respice Romam; sed fuge. Parthus securus est adhuc ab hoste fuga. Aliquis dicat mea præcepta dura: agnoscimus dura esse: sed tolerabis multa lugenda ut valeas. Sæpe ægrotus sorpsi quamvis animo iniquo, succos amaros; & mensa negata mihi roganti. Ut redimas corpus tolerabis ferrum & ignes; nec sitiens ablues aqua ora æstuantia: recusabis quicquam ferre ut valeas animo! At pars hæc præstantior est corpore.

NOTÆ.

(t) *Vinclis*) Puellæ cura *scilicet*, quam in urbe, non in silvis inventurum se, Amatorem non latet.

(u) *Peregrina*) *A Judæis peregrinis observata.*

(x) *Allia*) Hoc fluvii Italiæ nomen est; qui se Tiberino non longe ab urbe immiscet, apud quem maxima strage Romani a Gallis, Brenno duce, profligati sunt: Unde factum est ut *Alliensis dies* pro atro & infausto usurpetur.

(y) *Nec quot.*) Amatorem vetat moræ causas fingere, aut quam longam viam confecerit exquirere, ut quiescat; sed magis de itinere faciendo jubet inquirere, ut procedat.

(z) *Parthus*) Parthorum exemplo, qui fuga hostem profligant & sibi consulunt, fugiendum & vincendum esse docet: Quod quidem consilium nequeo satis laudare & commendare.

Sed tamen est artis (*a*) strictissima janua nostræ,
Et labor est unus tempora prima pati.
Aspicis, ut (*b*) prensos urant juga prima juvencos?
Ut nova velocem cingula lædat equum?
Forsitan a (*c*) Laribus patriis exire pigebit;
Sed tamen exibis: deinde redire voles.
Nec te Lar patrius, sed amor revocabit amicæ,
Prætendens culpæ (*d*) splendida verba suæ.
Cum semel exieris, centum solatia curæ
Et rus, & comites, & via longa dabunt.
Nec satis esse puta discedere: lentus abesto:
Dum perdat vires (*e*) sitque sine igne, cinis:
Si nisi firmata properabis mente reverti,
Inferet arma tibi sæva rebellis Amor.
Quid quod, ut absueris, avidus sitiensque redibis;
Et spatium damno cesserit omne tuo?
Viderit, (*f*) Hæmoniæ si quis mala pabula terræ,
Et magicas artes posse juvare putat.
Ista veneficii vetus est via. Noster Apollo
Innocuam sacro carmine monstrat opem.
Me duce (*g*) non tumulo prodire jubebitur umbra;
Non anus infami carmine (*h*) rumpet humum.

INTERPRETATIO.

Sed tamen aditus artis nostræ est arctissimus, & solus est labor ferre prima tempora. Nonne vides, ut prima juga premant novos juvencos? Ut primum lorum offendat equum celerem? Forte pigebit excedere domo paterna; sed tamen excedes, deinde cupiet reverti. Nec domus patria sed amor amicæ obvelans vitium suum speciosis verbis te retrahet. Cum semel prodieris, & rus, & comites, & iter longum præbebunt centum amoris levamina. Sed crede satis esse abire: absens esto diu; donec ignis absumat vires, & cinis sit sine igne. Si festinabis redire nisi animo confirmato, amor pertinax inferet tibi arma crudelia. Quid quod postquam absueris, reverteris cupidus & sitiens; & omnis mora cesserit detrimento tuo? Si quis aspexerit mala gramina terræ Hæmoniæ, & credit artes magicas posse esse solatio: Ista est veneficiis antiqua via; noster Apollo auxilium indicat innoxium sacro carmine. Umbra non cogetur exire ex tumulo me autore; anus non fodiet terram tristi carmine.

NOTÆ.

(a) *Strictissima*) Ut qui semel ingressus fit, alia omnia levia experiatur. *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet*, inquit Horatius.

(b) *Prensos*) Qui recens ad jugum sunt compulsi, cum ante per prata vagarentur.

(c) *Laribus*) Deos domesticos pro domo paterna posuit.

(d) *Splendida*) Quasi pietatis nomine domum reverteretur.

(e) *Sitque sine*) Elegantissima metaphora, qua penitus extinguendum prius amorem indicat quam in urbem redeat Amator.

(f) *Hæmonia*) Thessaliam dicit, veneficiis terram notissimam.

(g) *Non tumulo*) Varia tangit ex veneficarum disciplina.

(h) *Rumpet*) *Hæc cantu finditque solum, Manesque sepulcris Elicit*. Tibullus.

Non seges ex aliis alios transibit in agros,
(*i*) Nec subito Phœbi pallidus orbis erit.
Ut solet, æquoreas ibit Tyberinus in undas:
Ut solet, (*k*) in niveis Luna vehetur equis.
(*l*) Nulla (*m*) recantatas deponent pectora curas;
Nec fugiet vivo (*n*) sulfure victus amor.
Quid te (*o*) Phasiacæ juverunt gramina terræ,
Cum cuperes patria, (*p*) Colchi, (*q*) manere dom
Quid tibi profuerunt, (*r*) Circe, (*f*) Perseides herb.
Cum sua (*t*) Neritias abstulit aura rates?
Omnia fecisti, ne callidus hospes abiret:
Ille dedit (*u*) certæ lintea plena fugæ.
Omnia fecisti, ne te ferus ureret ignis:
Longus at inviso pectore sedit amor.
Vertere tu poteras homines in mille figuras:
Non poteras animi vertere (*x*) jura tui.
Diceris his etiam, cum jam discedere vellet,
(*y*) Dulichium verbis detinuisse ducem:
Non ego, quod primo (memini) sperare solebam:
Jam precor, ut conjux tu meus esse velis.

INTERPRETATIO.

Seges non migrabit ex aliis in alios agros: nec orbis solis fiet repente pallidus. Tyberinus curret, ut solet, in aquas marinas; Luna procedit, ut solet, in aquis albis. Nulla mentes omittent curas carminibus repressas; nec amor recedet superatus vivo sulfure. Colchi, quid tibi profuerunt herba soli Phasiaci, cum optares manere in domo patris? Circe quid te juverunt herba Perseides, cum ventus suus abripuit naves Neritias? Omnia tentasti, ne hospes versutus discederet, Ille tradidit plena carbasa certa fuga. Omnia tentasti ne ignis savus te absumeret: at longus amor mansit in animo refugiente. Poteras transmutare homines in mille formas: non poteras mutare leges pectoris tui. Perhiberis etiam demulsisse bis vocibus ducem Dulichium, cum jam velles proficisci: Ego jam non oro, quod primo solebam sperare: (memini) ut tu velis esse meus maritus.

NOTÆ.

(i) *Nec subito*) Se se negat prorsus incantamentis operam daturum: Sapientius quam multi solent nomine impudenter Christiani.

(k) *In niveis*) *Neque obscurabitur, neque cœlo deducetur:* quod factitare se jactant magis.

(l) *Nulla*) Non verum dixisse arbitror. Neque enim nihil sunt, neque sunt quæ dicunt magi omnia, quacumque illi denique arte utantur.

(m) *Recantatas*) *Magicis artibus repressas.*

(n) *Sulphure*) Id sacrum dicit, quo, adhibito sulphure, ovo & teda lustrabantur amantes.

(o) *Phasiaca*) Colchon dicit, Medeæ patriam ubi Phasis fuit fluvius.

(p) *Colchi*) Medeam alloquitur quæ a Patria *Colchi dicitur.*)

(q) *Manere*) Potius quam Jasonem sequi.

(r) *Circe*) Solis filiam notissimam nobis jam ante sua fecerunt veneficia.

(f) *Perseides*) Eo nomine a Persa Oceani filia, matre Circes appellavit.

(t) *Neritias*) Naves dicit Ulyssis, quem Circe amavit, a Nerito Ithacæ Insulæ, monte ubi ille regnavit, hoc nomen sortitas.

(u) *Certa*) *Quam nulla herba impedire potuerunt.*

(x) *Jura*) Quibus ad amandum quasi cogebatur.

(y) *Dulichium*) Ulyssem dicit, ab insula Dulichio ex Echinadibus una, Peloponnesum ab occasu spectante, sic dictum.

Et

Et tamen, ut conjux essem tua, digna videbar:
Quod Dea, quod magni filia Solis eram.
Ne properes oro: spatium pro munere posco.
Quid minus optari per mea vota potest?
Et freta mota vides; & debes illa timere.
Utilior velis postmodo ventus erit.
Quæ tibi causa fugæ? non hic nova Troja resurgit:
Non alius socios (z) Rhesus ad arma vocat.
Hic amor, hic pax est; in qua male vulneror una:
Totaque sub regno terra futura tuo est.
Illa loquebatur: navem solvebat Ulysses:
Irrita cum velis (*a*) verba tulere Noti.
Ardet, & (*b*) assuetas Circe decurrit ad artes:
Nec tamen est illis attenuatus amor.
Ergo age, quisquis opem nostra tibi poscis ab arte,
Deme veneficiis carminibusque fidem.
Si te causa potens (*c*) domina retinebit in Urbe;
Accipe, consilium quod sit in Urbe meum:
Optimus ille fuit vindex; lædentia pectus
(*d*) Vincula qui rupit, (*r*) dedoluitque semel.
Si cui tantum animi est, illum mirabor & ipse:
Et dicam, Monitis non eget iste meis.
Tu mihi qui, quod amas, ægre dediscis amare;
Nec potes, & velles posse; docendus eris.

INTERPRETATIO.

Et tamen videbar idonea ut essem tua uxor, quod eram Dea; quod filia magni Solis. Precor ne festines, Peto moram pro beneficio. Quid minus potest desiderari per mea vota? Et cernis æquora concita; & debes illa reformidare. Ventus erit postmodo æquior velis. Quæ tibi causa fugæ? Troja nova non hic excitatur: alius Rhesus non rapit socios ad arma. Hic est amor, hic pax; in qua sola male lædor: & omnis mea terra mansura est sub tuo imperio. *Illa loquebatur: Ulysses deducebat navem. Austri rapuerunt verba vana cum velis. Circe uritur & confugit ad artes solitas, nec tamen amor est imminutus illis. Ergo age, quisquis tibi quæris auxilium ab arte nostra, noli fidem adhibere veneficiis & carminibus. Si causa gravis te detinebit in urbe domina, accipe quod sit consilium meum in urbe: ille fuit optimus assertor, qui abscidit vincula prementia pectus, & semel dedoluit. Si tantum animi est alicui, ego etiam illum suspiciam; & dicam, iste non indiget meis præceptis. Tu eris mihi instituendus qui invitus desinis amare quod amas; nec potes & velles posse.*

NOTÆ.

(z) *Rhesus*) Rex fuit Thraciæ; quem albis equis in Trojanorum auxilium venientem, Ulysses & Diomedes interfecerunt.

(a) *Verba*) Circes, *scilicet*, quæ contemsit Ulysses.

(b) *Assuetas*) Quibus ad venefica utebatur.

(c) *Domina*) Roma, *scilicet*.

(d) *Vincula*) De Amore loquitur, quo Amantis pectus torquetur.

(e) *Dedoluit*) *Amoris impatientiam vicit, ejusque dolorem abjecit.*

Sa-

Sæpe refer tecum sceleratæ facta puellæ;
Et pone ante oculos omnia damna tuos.
(f) *Illud & illud habet; nec ea contenta rapina*
Sub (g) titulum nostros misit avara lares.
Sic mihi juravit: sic me jurata fefellit.
Ante suam quoties passa jacere forem!
Diligit ipsa alios: a me fastidit amari.
Institor heu noctes, quas mihi non dat, habet!
Hæc tibi per totos (h) inacescant omnia sensus:
Hæc refer: hinc odii semina quære tui.
Atque utinam possis etiam facundus in illis
Esse! dole tantum; sponte disertus eris.
Hæserat in quadam nuper mea cura puella:
(i) Conveniens animo non erat illa meo.
Curabar propriis æger (k) Podalirius (l) herbis:
Et (fateor) medicus (m) turpiter (n) æger eram.
Profuit (o) assiduæ vitiis insistere amicæ.
Idque mihi factum sæpe salubre fuit.
Quam mala sunt nostræ, dicebam, crura puellæ?
Nec tamen, ut vere confiteamur, erant.
Brachia quam non sunt nostræ formosa puellæ!
Et tamen, ut vere confiteamur, erant.

INTERPRETATIO.

Revocato sæpe in animum facta scelestæ puellæ, & obiice oculis tuis omnia tua detrimenta. Habet illud & illud: nec contenta ea rapina, avara jussit inscribendam nostram domum. Sic juravit mihi, jurata sic me decepit. Quoties sivit me jacere ante suas fores? Ipsa amat alios: contemnit amari a me. Heu institor habet noctes quas mihi non concedit. *Hæc omnia inamarescant tibi per totos sensus: hæc commemora: pete hinc initia odii tui. Atque etiam utinam possis esse disertus in illis: Dole tantum; facile eris disertus. Desiderium meum manserat nuper in quadam puella: illa non erat obsequens animo meo. Æger Podalirius reficiebar propriis herbis: & (confiteor) eram medicus indecore afflictus. Juvit inhærere vitiis amicæ assidua: & id factum sæpe mihi fuit salutiferum. Quam turpia sunt crura nostræ puellæ! dicebam. Nec tamen erant, ut verum agnoscamus. Quam nostræ puellæ lacerti non sunt pulchri! & tamen, ut verum agnoscamus, erant.*

NOTÆ.

(f) *Illud & illud*) Verba sunt Amantis, aut certe quæ amantem repetere docet Ovidius, ut amicam contemnere discat.

(g) *Titulum*) Quo ædes inscribuntur vendendæ.

(h) *Inacescant*) Quam optime dolorem exprimit vox ista, quo in recensendis acceptis injuriis animus irritatur.

(i) *Conveniens*) Quippe quæ amori non favebat.

(k) *Podalirius*) Æsculapii fuit filius medicus insignis, cui sese Poeta in Amore curando similem facit.

(l) *Herbis*) Præceptis, *scil.*

(m) *Turpiter*) Quia medicum dedecet aliis, quam sibi non possit, præstare opem.

(n) *Æger*) Quia Amans.

(o) *Assiduæ*) Quæ animo perpetuo obversetur.

Quam

Quam brevis est! nec erat; quam multum poscit amantem.
(p) Hinc odio venit maxima causa meo.
Et (q) mala sunt vicina bonis; errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.
Quam potes, in pejus dotes deflecte puellæ:
Judiciumque (r) brevi limite falle tuum.
Turgida, si plena est, si fusca est, nigra vocetur:
In gracili macies crimen habere potest.
Et poterit dici petulans, quæ rustica non est;
Et poterit dici rustica; si qua proba est.
Quin etiam, quacumque caret tua fœmina dote,
Hanc moveat, blandis usque precare sonis:
Exigito cantet, si qua est sine voce puella:
Fac saltet, nescit si qua movere manum.
Barbara sermone est; fac tecum multa loquatur.
Non didicit chordas tangere; posce lyram.
Durius incedit; face inambulet; omne papillæ
Pectus habent tumidæ; fascia nulla tegat.
Si male dentata est; narra, quod rideat illi.
(s) Mollibus est oculis; quod fleat illa, refer.
Proderit & subito, cum se non (t) finxerit ulli,
Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
(u) Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia; pars minima est ipsa puella sui.

INTERPRETATIO.

Quam parva est? nec erat: quam multum petit ab amante! Hinc vehemens causa accessit odio meo. Mala quoque sunt proxima bonis: sub illo errore virtus sæpe damnata est pro vitio. Detorque in pejus quantum potes bona puellæ: & decipe judicium tuum exiguo termino. Si obesa est dicatur turgida: si fusca est nigra. Macies potest argui in gracili. Quæ non est rustica poterit etiam vocari proterva: & si qua est honesta poterit dici morosa. Quin etiam indesinenter orato verbis lenibus, tua puella exerat dotem quacumque caret, Si aliqua puella est sine voce; poscito canat: si qua nescit agitare manum, fac saltet. Est barbara sermone; fac multis tecum differat. Non docta est pulsare chordas; pete Lyram. Ambulat crassius, fac incedat: papillæ tumidæ occupant totum pectus; nulla fascia velet. Si male est dentata, refer illi quod rideat. Est oculis teneris commemorato quod illa lugeat. Juverit etiam subito mane accelerasse gressus ad Dominam, cum nulli se ornaverit. Rapimur ornatu, omnia velantur gemmis & auro: ipsa puella est pars minima sui.

NOTÆ.

(p) *Hinc*) Ex eo, *scil.* quod multum petebat.

(q) *Mala sunt*) Bonitatem imitatur inepta lenitas, Virtutes alias alia vitia.

(r) *Brevi*) In medio consistit Virtus, ita ut ad alterutram partem si inclinaveris, in vitium incurreas. Prodigus fueris, si plus paulo liberalis.

(s) *Mollibus*) Ex quibus facile prodeant lacrymæ.

(t) *Finxerit*) *Comam composuerit, faciem fuco illiverit, &c.*

(u) *Auferimur*) *Ad amandum quasi cogimur.*

Se-

Sæpe, ubi sit, quod ames inter tam multa requiras:
 Decipit hac oculos (x) ægide dives Amor.
Improvisus ades; deprendes tutus (y) inermem:
 Infelix vitiis excidet illa suis.
Nec tamen huic nimium præcepto credere tutum est:
 Fallit enim multos forma sine arte decens.
Tum quoque, cum positis sua collinet ora (z) venenis,
 Ad dominæ vultus (nec pudor obstet) eas.
Pyxidas inveniens, & rerum mille colores;
 Et fluere in tepidos (a) œsypa lapsa sinus.
Illa tuas redolent, (b) Phineu, medicamina mensas:
 Non semel (c) hinc stomacho nausea facta meo.
Nunc tibi, quæ medio Veneris præstentur in usu,
 Eloquar; ex omni parte fugandus amor.
Multa quidem ex illis pudor est mihi dicere: sed tu
 Ingenio verbis concipe plura meis.
Nuper enim nostros quidam carpsere libellos;
 Quorum censura Musa (d) proterva mea est.
Dummodo sic placeam, dum toto canter in orbe;
 Quod volet, impugnent unus & alter opus.

INTERPRETATIO.

Sæpe exquiras quod ames inter tam multa. Opulentus amor fallit oculos hac ægide. Adesto inexpectatus; securus corripies inermem: illa infelix deturbabitur suis vitiis. Nec tamen cautum est nimium confidere huic consilio: nam forma decora sine arte decipit multos. Accedas etiam tum ad ora dominæ, cum unget faciem suam pigmentis appositis (nec pudor impediat.) Reperies pyxidas & mille colores rerum; & œsypa dilapsa currere in sinus calidos. Phineu, illa unguenta referunt odorem mensarum tuarum: non semel nausea hinc nata ventriculo meo. Nunc dicam tibi quæ stant in medio usu Veneris: amor profligandus ex omni parte. Pudet quidem multa referre ex illis: sed tu mente assequere plura verbis meis. Nuper enim quidam reprehenderunt nostros libellos; quorum censura musa mea est petulans. Dummodo sic placeam, dum lauder in toto orbe; unus & alter improbent opus quod libuerit.

NOTÆ.

(x) *Ægide*) Fuit Ægis Minervæ scutum, Medusæ capite horridum, quod quicumque intuebatur in saxum vertebatur; quam ad rem nunc alludit Poeta, qui ornamentis suis indutas puellas viris dicit imponere, eosque ad stuporem cogere.

(y) *Inermem*) Quia inornata.

(z) *Venenis*) De fuco loquitur.

(a) *Oesipa*) Videsis quæ supra diximus.

(b) *Phineu* Fuit Phineus rex Arcadiæ, quem oculis Dii privarunt, quod filium occæcasset: cujus mensas Harpyiæ adversus ipsum immissæ ventris profluvio turpissime fœdabant, ut dapibus vesci non posset.

(c) *Hinc*) Ex inspectis puellarum pyxidibus:

(d) *Proterva*) Est profecto; nec satis est quod placeat, cum vix aliter quam placendo nostra nosmet capiat vanitas, & in præceps rapiat miseria.

In-

Ingenium magni detrectat Livor Homeri:
(e) Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.
Et tua sacrilegæ laniarunt carmina linguæ,
Pertulit huc victos quo (f) duce (g) Troja Deos.
Summa petit livor: perflant altissima venti:
Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.
At tu, quicunque es, quem nostra licentia lædit;
Si sapis, (h) ad numeros exige quidque suos.
Fortia (i) Mæonio gaudent pede bella referri.
Delitiis illic quis locus esse potest?
Grande sonant Tragici; Tragicos decet ira (k) cothurnos.
(l) Lusibus e mediis (m) soccus habendus erit.
(n) Liber in adversos hostes stringatur Jambus;
Seu (o) celer, extremum (p) seu trahat ille pedem.
Blanda pharetratos Elegeia cantet Amores,
Et levis arbitrio ludat amica suo.

INTERPRETATIO.

Invidia detrahit ingenio magni Homeri. Zoile, quisquis es, habes nomen ex illo. Linguæ etiam scelestæ discerpserunt tua carmina, quo duce Troja huc devexit Deos superatos. Invidia incumbit in excelsa, venti deverrunt altissima: fulmina emissa manu Jovis tangunt sublimia. At tu quisquis es quem nostra nimia libertas offendit; si sapis, revocas singula ad rationes suas. Bella strenua volunt cantari pede Mæonio. Quis locus potest esse illic deliciis? Tragici magna sonant; ira decet cothurnos tragicos: soccus erit habendus ex mediis usibus. Jambus liber immittatur in hostes adversos; seu currat, seu ille ducat pedem ultimum. Mollis Elegia canat amores pharetratos: & amica levis ludat arbitrio suo.

NOTÆ.

(e) *Quisquis es*) Hoc dicit, quia vix aliter notus Zoilus, quam quod in Homerum libros composuerit, quos Alexandriæ Ptolemæo regi recitavit: cui quidem nullum ille dedit responsum, quod tantum Poetam immerito culpari videret. Testatur Vitruvius eum Zoilum ad egestatem compulsum regem adiisse, ut ab eo aliquid acciperet, cui ille respondit, debere qui meliori ingenio sese profiteretur, non modo unum, sed plures etiam pascere posse, cum Homerus, qui ante mille annos decessisset, ævo perpetuo tot millia hominum pasceret. Accusatus deinde Zoilus parricidii, cruci affixus est; & *Homeromastix* quod Homeri obtrectator fuisset.

(f) *Duce*) De Virgilio loquitur, qui Æneæ adventum in Italiam cecinit.

(g) *Troja*) Ex Marone totam Trojæ historiam, ejus urbis excidium, Æneæ fugam, in Italiam penates advectos, &c. cognosces.

(h) *Ad numeros*) Levis est Poetæ excusatio, nam quod gravissimum in accusatione non tangit.

(i) *Mæonio*) Heroico carmine: quali usus est Homerus, Mæonius incerta Etymologia dictus.

(k) *Cothurnos*) Calceamenti genus est altius assurgens, quo in Tragœdia utebantur, sicut socco humiliori in Comœdia.

(l) *Lusibus*) Id est, ex vita communi, quæ Comœdia describitur.

(m) *Soccus*) Per soccum stylum intellige humiliorem, sicuti per cothurnum sublime dicendi genus.

(n) *Liber*) Vel quia pede cito, Jambo *scil.* syllaba brevi & longa constante conflatus est; vel quia libere scribunt qui Jambo adversus aliquem utuntur.

(o) *Celer*) Versus est hypercatalecticus, qui præter pedum justum numerum syllabam habet in fine.

(p) *Seu trahat*) Versum catalecticum dicit, cui una syllaba deest in fine.

(q) Gal-

(q) Callimachi numeris non est dicendus (r) Achilles:
(ſ) Cydippe non est (t) oris, Homere, tui.
Quis ferat (u) Andromaches peragentem (x) Thaida partes?
Peccat in Andromache Thaida si quis agat.
Thais in arte mea: lascivia libera nostra est.
Nil mihi cum (y) vitta: Thais in arte mea est.
Si mea materiæ respondet Musa jocosæ,
(z) Vicimus, & falsi criminis acta rea est.
Rumpere, Livor edax; jam magnum nomen habemus:
Majus erit; tantum, quo pede cœpit, eat.
Sed nimium properas: vivam modo; plura dolebis:
Et capiant animi carmina multa mei.
Nam juvat, & studium famæ mihi crescit honoræ:
Principio clivi (a) vester anhelat equus.
Tantum se nobis Elegi (b) debere fatentur,
Quantum Virgilio nobile debet (c) epos.

INTERPRETATIO.

Achilles non est cantandus numeris Callimachi, Homere, Cydippe non est tui carminis. Quis patiatur Thaidem tuentem partes Andromaches? Si quis tuatur partes Thaidis in Andromache errat. Thais est in arte mea: lascivia nostra est libera. Nihil mihi cum vitta: Thais est in arte mea. Si mea musa competit materiæ jocosæ, vicimus, & accersita est falsi criminis: Disrumpere, invidia vorax; jam consequuti sumus magnam famam: major erit: procedat tantum pede quo instituit. Sed nimium festinas, modo superstim, plura dolebis; & animi mei capiant multa carmina. Nam prodest, & desiderium famæ decoræ mihi augetur. Equus vester ducit illa in aditu collis. Elegi agnoscunt se debere tantum nobis; quantum poema Heroicum debet Virgilio.

NOTÆ.

(q) *Callimachi*) Versibus elegis, in quibus scribendis palmas Callimachus obtinuit.

(r) *Achilles*) Id est, Heroum facta fortia. Metonimia est cum Synecdoche.

(ſ) *Cydippe*) Cujus nominis poema scripserat Callimachus, ex quo fragmenta ab antiquis Grammaticis citantur. Vidimus etiam supra, Cydippes ad Aconitum epistolam mollem, elegis versibus scriptam.

(t) *Oris*) Id est, Cydippes amores versibus heroicis non deceat scribere.

(u) *Andromachæ*) Hanc vidimus antea Hectoris uxorem, matronam dignissimam; quod ex his quoque Maronis versibus facile colligas,

Heu! quis te casus dejectam conjuge tanto,
Excipit, aut quæ digna satis fortuna revisit,
Hectoris Andromache?

(x) *Thaida*) Meretriculæ nomen est apud Terentium.

(y) *Vitta*) Id est, cum honestis puellis aut fæminis, quæ vitta utebantur.

(z) *Vicimus*) Egregiam vero laudem ex hac victoria reportaverit.

(a) *Vester*) Livorem hac compellat metaphora, furiam quam tam cito Poeta rumpi nolit, nisi ante majorem suam gloriam viderit.

(b) *Debere*) In scribendis elegis principem sese fuisse apud Latinos Poeta gloriatur; quod quidem non immerito.

(c) *Epos*) Versum significat in genere vox ista, sed pro Carmine heroico sumitur propter ejus excellentiam.

Ha-

Hactenus Invidiæ respondimus; *(d)* atrahe lora
  Fortius; & *(e)* gyro curre, poeta, tuo.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

Nec labor efficere est; *(f)* raræ sibi vera fatentur:
  Et nihil est, quod se dedecuisse putent.
Tunc etiam jubeo totas aperire fenestras,
  Turpiaque admisso membra notare die.
At, simul ad metas venit finita voluptas,
  Lassaque cum tota corpora mente jacent;
Dum piget, & nullam malis tetigisse puellam,
  Tacturusque tibi non videare diu;
Tunc *(g)* animo signa, quodcumque in corpore mendæ est:
  Luminaque in vitiis illius usque tene.
Forsitan hæc aliquis (nam sunt quoque parva vocabit:)
  Sed quæ non prosunt singula, multa juvant.
Parva necat morsu spatiosum vipera taurum:
  A cane non magno sæpe tenetur aper.
(h) Tu tantum numero pugna; præceptaque in unum
  Contrahe: de multis grandis acervus erit.
Sed quoniam mores totidem, totidemque *(i)* figuræ:
  Non sunt judiciis omnia danda meis.

INTERPRETATIO.

Hactenus respondimus invidiæ: vates retine fortius habenas; & curre orbe tuo. * * * * * * * * * * * * * * *

Nec difficile est præstare: pauca sibi confitentur vera: & nihil est quod sibi credant indecorum. Tunc etiam impero aperire totas fenestras, & observare membra deformia luce recepta. At statim atque voluptas absoluta perducta est ad metas, & corpora jacent defessa cum omni animo; dum pœnitet, & malis nullam puellam attigisse, & videaris tibi non tacturus diu: tunc nota animo, quodcumque est vitii in corpore: & defige usque oculos in turpitudinibus illius. Forsitan aliquis hæc dicat parva, (nam sunt quoque) sed quæ non juvant singula, multa sunt utilia. Parva vipera occidit morsu taurum vastum: aper retinetur sæpe a cane non magno. Tu tantum certa numero; & coge monita in unum: magnus cumulus erit de multis. Sed quandoquidem mores totidem, & totidem figuræ: omnia non sunt concedenda judiciis meis.

NOTÆ.

(d) *Attrahe*) Ne amplius malevolos & invidos insectetur sua Musa, petita ab equis metaphora, hortatur Naso.

(e) *Gyro*) In orbem circa metas, equos & currum agitare necesse habebat auriga qui victoria potiri cupiebat. Inde petita metaph. sese ad opus inceptum exequendum hortari pergit Poeta.

(f) *Raræ*) Paucas dicit puellas vitia sua agnoscere: ut, patentibus iis, earum odium sibi creare cuivis amanti liceat.

(g) *Animo signa*) Monet Poeta, ut pro expellendo cujuscumque puellæ amore, ejus vitia Amans mente volvat. Quod quidem præceptum est optimum; siquidem caute & tempore cogitanti plurima semper & catervatim earum sese vitia offerant: nec possit quisquam nisi quod bonum est amare.

(h) *Tu tantum*) Omnium præceptorum istud est primum: *Præcepta omnia denique in unum cogere; eorumque distinctorum in unum coactorum meminisse ad usum.*

(i) *Figuræ*) Veneris tangit obscœna.

Quo

Quo tua non possunt offendi pectora facto:
Forsitan hoc alio judice crimen erit.
Ille quod obscœnas in aperto corpore partes
Viderat, in cursu qui fuit, hæsit amor:
Ille quod a Veneris rebus surgente puella
Vidit in immundo signa pudenda toro.
(*k*) Luditis o, si quos potuerunt ista movere,
Adflarant (*l*) tepidæ pectora vestra faces.
(*m*) Attrahet ille puer contentos fortius arcus;
Saucia majorem turba petetis opem.
Quid, qui clam latiut reddente obscœna puella;
Et vidit, quæ mos ipse videre vetat?
Di melius, quam nos moneamus talia quemquam!
Ut prosint, non sunt experienda tamen.
Hortor &, ut pariter binas habeatis amicas:
(*n*) Fortior est, plures si quis habere potest.
Secta bipartito cum mens discurrit utroque;
Alterius vires subtrahit alter amor.
Grandia per multos tenuantur flumina rivos,
Cassaque seducto stipite flamma perit.
Non satis una tenet ceratas anchora puppes·
Non satis est liquidis unicus hamus aquis.
Qui sibi jam pridem (*o*) solatia bina paravit;
Jam pridem summa victor in arce fuit.
At tibi, qui dominæ fueris male creditus uni,
Nunc saltem novus est inveniendus amor.

INTERPRETATIO.

Forte hoc erit crimen alterius judicio, quo facto tuus animus non potest lædi. Ille quia aspexerat partes obscœnas in corpore nudato: amor qui fuit in cursu, constitit: ille quod puella discedente a Veneris rebus, aspexit notas erubescendas in lecto sordido. O jocamini, si ista potuerunt tangere aliquos. Faces tepidæ perstrinxerant vestra pectora. Ille puer intendet fortius arcus intentos; turba vulnerata requiretis majus auxilium. Quid, qui furtim occultavit se, puella ejiciente sordida: & aspexit quæ mos ipse prohibet aspicere? Dii melius quam doceamus quemquam talia! quamvis juvent, non sunt tamen tentanda. Moneo etiam ut habeatis duas amicas. Si quis potest habere plures est tutior. Cum mens diducta fluctuat, amore utroque diviso; alter amor surripit vires alterius. Magni fluvii minuuntur per multos rivos, & flamma debilis extinguitur ligno detracto. Una anchora non satis retinet puppes pice oblitas: unicus hamus non satis est liquidis aquis. Qui quæsivit sibi jam pridem solatia bina; jam pridem fuit victor in arce suprema. At amor novus est nunc saltem parandus tibi, qui fueris male traditus uni dominæ.

NOTÆ.

(k) *Luditis*) Eos alloquitur Poeta qui amore leviter tacti, levibus ejusmodi caussis ab eo possint divelli.

(l) *Tepidæ faces*) Mediocris Amor.

(m) *Attrahet*) *Amor fiet violentior.*

(n) *Fortior*) Quem minus Amor possit convellere.

(o) *Solatia bina*) Amicas intelligit, quarum altera deficiente, ad aliam recurrere liceat.

Pasi-

(p) Pasiphaes Minos in Procride *(q)* prodidit ignes:
Cessit *(r)* ab Idæa conjuge victa prior:
(ſ) Amphilochi frater ne Phegida semper amaret,
Callirhoe fecit parte recepta tori.
Et *(t)* Parin Oenone summos tenuisset ad annos,
Si non *(u)* Oebalia pellice læsa foret.
(x) Conjugis *(y)* Odrysio placuisset forma tyranno:
Sed melior clausæ forma *(z)* sororis erat.
Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat?
Successore novo vincitur omnis amor.
(a) Fortius e multis mater desiderat unum;
Quam quæ flens clamat, Tu mihi solus eras.
Ac ne forte putes nova me tibi condere jura;
(Atque utinam inventi gloria nostra foret!)
Vidit id *(b)* Atrides, quid enim non ille videret,
(c) Cujus in arbitrio Græcia tota fuit?

INTERPRETATIO.

Minos destituit amorem Pasiphaes in Procride: prior uxor *cessit superata ab uxore Idæa. Gallirhoe admissa in partem lecti, fecit ne frater Amphilochi amaret semper Phegida. Oenone etiam tenuisset Paridem usque ad annos ultimos, si non fuisset pulsa Pellice Oebalia. Pulchritudo uxoris arrisisset Tyranno Odrysio: sed pulchritudo sororis inclusa erat major. Quamobrem hæreo exemplis quorum numerus me premit? Omnis amor superatur novo successore. Mater æquiore animo desiderat unum e multis, quam cui ejulans vociferatur; tu eras solus mibi. Et ne forte credas me tibi parare nova jura; (atque utinam laus inventi esset nostra!) Atrides illud scivit: quid enim ille ignoraret, in cujus potestate tota Græcia fuit?*

NOTÆ.

(p) *Pasiphaes*) Fuit Pasiphae Minois uxor, ut jam sæpe vidimus; Minois inquam, qui Procridem Cephalo elapsam & fugitivam, in Creta excepit, amavit, cane donavit velocissimo, ab ea valetudini restitutus.

(q) *Prodidit*) Pro *deseruit*.

(r) *Ab Idæa*) Faciunt hæc verba ut ad Merulæ sententiam accedendum propendeam, qui pro *Procride*, *Plotide* superiori versu reponendum esse censet, Pindari interpretis fretus auctoritate, qui hujus Plotidis formosæ mulieris Cretensis causa, Pasiphaen meretricem dicit factam fuisse. Atque illa quidem *Idæa* a Cretæ monte dicta fuerit; cum si de Cassandra quam Clytemnestræ uxori pellicem Agamemnon superinduxerit, exponere volueris, paulo obscurius loquutus Poeta videatur.

(ſ) *Amphilochi frater*) Alcmæon est Amphiarai filius, qui Alphesibœæ Phegei filiæ Callirhoen Acheloi filiam superinduxit.

(t) *Parin*) Fabulam vide supra in Oenones epistola.

(u) *Oebalia*) Helenam dicit, buæ Oebaliam seu Laconiam patriam habuit.

(x) *Conjugis*) Prognes *scilicet* Pandionis, Athenarum regis filiæ.

(y) *Odrysio*) Tereo rege Thracum, ab Odrysis Thraciæ circa Hebrum fluvium populo sic dicto.

(z) *Sororis*) Philomelam intellige, quam vitiatam linguaque privatam arctissima custodia Tereus servabat.

(a) *Fortius*) *Minori cum dolore*.

(b) *Atrides*) Agamemnon Atrei filius.

(c) *Cujus in arbit.*) Fuit ille bello Trojano summus Imperator & Rex regum a Græcis Principibus factus.

(*d*) Marte ſuo captam (*e*) Chryſeida victor amabat:
At ſenior ſtulte flebat ubique parens.
Quid lacrymas, odioſe ſenex? bene convenit (*f*) illis:
(*g*) Officio natam lædis, inepte, tuo.
Quam poſtquam reddi (*h*) Calchas ope tutus Achillis
Juſſerat, & patria eſt illa recepta domo;
(*i*) Eſt, ait Atrides, illi quam proxima forma;
Et, ſi prima ſinat ſyllaba, nomen idem:
Hanc mihi, ſi ſapiat, per ſe concedat Achilles:
Sin minus; imperium ſentiat ille meum.
Quod ſi quis veſtrum factum hoc incuſat, (*k*) Achivi,
Eſt aliquid valida ſceptra tenere manu.
Nam, ſi Rex ego ſum, nec mecum dormiet illa,
In mea (*l*) Therſites regna licebit eat.
Dixit; & hanc habuit ſolatia magna (*m*) prioris:
Et prior eſt cura (*n*) cura repulſa nova.
Ergo aſſume novas auctore Agamemnone flammas;
Ut tuus in (*o*) bivio detineatur amor.
Quæris, ubi invenias? artes, i, perlege noſtras.
Plena puellarum jam tibi navis eat.
Quod ſi quid præcepta valent mea, ſi quid Apollo
Utile mortales perdocet ore meo;

I N T E R P R E T A T I O.

Victor amabat Chryſeida raptam ſuis armis: at pater adultior inepte lacrymabatur ubique. Quamobrem luges, ſenex invidioſe? Illi bene concordant. Imperite offendis filiam ſtudio tuo. Quam poſtquam Calchas ſecurus auxilio Achillis imperaverat reſtitui, & illa reverſa eſt domum patriam; eſt, inquit Atrides, puella quam proxima illi pulchritudine; & ſi prima ſillaba non obſtet, nomen idem: Achilles ultro tradat mihi hanc, ſi ſapiat: ſin minus, ille ſentiat meum imperium. Quod ſi quis veſtrum, Achivi, arguit hoc factum; eſt aliquid tractare ſceptra manu forti. Nam, ſi ego ſum Rex, nec illa concumbat mecum, liceat Therſites regnis meis potiatur. Dixit, & hanc habuit magna ſolatia prioris, & prior amor eſt profligatus novo amore. Ergo Agamemnone conſulente admitte novos ignes; ut amor tuus hæreat in bivio. Petis, ubi reperias? Abi, excute artes noſtras. Jam habens navem plenam puellarum. Quod ſi mea monita aliquid poſſunt; ſi Apollo edocet homines aliquid utile ore meo;

N O T Æ.

(d) *Marte*) Thebis Cilicis a Græcis expugnatis.

(e) *Chryſeida*) Aſtynomen dicit Chryſæ, Apollinis ſacerdotis filiam, a patre *Chryſeida* dictam, de qua jam ſæpius.

(f) *Illis*) Agamemnoni & Chryſeidi,

(g) *Officio*) Illam, *ſcil.* filiam ſuam, Apollinis inſignibus ornatus Chryſes pater a Græcis repetivit.

(h) *Calchas*) Hic in Græcorum exercitu vates fuit maximus, qui Agamemnonis metu, cum Chryſeidem patri reddendam, ad ſedandam peſtem quam Apollo hujus cauſa immiſerat, proloqui non auderet, Achillis ſuſtentatus promiſſis, tandem Apollinis voluntatem Græcis aperuit.

(i) *Eſt*) Alia quædam puella *ſcilicet*, quæ Briſeis eſt, Achilli ab Agamemnone erepta.

(k) *Achivi*) Eo nomine Græci ab Achaja, quæ etiam quandoque pro Græcia ſumitur, dicti ſunt.

(l) *Therſite*) Fœdiſſimus fuit & ignaviſſimus omnium qui adverſus Trojam navigaverunt, quem pugno Achilles interfecit.

(m) *Prioris*) Chryſeidis nempe.

(n) *Cura*) Pro Amore, ut ſæpe alibi.

(o) *Bivio*) In duabus puellis.

Quam

Quamvis infelix media torreberis (p) Ætna;
Frigidior glacie fac videare tuæ.
Et sanum simula; ne, si quid forte dolebis,
Sentiat: & ride, cum tibi flendus eris.
Non ego te jubeo (q) medias abrumpere curas:
Non sunt imperii tam fera jura mei.
(r) Quod non es, simula; positosque imitare furores:
(s) Sic facies vere quod meditatus eris.
Sæpe ego ne biberem, volui dormire videri.
Dum videor, somno lumina victa dedi.
(t) Deceptum risi, qui se simulabat amare;
In laqueos auceps decideratque suos.
Intrat amor mentes usu: dediscitur usu.
Qui poterit sanum fingere, sanus erit.
Dixerit, ut venias pacta tibi nocte; venito.
Veneris, & fuerit janua clausa; feras.
(u) Nec dic blanditias, nec fac convitia posti,
Nec latus in duro limine pone tuum.
Postera lux aderit; careant tua verba querelis.
Et nulla in vultu signa dolentis habe.
Jam ponet fastus, cum te languere videbit;
Hoc etiam nostra munus ab arte feres.
(x) Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi.
Propositis frænis sæpe repugnat equus.

INTERPRETATIO.

quanquam miser flagrabis in media Ætna: fac tuæ amicæ *appareas frigidior glacie. Et finge sanum* esse; *ne, si forte crucieris re aliqua, cognoscat: & ride cum tibi eris plorandus. Ego non tibi impero frangere medias curas: leges imperii mei non sunt tam duræ. Finge quod non es: & simula furores sedatos: sic vere præstabis quod cogitaveris. Ego sæpe volui videri stertere, ne potarem: dum videor, tradidi oculos superatos somno. Irrisi delusum, qui fingebat se amare; & auceps ceciderat in retia sua. Amor subit animos usu; expellitur usu. Qui poterit imitari sanum, erit sanus. Monuerit ut accedas nocte tibi promissa, accede. Adveneris & fores fuerint obditæ; tolera. Nec adulare posti, nec probra objice: nec sterne latus tuum in limine duro. Postera dies illucescet: voces tuæ sint sine querimoniis: & nulla habe indicia mœrentis in facie. Jam relinquet superbiam, cum sentiet te tepere: capies etiam hunc fructum a nostra arte. Tamen decipe te quoque, nec finem impone amori. Equus sæpe resistit frænis oblatis.*

NOTÆ.

(p) *Ætna*) Id est Amore violentissimo; Ætna enim Siciliæ mons est flammis notissimus.

(q) *Medias curas*) Amorem, cum violentissimus furit.

(r) *Quod non es*) Liber, aut amore vacuus, *scilicet*.

(s) *Sic facies*) Verissime dicit: fingendoque paulatim usus & consuetudo aliam facit naturam.

(t) *Deceptum*) Pergit ostendere Poeta, simulando rem ipsam induci.

(u) *Nec dic*) Qui mos est amantium.

(x) *Te quoque*) Ne si statim & vi aperta amor convelleretur, maxime repugnaret.

Utilitas lateat; (y) quod non profitebere fiet.
Quæ nimis apparent retia vitat avis.
Ne fibi tam placeat, quo te contemnere poffit:
Sume animos: animis cedat ut illa tuis.
Janua forte patet; quamvis revocabere, tranfi.
Eft data nox; dubita nocte venire data.
Poffe pati facile eft; tibi ni fapientia defit.
(z) Promptius e (a) facili gaudia ferre licet.
Et quifquam præcepta poteft mea dura vocare?
En etiam partes (b) conciliantis ago.
Nam, quoniam variant animi, variamus & artes.
Mille mali fpecies, mille falutis erunt.
Corpora vix ferro quædam fanantur acuto:
Auxilium multis fuccus & herba fuit.
Mollior es, nec (c) abire potes, vinctufque teneris,
Et tua fævus Amor fub pede colla premit;
Define luctari; (d) referant tua carbafa venti:
(e) Quoque vocant fluctus, hac tibi remus eat.
Explenda eft fitis ifta tibi, qua perditus ardes.
Cedimus: e medio jam licet amne bibas.
(f) Sed bibe plus etiam, quam quod præcordia pofcunt:
Gutture fac pleno fumta redundet aqua.
Perfruere ufque tua nullo prohibente puella.
Illa tibi noctes auferat, illa dies.

INTERPRETATIO.

Fructus diffimuletur: eveniet quod non palam profequeris. Avis effugit laqueos qui nimis exftant. Ne tam fibi plaudat, ut poffit te fpernere; animum obfirma: ut illa cedat animo tuo. Forte janua aperta eft; tranfi, quamvis revocaberis. Nox eft conceffa; cunctator adeffe nocte pacta. Pronum eft poffe ferre; nifi fapientia te deftituerit. Licet confequi citius gaudia a iubente. Et quifquam poteft dicere mea precepta crudelia. Ecce tueor etiam partes conciliatoris. Nam quoniam diverfæ funt mentes, tradimus etiam artes diverfas. Mille fpecies mali, mille erunt folatii. Quædam corpora ægra curantur ferro acuto; fuccus & herba opem tulit multis. Lafcivior es, nec potes difcedere; & teneris conftrictus; & amor crudelis pede urget cervices tuas; noli repugnare: venti reducant tua vela: & remus tibi agitetur quo unda trahunt. Ifta fitis qua mifer æftuas eft tibi fatianda. Sinimus: jam licet bibas e medio fluvio. Sed bibe plus etiam quam quod vifcera expetunt: fac aqua haufta redundet pleno gutture: Potiaris ufque tua amica nullo impediente. Illa abfumat tibi noctes, & dies.

NOTÆ.

(y) *Quod non profitebere*) Amorem *fcilicet* convellere.

(z) *Promtius e facili*) Ut etiam Amori confulat qui patiens fit.

(a) *Facili*) Puella *fcilicet*.

(b) *Conciliantis*) Hoc dicit ex precedenti Pentametro.

(c) *Abire*) *Ab Amica difcedere*.

(d) *Referant*) Metaphora a navigatione, qua præcedenti viam contrariam dicit infiftendam effe.

(e) *Quoque vocant*) Ad amicam quo fert animi impetus eundum effe monet.

(f) *Sed bibe*) Amatorem docet hac metaphora, fefe amore fuo exfaturare. Quod male, fruftra, & incaute Poeta admonuit.

Ta-

Tædia quære malis; faciunt & tædia finem.
Jam quoque cum credas posse carere; mane.
Dum bene te cumules & copia tollat amorem
E fastidita non juvet esse domo.
Fit quoque longus amor, quem difidentia nutrit.
Hanc tu si quæras ponere, pone metum.
Qui timet, ut sua sit, neu quis sibi detrahat illam,
Ille (g) Machaonia vix ope sanus erit.
Plus amat e natis mater plerumque duobus,
Pro cujus reditu, quod gerit arma, timet.
Est prope (h) Collinam templum venerabile portam;
(i) Imposuit templo nomina celsus Eryx.
Est illic (k) Lethæus Amor, qui pectora sanat;
Inque suas gelidam (l) Lampadas addit aquam.
Illic & juvenes votis (m) oblivia poscunt:
Et si qua est duro capta puella viro.
Is mihi sic dixit: (dubito verusne Cupido
An somnus fuerit; sed puto somnus erat)
(n) O qui sollicitos modo das, modo demis, amores;
Adjice præceptis hoc quoque, Naso, tuis.
Ad mala quisque animum referat sua ponet amorem.
Omnibus illa Deus plusve minusve dedit.

INTERPRETATIO.

Captato tædia, tædia imponunt etiam finem malis. Hare jam quoque, cum arbitreris carere. Usquedum te bene expleas, & facietas auferat amorem, noli exire domo spreta. Amor quoque quem timor alit fit longus. Tu si cupias hunc dimittere; tolle metum. Qui metuit, ut sua sit, neu aliquis sibi illam præripiat; ille vix convalescet auxilio Machoenio. Mater plus diligit plerumque e filiis duobus illum, pro cujus reditu sollicita est, quod militiam sequitur. Est templum venerandum prope portam Collinam: Eryx sublimi dedit nomina templo. Est illic Lethæus amor qui mentes sanitati restituit: & instillat aquam gelidam in suas lucernas. Illic etiam juvenes petunt oblivisci amoris: & puella, si qua est capta viro crudeli. Is mihi sic dixit: (haud scio an verus Cupido, an somnus fuerit; sed arbitror somnus erat.) O Naso qui modo consilias modo fugas amores anxios: adde quoque hoc tuis monitis. Unusquisque appellat animum ad mala sua, omittet amorem: Deus præbuit illa omnibus plus vel minus.

NOTÆ.

(g) *Machoenia*) *Id est ulla*, nam fuit Machaon in obsidione Trojæ medicus apud Græcos insignis Hesculapii filius.

(h) *Collinam*) Romæ porta fuit, qua in collem Quirinalem dabatur exitus, cui propinquum fuit templum Veneris Erycinæ.

(i) *Imposuit*) Quia ab Eryce colle Siciliæ, dictum, in quo templum fuit Veneri maxima veneratione celebratum.

(k) *Lethæus*) Oblivionem inducens Amoris: a Lethe inferorum fluvio, cujus aquam si quis gustasset, præteritorum omnium obliviscebatur.

(l) *Lampadas*) *Faces* quibus amantium solet corda accendere.

(m) *Oblivia*) Amoris *scilicet*.

(n) *O qui*) Verba sunt Cupidinis ad Poetam.

Qui (*o*) Puteal (*p*) Janumque (*q*) timet, (*r*) celeresque Kalendas;
(*ſ*) Torqueat hunc æris mutua ſumma ſui.
Cui pater eſt durus, votis ut cætera cedant,
Huic pater ante oculos durus habendus erit.
Hic male dotata pauper cum conjuge vivit.
Uxorem fato credat obeſſe ſuo.
Eſt tibi rure bono generoſæ fertilis uvæ
Vinea: ne naſcens uva ſit (*t*) uſta time.
Ille habet in reditu navim: mare ſemper iniquum
Cogitet, & damno littora fœda ſuo.
Filius hunc miles, te filia nubilis angant,
Et quis non cauſas mille doloris habet?
Ut poſſes odiſſe (*u*) tuam, Pari, tot (*) funera fratrum
Debueras oculis ſubſtituiſſe tuis.
Plura (*x*) loquebatur; placidum (*y*) puerilis imago
Deſtituit ſomnum: ſi modo ſomnus erat.
Quid faciam? media navim (*z*) Palinurus in unda
Deſerit. Ignotas cogor (*a*) inire vias.

INTERPRETATIO.

Qui metuit Puteal, & Janum, & Calendas properans ſors cogenti mutuo accepti cruciet illum. Cui pater eſt ſeverus, quamvis cætera ſequantur vota huic pater ſeverus habendus erit ante oculos. Hic pauper vitam agit cum uxore male dotata: arbitretur uxorem officere fato ſuo. Eſt tibi vinea foecunda uvæ generoſa rure pingui; metue ne racemus erumpens ſit uſtus. Ille habet navem in recurſu; habeat ſemper in animo mare infidum, & littora triſtia ſuo detrimento. Filius miles torqueat hunc, te filia nubilis. Ut poſſis contemnere tuam, Paris debueras objeciſſe oculis tuis mortem fratrum. Plura proferebat; imago puerilis deſerit ſomnum dulcem, ſi modo erat ſomnus. Quid agam? Palinurus deſtituit navem in mediis aquis: cogor ingredi iter incognitum.

NOTÆ.

(o) *Puteal*) Locus erat ubi Prætor jus dicebat, a vicina foſſa ſeu puteo ſic dictus. Libonis autem fuit cognominatus, quod ab eo primum ſubſellia illic & Prætoris tribunal collocatum eſt.

(p) *Janum*) Fuit Janus fronte duplici deus, cujus templum pace claudebatur, bello aperiebatur; a quo quidam Romæ in foro dictus locus, ubi ejus ſtatuæ; quos inter mercatores & fœneratores conveniebant.

(q) *Timet*) Vel quia fœneratori pecunia reſtituenda; vel coram Prætore ea aut alia cauſa ſiſtendum.

(r) *Celeres*) Kalendis pecuniam ponebant, fœnuſque accipiebant fœneratores: ergo debitoribus celeres Kalendæ, quæ maturius quam opus recurrerent.

(ſ) *Torqueat*) Ne ſit de amore cogitandi ſpatium.

(t) *Uſta*) Frigoribus *ſcilicet*.

(u) *Tuam*) Helenam, nempe, quæ tot malorum cauſa fuit.

(*) *Funera fratrum*) Qui bello Trojano, ejus cauſa mactati ſunt.

(x) *Loquebatur*) Cupido *ſcilicet*.

(y) *Puerilis*) Cupidinis, qui Poetam per ſomnos alloquutus eſt.

(z) *Palinurus*) Fuit hic optimus navis Æneæ gubernator, cui Amorem perfectum amandi magiſtrum quem in ſomnis Poeta viderat non ſine lepore ad alia pergens comparat.

(a) *Inire*) Id eſt, Amoris remedia nondum ſatis peritus ſcribere.

Quis-

Quisquis amas, loca sola nocent: loca sola caveto.
Quo fugis? (b) in populo tutior esse potes.
Non tibi secretis (augent secreta furores)
Est opus: auxilio turba futura tibi est.
Tristis eris, si solus eris: dominæque relictæ
Ante oculos facies stabit, ut ipsa, tuos.
Tristior idcirco nox est, quam tempora Phœbi:
Quæ relevet luctus turba sodalis abest.
Nec fuge colloquium: nec sit tibi janua clausa:
Nec tenebris vultus flebilis abde tuos.
Semper habe (c) Pyladen, qui consoletur Orestem.
Hic quoque amicitiæ non levis usus erit.
Quid nisi secretæ læserunt (d) Phyllida silvæ?
Certa necis causa est: incomitata fuit.
Ibat ut (e) Edono referens (f) trieterica Baccho
Ire solet fusis barbara (g) turba comis.
Et modo, qua poterat, longum spectabat in æquor:
Nunc in arenosa lassa jacebat humo.
Perfide Demophoon, surdas clamabat ad undas:
Ruptaque singulta verba dolentis erant.
Limes erat tenuis longa subnubilus umbra:
Quo tulit illa suos ad mare sæpe pedes.

INTERPRETATIO.

Quisquis amas, loca deserta officiunt: fuge loca deserta: quo te agis? Potes esse securior in populo. Non tibi est opus locis *remotis: (loca sola augent furores.) coetus erunt tibi adjumento. Moestus eris si solus eris: & vultus dominæ deserta exhibebuntur oculis tuis, tanquam ipsa adesset. Idcirco nox est tristior quam tempora Phœbi: cœtus sociorum desiderato, qui minuant moestitiam. Nec vita sermones: nec janua sit tibi operta: nec tristis obvolve faciem tuam tenebris. Semper adsit tibi Pylades, qui consoletur Orestem. Hæc quoque utilitas amicitiæ non erit parva. Quid nisi silvæ remotæ perdiderunt* Phyllida*? Causa certa mortis est: incomitata fuit. Incedebat ut turba barbara celebrans trieterica Bacchi Edoni solet incedere sparsis comis. Et modo prospiciebat quantum poterat in mare vastum: nunc jacebat defessa in solo arenoso. Infide Demophoon vociferabatur ad undas surdas: & verba moerentis erant interrupta singultu. Callis erat subobscurus prolixa umbra; quo illa sæpe contulit suos gradus ad mare.*

NOTÆ.

(b) *In populo*) Verissime: atque hoc unum est ex præceptis optimum; præsertim vero si populum memineris deligere: quanquam ipsa per se turba remedio est.

(c) *Pyladem*) Fuit hic Strophii filius, indissolubili cum Oreste Agamemnonis filio, amicitia conjunctus, quem ob matris cædem furiis actum ad omnia pericula sequutus est.

(d) *Phyllida*) Quæ Demophoontis absentiam ferre non valens, sese laqueo ex vi vis sustulit.

(e) *Edono*) Ab Edone, Thraciæ monte; ubi multus Bacchi cultus, hic vini Deus dictus est.

(f) *Trieterica*) Festa sunt Bacchi solemniora, quæ tertio quoque anno, in memoriam expeditionis Indicæ, ex qua post tertium annum rediit, celebrabantur.

(g) *Turba*) De Bacchantibus fœminis, sacra Bacchi celebrantibus, loquitur.

Nona terebatur miseræ via. *(h)* Viderit, inquit:
Et spectat *(i)* zonam pallida facta suam.
Aspicit & *(k)* ramos: dubitat, refugitque quod audet,
Et timet: & digitos ad sua colla refert.
(l) Sithoni, tunc certe vellem non sola fuisses;
(m) Non fleres *(n)* positis Phyllida, silva, comis.
Phyllidis exemplo nimium secreta timete,
Læse vir a domina, læsa puella viro.
Præstiterat *(o)* juvenis, quid quid mea musa jubebat;
Inque suæ portu pæne salutis erat.
Recidit, ut cupidos inter devenit amantes:
Et, quæ condiderat, tela resumsit Amor;
Si quis amas, nec vis; facito contagia vites:
Hæc etiam pecori sæpe nocere solent.
Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi:
Multaque corporibus *(p)* transitione nocent.
In loca nonnunquam siccis arentia glebis
De prope currenti flumine manat aqua.
(q) Manat amor tectus, si non ab amante recedas;
Turbaque *(r)* in hoc omnes ingeniosa sumus.

INTERPRETATIO.

Misera conficiebat nonum iter. Consuluerit, inquit: & pallida facta intuetur cingulum suum. Spectat etiam ramos, hæsitat & respuit quod audet: & metuit: & refert digitos ad sua colla. Sithoni, vellem certe tunc non sola fuisses: silva non plorares Phyllida, comis amissis. Vir offense a domina, puella offensa a domino, metuite nimium deserta exemplo Phyllidis. Juvenis perfeceras quod mea musa imperabat; & erat propemodum in portu salutis suæ. Recidit, ut decidit inter amantes cupiditate flagrantes, & amor resumsit tela quæ abdiderat. Si quis amat, nec vis; fac vites contagia. Hæc etiam sæpe solent damno esse pecori. Dum oculi intuentur offensos, ipsi etiam offenduntur: & multa officiunt corporibus transmigrando. Aqua deffluit nonnumquam in loca sordida glebis siccis de rivo juxta fluente. Amor latens erumpit, si non te sejungas ab amante: & sumus omnes turba solers in hoc.

NOTÆ.

(h) *Viderit*) Non sine elegantia sæpius hac voce utitur in majori affectuum commotione, aut desperatione, Poeta. Gall. diceremus, *Qu'il en arrive ce qui pourra*: vel *y donne ordre qui voudra*.

(i) *Zonam*) Qua mortem arcessere cupiebat.

(k) *Ramos*) Quibus sese suspendere meditabatur.

(l) *Sithoni*) Thracia fuit Phyllis, quæ ideo Sithonis dicitur, nam Thracia aut certe ejus pars, dicta *Sithonia*.

(m) *Non fleres*) Adeoque nec ipsa Phyllis quæ in amygdalum sine foliis mutata laqueo vitam finisset.

(n) *Positis*) Fingit Poeta Phyllidis causa & ejus mortis dolore sylvam frondes aut folia amittere. Quæ res ex fabula modo allata petita est: cum φυλλα id est folia adveniente Demophoonte amygdalus emiserit, in quem Phyllis mutata.

(o) *Juvenis*) Cujusdam juvenis exemplo, qui prope liber amantium consortio recidit, eos fugiendos esse docet Poeta.

(p) *Transitione*) Idest, dum ab uno ad alium feruntur.

(q) *Manat*) Furtim pectori illabitur aut ex eo erumpit.

(r) *In hoc*) Ut monet, amor viresque resumet, nisi amantum consortia vitaverimus,

Al-

Alter item jam fanus erat; vicinia læsit.
Occurfum dominæ non tulit ille fuæ.
Vulnus in antiquum rediit male firma cicatrix;
Succeffumque artes non habuere meæ.
Proximus a tectis ignis defenditus ægre:
Utile finitimis abftinuiffe locis.
Nec, quæ ferre folet fpatiantem porticus illam,
Te ferat: (f) officium neve colatur idem.
Quid juvat (t) admonitu tepidam recalefcere mentem?
Alter, fi poffis, orbis habendus erit.
Non facile efuriens pofita retibere menfa,
Et multum faliens incitat unda fitim.
Non facile eft vifa taurum retinere juvenca:
Fortis equus vifæ femper adhinnit equæ.
Hæc ubi præftiteris, ut tandem (u) littora tangas,
Non fatis eft ipfam deferuiffe tibi.
Et foror, & mater (x) valeant, & confcia nutrix,
Et quicquid dominæ (y) pars erit ulla tuæ.
Nec veniat fervus: nec flens ancillula fictum,
Suppliciter dominæ nomine dicat, Ave.
Nec, fi fcire voles, quid agat tamen illa, rogabis.
Profer: erit lucro lingua retenta fuo.
Tu quoque, qui caufam finiti reddis amoris,
Deque tua domina multa querenda refers;

INTERPRETATIO.

Alter item jam convaluerat; vicinitas offendit. Ille non fuftinuit occurfum Dominæ fuæ. Cicatrix male indurata recidit in veterem plagam: & meæ artes caruerunt felici exitu. Ignis proximus a tectis vix arcetur: utile effugiffe loca vicina. Nec porticus quæ folet habere illam deambulantem, te habeat: neve idem obfequium præftetur. Quid prodeft animum tepidum inflamari denuo admonitu? Alter orbis erit colendus, fi queas. Efuriens non coercebêris facile, admota menfa: & aqua multa exiliens provocat fitim. Non facile eft cobibere taurum, vifa juvenca: equus generofus femper adhinnit equæ afpectæ. Ubi hæc fervaveris, ut tandem additus appellas, non fatis eft tibi ipfam dereliquiffe. Et foror, & mater, & nutrix confcia difcedant; & quidquid erit pars aliqua dominæ. Nec accedat fervus; nec mœrens ancillula dicat fuppliciter verbis dominæ fimulatum, Ave. Nec fi cupias noffe, quid tamen illa faciat petet. Procraftina. lingua repreffa erit emolumento fuo. Tu etiam qui refers caufam extincti amoris & narras multa conquerenda de tua domina.

NOTÆ.

(f) *Officium*) Erga puellam *fcil.*

(t) *Admonitu*) Id eft, oculis mentique ea objecta repræfentando, quibus permoveantur.

(u) *Littora*) Quidem ab amore.

(x) *Valeant*) Ab omnibus difcedendum cenfet, quibus in memoriam revocari poffit amica.

(y) *Pars*) Id eft, Amicam, aut aliquid fimile, quo amicæ refricatur memoria.

Par-

(z) Parce queri; melius sic ulciscere tacendo;
 Dum desideriis effluat illa tuis.
Et malim taceas, quam te desisse loquaris,
 Qui nimium multis, Non amo, dicit, amat.
Sed meliore fide paulatim extinguitur ignis,
 Quam subito; lente desine; tutus eris.
Flumine perpetuo torrens solet acrius ire;
 Sed tamen hæc brevis est, illa perennis aqua.
(a) Fallat, & in tenues evanidus exeat auras;
 Perque gradus molles emoriatur amor.
Sed modo dilectam scelus est odisse puellam:
 Exitus ingeniis convenit iste feris:
Non curare sat est; odio qui finit amorem,
 Aut amat, aut ægre desinet esse miser.
Turpe, vir & mulier, juncti modo, protinus hostes:
 Non illas lites (b) Appias ipsa probat.
Sæpe (c) reas faciunt, & amant; ubi nulla si multas
 Incidit, (d) admonitu liber aberrat amor.
Forte (e) aderam juveni: dominam lectica tenebat.
 Horrebant sævis omnia verba minis.
Jamque (f) vadaturus, Lectica prodeat, inquit.
 Prodierat; visa conjuge mutus erat.

INTERPRETATIO.

desine conqueri: melius sic vindicabis omittendo, donec illa ellabatur votis suis. Et malim sileas, quam dicas te cessasse. Qui profitetur apud plures, se non amare; amat. Sed ignis certius opprimitur sensim, quam repente: Paulatim cessa, securus eris. Torrens solet currere vehementius fluvio jugi: sed tamen hæc aqua est momentanea, illa assidua. Amor decipiat, & evanescat in aerem subtilem, & pereat per gradus insensibiles. Sed flagitium est odio habere puellam modo amatam: hic finis ad animos spectat feroces. Abunde est negligere; qui finem imponit amori odio, aut amat, aut vix cessabit esse infelix. Fœdum, vir & fœmina, modo conjuncti, illico hostes: Appias ipsa non laudat illa dissidia. Sæpe incusant, & amant: ubi nulla discordia evenit; amor solutus admonitionibus deficit. Forte adstabam juveni: lectica habebat dominam: omnia verba horrida erant denuntiationibus terribilibus. Et jam vadaturus, exeat, inquit lectica. Exiverat: uxore aspecta mutus erat.

NOTÆ.

(z) *Parce queri*) Optime præcipit, ne fortem querendo & sibi morem gerendo satietur animus minuatur injuria, excusetur; ne genio placens interim recurrat amica, &c. Non moveri optimum est; non queri; nec satis sanus est qui queritur; statimque maximes vires sumserit illud quod non, nisi quia placet, queritur.

(a) *Fallat*) *Ita evanescat, ut non sentiatur.*

(b) *Appias*) Venus est genitrix, cujus templum in foro fuit C. Cæsaris, ab aqua Appia, quæ illic erat, cognominata.

(c) *Reas faciunt*) Quosdam dicit de puellis conqueri, quas maxime amant: ut minus finem Amoris lites indicent.

(d) *Admonitu liber*) Sponte Amorem quem nemo abire cogat, dicit discendere.

(e) *Aderam*) *Advocatus operam meam* præstabam: vel simpliciter, Adstabam.

(f) *Vadatur*) Vadari ille dicitur qui adversarium in jus venire cogit vel sponsorem exhibere, cujus fide certum sit ut se constituto die sistat.

Et

Et manus, & manibus duplices cecidere *(g)* tabellæ:
Venit in amplexus: atque ita, Vincis, ait.
(Tutius est, aptumque magis, discedere pace,
Quam petere a talamis litigiosa fora:)
Munera quæ dederis, habeat sine lite jubeto:
Esse solent magno damna *(h)* minora bono.
Quod si vos aliquis conducet casus in unum,
Mente memor tota, quæ damus arma, tene.
Nunc opus est armis: hic, & fortissime, pugna.
Vincenda est telo *(i)* Penthesilea tuo.
Nunc tibi rivalis, nunc durum limen amanti,
Nunc *(k)* mediis subeant irrita verba Deis.
Nec compone comas, quia sic venturus ad illam:
Nec toga sit *(l)* laxo conspicienda sinu.
Nulla sit ut placeas alienæ cura puellæ:
Jam facito *(m)* e multis una sic illa tibi.
Sed quid præcipue nostris conatibus obstet
Eloquar; exemplo quemque docente suo.
Desinimus tarde, quia nos speramus amari.
Dum sibi quisque *(n)* placet, crudela turba sumus.
At tu nec voces (quid enim fallacius illis?)
Crede, *(o)* nec æternos pondus habere Deos.
Neve puellarum lacrymis moveare caveto;
Ut flerent, oculos erudiere suos.

INTERPRETATIO.

Et manus & duplices codicilli disfluxerunt manibus: se dedit in complexus: atque ita loquitur, Superas. Securius est & magis idoneum disjungi pace, quam ire a cubiculis ad fora litigiosa. Imperato possideat sine litigio dona quæ obtuleris: detrimenta minora solent esse magno lucro. Quod si fors aliqua vos coget in unum, retine memor animo toto arma quæ tradimus: nunc opus est armis: hic certa, o generosissime. Penthesilea superanda est ferro tuo. Nunc æmulus, nunc durum limen tibi amanti, nunc verba vana, Diis testibus in animum revocentur. Nec exorna capillos, quia sis iturus ad illam: nec toga sit spectanda sinu laxo. Nullo modo labores, ut gratus sis alienæ puellæ: fac ut illa sit jam tibi una e pluribus. Sed dicam quid præsertim moretur nostros nisus, exemplo suo admonente unumquemque. Sero desistimus quia speramus nos amari. Sumus turba credula, dum quisque sibi plaudit. At tu nec fidem adhibe verbis, (quid enim fraudulentius illis?) nec Deos æternos alicujus esse momenti. Et vide ne tangaris fletibus puellarum: docuerunt oculos suo lacrymare.

NOTÆ.

(g) *Tabella*) Codicillos dicit, quibus jura continebantur.

(h) *Minora bono*) Quia eo pretio libertas emitur.

(i) *Penthesilea*) Puellam quam quis amaverit, fortissimæ comparat Amazonum reginæ, adversus quam pugnandum sit.

(k) *Mediis*) Qui a Puella, falso jurante advocator.

(l) *Laxo*) Honoris causa demissa.

(m) *E multis*) Quæ minus adeo ametur.

(n) *Placet*) Ut sese denique amari posse credat.

(o) *Nec aternos pondus*) Quia perjuria dii rident amantum, nec quid jurent, cogitant puellæ.

Ar-

Artibus innumeris mens oppugnatur amantum;
Ut lapis æquoreis undique pulsus aquis.
(p) Nec causas aperi, quare divortia malis:
Nec dic, quid doleas, clam tamen usque dole.
Nec peccata (q) refer, ne diluat: ipse (r) favebis;
Ut melior causa, causa sit (ſ) illa tua.
Qui silet est firmus: qui dicit multa puellæ
Probra, satisfieri (t) postulat ille sibi.
Non ego (u) Dulichio (x) furiales more sagittas,
Nec (y) rapidas ausim (z) tingere in amne faces.
Nec nos purpureas (a) pueri resecabimus alas:
Nec sacer arte mea (b) laxior arcus erit.
(c) Consilium est, quodcunque cano. parete canenti.
Utque facis, cœptis, Phœbe saluber, ades.
Phœbus adest: sonuere (d) lyræ; sonuere pharetræ.
Signa Deum nosco per sua: Phœbus adest.

INTERPRETATIO.

Mens amantum appetitur dolis innumeris, ut saxum jactatum undique aquis marinis. Nec causas dicito, propter quas malis dissidias, nec loquitor quid ægre feras, clam tamen ægre feras sine fine. Nec commemora delicta, ne expurget: ipse indulgebis: ut illa causa sit potior causa tua. Qui tacet est fortis: qui ingerit multas contumelias puellæ, ille petit sibi satisfieri. Ego non audeam mergere in fluvio sagittas furibundas, nec faces ardentes more Dulichio. Nec non præscindemus alas purpureas pueri: nec sacer arcus erit remissior arte mea. Quodcumque cano est consilium, & auscultate canenti: & Phœbe salutaris, annue inceptis, ut facis. Phœbus favet: lyræ strepuerunt: Pharetræ strepuerunt. Cognosco Deum per sua indicia: Phœbus favet.

NOTÆ.

(p) *Nec causas aperi*) Ne forte leviusculæ tandem videantur, nec satis dignæ, quibus convellatur Amor. Præceptum multis de causis optimum.

(q) *Refer*) Apud Amicam, *scilicet*.

(r) *Favebis*) Puellæ peccata diluenti, ut si maxima sint, nulla videantur.

(ſ) *Illa*) Causa amicæ.

(t) *Postulat*) Quanti usus esse potest in vita hæc, si quis bene meditatus fuerit, veritas! Non alia re magis feroculi sunt quidam, quam quod in cordatos viros incidunt, qui bonitate sua postulare videntur, quid ipsi ultro, retinentibus malis, bene facere studens. Ergo cautum maxime opus esse hac in parte virum bonum, quilibet qui hæc legerit, vir bonus cogitet; ne non modo improbos juvare nequeat, sed insuper eorum in nequitiam intempestiva sua bonitate derivet. Latrantibus canibus ne allatret, lupos contemnat; ne sibi in sua rabie, quæ aliquid posse videatur, placeant. Quiescat denique.

(u) *Dulichio*) Ulyssis, Dulichii insulæ regis, qui amores suos cum Circe & Calypso, præceps nimis, non dissolvit, discerpsit.

(x) *Furiales*) Cupidinis, quibus incensa Circe, Calypso.

(y) *Rapidas*) Ab effectu, quia amantes, præsertim vero puellas, in rabiem vertit.

(z) *Fingere in omne*) Id est, violentissimo & truculento more Amorem extinguere.

(a) *Pueri*) Amoris, *scil.*

(b) *Laxior*) Pro minus potente, quia laxi nulla vis.

(c) *Consilium*) Vide clarissimi Heinsii notam.

(d) *Lyra*) Apollinis Musicæ inventoris gestamen.

(e) Con-

(*e*) Confer (*f*) Amyclæis medicatum vellus ahenis
Murice cum Tyrio: turpius illud erit.
Vos quoque formosis vestras conferte puellas:
Incipiet dominæ quemque pudere suæ.
(*g*) Utraque formosæ Paridi potuere videri;
Sed sibi collatam vicit utramque Venus.
Nec solam faciem; mores quoque confer & artem:
Tantum judicio ne tuus obstet amor.
Exiguum est, quod deinde canam: sed profuit illud
Exiguum multis: in quibus ipse fui.
Scripta cave relegas blandæ servata puellæ:
Constantes animos scripta relecta movent.
Omnia pone feros (quamvis invitus) in ignes:
Et dic, Ardoris sit (*h*) rogus iste mei.
(*i*) Thestias absentem succendit stipite natum.
Tu timide flammæ perfida verba dabis?
Si potes, & (*k*) ceras remove: quid imagine muta
Carperis? (*l*) hoc periit (*m*) Laodamia modo.
Et loca multa nocent; fugito loca conscia vestri
Concubitus; causas mille doloris habent.

INTERPRETATIO.

Compara lanam infectam ahenis Amyclais cum purpura Tyria: illa erit languidiore colore. Vos etiam comparate vestras puellas cum pulchris: unusquisque occipiet erubescere puellam suam. Utraque potuerunt videri pulchra Paridi; sed Venus superavit utramque secum comparatam. Nec compara solum vultum, compara *etiam mores & solertiam: tantum ne amor tuus officiat judicio. Quod postea cantabo est parvum, sed illud parvum juvit multos: inter quos ipse fui. Vide ne relegas literas asservatas suavis puella: littera relecta percellunt mentes firmas. Immitte omnia (quanquam ægre) in sævos ignes: & dic, hic sit rogus amoris mei. Thestias inflammavit filium absentem stipite. Tu injicies cunctanter verba infida in ignem? Si potes projice etiam ceras: quamobrem moveris effigie muta? Laodamia periit hoc modo. Multa etiam loca officiunt: vitato loca conscia vestri concubitus; habent mille causas doloris.*

NOTÆ.

(e) *Confer*) Comparatione cum aliis puellis, suam cuique minus pulchram videndam, adeoque minuendum amorem, docere instituit Poeta.

(f) *Amyclais*) Fuerunt Amyclæ Peloponnesi civitas juxta Eurotan, ubi purpureo colore vellera imbuebantur, quæ, quamvis pulchra, nihilominus cum Tyriis collata de suo pretio perdere multum videbantur.

(g) *Utraque*) Juno, *scil.* & Pallas, de quarum pulchritudine simul & Veneris sententiam suam dicere jussus est Paris.

(h) *Rogus*) In quem projectus meus ignis aut Amor pereat.

(i) *Thestias*) Althe Thestii filia, quæ filium suum Meleagrum, in focum projecto stipite, quo illius fata continebantur perdidit. Quam fabulam prolixe ab Ovidio Metam. 8. a ℣. 450. enarratam huc piget transcribere.

(k) *Ceras*) Imagines cereas, amicæ vultus referentes.

(l) *Hoc modo*) Per asservatam Protesilai in cera imaginem. Ambigue loquutus est Poeta, quod fugiendum.

(m) *Laodamia*) De qua in Epistolis, quæ sic in sua loquitur.

Dum tamen arma geris, diverso miles in orbe,
Quæ referat vultus, est mihi cera, tuos.

Hic

Hic fuit; hic cubuit: thalamo dormivimus isto:
Hic mihi lasciva gaudia nocte dedit.
Admonitu refricatur amor; vulnusque novatum
(n) Scinditur. (o) infirmis causa pusilla nocet.
Ut pæne extinctum cinerem si sulfure tangas;
Vivet, & e minimo maximus ignis erit.
Sic, nisi vitaris quidquid renovabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modo nulla fuit.
(p) Argolides cuperent fugisse Capharea puppes;
Teque, (q) senex, luctus ignibus ulte tuos.
Præterita cautus (r) Niseide navita gaudet:
Tu loca, quæ nimium grata fuere, cave.
Hæc tibi sint (s) Syrtes; hæc (t) Acroceraunia vita.
Hic vomit epotas dira (u) Charybdis aquas.
(x) Sunt, quæ non possunt aliquo cogente juberi;
Sæpe tamen casu facta juvare solent.

INTERPRETATIO.

Hic fuit; hic jacuit: dormivimus isto cubiculo; præbuit mihi hic voluptatem nocte lasciva. Amor renovatur admonitione: & plaga renovata aperitur; parva causa officit debilibus. Quemadmodum si moveas cinerem prope extinctum sulphure accendetur; & ignis maximus erit e minimo: sic nisi effugeris quidquid reintegrabit amorem, flamma resuscitabitur, quæ modo nulla fuit. Naves Argolicæ optarent vitasse Capharea, & te senex ulte tuos mœrores: Nauta prudens lætatur Niseide vitata. Tu fuge loca quæ fuerunt nimium suavia. Hæc sint tibi Syrtes: effuge hæc Acroceraunia: hic crudelis Charybdis reddit aquas absorptas. Sunt, quæ non possint imperari ab ullo vim faciente; sæpe tamen forte præstita solent prodesse.

NOTÆ.

(n) *Scinditur*) *Aperitur*. Methaphora est a vulneribus, quæ nonnunquam recrudescunt.

(o) *Infirmis*) Quanta cura istud meditati oportet pusillum.

(p) *Argolide*) Docet a simili, loca fugienda esse, quæ periculosa sunt. Cujus loci vero hæc est fabula. Nauplius Palamedis pater Rex Eubœæ, cui Ulyssis opera præsertim, & Græcorum iniquo judicio filium circumventum & occisum intellexisset, ut eam necem ulcisceretur, Græcis Trojæ redeuntibus & tempestate laborantibus, ex Caphareo Eubœæ promontorio, accensa face, signum dedit: quasi illic portus fuisset, quo cum illi navigassent, inter asperrimos scopulos naufragio afflicti sunt.

(q) *Senex*) Nauplius est, qui falso portus indicio, Græcis naufragii causa fuit.

(r) *Niseide*) Scyllam dicit, quæ est scopulus in freto Siculo. Quanqam Phorci fuit filia Sylla quæ in hunc scopulum mutata est, sed hic Poeta, quod & fecit Maro, Scyllam Nisi filiam, cum illa altera confundit.

(s) *Syrtes*) Duæ sunt ad littus Africanum, quæ loca sunt vadosa, quo arenæ cumulos aqua ventis turbata cogit; qui brevia navigantibus maxime periculosa efficiunt.

(t) *Acroceraunia*) Epiri montes sunt & scopuli.

(u) *Charybdis*) Gurges est in freto Siculo insanis undarum vorticibus æstuans, proxima quæque absorbens, iterumque removens.

(x) *Sunt*) Multæ res, *scilicet*:

Per-

Perdat opes (y) Phædra; parces, Neptune, (z) nepoti:
    Nec faciet pavidos (a) taurus (b) sapienter amasse.
(c) Gnossida fecisses inopem; (d) avitus equos.
    Divitiis alitur luxuriosus amor.
Cur nemo est, (e) Hecalen; nulla est, quæ ceperit (f) Iron?
    Nempe quod alter egens, altera pauper erat.
Non habet, unde suum paupertas pascat amorem:
    Non tamen hoc tanti est, pauper ut esse velis.
At tibi sit tanti non indulgere (g) theatris;
    Dum bene de vacuo pectore cedat amor.
Enervant animos (h) citharæ, (i) lotusque, lyræque;
    Et vox, & (k) numeris brachia mota suis.
Illic assidue ficti saltantur amantes:
    Quid caveas (l) actor, quid juvat, arte docet.

INTERPRETATIO.

Phædra amittat divitias; ignosces nepoti, o Neptune. Nec taurus ab avo immissus perterrefaciet equo. Ad inopiam coegisses Gnossida, amasset sapienter. Amor lascivus nutritur opibus. Quamobrem nullus est qui deliniverit Hecalen; nulla est quæ commoverit Iron? Quia scilicet alter egenus, altera inops. Inopia non habet unde nutriat suum amorem: hoc tamen non est tanti ut cupias esse inops. At tibi sit tanti non frequentare theatra; donec amor bene recedat ex vacuo pectore. Cythara, & lotbus, & lyra molliunt mentes: & vox & brachia agitata numeris suis. Amatores simulati semper illic saltantur: Mimus docet artificiose quid fugias, & quid juvet.

NOTÆ.

(y) *Phædra*) Jam de ea Minois filia, Thesei uxore sæpius vidimus: quæ si divitiis & otio non abundasset, Hippolyti privigni amore capta non fuisset: adeoque nec ipsum spreta ad patrem obiati stupri accusasset; nec credulus Theseus adeversus eum Neptunum invocasset; nec Phocas contra innocentem Neptunus immisisset.

(z) *Nepoti*) Hippolyto, cujus avus fuit Ægeus, Neptuni filius.

(a) *Taurus*) Alii a Phocis perterritos dicunt equos Hyppolyti, a quibus, curru excussus, per saxa discerptus sit.

(b) *Avitus*) Ab avo, seu potius proavo Neptuno immissus.

(c) *Gnossida*) Pasiphae est, quæ a Gnoso, Cretæ celeberrimo oppido, ubi Minos regnavit, sic dicta.

(d) *Sapienter*) Adeoque maritum, non taurum.

(e) *Hecalen*) Fuit Hecale anus paupercula, quæ Theseum hospitio excepit.

(f) *Iron*) Ithacensis mendicus fuit, de quo in Penelope.

(g) *Theatris*) Habent Theatra bonæ notæ plurima, sed quæ non nisi castæ mentis periculo maximo excernantur: *Filii Dei cum viderent pulchras esse filias hominum, ex iis sibi uxores delegerunt.* Genes. 6. Delegerunt & dilexerunt, quia pulchras viderunt; & pulchræ videntur quæ pulcræ sunt. Quotusquisque vero oculos & aures, Ulyssis more, ubi apertissimis opus est, obturare sciverit aut potuerit.

(h) *Cithara*) Quæ in theatris resonant.

(i) *Lotusque*) Est Lotus arbuscula Africæ familiaris, fructum ferens suavissimum; quem ideo Patriæ oblivionem inducere voluerunt Poetæ. Ejus fruticis ligno ad tibias veteres utebantur, unde pro iis positum.

(k) *Numeris*) *En cadence.*

(l) *Actor*) Locum mendosum quamobrem crediderit clariss. Heinsius plane non video, cum tam bonus, quamquam paulo obscurior sensus sit. Fabularum actores dicit perite & arte Amatoria docere, quæ fugere oporteat; quæque jucunda dum ab histrionibus aguntur amorem fovent, quo aliquis ab amica repulsus torqueatur.

Ælo.

Eloquar *(m)* invitus: teneros *(n)* ne tange poetas.
Submoveo dotes impius ipse meas.
(o) Callimachum fugito; non est inimicus Amori:
Et cum Callimacho tu quoque, *(p)* Coe, noces.
Me certe *(q)* Sappho meliorem fecit amicæ:
Nec rigidos mores *(r)* Teja Musa dedit.
Carmina, quis potuit tuto legisse Tibulli,
Vel tua, cujus opus *(ſ)* Cynthia sola fuit?
Quis potuit lecto *(t)* durus discedere *(u)* Gallo?
Et mea nescio quid carmina dulce sonant:
Quod nisi dux operis vatem frustratur Apollo;
Æmulus est vestri maxima causa mali.
At tu rivalem noli tibi fingere quemquam:
Inque suo solam crede jacere toro.
Acrius *(x)* Hermionem ideo dilexit Orestes;
Esse quod alterius cæperat illa viri.
Qid, Menelae, doles? ibas sine conjuge Creten:
Et poteras nupta lentus abesse tua.

INTERPRETATIO.

Dicam coactus: ne attinge molles poetas. Impius ipse subverto dotes meas. Removeto Callimachum; non est infensus amori: Tu quoque Coe officis etiam cum Callimacho. Sappho me præstitit profecto leniorem amicæ: nec musa Teja docuit mores severos. Quis potuit legisse secure versus Tibulli, vel tuos, cujus opus fuit una Cynthia? Quis potuit abire crudelis Gallo lecto? Mea etiam carmina resonant nescio quid suave. Quod nisi Apollo impulsor operis destituit poetam; rivalis est causa maxima vestræ ægritudinis. At tu noli tibi comminisci ullum æmulum; & crede solam cubare in suo lecto. Orestes ideo vehementius amavit Hermionen, quod illa occeperat esse alterius viri. Quamobrem mœres Menelæ? proficiscebaris Creten sine uxore: & poteras tardus sejungi ab uxore tua.

NOTÆ.

(m) *Invitus*) Non tam quidem, qui sibi teneri Poetæ laudem non obscure tribuit.

(n) *Ne tange*) Plurima vero in illis legendis cautione est opus: neque certe majus allud mentis venenum. Atqui ab illis tam multa quæ optima sunt licet desumere. Verum est. Sed rosæ sunt inter spinas; aut fructus quos custodiunt serpentes.

(o) *Callimachum*) Illum antea Elegiarum scriptorem elegantissimum, sed lascivum, vidimus.

(p) *Coe*) Est Cos Ægæi maris insula, Cariæ opposita, Philetæ Eliographi Poetæ, de quo nunc, patria.

(q) *Sappho*) Cujus fœminæ carmina fuerunt maxime lasciva, sicuti ipse monuit Poeta in Arte.

(r) *Teja*) Anacreontis Teji & maxime lascivi Poetæ; cujus patria fuit *Tejos*, vel *Teos*, urbs Ioniæ.

(ſ) *Cynthia*) Fuit hæc Propertii amica, quam ubique celebrat.

(t) *Durus*) Amori intactus.

(u) *Gallo*) Hunc quoque Poetam Ægypti a Cæsare præsidem, qui sese sua nece cruentavit antea vidimus.

(x) *Hermionen*) Fuit hæc Menelai & Helenæ filia, quam Tyndarus avus maternus Oresti, Agamemnonis filio, inscio patre, qui apud Trojam militabat, pater vero ipse, eorum, quæ a socero gesta erant ignarus, Pyrrho despondit: Qua re factum est ut Orestes rivalem, cui tradita fuerat sponsa trucidaverit.

Ut

Ut Paris hanc rapuit; nunc demum uxore carere
Non potes. alterius crevit amore tuus.
Hoc & in abducta Briseide flebat Achilles,
Illam (y) Plisthenio gaudia ferre toro.
Nec frustra flebat: mihi credite. (z) fecit Atrides,
Quod si non faceret, turpiter esset iners.
Certe ego fecissem, nec sum sapientior illo.
Invidiæ fructus maximus ille fuit.
Nam sibi quod nunquam tactam Briscida jurat,
Per sceptrum: sceptrum non putat esse Deos.
Di faciant, dominæ possis transire relictæ
Limina; proposito sufficiantque pedes.
Et poteris; modo velle tene. (a) nunc fortiter ire,
Nunc opus est celeri subdere calcar equo.
Illo (b) Lotophagos, illo Sirenas in (c) antro
Ecce puta: remis adjice (d) vela tuis.
Hunc quoque, quo quondam nimium rivale dolebas,
Vellem desideres hostis habere loco.
At certe, quamvis odio remanente, saluta.
Oscula cum poteris jam dare; sanus eris.
Ecce cibos etiam, medicinæ, fungar ut omni
Munere, quos fugias, quasve sequare dabo.

INTERPRETATIO.

Postquam Paris banc sustulit; nunc tandem non quis esse sine uxore: tuus amor auctus est amore alterius. Achilles etiam hoc dolebat in Briseide abrepta, illam portare gaudia lecto Plisthenio. Nec de nihilo dolebat; fidem mihi adhibete: Atrides præstitit quod si non præstitisset fuisset fœde vecors. Profecto ego fecissem, nec sum sapientior illo. Illa utilitas invidiæ fuit maxima. Nam quod jurat per sceptrum Briseidem nunquam tactam a se; sceptrum non credit esse Deos. Dii præstent possis transgredi domum Dominæ relictæ; & pedes sufficiant instituto. Et poteris; retine tantum velle: nunc opus est strenue incedere, nunc opus est *urgere equum velocem stimulis. Credito Lotophagos esse in illa spelunca; Sirenas esse in illa: adde vela remis tuis. Optarem etiam omitteres in inimicorum numero recensere æmulum, quo olim nimium mœrebas. At certe, quamvis odio durante, salute impertitor. Cum jam poteris ferre oscula firmus eris. Ecce, ut præstem omnia officia medicinæ, præbebo etiam cibos quos removeas, & quos sumas.*

NOTÆ.

(y) *Plistenio*) Agamemnoni, Plisthenis filio, quem Atrei dixerunt ideo Poetæ, quod ab Atreo patruo, defuncto patre, una cum fratre Menelao educatus fuerit.

(z) *Fecit*) Nempe cum Briseide rem habuit.

(a) *Nunc*) Cum præter amicæ domum iter habendum est.

(b) *Lotophagos*) Populi fuerunt Africæ, a Loto fructu, de quo supra, sic dicti: cujus suavitate usque adeo capti sunt Ulyssis socii, ut ejus, Patriæque sint obliti.

(c) *Antro*) Invidiose de amicæ domo loquitur.

(d) *Vela*) Metaphora a navigantibus, qua ocyssime prætereundum esse indicat.

DE MEDICAMINE FACIEI.

Discite, quæ faciem commendet cura puellæ;
Et quo sit vobis forma tuenda modo.
Cultus humum sterilem (a) Cerealia pendere (b) jussit
Munera: (c) mordaces (d) interiere (e) rubi.
(f) Cultus & in pomis succos emendat acerbos;
Fissaque (g) adoptivas accipit arbor opes.
Culta placent: auro sublimia tecta linuntur:
Nigra sub imposito marmore terra latet.
Vellera (h) sæpe eadem (i) Tyrio medicantur (k) aheno:
Sectile deliciis India præbet (l) ebur.
Forsitam antiquæ, (m) Tatio sub rege, (n) Sabinæ
Maluerint, quam se, rura paterna coli.

INTERPRETATIO.

Puellæ discite quæ cura adjuvet formam: qua ratione pulchritudo sit vobis conservanda. Cultura coegit terram infœcundam exsolvere dona Cerealia: rubi pungentes profligati sunt. Cultura lenit etiam succos immites in pomis; & arbor divisa accipit divitias adoptivas. Exculta jucunda sunt: tecta excelsa inaurantur; terra atra occultatur sub marmore instrato: Lanæ eadem inficiuntur sæpe aheno Tyrio: India suppeditat ebur fissile deliciis. Forsitam Sabinæ veteres præoptavervarerint, Tatio regnante, paterna coli quam se.

NOTÆ.

(a) *Cerealia*) Id est, quæ sunt Cereris, frugum inventricis.

(b) *Jussit*) Jussisse videtur qui causa est ut quid fiat, alioqui *jubere humum*, &c. tropus est audacior.

(c) *Mordaces*) Quia spinis riget frutex, quibus proxima quæque retinet.

(d) *Interiere*) Quia post inventam agriculturam recisi frutices noxii, rubi præsertim; neque amplius moris ex iis, sed frumento in cibum usi sunt homines.

(e) *Rubi*) Rubus frutex est notissimus moras ferens.

(f) *Cultus*) Qui præsertim per insitionem.

(g) *Adoptivas*) Metaphora gratissima ab hominibus qui sibi alienam prolem adoptarant; qua metaphora dulces significat fructus, qui ex surculo mitiori in truncum silvestrem immisso, nascuntur.

(h) *Sæpe*) Ut saturior sit, non dilutus, color. *Dibapham* vocabant purpuram bis tinctam murice.

(i) *Tyrio*) Laudatissima fuit apud veteres purpura Tyro Phœniciæ urbe celeberrima per varias gentes portata.

(k) *Aheno*) Vasa erant amplissima ærea in quibus murice lana inficiebatur.

(l) *Ebur*) Quo ad varia ornamenta, in laquearibus præsertim utebantur: unde Horatius.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar, &c.

(m) *Tatio*) Hic fuit Sabinorum dux acerrimus, qui cum varia victoria cum Romanis pugnasset, tandem, Sabinis suis in urbem receptis, in regni partem & ipse a Romanis acceptus est.

(n) *Sabinæ*) Fuerunt Sabini, Roma ad Septentrionem, gens dura, quorum fortissimæ a Poetis itemque historicis laudantur conjuges.

Cum matrona premens (o) altum (p) rubicunda sedile
Assiduo (q) durum pollice nebat opus.
(r) Ipsaque claudebat, quos filia paverat, agnos:
Ipsa dabat virgas cæsaque ligna foco.
At vestræ teneras matres peperere puellas.
Vultis inaurata corpora veste tegi.
Vultis odoratos positu variare capillos;
Conspicuam gemmis vultis habere manum.
Induitis collo lapides Oriente paratos:
Et (s) quantos oneri est aure tulisse duos.
Nec tamen indignum, si vobis cura placendi,
Cum comtos habeant sæcula nostra viros.
(t) Fœminea vestri poliuntur lege mariti:
Et vix ad cultus nupta, quod addat, habet.
Proin se quæque parent: nec quo venentur amores,
Refert: munditiæ crimina nulla merent.
Rure (u) latent, finguntque comas: licet arduus illas
Celet Athos; cultas altus habebit (x) Athos.
Est etiam placuisse sibi quotacunque voluptas:
Virginibus cordi grataque forma sua est.
Laudatas homini (y) volucris Junonia pennas
Explicat: & forma muta superbit avis.

INTERPRETATIO.

Cum matrona rubicunda insidens excelso sedili trahebat fila dura pollice sedulo. Et ipsa in septa admittebat agnos, quos filia egerat ad pastum: ipsa immittebat foco virgas et ligna secta. At vestræ matres ediderunt puellas molles: cupitis corpora velari amictu inaurato. Cupitis variis modis flectere comam unctam; cupitis habere manum splendidam gemmis; gestatis collo lapides Oriente petitos: & tantos, ut sint oneri gestasse duos aure. Nec tamen ineptum, si vobis studium placendi, cum nostra tempora habeant viros excultos. Vestri mariti polliuntur muliebriter: & uxor ægre invenit quod adjiciat ad ornatum. Proinde singula se ornent: nec interest qua via amores accersant. Munditia nulla castigatione sunt digna. Rure conduntur, & componunt capillos, licet excelsus Athos illas tegat: excelsus Athos habebit ornatas. Quotacunque est etiam jucunditas sibi placuisse: pulchritudo sua est accepta & cura puellis. Avis Junonia pandit pennas approbatas ab homine, & avis muta fastus induit pulchritudine.

NOTÆ.

(o) *Altum*) Ex quo facilius prolixum filium ex colo trahere.

(p) *Rubicunda*) Colore nativo ex dura vita & laboriosa erumpente.

(q) *Durum*) Propter assiduitatem & tædium; aut etiam quia dura & laboriosa manu exercebatur.

(r) *Ipsa*) Non ancilla.

(s) *Quantos*) Gemmis & margaritis non ex fulgore modo, sed & ex magnitudine pretium positum est.

(t) *Fœminea*) Quod turpissimum viris quibus labor convenit.

(u) *Latent, fing.*) Pudicas etiam & quæ rure lateant nullius malæ rei causa sese dicit exornare, ut magis ad cultum quaslibet monitore nihil opus fuit.

(x) *Athos*) Mons est inter Thraciam & Macedoniam altissimus.

(y) *Volucris Juno.*) Pavo est Junoni sacer.

(z) Sic

(z) Sic potius nos uret amor, quam fortibus herbis,
Quas maga terribili subsecat arte manus.
(a) Nec vos graminibus, nec misto credite succo.
Nec tentate (b) nocens (c) virus amantis equæ.
Nec mediæ (d) Marsis finduntur cantibus angues:
(e) Nec redit in fontes unda supina suos.
Et quamvis aliquis (f) Temesæa removerit æra;
Nunquam Luna suis excutietur equis.
(g) Prima sit in vobis morum tutela puellæ:
Ingenio facies conciliante placet.
Certus amor morum est: formam populabitur ætas;
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit,
Et veniet rugis altera causa dolor.
(h) Sufficit, & longum probitas perdurat in ævum;
Fertque suos annos: hinc bene pendet amor.
Disce age, cum teneros somnus dimiserit artus,
Candida quo possint ora nitere modo.

INTERPRETATIO.

Amor nos citius sic inflammabit, quam herbis potentibus, quas manus maga revellit arte formidabili. Nec committite vos herbis, nec succo intrito. Nec experiamini virus noxium equæ furentis. Nec serpentes mediæ secantur incantamentis Marsis: nec aqua prona recurrit ad fontes suos. Et quamvis aliquis sustulerit æra Temesæa; luna nunquam dejicietur suis equis. Puellæ, prima sit in vobis morum custodia, vultus arridet ingenio conciliante. Amor morum est firmus; tempus deprædabitur pulchritudinem: & facies quæ grata fuit, erit secta rugis. Tempus futurum est, quo vos pœnitebit spectavisse speculum; & dolor accedet altera causa rugis. Integritas suppeditat, & perstat in productum tempus, & tolerat suos annos: amor hinc bene pendet. Disce age, quomodo vultus candidi possint splendescere, cum somnus depresserit membra mollia.

NOTÆ.

(z) *Sic*) Cum cultæ sunt puellæ.

(a) *Nec credite*) Ut per illa viros ad amorem vestri perducere speretis.

(b) *Nocens*) Quia furorem inducere creditum.

(c) *Virus*) Hippomanes est, de quo supra.

(d) *Marsis*) Fuerunt Marsi populi Italiæ fortissimi, juxta Sabinos, qui Marso Circes filio sati maximi quoque fuerunt venefici.

(e) *Nec redit*) Nullam esse dicit vim carminibus aut incantamentis.

(f) *Temesæa*) Fuit Temesa Brutiorum in Italia oppidum, Templa, a Latinis, referente Plinio, dictum, ubi olim ærifodinæ. Voluerunt autem stulti mortales sese tympanis æreis, incantamentis Lunæ laboranti, obstrepentes, posse succurrere, ne in terram procideret. Quo remedio opus non esse; adeoque incantamentorum vim falso laudari, docet Poeta.

(g) *Prima*) Nam ut habet Sallustius: *Divitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis est; virtus clara æternaque habetur*. Optime ergo præcipit libidinosus doctor, ut pudicos saltem hæc neglexisse pudeat.

(h) *Sufficit*) *Satis est*; sed motum habet & tractum vox illa quem alio vocabulo nequeam exprimere. Solatium & nescio quam inducit quietem rem ipsam cogitantibus. *La Vertu se fournit toujours elle mesme, & se renouvelle tous les jours.*

Hordea, quæ (i) Libyci ratibus misere coloni,
Exue de palea tegminibusque suis.
Par (k) Ervi mensura decem madefiat ab ovis;
Sed cumulet libras ordea (l) nuda duas.
Hæc ubi ventosas fuerint siccata per auras:
Lenta jube scabra frangat asella mola.
Et, quæ (m) prima cadunt vivaci cornua cervo,
Contere: in (n) hæc solidi (o) sexta face (p) assis eat.
Jamque ubi pulvereæ fuerint confusa farinæ;
Protinus in cribris omnia cerne cavis.
Adjice (q) Narcissi bis sex sine cortice bulbos,
Strenua quos puro marmore dextra terat:
(r) Sextantemque trahat gummi cum (s) semine Thusco.
Huc (t) novies tanto plus tibi mellis eat.
Quæcunque adficiet tali medicamine vultum;
Fulgebit speculo lævior ipsa suo.
(u) Nec tu pallentes dubita torrere (x) lupinos,
Et simul (y) inflantes corpora frige fabas.
Utraque (z) sex habeant æquo discrimine libras:
Utraque da nigris comminuenda molis.

INTERPRETATIO.

Nudato palea, & corticibus suis hordea, quæ agricolæ Libyci miserunt navibus. Æqualis mensura Ervi humescat ab ovis decem: sed hordea expurgata impleant duas libras. Ubi hæc fuerint exsiccata per aerem ventosum; fac asella segnis terat mola aspera. Pinse etiam cornua prima quæ excidunt cervo vivaci: fac sexta pars solidæ libræ mittatur in hæc, & postquam omnia fuerint admixta farinæ pulvereæ cribrato omnia in cribris cavis. Adde duodecim bulbos Narcissi decorticatos, quos manus fortis terat puro marmore: & ducat sextantem gummi cum semine Thusco. Huc tibi adhibeatur novies plus tanto mellis. Quæcunque illinet faciem tali medicamine: ipsa nitebis nitidior speculo suo. Nec tu cunctare frigere lupinos pallidos, & simul torrere fabas tumefacientes corpora. Utraque habeant sex asses pari discrimine: da utraque terenda atris molis

NOTÆ.

(i) *Libyci*) Sunt Libyes populi Africæ; hoc in loco pro Afris in genere positi, a quibus maximam frumenti copiam Romani petebant.

(k) *Ervi*) Est ervum genus leguminis, *ers* Gallice dicti.

(l) *Nuda*) Tegminibus & palea exuta.

(m) *Prima*) Quotannis vero statuto veris tempore decidunt.

(n) *Hæc*) Hordei & Ervi farinam *scil.*

(o) *Sexta*) Pars *scilicet*.

(p) *Assis*) Seu Libræ.

(q) *Narcissi*) Est narcissus planta notissima, propter floris amœnitatem, hortis familiaris.

(r) *Sextantemque*) Duas uncias.

(s) *Semine*) Proprie frumenti genus est quod Zeam vocant, ex quo alica, docente Plinio fiebat.

(t) *Novies tanto plus*) Idest novem sextantes, una libra cum dimidia, unciæ 18.

(u) *Nec tu*) Aliud proponit medicaminis genus.

(x) *Lupinos*) Sunt Lupini leguminis genus, ab omnibus animalibus sua amaritudine tutum, autore Plinio. *Pallentes* autem dixit ab effectu, quod qui gustaverint palleant. *Tristes* appellavit Maro.

(y) *Inflantes*) Quippe flatulentissima est faba.

(z) *Sex*) Ut tres libræ lupinorum, & totidem fabarum sumantur.

Nec

Nec (a) cerussa tibi, nec (b) nitri spuma rubentis
Desit, & (c) Illirica quæ venit (d) iris humo.
Da validis juvenum pariter subigenda lacertis.
Sed justum tritis uncia pondus erit.
Adjice & (e) querulo (f) volucrum medicamine (g) nido.
Ore fugant maculas: (h) Halcyonea vocant.
Pondere, si quæris, quo sim contentus in illis;
Quod trahit in partes (i) uncia sexta duas.
Ut (k) coeant, apteque lini per corpora possint;
Adjice de flavis (l) Attica mella favis.
(m) Quamvis thura Deos irataque numina placant;
Non tamen accensis omnia danda focis.
Thus ubi miscueris radenti (n) tubera nitro;
Ponderibus justis fac sic utrimque triens.

INTERPRETATIO.

Nec cerussa, nec spuma nitri rubentis te deficiat, & Iris quæ mittitur terra Illyrica. Da quoque hæc pinsenda fortibus brachiis juvenum: sed uncia erit justum pondus pistil. Adde etiam medicamenta ex nido querulo avium: abstergunt labes faciei: dicunt Halcyonea. Si petis quo pondere sim contentus in illis; quod capit uncia divisa in duas partes. Ut cohæreant, & possint facile jungi per corpora: adde mella Attica de favis flavis: Quamvis thura propitient Deos & numina infensa; non sunt tamen omnia immittenda aris ardentibus. Ubi intriveris thus nitro expolienti nævos, fac utrinque æquis ponderibus.

NOTÆ.

(a) *Cerussa*) Pharmacum est notissimum quod ex plumbi ramentis tenuissimis super vas asperrimi aceti impositis, extrahitur.

(b) *Nitri*) Est nitrum species salis notissima: *salpetre*. Spuma vero ejus *Aphronitrum* dicitur; quod ex speluncis quibusdam destillans in Asia colligi, medici quidam scripsitarunt.

(c) *Illyrica*) Est Illyris, Illyricum seu Illyria regio in ora maris Adriatici, Italiæ opposita, unde Iris laudatissimi nominis afferebatur.

(d) *Iris*) Planta est, cujus radix maxime laudatur ad odores. Nostri vocant eam *Glayeul*, *flambe*, vel etiam *Iris*.

(e) *Querulo*) Propter pipientes pullos.

(f) *Volucrum*) De Halcyonibus loquitur, quæ, ut Plinius scribit, aves sunt paulo ampliores passeribus, colore cyceneo ex parte majore, tantum purpureis & candidis admistis pennis, collo gracili ac procero. Quas aves videre, ut idem ait, rarissimum est.

(g) *Nido*) Hi Halcyonum nidi, referente eodem Plinio admirationem habent, pilæ figura paulum eminenti; ore perquam angusto, grandium spongiarum similitudine, qui ferro intercidi nequeunt, ictu valido franguntur.

(h) *Halcyonea*) De iis medicamentis sic ait Plinius; *Lepras lichenas, lentigines, tollunt cum lupino, & sulphuris duobus obolis*.

(i) *Uncia sexta*) Niger selibram intelligit. Planissime vero correctionem probavero Clariss. Heinsii qui legit *secta*.

(k) *Coeant*) Ut cohæreant varia, de quibus loquutus est, medicamina.

(l) *Attica*) Quæ Athenis, Hymetto monte collecta, in varia loca, Romam præsertim portabantur.

(m) *Quamvis*) Aliud docet medicamentum.

(n) *Tubera*) De papulis, pustulisque, quæ faciem infestare solent, loquitur. Eas vero expoliendi & tollendi vim habere nitrum docet Plinius.

Parte minus quarta (o) dereptum cortice gummi,
(p) (*) Et modicum e myrrhis pinguibus adde cubum.
Hæc ubi contriris, per densa foramina cerne:
Pulvis ab infuso melle premendus erit.
Profuit & (q) marathros bene olentibus addere myrrhis;
Quinque trahant marathri (r) scrupula, myrrha novem.
Arentisque rosæ quantum manus una prehendat,
Cumque (ſ) Ammoniaco mascula thura sale.
Hordea quem faciunt illis adfunde (t) cremorem.
Æquent expensas cum sale thura rosas.
(u) Tempore sis parvo molles licet illita vultus;
Hærebit toto multus in ore color.
Vidi quæ gelida madefacta papavera lympha
Contereret, teneris illineretque genis.

INTERPRETATIO.

& adde parum thymi, & adde cubum parvum pinguis myrrha. Ubi hac subegeris, cribrato per spissa foramina: pulvis erit diluendus admixto melle. Utile etiam fuit adjicere fœniculum myrrhis fragrantibus; fœniculum ducat quinque scrupula, myrrha novem. Et adde rosæ siccæ quantum una manus capiat, & thura mascula cum sale Ammoniaco. Infunde illis cremorem quem faciunt hordea. Thura cum sale æquent rosas ponderatas. Quamvis fueris uncta faciem teneram tempore exiguo, multus nitor manebit in tota facie. Vidi qua contunderet papavera humectata aqua frigida, & induceret genis mollibus.

NOTÆ.

(o) *Dereptum cortice*) Quia arborum cortici innascitur gummi.

(p) *Et modicum*) Vide notam clar. Heinsii. Deinde expende annon per cubum aliquantulam myrrhæ partem possis intelligere.

(q) *Marathros*) Latini *Fœniculum* vocant.

(r) *Scrupula*) Scrupulum pars est drachmæ tertia; adeoque tria drachmam conficiunt.

(ſ) *Ammoniaco*) Lapsus est Commentator qui Ammoniacum gummi, rem omnino diversam, cum sale qui in Lybia eruebatur, confudit. Hodie etiam in officinis reperitur sal Ammoniacus, sed factitius est.

(t) *Cremorem*) Pro succo hordei posuit, quomodo fere Celsus usurpat.

(u) *Tempore*) Maximæ virtutis postremum esse medicamentum innuit.

P. OVID.

P. OVIDII NASONIS

HALIEUTICON

FRAGMENTUM.

* * * * *

Accepit mundus legem: dedit (*a*) arma per omnes,
Admonuitque sui. vitulus sic namque minatur
Qui nondum gerit in tenera jam cornua fronte:
Sic (*b*) damæ fugiunt, pugnant virtute Leones,
Et morsu canis, & caudæ sic scorpius ictu:
Concussisque levis pennis sic evolat ales.
Omnibus ignotæ mortis timor, omnibus hostem,
Præsidiumque datum sentire & noscere teli
Vimque modumque sui: sic & (*c*) Scarus arte sub undis
Incidit, (*d*) adsumptamque dolo tandem pavet escam.
Non audet (*e*) radiis obnixa occurrere fronte,
Adversus crebro vimen sed verbere caudæ
Laxans subsequitur, tutumque evadit in æquor.
Quin etiam si forte aliquis, dum (*f*) pone nataret
Mitis luctantem Scarus hunc in vimine vidit,

INTERPRETATIO.

Mundus subiit legem; præbuit arma singulis, & admonuit sui: sic enim vitulus, qui nondum jam habet cornua in molli fronte, minas intentat: sic Damæ fugiunt, Leones certant fortitudine, & canis morsu, & sic scorpius percussione caudæ: & avis levis sic avolat pennis agitatis. Metus est mortis omnibus incognita. Concessum omnibus sentire hostem & columen datum, & cognoscere potestatem & modum suorum armorum: sic etiam Scarus resecat dolo sub undis, & timet escam tandem correptam fraude. Non audet se se dare fronte opposita in radios; sed aversus divellens vimen frequenti caudæ agitatione, erumpit in mare securum. Quin etiam si forte aliquis propitius Scarus aspexit hunc conflictantem in nassa, dum pone nataret,

NOTÆ.

(a) *Arma*) Arma, ut ex sequentibus patet, non proprie, quod clariss. Heinsius videtur putasse, sed tropice pro innata quavis industria, & ad sibi consulendum a natura data sagacitate, usurpavit.

(b) *Damæ*) Sunt caprarum silvestrium quoddam genus. Gall. *Daim.*

(c) *Scarus*) Piscis est saporis eximii: quem refert Plinius inclusum nassis non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere, sed aversum caudæ ictibus crebris fores laxare, atque ita retrorsum errumpere. Quam luctam si forte alius Scarus extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda adjuvat.

(d) *Adsumtamque dolo*) Ab insidiante piscatore scilicet.

(e) *Radiis*) De viminibus loquitur, quibus contenta est nassa.

(f) *Pone*) Aut juxta eam massam, qua aliquis Scarus captus sit.

Aversam caudam morsu tenet: atque ita (*)
(*) Uber servato, quem texit, in (*) resultet:
(g) Sepia tarda fugæ, tenui cum forte sub unda
Deprensa est, jam jamque manus timet illa rapaces,
Inficiens æquor nigrum vomit ore cruorem,
Avertitque vias, oculos frustrata sequentes.
Clausus rete (h) Lupus, quamvis immanis & acer,
Dimotis cauda submissus (i) sidit arenis.
. . . . in auras
Emicat, atque dolos saltu deludit inultus:
Et (k) Muræna ferox teretis sibi conscia tergi,
Ad laxata magis conversa foramina retis,
Tandem per multos evadit lubrica flexus,
Exemploque nocet, cunctis (l) intervenit una.
At contra scopulis (m) crinali corpore segnis
Polypus hæret, & (n) hac eludit retia fraude,
Et (o) sub lege loci sumit mutatque colorem;
Semperque ei similis, quem contingit. atque ubi prædam
Pendentem (p) setis avidus rapit, hic quoque fallit.

INTERPRETATIO.

*morsu apprehendit aversam caudam : * * * * * * * * * * * * Sepia lenta ad fugam, cum forte correpta est sub aqua molli, & illa jam jamque metuit manus prædabundas, tingens mare expuit ore atrum sanguinem. Et corripit vias, frustrata oculos insequentes. Lupus irretitus, quamvis ingens & vehemens demissus quiescit in arenis dimotis cauda . . . . . Exilit in auras, & eludit impune dolos saltu. & Muræna immittis sibi conscia dorsi lubrici accedens ad foramina magis laxa retis, tandem lubrica erumpit per multas agitationes; & dispendio est, una succurrit omnibus. At contra Polypus piger adhæret saxis corpore crinito, & declinat retia hac arte & induit, & immutat colorem sub lege loci, semper similis ei quem contigit: atque ubi rapax corripit escam pendentem setis, hic quoque decipit.*

NOTÆ.

(g) *Sepia*) Piscis genus est quoddam, sanguine nigro, quod atramentum ideo dixere, quo emisso insidiantibus piscatoribus iter quasi præsepire dicitur Gallice vocatur *Seiche*.

(h) *Lupus*) Piscis est genus, quem in deliciis habuere Romani: & mari flumina ingreditur, ubi quibuscumque sordibus; præsertim stercoribus vescitur. *Spigola* dicitur Italis.

(i) *Sidit*) Ne retibus capiatur.

(k) *Murana*) Piscis littoralis est itemque fluvialis, nostris etiam hominibus in deliciis. Gall. *Laproye*.

(l) *Intervenit*) Quia per idem a Muræna laxatum foramen sese subtrahunt.

(m) *Crinali*) Hoc dicitur quia brachia seu pedes habet quam plurimos & tenuissimos, quibus sese rupibus aligat.

(n) *Hac fraude*) Quia retibus tantum raditur aut fricatur, non comprehenditur.

(o) *Sub lege*) *Ex lege*; Ovidiana locutio. Dictus vero est hic piscis loci cujusvis colorem induere. Quæ res oculorum nostrorum ratione ideo minus videri debet absurda, quod & aves plurimæ sint, lepores etiam eo videamus, quo terra est, colore; ut præsentes & in conspectu positos omnino non videamus.

(p) *Setis*) Quibus etiamnum utuntur hodie ad suspendendos hamos, albis præsertim, quæ, quia sunt pellucidæ a piscibus non ita possunt cognosci.

(q) Ela-

(q) Elata calamo, cum demum emersus in auras
Brachia dissolvit, populatumque expuit hamnum.
At (r) Mugil cauda pendentem everberat escam,
Excussamque legit. Lupus acri concitus ira
Discursu fertur vario, fluctusque ferentes
Prosequitur, quassatque caput, dum vulnere sævus
Laxato cadat hamus, & ora patentia linquat.
Nec proprias vires nescit Muræna nocendi:
Auxilioque sui, morsu nec cominus acri
Deficit, aut animos ponit captiva minaces.
(s) Anthias his, tergo (t) quem non videt, utitur armis,
Vim spinæ novitque suæ, versoque supinus
Corpore lina secat, fixumque intercipit hamum.
* * * *

(u) Cætera quæ densas habitant animalia silvas,
Aut vani quatiunt semper (x) lymphata timores,
Aut trahit in præceps non sana ferocia mentis.
(y) Ipsa sequi Natura monet, vel cominus ire.
Impiger ecce Leo venantum sternere pergit
Agmina, & adversis infert sua pectora telis.
Quoque venit, fidens magis & sublatior ardet.

INTERPRETATIO.

*arundine sublata; cum demum extractus in aerem laxat brachia, & evomit hamum devoratum. Aut Mugil excutit cauda escam pendentem, & colligit excussam. Lupus vehementi ira turbatus rapitur cursu diverso, & persequitur undas ferentes, & concutit caput, donec hamus ferus excidat vulnere laxato & deserat ora aperta. Nec Muræna ignorat propriam potestatem officiendi: nec deest adjumento sui cominus morsu strenuo, aut capta deserit animos minaces. Anthias utitur his armis, quæ movet tergo, & cognoscit potentiam spinæ suæ, & supinatus inverso corpore rescindit lina, & surripit hamum alligatum. * * * * * * Aut metus inanes agitant semper reliqua animalia turbata, quæ colunt spissas silvas, aut ferocia insana animi agit in præceps. Ipsa natura hortatur sequi vel cominus accedere. Ecce leo strenuus non desinit prosternere catervas venatorum; & immittit sua pectora telis oppositis. Et ex quo venit, excandescit magis confidens & elatior.*

NOTÆ.

(q) *Elata*) Cum piscator captum piscem aqua extrahere cogitat.

(r) *Mugil*) Alio nomine dicitur *Capito*, propter capitis crassitiem; cujus natura ex eo ridiculo est quod capite abscondito, sese totum latere credat.

(s) *Anthias*) Piscis est quidem Græcis sacer dictus, quod loca frequentet, ubi nulla bellua: De eo Plinius, Ælianus, Plutarchus.

(t) *Quem non videt*) Receptam lectionem restitui, quia maxime ad scopum facit Poetæ, qui naturam dicit animalia quævis instituisse. Corrigebat clar. Heinsius *qua concutit*.

(u) *Cætera*) Deploratum esse hoc fragmentum, & ex diversis generis operibus conflatum satis superque ex hoc loco patet.

(x) *Lymphatæ*) *Furore quodam agitata.* Crediderunt veteres, furore corripi eos qui aliquo in fonte Nymphæ speciem aut imaginem vidissent: Inde petita est metaphora.

(y) *Ipsa sequi*) Loco suo mota fuisse hæc omnia, & perturbata, vel ex hoc versu patet, qui infra repetitur; nullo bono sensu hic legitur.

Con-

(e) Daunius, an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris,
  An veniat (f) Megaris, noxius omnis erit.
Nec minus (g) erucas aptum vitare ſalaces;
  Et quidquid Veneri corpora noſtra parat.
Utilius ſumas acuentes lumina rutas;
  Et quidquid Veneri corpora noſtra negat.
Quid tibi præcipiam de Bacchi munere, quæris?
  Spe brevius monitis expediere meis.
Vina parant animum Veneri, niſi plurima ſumas,
  Ut ſtupeant multo corda ſepulta mero.
Nutritur vento, vento reſtinguitur ignis;
  Lenis alit flammam, grandior aura necat.
Aut nulla ebrietas, aut tanta ſit, ut tibi curas
  Eripiat: ſi qua eſt inter utramque, nocet.
Hoc opus exegi. feſſæ date ſerta carinæ.
  Contigimus portum; quo mihi curſus erat.
Poſtmodo reddetis ſacro pia vota poetæ,
  Carmine ſanati fœmina virque meo.

INTERPRETATIO.

Omnis bulbus Daunius an tibi miſſus a regionibus Libycis, an afferatur Megaris, erit pernicioſus. Nec minus utile fugere erucas ſalaces; & quidquid facit corpora noſtra expedita ad Venerem. Capias aptius rutas accuentes viſum: & quidquid avertit corpora noſtra a Venere. Petis quid tibi ſuadeam de dono Bacchi? Exſolveris meis monitis ſpe citius. Vina inſtigant animum ad Venerem, niſi bibas plurima, ut mens oppreſſa multo vino torpeat. Ignis alitur vento, opprimitur vento. Placida aura nutrit flammam, vehementior extinguit. Aut nulla ſit ebrietas, aut tanta ut tibi abſumat curas: ſi aliqua eſt inter utramque, officit. Abſolvi hoc opus: porrigite corolas navi fatigatæ. Pervenimus ad portum, ad quem intendebam. Vir & fœmina reſtituti verſibus meis exſolvatis deinceps pia vota ſacro vati.

NOTÆ.

(e) *Daunius*) Apulea Daunia Provincia Italiæ, unde Bulbi Romam portabantur, poſt Africanos ſeu Libycos optimi, teſte Plinio.

(f) *Megaris*) Megara urbs fuit Atticæ.

(g) *Eruca*) Herba eſt virtutis callidæ, quam vocamus, *Roquette*.

DE MEDICAMINE FACIEI.

Discite, quæ faciem commendet cura puellæ;
Et quo sit vobis forma tuenda modo.
Cultus humum sterilem (*a*) Cerealia pendere (*b*) jussit
Munera: (*c*) mordaces (*d*) interiere (*e*) rubi.
(*f*) Cultus & in pomis succos emendat acerbos;
Fissaque (*g*) adoptivas accipit arbor opes.
Culta placent: auro sublimia tecta linuntur:
Nigra sub imposito marmore terra latet.
Vellera (*h*) sæpe eadem (*i*) Tyrio medicantur (*k*) aheno:
Sectile deliciis India præbet (*l*) ebur.
Forsitam antiquæ, (*m*) Tatio sub rege, (*n*) Sabinæ
Maluerint, quam se, rura paterna coli.

INTERPRETATIO.

Puellæ discite quæ cura adjuvet formam; qua ratione pulcbritudo sit vobis conservanda. Cultura coegit terram infœcundam exsolvere dona Cerealia: rubi pungentes profligati sunt. Cultura lenit etiam succos immites in pomis; & arbor divisa accipit divitias adoptivas. Exculta jucunda sunt: tecta excelsa inaurantur; terra atra occultatur sub marmore instrato. Lana eadem inficiuntur sæpe abeno Tyrio. India suppeditat ebur fissile deliciis. Forsitam Sabinæ veteres præoptavervarerint, Tatio regnante paterna coli quam se.

NOTÆ.

(a) *Cerealia*) Id est, quæ sunt Cereris, frugum inventricis.

(b) *Jussit*) Jussisse videtur qui causa est ut quid fiat, alioqui *jubere humum*, &c. tropus est audacior.

(c) *Mordaces*) Quia spinis riget frutex, quibus proxima quæque retinet.

(d) *Interiere*) Quia post inventam agriculturam recisi frutices noxii, rubi præsertim; neque amplius moris ex iis, sed frumento in cibum usi sunt homines.

(e) *Rubi*) Rubus frutex est notissimus moras ferens.

(f) *Cultus*) Qui præsertim per insitionem.

(g) *Adoptivas*) Metaphora gratissima ab hominibus qui sibi alienam prolem adoptant; qua metaphora dulces significat fructus, qui ex surculo mitiori in truncum silvestrem immisso, nascuntur.

(h) *Sæpe*) Ut saturior fit, non dilutus, color. *Dibapham* vocabant purpuram bis tinctam murice.

(i) *Tyrio*) Laudatissima fuit apud veteres purpura Tyro Phœniciæ urbe celeberrima per varias gentes portata.

(k) *Aheno*) Vasa erant amplissima ærea in quibus murice lana inficiebatur.

(l) *Ebur*) Quo ad varia ornamenta, in laquearibus præsertim utebantur: unde Horatius.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar, &c.

(m) *Tatio*) Hic fuit Sabinorum dux acerrimus, qui cum varia victoria cum Romanis pugnasset, tandem, Sabinis suis in urbem receptis, in regni partem & ipse a Romanis acceptus est.

(n) *Sabinæ*) Fuerunt Sabini, Roma ad Septentrionem, gens dura, quorum fortissimæ a Poetis itemque historicis laudantur conjuges.

(z) Sic potius nos uret amor, quam fortibus herbis,
Quas maga terribili subsecat arte manus.
(a) Nec vos graminibus, nec misto credite succo.
Nec tentate (b) nocens (c) virus amantis equæ.
Nec mediæ (d) Marsis finduntur cantibus angues:
(e) Nec redit in fontes unda supina suos.
Et quamvis aliquis (f) Temesæa removerit æra;
Nunquam Luna suis excutietur equis.
(g) Prima sit in vobis morum tutela puellæ:
Ingenio facies conciliante placet.
Certus amor morum est: formam populabitur ætas;
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit,
Et veniet rugis altera causa dolor.
(h) Sufficit, & longum probitas perdurat in ævum;
Fertque suos annos: hinc bene pendet amor.
Disce age, cum teneros somnus dimiserit artus,
Candida quo possint ora nitere modo.

INTERPRETATIO.

Amor non citius sic inflammabit, quam herbis potentibus, quas manus maga revellit arte formidabili. Nec committite vos herbis, nec succo intrito. Nec experiamini virus noxium equæ furentis. Nec serpentes mediæ secantur incantamentis Marsis; nec aqua prona recurrit ad fontes suos. Et quamvis aliquis sustulerit æra Temesæa; luna nunquam dejicietur suis equis. Puellæ, prima sit in vobis morum custodia, vultus arridet ingenio conciliante. Amor morum est firmus; tempus deprædabitur pulchritudinem; & facies quæ grata fuit, erit secta rugis. Tempus futurum est, quo vos pœnitebit spectavisse speculum; & dolor accedet altera causa rugis. Integritas suppeditat, & perstat in productum tempus, & tolerat suos annos: amor hinc bene pendet. Disce age, quomodo vultus candidi possint splendescere, cum somnus depresserit membra mollia.

NOTÆ.

(z) *Sic*) Cum cultæ sunt puellæ.

(a) *Nec credite*) Ut per illa viros ad amorem vestri perducere speretis.

(b) *Nocens*) Quia fugorem inducere creditum.

(c) *Virus*) Hippomanes est, de quo supra.

(d) *Marsis.*) Fuerunt Marsi populi Italiæ fortissimi, juxta Sabinos, qui Marso Circes filio sati maximi quoque fuerunt venefici.

(e) *Nec redit*) Nullam esse dicit vim carminibus aut incantamentis.

(f) *Temesæa*) Fuit Temesa Brutiorum in Italia oppidum, Templa, a Latinis, referente Plinio, dictum, ubi olim ærifodinæ. Voluerunt autem stulti mortales sese tympanis æreis, incantamentis Lunæ laboranti, obstrepentes, posse succurrere, ne in terram procideret. Quo remedio opus non esse; adeoque incantamentorum vim falso laudari, docet Poeta.

(g) *Prima*) Nam ut habet Sallustius: *Divitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis est; virtus clara æternaque habetur.* Optime ergo præcipit libidinosus doctor, ut pudicos saltem hæc neglexisse pudeat.

(h) *Sufficit*) *Satis est*; sed motum habet & tractum vox illa, quem alio vocabulo nequeam exprimere. Solatium & nescio quam inducit quietem rem ipsam cogitantibus. *La Vertu se fournit toujours elle même, & se renouvelle tous les jours.*

Hordea, quæ (i) Libyci ratibus misere coloni,
Exue de palea tegminibusque suis.
Par (k) Ervi mensura decem madefiat ab ovis;
Sed cumulet libras ordea (l) nuda duas.
Hæc ubi ventosas fuerint siccata per auras:
Lenta jube scabra frangat asella mola.
Et, quæ (m) prima cadunt vivaci cornua cervo,
Contere: in (n) hæc solidi (o) sexta face (p) assis eat.
Jamque ubi pulvereæ fuerint confusa farinæ;
Protinus in cribris omnia cerne cavis.
Adjice (q) Narcissi bis sex sine cortice bulbos,
Strenua quos puro marmore dextra terat:
(r) Sextantemque trahat gummi cum (s) semine Thusco.
Huc (t) novies tanto plus tibi mellis eat.
Quæcunque adficiet tali medicamine vultum;
Fulgebit speculo lævior ipsa suo.
(u) Nec tu pallentes dubita torrere (x) lupinos,
Et simul (y) inflantes corpora frige fabas.
Utraque (z) sex habeant æquo discrimine libras:
Utraque da nigris comminuenda molis.

INTERPRETATIO.

Nudato palea, & corticibus suis hordea, quæ agricolæ Libyci miserunt navibus. Æqualis mensura Ervi humescat ab ovis decem: sed hordea expurgata impleant duas libras. Ubi hæc fuerint exsiccata per aerem ventosum; fac asella segnis terat mola aspera. Pinse etiam cornua prima quæ excidunt cervo vivaci: fac sexta pars solidæ libræ mittatur in hæc, & postquam omnia fuerint admixta farinæ pulvereæ cribrato omnia in cribris cavis. Adde duodecim bulbos Narcissi decorticatos, quos manus fortis terat puro marmore: & ducat sextantem gummi cum semine Thusco. Huc tibi adhibeatur novies plus, tanto mellis. Quæcumque illinet faciem tali medicamine; ipsa nitebit expolitior speculo suo. Nec tu cunctare frigere lupinos pallidos, & simul torrere fabas tumefacientes corpora. Utraque habeant sex asses pari discrimine: da utraque terenda atris molis.

NOTÆ.

(i) *Libyci*) Sunt Libyes populi Africæ; hoc in loco pro Afris in genere positi, a quibus maximam frumenti copiam Romani petebant.

(k) *Ervi*) Est ervum genus leguminis, *ers* Gallice dicti.

(l) *Nuda*) Tegminibus & palea exuta.

(m) *Prima*) Quotannis vero statuto veris tempore decidunt.

(n) *Hæc*) Hordei & Ervi farinam *scil.*

(o) *Sexta*) Pars *scilicet*.

(p) *Assis*) Seu Libræ.

(q) *Narcissi*) Est narcissus planta notissima, propter floris amœnitatem, hortis familiaris.

(r) *Sextantemque*) Duas uncias.

(s) *Semine*) Proprie frumenti genus est quod Zeam vocant, ex quo alica, docente Plinio fiebat.

(t) *Novies tanto plus*) Idest novem sextantes, una libra cum dimidia, unciæ 18.

(u) *Nec tu*) Aliud proponit medicaminis genus.

(x) *Lupinos*) Sunt Lupini leguminis genus, ab omnibus animalibus sua amaritudine tutum, autore Plinio. *Pallentes* autem dixit ab effectu, quod qui gustaverint palleant. *Tristes* appellavit Maro.

(y) *Inflantes*) Quippe flatulentissima est faba.

(z) *Sex*) Ut tres libræ lupinorum, & totidem fabarum sumantur,

Nec

Nec (a) cerussa, tibi, nec (b) nitri spuma rubentis
Desit, & (c) Illirica quæ venit (d) iris humo.
Da validis juvenum pariter subigenda lacertis.
Sed justum tritis uncia pondus erit.
Adjice & (e) querulo (f) volucrum medicamine (g) nido,
Ore fugant maculas: (h) Halcyonea vocant.
Pondere, si quæris, quo sim contentus in illis;
Quod trahit in partes (i) uncia sexta duas.
Ut (k) coeant, apteque lini per corpora possint;
Adjice de flavis (l) Attica mella favis.
(m) Quamvis thura Deos irataque numina placant;
Non tamen accensis omnia danda focis.
Thus ubi miscueris radenti (n) tubera nitro;
Ponderibus justis fac sic utrimque triens.

INTERPRETATIO.

Nec cerussa, nec spuma nitri rubentis te deficiat, & Iris quæ mittitur terra Illyrica. Da quoque hæc pinsenda fortibus brachiis juvenum: sed uncia erit justum pondus pistis. Adde etiam medicamenta ex nido querulo avium: abstergunt labes faciei: dicunt Halcyonea. Si petis quo pondere sim contentus in illis; quod capit uncia divisa in duas partes. Ut cohæreant, & possint facile inungi per corpora: addo mella Attica de favis flavis: Quamvis thura propitient Deos & numina infensa; non sunt tamen omnia immittenda aris ardentibus. Ubi intriveris thus nitro expolienti naves, fac utrinque æquis ponderibus.

NOTÆ.

(a) *Cerussa*) Pharmacum est notissimum quod ex plumbi ramentis tenuissimis super vas asperrimi aceti impositis, extrahitur.

(b) *Nitri*) Est nitrum species salis notissima: *salpetre*. Spuma vero ejus *Aphronitrum* dicitur; quod ex speluncis quibusdam destillans in Asia colligi, medici quidam scripsitarunt.

(c) *Illyrica*) Est Illyris, Illyricum seu Illyria regio in ora maris Adriatici, Italiæ opposita, unde Iris laudatissimi nominis afferebatur.

(d) *Iris*) Planta est, cujus radix maxime laudatur ad odores. Nostri vocant eam *Glayeul*, *flambe*, vel etiam *Iris*.

(e) *Querula*) Propter pipientes pullos.

(f) *Volucrum*) De Halcyonibus loquitur, quæ, ut Plinius scribit, aves sunt paulo ampliores passeribus, colore cyaneo ex parte majore, tantum purpureis & candidis admistis pennis, collo gracili ac procero. Quas aves videre, ut idem ait, rarissimum est.

(g) *Nido*) Hi Halcyonum nidi, referente eodem Plinio admirationem habent, pilæ figura paulum eminenti; ore perquam angusto, grandium spongiarum similitudine, qui ferro intercidi nequeunt, ictu valido franguntur.

(h) *Halcyonea*) De iis medicamentis sic ait Plinius; *Lepras lichenas, lentigines, tollunt cum lupino, & sulphuris duobus obolis.*

(*i*) *Uncia sexta*) Niger selibram intelligit. Planissime vero correctionem probavero Clariss. Heinsii qui legit *secta*.

(k) *Coeant*) Ut cohæreant varia, de quibus loquutus est, medicamina.

(l) *Attica*) Quæ Athenis, Hymetto monte collecta, in varia loca, Romam præsertim portabantur.

(m) *Quamvis*) Aliud docet medicamentum.

(n) *Tubera*) De papulis, pustulisque, quæ faciem infestare solent, loquitur. Eas vero expoliendi & tollendi vim habere nitrum docet Plinius.

Parte minus quarta (*o*) dereptum cortice gummi,
(*p*) (*) Et modicum e myrrhis pinguibus adde cubum.
Hæc ubi contriris, per densa foramina cerne:
Pulvis ab infuso melle premendus erit.
Profuit & (*q*) marathros bene olentibus addere myrrhis;
Quinque trahant marathri (*r*) scrupula, myrrha novem.
Arentisque rosæ quantum manus una prehendat,
Cumque (*ſ*) Ammoniaco mascula thura sale.
Hordea quem faciunt illis adfunde (*t*) cremorem.
Æquent expensas cum sale thura rosas.
(*u*) Tempore sis parvo molles licet illita vultus;
Hærebit toto multus in ore color.
Vidi quæ gelida madefacta papavera lympha
Contereret, teneris illineretque genis.

INTERPRETATIO.

& adde parum thymi; & adde cubum parvum pinguis myrrhæ. Ubi hæc subegeris, cribrato per spissa foramina: pulvis erit diluendus admixto melle. Utile etiam fuit adjicere fœniculum myrrhis fragrantibus; fœniculum ducat quinque scrupula, myrrha novem. Et adde rosæ siccæ quantum una manus capiat; & thura mascula cum sale Ammoniaco. Infunde illis cremorem quem faciunt hordea. Thura cum sale æquent rosas ponderatas. Quamvis fueris uncta faciem teneram tempore exiguo, multus nitor manebit in tota facie. Vidi quæ contunderet papavera humectata aqua frigida, & induceret genis mollibus.

NOTÆ.

(o) *Dereptum cortice*) Quia arborum cortici innascitur gummi.

(p) *Et modicum*) Vide notam clar. Heinsii. Deinde expende annon per cubum aliquantulam myrrhæ partem possis intelligere.

(q) *Marathros*) Latini *Fœniculum* vocant.

(r) *Scrupula*) Scrupulum pars est drachmæ tertia; adeoque tria drachmam conficiunt.

(ſ) *Ammoniaco*) Lapsus est Commentator qui Ammoniacum gummi, rem omnino diversam, cum sale qui in Lybia eruebatur, confudit. Hodie etiam in officinis reperitur sal Ammoniacus, sed factitius est.

(t) *Cremorem*) Pro succo hordei posuit, quomodo fere Celsus usurpat.

(u) *Tempore*) Maximæ virtutis postremum esse medicamentum innuit.

P. OVIDII NASONIS

HALIEUTICON

FRAGMENTUM.

* * * *

Accepit mundus legem: dedit *(a)* arma per omnes,
Admonuitque sui. vitulus sic namque minatur
Qui nondum gerit in tenera jam cornua fronte:
Sic *(b)* damæ fugiunt, pugnant virtute Leones,
Et morsu canis, & caudæ sic scorpius ictu:
Concussisque levis pennis sic evolat ales.
Omnibus ignotæ mortis timor, omnibus hostem,
Præsidiumque datum sentire & noscere teli
Vimque modumque sui: sic & *(c)* Scarus arte sub undis
Incidit, *(d)* adsumptamque dolo tandem pavet escam.
Non audet *(e)* radiis obnixa occurrere fronte,
Adversus crebro vimen sed verbere caudæ
Laxans subsequitur, tutumque evadit in æquor.
Quin etiam si forte aliquis, dum *(f)* pone nataret
Mitis luctantem Scarus hunc in vimine vidit,

INTERPRETATIO.

Mundus subiit legem: præbuit arma singulis, & admonuit sui: sic enim vitulus, qui nondum jam habet cornua in molli fronte, minas intentat: sic Damæ fugiunt, Leones certant fortitudine, & canis morsu, & sic scorpius percussione caudæ: & avis levis sic avolat pennis agitatis. Metus est mortis omnibus incognitæ. Concessum omnibus sentire hostem & columen datum, & cognoscere potestatem & modum suorum armorum: sic etiam Scarus resecat dolo sub undis, & timet escam tandem correptam fraude. Non audet se se dare fronte opposita in radios; sed aversus divellens vimen frequenti caudæ agitatione, erumpit in mare securum. Quin etiam si forte aliquis propitius Scarus aspexit hunc conflictantem in nassa, dum pone nataret,

NOTÆ.

(a) *Arma*) Arma, ut ex sequentibus patet, non proprie, quod clariss. Heinsius videtur putasse, sed tropice pro innata quavis industria, & ad sibi consulendum a natura data sagacitate, usurpavit,

(b) *Damæ*) Sunt caprarum silvestrium quoddam genus. Gall. *Daim.*

(c) *Scarus*) Piscis est saporis eximii: quem refert Plinius inclusum nassis non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere, sed aversum caudæ ictibus crebris fores laxare, atque ita retrorsum errumpere. Quam luctam si forte alius Scarus exstrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda adjuvat.

(d) *Adsumtamque dolo*) Ab insidiante piscatore scilicet.

(e) *Radiis*) De viminibus loquitur, quibus contenta est nassa.

(f) *Pone*) Aut juxta eam nassam, qua aliquis Scarus captus fit.

Aver-

Aversam caudam morsu tenet: atque ita (*)
(*) Uber servato, quem texit, in (*) resultet:
(g) Sepia tarda fugæ, tenui cum forte sub unda
Deprensa est, jam jamque manus timet illa rapaces,
Inficiens æquor nigrum vomit ore cruorem,
Avertitque vias, oculos frustrata sequentes:
Clausus rete (h) Lupus, quamvis immanis & acer,
Dimotis cauda submissus (i) sidit arenis.
. . . . in auras
Emicat, atque dolos saltu deludit inultus:
Et (k) Muræna ferox teretis sibi conscia tergi,
Ad laxata magis conversa foramina retis,
Tandem per multos evadit lubrica flexus,
Exemploque nocet, cunctis (l) intervenit una.
At contra scopulis (m) crinali corpore segnis
Polypus hæret, & (n) hac eludit retia fraude,
Et (o) sub lege loci sumit mutatque colorem;
Semperque ei similis, quem contingit. atque ubi prædam
Pendentem (p) setis avidus rapit, hic quoque fallit.

INTERPRETATIO.

*morsu apprehendit aversam caudam: * * * * * * * * * * Sepia lenta ad fugam, cum forte correpta est sub aqua molli, & illa jam jamque metuit manus prædabundas, tingens mare expuit ore atrum sanguinem. Et corripit vias, frustrata oculos insequentes. Lupus irretitus, quamvis ingens & vehemens dimissus quiescit in arenis dimotis cauda . . . . . Exilit in auras, & eludit impune dolos saltu. & Muræna immittis sibi conscia dorsi lubrici accedens ad foramina magis laxa retis, tandem lubrica erumpit per multas agitationes: & dispendio est, una succurrit omnibus. At contra Polypus piger adhæret saxis corpore crinito, & declinat retia hac arte & induit, & immutat colorem sub lege loci, semper similis ei quem contigit: atque ubi rapax corripit escam pendentem setis, hic quoque decipit.*

NOTÆ.

(g) *Sepia*) Piscis genus est quoddam, sanguine nigro, quod atramentum ideo dixere, quo emisso insidiantibus piscatoribus iter quasi præsepire dicitur Gallice vocatur *Seiche*.

(h) *Lupus*) Piscis est genus, quem in deliciis habuere Romani: & mari flumina ingreditur, ubi quibuscumque sordibus; præsertim stercoribus vescitur. *Spigola* dicitur Italis.

(i) *Sidit*) Ne retibus capiatur.

(k) *Muræna*) Piscis littoralis est itemque fluvialis, nostris etiam hominibus in deliciis. Gall. *Lamproye*.

(l) *Intervenit*) Quia per idem a Muræna laxatum foramen sese subtrahunt.

(m) *Crinali*) Hoc dicitur quia brachia seu pedes habet quam plurimos & tenuissimos, quibus sese rupibus aligat.

(n) *Hac fraude*) Quia retibus tantum raditur aut fricatur, non comprehenditur.

(o) *Sub lege*) *Ex lege*; Ovidiana locutio. Dictus vero est hic piscis loci cujusvis colorem induere. Quæ res oculorum nostrorum ratione ideo minus videri debet absurda, quod & aves plurimæ sint, lepores etiam eo videamus, quo terra est, colore; ut præsentes & in conspectu positos omnino non videamus.

(p) *Setis*) Quibus etiamnum utuntur hodie ad suspendendos hamos, albis præsertim, quæ, quia sunt pellucidæ a piscibus non ita possunt cognosci.

(q) Ela-

(q) Elata calamo, cum demum emersus in auras
Brachia dissolvit, populatumque expuit hamnum.
At (r) Mugil cauda pendentem everberat escam,
Excussamque legit. Lupus acri concitus ira
Discursu fertur vario, fluctusque ferentes
Prosequitur, quassatque caput, dum vulnere sævus
Laxato cadat hamus, & ora patentia linquat.
Nec proprias vires nescit Muræna nocendi:
Auxilioque sui, morsu nec cominus acri
Deficit, aut animos ponit captiva minaces.
(s) Anthias his, tergo (t) quem non videt, utitur armis,
Vim spinæ novitque suæ, versoque supinus
Corpore lina secat, fixumque intercipit hamum.

* * * *

(u) Cætera quæ densas habitant animalia silvas,
Aut vani quatiunt semper (x) lymphata timores,
Aut trahit in præceps non sana ferocia mentis.
(y) Ipsa sequi Natura monet, vel cominus ire.
Impiger ecce Leo venantum sternere pergit
Agmina, & adversis infert sua pectora telis.
Quoque venit, fidens magis & sublatior ardet.

INTERPRETATIO.

*arundine sublata, cum demum extractus in aerem laxat brachia, & evomit hamum devoratum. Aut Mugil excutit cauda escam pendentem, & colligit excussam. Lupus vehementi ira turbatus rapitur cursu diverso, & persequitur undas ferentes, & concutit caput, donec hamus ferus excidat vulnere laxato, & deserat ora aperta. Nec Muræna ignorat propriam potestatem officiendi: nec deest adjumento sui cominus morsu strenuo, aut capta deserit animos minaces. Anthias utitur his armis, quæ movet tergo, & cognoscit potentiam spinæ suæ, & supinatus inverso corpore rescindit lina, & surripit hamum alligatum. * * * * * Aut metus inanes agitant semper reliqua animalia turbata, quæ colunt spissas silvas, aut ferocia insana animi agit in præceps. Ipsa natura hortatur sequi vel cominus accedere. Ecce leo strenuus non desinit prosternere catervas venatorum; & immittit sua pectora telis oppositis. Et ex quo venit, excandescit magis confidens & elatior.*

NOTÆ.

(q) *Elata*) Cum piscator captum piscem aqua extrahere cogitat.

(r) *Mugil*) Alio nomine dicitur *Capito*, propter capitis crassitiem; cujus natura ex eo ridiculo est quod capite abscondito, sese totum latere credat.

(s) *Anthias*) Piscis est quidem Græcis sacer dictus, quod loca frequentet, ubi nulla bellua: De eo Plinius, Ælianus, Plutarchus.

(t) *Quem non vides*) Receptam lectionem restitui, quia maxime ad scopum facit Poetæ, qui naturam dicit animalia quævis instituisse. Corrigebat clar. Heinsius *qua concutit*.

(u) *Cætera*) Deploratum esse hoc fragmentum, & ex diversis generis operibus conflatum satis superque ex hoc loco patet.

(x) *Lymphatæ*) *Furore quodam agitata*. Crediderunt veteres, furore corripi eos qui aliquo in fonte Nymphæ speciem aut imaginem vidissent: Inde petita est metaphora.

(y) *Ipsa sequi*) Loco suo mota fuisse hæc omnia, & perturbata, vel ex hoc versu patet, qui infra repetitur; nullo bono sensu hic legitur.

Con-

Concussitque toros, & viribus addidit iram.
(*) Prodidit, atque suo properat sibi robore letum.
Fœdus (z) Lucanis provolvitur Ursus ab antris,
Quid nisi pondus iners, stolidæque ferocia mentis;
Actus Aper setis iram denunciat hirtis:
Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri,
Pressus & emisso moritur per viscera telo.
Altera pars fidens pedibus, dat terga sequenti,
Ut pavidi Lepores, ut fulvo tergore Damæ,
Et cauto fugiens Cervus sine fine timore.
(Ipsa sequi natura docet, vel cominus ire.)
Hic generosus honos, & gloria major Equorum:
Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho.
Seu septem spatiis Circo meruere coronam;
Nonne vides victor quanto sublimius altum
Attollat caput, & vulgi se venditet auræ?
Celsave cum cæso decoratur terga leone,
Quam tumidus, quantoque venit spectabilis (a) actu,
(b) (*) Compescatque solum generoso concita pulsu
Ungula sub spoliis graviter redeuntis opimis?
Quid laus prima Canum? quibus est audacia præceps,
Venandique sagax virtus, viresque sequendi.
Quæ nunc elatis rimantur naribus auras,
Et produnt clamore feram, dominumque vocando;
Et nunc demisso quærunt vestigia rostro;
Increpitant. quem si (c) collatis effugit ramis,

INTERPRETATIO.

*& agitavit toros, & adjecit iram viribus. * Prodidit, & accelerat sibi mortem suis viribus. Turpis ursus devolvitur ex speluncis Lucanis, quid nisi pondus ineptum, & ferocia mentis stupida. Aper actus indicat iram setis horridis: & contendens se immittit in plagas ferri adversi, & pressus moritur telo adacto per viscera. Altera pars confidens pedibus vertit terga insequenti, ut lepores timidi, ut damæ rufo tergo, & cervus fugiens sine fine, metu provido. Ipsa natura instituit sequi, vel cominus accedere.) Hic honor nobilis equorum, & gloria major: nam palmam carpunt mente, & lætantur triumpho. Seu meruerunt coronam Circo septem gyris: nonne aspicis quanto excelsius victor efferat caput, & se prædicet favori vulgi? Vel cum ornatur dorsum sublime leone interfecto, quam inflatus quantoquoque gestu incedit spectabilis? * * Et ungula acta percussu nobili premat terram sub spoliis lautis magnifice revertentis.. Quid gloria prima canum? Quibus est audacia ruens, & vis sagax venandi, & facultas insequendi. Quæ nunc scrutantur aerem naribus sublimibus. & nunc sectantur vestigia rostro inclinato; & indicant feram latratibus, & obstrepunt domino accersendo, quem si fera evitat.*

NOTÆ.

(z) *Lucanis*) Sita est Lucania inter Brutiam & Apuliam, ad Apenninos Montes, in Italiæ parte Orientali.

(a) *Actu*) Gall. diceres. *Avec quel air de fierté.*

(b) *Compescatque*) Nihil hic mutandum crediderim; imo denotat optima vox ista strenui & generosi equi acrem incessum.

(c) *Collatis*) Canem dicit arma sua conferre ad hoc ut a domino suo fera capiatur.

In-

Insequitur tumulosque canis camposque per omnes.
Noster in arte labor positus: spes omnis in illa.
(*d*) Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
Admoneam, vastique maris tentare profundum.
(*e*) Inter utrumque loci melius moderabere (*f*) funem.
(*g*) Aspera num saxis loca sint: nam talia lentos
Dopascunt calamos: at (*h*) purum retia littus.
Num mons horrentes demittat celsior umbras
In mare: nam varie quidam fugiuntque petutque.
Num vada subnatis imo viridentur ab herbis

Objectetque moras, & molli (*i*) serviat (*k*) algæ.
Descripsit sedes varie Natura profundi:
Nec cunctos una voluit consistere pisces.
Nam gaudent (*l*) pelago, quales (*m*) Scombrique, (*n*) Boacsque
(*o*) Hippuri celeres, & nigro tergore (*p*) Milvi;
Et pretiosus (*q*) Helops nostris incognitus undis;
Ac durus (*r*) Xiphias, ictu non mitior ensis:

INTERPRETATIO.

*canis insequitur armis conjunctis, & per omnes colles & per omnes campos. Labor noster constitutus in arte: omnis spes in illa. nec tamen te jubeam progredi in medias sedes maris, & experiri, altum vasti æquoris. Melius reges rete inter utrumque loci. An loca sint scabra saxis: nam talia expetunt arundines flexiles: at littus purum retia. An mons sublimior devolvat umbras boreidas in æquor: nam quidam diverse fugiunt & accedunt. An vada videntur ab herbis imo succrescentibus * * * Et objiciat moras, & obsecundet tenera alga. Natura instituit diverse sedes maris: nec voluit omnes pisces una permanere. Nam* nonnulli *lætantur alto, quales Scombri, & Boves, Hippuri veloces, & Milvi atro corio: & præclarus Helops ignotus nostro mari, ac durus Xiphiae, non lenior ictu gladii;*

NOTÆ.

(d) *Nec tamen*) Vide Poetæ membra disjecta.

(e) *Inter utrumque*) Ad piscaturam aptum locum dicit non ripam, non altum mare, sed horum medium.

(f) *Funem*) Pro retibus, synecdochice.

(g) *Aspera*) Admoneam, inquit, videas, num loca saxis scateant, &c.

(h) *Purum*) Quod sine rupibus, saxis, &c.

(i) *Serviat*) Loquitur credo de herbis quibusdam algam sustinentibus; quibus impediatur rete.

(k) *Algæ*) Vilis est herba, maris ejectamentum.

(l) *Pelago*) Id est profundo mari.

(m) *Scombrique*) *Maquereau* dicitur nostris.

(n) *Bovesque*) De his Ælianus, aliisque plurimis; quem ea de re consulere licet, si liber.

(o) *Hippuri*) Ab equo, Etymologia Græca nomen accepit hic piscis, pinna a capite ad caudam, equinæ caudæ similitudine deducta.

(p) *Milvi*) Est Milvus piscis quidam, qui saltu supra mare sese attollens Milvi avis in morem videtur volare.

(q) *Helops*) Delicatissimi cibi esse dicitur quem male cum Acipensere quidam confuderunt.

(r) *Xiphias*) Latine *Gladius* dicitur, ex cetorum genere, rostro acceto, superiore maxilla ensiformi.

Et

Liventis, rapidique Lupi, (k) Percæque, Tragique.
Quin (l) laude insignis caudæ Melanurus & ardens
Auratis Muræna notis, Merulæque virentes,
Immitisque suæ (m) Conger per vulnera gentis;
Et capitis duro nociturum (n) Scorpios ictu,
Ac nunquam (o) æstivo conspectus sidere Glaucus.
At contra herbosa pisces (p) laxantur arena;
Ut Scarus, epastas solus qui ruminat escas;
Fœcundumque genus Mænæ, Lamirosque, Smarisque,
Atque immunda Chromis, merito vilissima Salpa:
Atque avium (q) dulces nidos imitata sub undis,
Et Squalus & tenui suffusus sanguine Mullus:
Fulgentes (r) Soleæ candore, & concolor illis
Passer & Adriaco (ſ) mirandus littore Rhombus
Tunc Epodes lati, tum molles tergore Ranæ.
Extremi parent * * * * * * *
* * * * * * * * * *
Lubricus & spina nocuus non (t) Gobius ulla,
Et nigrum niveo portans in corpore (u) virus
(x) Loligo, durique Sues, sinuosaque Caris:

INTERPRETATIO.

lividi, & Lupi celeres, & Perca & Tragi. Quin egregius Melanurus honore caudæ, & Muræna ardens maculis auratis; & Merulæ virides, & Congrus sævus per plagas sui generis; & Scorpius offuturus duro ictu capitis, & Glaucus nunquam visus sidere æstivo. At contra pisces natant in arena herbosa, ut Scarus qui solus ruminat cibos absumptos, & Mænæ genus fœcundum, & Lamiros & Smaris, atque Chromis sordida, Salpa jure contemtissima: atque Phicis *imitata dulces nidos volucrum sub aquis, & Squalus, & Mullus suffusus sanguine subtili: Soleæ nitentes albore, & Passer concolor illis, & Rhombus mirandus littore Adriaco; tum Epodes lati tum Ranæ tenera cute. * Ultimi parent * * * * Lubricus Gobius, & nulla spina nocens, & Loligo gestans virus atrum in corpore candido, & duri Sues, & Caris sinuosa;*

NOTÆ.

(k) *Percæque*) Notissimus piscis; cujusmodi etiam in fluviis habemus, saporis jucundissimi.

(l) *Insignis*) Nigricantem scripsit Oppianus.

(m) *Conger*) Congrus etiam dicitur Anguillæ non absimilis.

(n) *Scorpios*) Venenatus ejus ictus.

(o) *Æstivo*) Canicula *scilicet*.

(p) *Laxantur*) Id est, in illa arena soluti vivunt.

(q) *Dulces*) Vide clariss. Heinsii notas.

(r) *Solea*) Gall. *Sole*, Piscis cibi notissimi & delicatissimi.

(ſ) *Mirandus*) Qui figura *romboide*, seu quatuor laterum.

(t) *Gobius*) *Covien* Gall. Suavissimi cibi pisciculus etiam fluviatilis.

(u) *Virus*) Nigrum dicit sanguinem quem atramentum vocant.

(x) *Loligo*) Piscis est, cujus generis; ut scribit Plinius, tanta multitudine mari evolant, ut navigia submergant.

Et

Et tam deformi non dignus nomine (y) Asellus:
Tuque peregrinis, (z) Acipenser, * nobilis undis,
* * * * *

Deerant non admodum multa in eo exemplari, consumta penitus vetustate.
Plin. lib. XXXII. cap. ult. Hist. Nat.

* *His adjiciemus, apud Ovidium posita nomina, quæ apud neminem alium reperiuntur, sed fortassis in Ponto nascuntur, ubi id volumen supremis suis temporibus inchoavit.* Idem lib. XXXII. cap. secundo: *Mihi videntur mira, quæ Ovidius prodidit piscium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur.*

INTERPRETATIO.

& asellus immeritus nomen tam turpe: & tu Acipenser præcellens in aquis peregrinis.

NOTÆ.

(y) *Asellus*) *Merlue* dicitur Gallis.
(z) *Acipenser*) Sturio etiam dicitur; Gallis, *Esturgeon*, jucundissimi saporis cibus.
(*) *Nobilis*) Quia non tam grati saporis qui ad hæc nostra maria adnatant, quam quos forte apud Pontum gustaverat Poeta.

NUX

ELEGIA

Nux ego juncta viæ.) Sunt qui affetant, hoc quoque opusculum de Nuce falso ascribi Nasoni. Ego vero ipsius, non alterius Poetæ partum esse asseveraverim, quod ex dicendi charactere quivis vel mediocriter eruditus deprehendere poterit. Sed (ut ad opusculi ipsius argumentum deveniam) inducit Poeta arborem nucem, quæ in publica via stabat, conquerentem, quod, & transeuntibus & viatoribus frequentem saxis feriatur. Et ab hac Nucis querela occasione cepta, latenter carpit sui temporis avaritiam ac luxuriam, antiquorumque laudat severitatem & continentiam.

Nux ego juncta viæ, cum sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor.
(a) Obruere ista solet manifestos pœna nocentes,
Publica cum (b) lentam non (c) capit ira moram.

INTERPRETATIO.

Ego nux proxima viæ, cum sim sine probro vitæ, appetor lapidibus a plebe transeunte. Hoc supplicium solet opprimere noxios deprehensos, cum publica ira non patitur tardam moram.

NOTÆ.

(a) *Obruere*) Obruitur proprie qui vi, subito, multitudine opprimitur.
(b) *Lentam*) Qualem esse oportet, si ad judices noxius damnandus trahatur.
(c) *Capit*) Pro *fert*, eleganter.

Nil

Nil ego peccavi; nisi si peccasse vocetur,
Annua cultori poma referre suo.
At prius arboribus, tum cum meliora fuere
Tempora, certamen fertilitatis erat.
Cum (d) domini memores sertis ornare solebant
Agricolas fructu (e) proveniente Deos.
Sæpe tuas igitur, Liber, miratus es uvas:
Mirata est (f) oleas sæpe Minerva suas.
Pomaque læsissent (g) matrem, ni subdita ramo
Longa laboranti furca tulisset opem.
Quin etiam exemplo (h) pariebat fœmina nostro;
Nullaque non illo tempore mater erat.
At postquam platanis sterilem præbentibus umbram
Uberior quavis arbore venit honos;
Nos quoque frugiferæ (si nux modo ponor in illis)
(i) Cœpimus in patulas luxuriare comas.
Nunc neque continuos nascuntur poma per annos:
Uvaque læsa domum, (k) læsaque bacca venit.
Nunc uterum vitiat, quæ vult formosa videri:
Raraque in hoc ævo est, quæ velit esse parens.
Certe ego, si nunquam peperissem, tutior essem.
Ista (l) Clytemnestra digna querela fuit.

INTERPRETATIO.

Ego in nulla re deliqui: nisi si deliquisse dicatur, reddere poma annua suo cultori. At quondam contentio erat de fœcundidate inter arbores, tum cum tempora fuerunt feliciora. Cum possessores grati solebant decorare corollis Deos agricolas, & fructu nascente. Ergo, Bacche, admiratus es sæpe racemos tuos; Minerva admirata est suas oleas. Poma quoque offendissent matrem, nisi furca longa supposita ramo succumbenti tulisset auxilium. Quin etiam fœmina partus edebat nostro exemplo: & nulla non erat mater illa tempestate. At postquam major honor accessit platanis exhibentibus umbram infœcundam quam ulli arbori; nos etiam fructifera, (si nux modo numeror in illis) cepimus diffluere in frondes patulas: Nunc neque poma gignuntur per annos assiduos: & uva extenuata fertur domum, & bacca extenuata. Nunc quæ vult videri pulchra, corrumpit uterum: nec plurima est in hoc sæculo, quæ cupiat esse mater. Certe ego securior essem si nunquam fœtus edidissem. Ista querimonia fuit digna Clytemnestra.

NOTÆ.

(d) *Domini*) Dei cujusvis in cujus esset tutela quævis arbor: suam suo Deo olim quæque sacra credebatur; ut vitis Baccho olea Minervæ, Esculu Jovi.

(e) *Proveniente*) Ex Primitiis quidem; quibus videlicet in proximum annum augerent etiam arborum fœturam.

(f) *Oleas*) Cum Olivarum pondere gravatæ essent.

(g) *Matrem*) Arborem, *scil.* quam oneri imparem furca sæpe fulcire opus est.

(h) *Pariebat*) Ex bibliis constat etiam ludibrio fuisse olim fœminas quæ nulla prole beatæ essent.

(i) *Cœpimus*) In hominum luxum reiicit, quod deterius annis & malignius fructus ferat ipsa, aliæque arbores, hominum stultitiæ servientes.

(k) *Læsa*) Quia nec tam magna, nec tam bene nutrita, foliis succum ad se derivantibus.

(l) *Clytemnestra*) Quæ, cum maritum Agamemnonem occidisset, haud immerito ab Oreste filio interfecta est.

Si sciat (*m*) hoc vitis, nascentes supprimet uvas;
  Orbaque, si sciat hoc, (*n*) Palladis arbor erit.
Hoc in notitiam veniat maloque piroque;
  Destituent (*o*) silvas utraque poma suas.
Quæque sibi vario distinguit poma colore,
  Audiat hoc cerasus; stipes inanis erit.
Non equidem (*p*) invideo: nunquid tamen ulla feritur,
  Quæ sterilis sola conspicienda coma est?
Cernite sinceros omnes (*q*) ex ordine truncos,
  Qui modo nil, quare percutiantur, habent.
At mihi sæva nocent mutilatis vulnera ramis;
  Nudaque derepto cortice ligna patent.
Non odium facit hoc, sed spes indulta rapinæ.
  Sustineant aliæ poma; querentur idem.
Sic reus ille fere est, (*r*) de quo victoria lucro
  Esse potest: inopis vindice facta (*s*) carent.
Sic timet insidias, qui scit se ferre viator,
  (*t*) Cui timeat: (*u*) tutum carpit inanis iter.
Sic ego sola petor; soli quia causa (*x*) petendi est,
  Frondibus intactis cætera turba virens.

INTERPRETATIO.

Si vitis hoc noscat, compescat uvas prorumpentes: & arbor Minervæ erit orba, si hoc noscat. Hoc rescifcant malus & pyrus, utraque poma deserent suas arbores. Cerasus, quæ pingit sibi poma diverso colore, hoc accipiat: erit truncus vacuus. Non equidem invideo; anne tamen ulla patitur, quæ infœcunda insignis est solis frondibus? Aspicite ex ordine singulos stipites intactos qui saltem nihil habent quamobrem feriantur. At plagæ crudeles mihi officiunt, ramis truncatis; & ligna nuda cortice detracto aperta sunt. Malevolentia non hoc præstat, sed spes concessa rapinæ. Aliæ ferant poma, conquerentur idem. Sic ille propemodum est reus, de quo victoria potest esse utilitati; facta pauperis carent ultore. Sic viator qui novit se gestare cui metuat, reformidat insidias: Vacuus viam ingreditur securam. Sic ego sola ferior, quia est causa soli feriendi. Reliqua turba virescunt comis illibatis.

NOTÆ.

(m) *Hoc*) Quod *scilicet* feracibus arboribus damno sint sui fructus.

(n) *Palladis arbor*) Olea est, quam Pallas ex terra eduxit, munus hominibus gratissimum, quando cum Neptuno olim certavit.

(o) *Silvas*) Arbores.

(p) *Invideo*) A se amolitur, quod fœminarum prope commune est vitium, invidiam.

(q) *Ex ordine*) Solent vero in ordinem digeri steriles arbores, quæ frondis & umbræ causa coluntur.

(r) *De quo*) *Non toto accipitri tenditur neque milvio*
Qui male faciunt nobis; illis, qui nil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur:
Aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest. Terentius.

(s) *Carent*) Quia nihil inde abradi potest.

(t) *Cui*) Auro nempe, & id genus aliis, quæ expetit latro.

(u) *Tutum*) *Cantabit*, scilicet, *vacuus coram latrone viator.*

(x) *Petendi*) Passive: Id est, *cur petat, & lapidibus obruat.* ...

Nam

Nam quod habent (y) frutices alii quoque (z) proxima nobis,
Fragmina, quæ læso (a) vimine multa jacent;
Non istis sua (b) facta nocent: (c) vicinia damno est.
Excipiunt ictu saxa repulsa meo.
(d) Idque fide careat; si non, quæ longius absunt,
Nativum retinent inviolata decus.
Ergo, si sapiant, & mentem (e) verba sequantur;
(f) Devoveant umbras proxima quæque meas.
Quam miserum est, (g) odium damnis accedere nostris;
Meque (h) ream nimiæ proximitatis agi!
Sed, (i) puto, magna mei est operoso cura colono
Invenias, cui det nil mihi, præter humum.
Sponte mea facilis contemto nascor in agro:
Parsque loci, qua sto, publica pæne via est.
Me, sata ne lædam (quoniam sata lædere (k) dicor),
Imus in extremo margine fundus habet.
Non mihi falx (l) nimias (m) Saturnia deputat (n) umbras:
Duratam renovat non mihi fossor humum.

INTERPRETATIO.

Nam quod alii frutices habent quoque fragmenta proxima nobis, quæ multa sternuntur fractis virgultis; sua facta non efficiunt istis: vicinitas detrimento est. Excipiunt lapides remissos ictu meo. Atque id nullam fidem inveniat; si quæ longius sunt dissita non servant intacta honorem nativum. Ergo, si sapiant & voces respondeant menti; proxima quæque maledictis insectentur umbras meas. Quam calamitosum est, malevolentiam adjungi nostris detrimentis; & me accusari nimiæ propinquitatis! Sed, arbitror, magna est cura mei agricolæ laborioso. Reperias qui nihil præbeat præter solum. Ultro nascor facilis in neglecto: & pars loci, qua sto, est propemodum iter publicum. Extremus ager me habet in extrema ora, ne noceam segetibus (quoniam perhibeor nocere segetibus.) Falx Saturnia non mihi resecat nimias frondes: fossor non instaurat terram induratam.

NOTÆ.

(y) *Frutices*) Quibus agros solent oblepire.

(z) *Proxima*) Id est, *ex proximis mihi arboribus decussa.*

(a) *Vimine*) Ramusculos dicit, lapidum ictu ex arboribus revulsos.

(b) *Facta*) Fructus puta, quos ferant ipsæ.

(c) *Vicinia*) *Quia sunt juxta me posita.*

(d) *Idque*) *Quod dico scil. a me in proximas arbores redundare injuriam.* Atque hic lepidus est ad argumentum inconcussum ingressus; & ejus vidi dissimulationem quod in nuce est, quæ umbra sua & omnem terræ succum ad se trahendo, magis quam saxa repellendo, propinquas perdit arbores.

(e) *Verba sequantur*) *Si ipsæ arbores loquantur, & sua de me cogitata proferant.*

(f) *Devoveant*) Annon ingeniosissime sibi Nux consulit, quæ vicinas arbores amoris specie a se propellens, multam terram suam facit?

(g) *Odium*) Aliarum arborum, *scilicet* quæ propter Nucis viciniam lapidibus impetitæ illi male precantur.

(h) *Ream*) Cum alias sit vicinia in propinqua parte amicitiæ, si modo seni Terentiano fides.

(i) *Puto*) Ironice loquitur.

(k) *Dicor*) Et verum dicitur; sed acute dissimulat quod negare erat difficile, ut etiam patientes obtrectationis videatur tolerare injuriam.

(l) *Nimias*) Viris præsertim, multarum insuper arborum vitium est luxuries, quam ferro compescere opus est, ut fructus producant. Nuces non ita solent putari, nisi forte cum fructus earum fustibus aut perticis decutiuntur. Quamquam tamen sit & illud, totumque earum caput rescinditur; quod certe non parum ad fructus copiam & bonitatem confert.

(m) *Saturnia*) Quæ Saturno & tempori omnia absumenti insigne attributum est.

(n) *Umbras*) Aut certe frondes & ramos qui ejus causa sunt. Metonymia est effecti.

Sole licet ſiccaque ſiti peritura laborem;
Irriguæ dabitur non mihi ſulcus aquæ;
At cum (*o*) maturas ſciſſo nova cortice rimas
(*p*) Nux agit; ad partes pertica ſæva venit.
Pertica dat plenis immitia vulnera ramis;
Ne poſſim lapidum verbera ſola queri.
Poma cadunt menſis non interdicta (*q*) ſecundis;
Et condis lectas, parca colona, nuces.
Has puer aut certo (*r*) rectas diverberat ictu;
Aut (*ſ*) pronus digito biſve ſemelve petit.
Quatuor in nucibus, non amplius alea tota eſt;
Cum ſibi ſuppoſitis additur una tribus.
Per tabulæ clivum labi jubet alter; & optat,
Tangat ut e multis quamlibet una ſuam.
Eſt etiam, par ſit numerus qui dicat, an impar:
Ut divinatas auferat (*t*) augur opes.
Fit quoque de creta, (*u*) qualem cæleſte figuram
Sidus, & in Græcis littera quarta gerit.
Hæc ubi diſtincta eſt (*x*) gradibus, qui conſtitit intus
Quot tetigit virga tot capit inde nuces.
Vas quoque ſæpe (*y*) cavum ſpatio diſtante locatur;
In quod miſſa (*z*) levi nux cadat una manu.

INTERPRETATIO.

Quamvis crucier peritura Sole & ſiti arida; non mihi exhibebitur ſulcus aquæ irriguæ. At cum nux recens ducit rimas cortice ſciſſo, pertica fera accedit ad partes. Pertica infligit ſævas plagas ramis plenis; ne poſſim conqueri ſolos ictus ſaxorum. Poma decidunt non prohibita bellariis; & ſervas nuces collectas, colona tenax. Puer aut decutit certo ictu ordinatas; aut inclinatus aut ſemel aut bis appetit digito. Tota alea eſt in quatuor nucibus, non plus; cum una imponitur tribus ſibi ſubjectis. Alter cogit volvi per declivitatem tabulæ; & cupit ut una e multis attingat unamquamque ſuam. Eſt etiam qui divinet, numerus ſit par an impar: ut vaticinator tollat divitias prædictas. Fit quoque figura decreta qualem ſidus Cœleſte & littera quarta apud Græcos habet. Ubi hæc diviſa eſt gradibus, qui conſtitit intus tot ſumit inde nuces quot attigit virga. Vas quoque cavum apponitur ſæpe ſpatio diſtante; in quod nux una decidat jacta manu levi.

NOTÆ.

(o) *Maturas*) Maturitatis indicium. etonymice.

(p) *Nux agit*) Solent nuces cum matureſcunt, ex cortice exteriori ſeſe expedire, qui primo dehiſcit ſeu rimas agit.

(q) *Secundis*) Gall. dicimus, *au deſſert.*

(r) *Rectas*) Recto ordine diſpoſitas, quem qui frangit inferius digeſtas pro ſe capit. Vel *rectas* caſtellatim diſpoſitas intellige, qui ſunt hodierni quoque puerorum luſus.

(ſ) *Pronus*) Nec placet Dominici, nec placet Eraſmi expoſitio, nec qui ſit hic luſus poſſim dicere, niſi eſt vulgaris puerulorum, qui nuces in rectum ordinem digeſtas, alia rotunda volvendo, non impetendo a linea ſua divellunt.

(t) *Augur*) Puerum dicit qui par an impar numerus fuiſſet nucum quas alius manu aut veſte occultaſſet, feliciter indicavit.

(u) *Qualem*) Trianguli dicit; qualis eſt ſyderis quod Græci *Delicton* vocaverunt, a figura hac Δ ſui δέλτα, quod quarta eſt alphabethi eorum littera.

(x) *Gradibus*) Lineas dicit certis intervallis diſtinctas, in quibus diſponebantur nuces.

(y) *Cavum*) Ut nuces continere poſſit.

(z) *Levi*) *Agili, & ad caute mittendum expedita.*

Felix, (*a*) secreto quæ nata est arbor in arvo;
(*b*) Et soli domino ferre tributa, potest.
Non (*c*) hominum strepitus audit, non illa rotarum:
Non a vicina pulverulenta via est.
Illa suo, quæcunque tulit, dare dona colono,
Et plenos fructus (*d*) enumerare potest.
At mihi (*e*) maturos nunquam licet edere fœtus,
(*f*) Ante diemque meæ decutiuntur opes.
(*g*) Lamina mollis adhuc tenero dum lacte, quod intro est;
Nec mala sunt ulli nostra futura bono:
Jam tamen invenias, qui me jaculentur, & icta
Præfestinato munus (*h*) inane petant.
(*i*) Si fiat rapti, fiat mensura relicti,
Majorem domini parte, viator, habes.
Sæpe aliquis, foliis ut nuda cacumina vidit,
Esse putat Boreæ triste furentis opus.
Æstibus hic, hic me spoliatam frigore credit:
Est quoque, qui (*k*) crimen grandinis esse putet
At mihi nec grando duris invisa colonis,
Nec ventus fraudi, solve, geluve fuit.
Fructus obest: peperisse nocet: nocet esse feracem.
Quæque fuit multis, & mihi (*l*) præda malo est.

INTERPRETATIO.

Arbor beata, quæ crevit in agro remoto: & potest pendere vectigal uni Dominio; illa non audit tumultus hominum, non rotarum: non est pulvere oppressa a via proxima: illa potest exhibere munera quæcunque produxit suo cultori, & numerare plenos fructus. At nunquam possum proferre fœtus maturos; & divitiæ excutiuntur ante tempus. Dum cortex est adhuc tener lacte molli quod est intus, nec damna nostra sunt futura compendio cuiquam; jam tamen reperias, qui me appetant, & quærant præmium inutile ictu præpropere. Si fiat mensura rapti, & fiat mensura relicti, viator habes partem majorem parte possessoris. Sæpe aliquis ut aspexit verticem privatum foliis, credit opus esse luctuosum Aquilonis rapidi. Hic arbitratur me nudatam caloribus, hic frigore: est etiam, qui credat esse vitium grandinis. At neque grando odiosa asperis agricolis, nec ventus, nec sol, nec gelu me istis fraudavit. Damno mihi est fructus, damno est peperisse: Obest esse fœcundam. Et præda est mihi damno quæ fuit damno multis.

NOTÆ.

(a) *Secreto*) Procul avia publica.

(b) *Et soli*) Arbor profecto frugi, & bonæ fidei, cui grave fit quod debet non posse reddere; Atque hinc atrocior videtur in illam Injuria.

(c) *Hominum strepitus*) Quo non majus aliud pacificæ malum.

(d) *Enumerare*) Metaphora a debitoribus.

(e) *Maturos nunquam*) Ad fœminarum alludit abortum, quæ earum maxima est infelicitas.

(f) *Ante diem*) Ante tempus datum ad fœtus maturitatem.

(g) *Lamina*) De cortice viridi exteriori loquitur.

(h) *Inane*) Quia nondum in nucleum coaluit lac quod intus est,

(i) *Si fiat*) Viatores majorem fructus partem tollere, fraudato Domino quæritur.

(k) *Crimen*) Quod ita foliis spoliata fuerim.

(l) *Prædas*) Quam quilibet possit de nucibus facere.

Præda malo, *(m)* Polydore, fuit tibi: præda nefandæ
Conjugis: *(n)* Aonium miſit in arma virum,
(o) Heſperii regis pomaria tuta fuiſſent:
Una, ſed immenſas arbor habebat opes.
At rubus & ſentes tantummodo *(p)* lædere natæ,
Spinaque *(q)* vindicta cætera tuta ſua eſt.
Me, quia nec noceo, nec obuncis vindicor *(r)* hamis;
Miſſa petunt avida ſaxa *(ſ)* proterva manu.
(t) Quid ſi non aptas ſolem fugentibus umbras,
Finditur *(u)* Icario cum cane terra, darem?
Quid, niſi ſuffugium nimbos vitantibus eſſem,
Non expectata cum venit imber aqua?
Omnia cum faciam, cum præſtem ſedula cunctis
Officium, ſaxis officioſa petor.
Hæc mihi perpeſſæ, domini patienda querela eſt,
Cauſa habeor, quare ſit *(x)* lapidoſus ager.

INTERPRETATIO.

Polydore, præda fuit illi damno. Præda uxoris ſceleratæ impulit virum Aonium ad bellum. Pomaria Regis Heſperii fuiſſent ſecura: ſed una arbor gerebat divitias infinitas. At rubus & vepres tantummodo ſortæ ad nocendum, & dumus reliquo ſecurus eſt ſua ultione. Lapides petulantes me appetunt jacti manu rapaci, quia nec officio, nec difendor ſpinis aduncis. Quid, ſi non præberem umbras idoneas ſolem vitantibus, cum humus debiſcit cane Icario? Quid, niſi eſſem perfugium effugientibus imbres, cum nimbus ruit aqua improviſa? Cum præſtem omnia, cum aſſidua proſequar omnes officiis: officioſa obruor lapidibus. Querimonia heri toleranda eſt mihi hæc paſſæ. Dicor cauſa, quamobrem fundus ſit ſaxis plenus.

NOTÆ.

(m) *Polydore*) Fuit hic Priami filius, quem ſuis rebus diffidens infelix Pater Polymneſtori Traciæ regi, tunc amico, cum magno auri pondere credidit; eo quidem conſilio ut ſi Troja a Græcis vaſtaretur, ille Polydorum ſuum quandoque in regnum reſtitueret. Verum perfidus, auri ſacra fame urgente, poſt everſam Trojam Polydorum interfecit. Qua de re Virgilius.

(n) *Aonium*) Eſt Aonia pars Boetiæ montana, tota Apolini & Muſis ſacra: Unde hic per Aonium virum, Amphiarum intelligit Dominicus, vatem ſeu augurem Argivum Apollineum, quem latitatem conjux Eriphyle aureo monili ab Andraſtorege corrupta ad bellum Thebanum, unde rediturum ſe non eſſe vates didicerat, perfido exemplo produxit. Eraſmus vero totum hunc locum de Helenæ exponit præda, quam poſtquam Paris ſuam feciſſet, Græci decennali bello repetiverunt.

(o) *Heſperii*) Atlantem dicit, aut ejus fratrem Heſperum, cujus filiæ hortum habuiſſe dicuntur, in quo arbores, aurea mala ferentes; quæ ut auferret Hercules ab Euryſtheo miſſus eſt.

(p) *Lædere natæ*) Pro *ad lædendum*, phraſis Græca.

(q) *Vindicta*) Quia propinquius tentantem lædere ſpinis ſuis vulnerant.

(r) *Hamis*) Spinas dicit hamis ſimiles.

(ſ) *Proterva*) Quia manu proterva mittetur.

(t) *Quid ſi non*) Tutiorem ſe fingit, quod ſibi propter umbram parcat viator.

(u) *Icario*) Comitem volunt fuiſſe Icari, Dædali filii, Canem, qui ob officium in domini extincti corpus, quod prodidit, collatum, inter ſydera locum meruerit. Hoc ſignum cum Sol ingreditur æſtum facit vehementiſſimum.

(x) *Lapidoſus*) Propter lapides in Nucem projectos, qui ſuper agrum recidunt.

Dum-

Dumque repurgat humum, collectaque saxa remittit;
Semper habent in me tela parata viæ.
Ergo invisa aliis uni mihi frigora prosunt:
Illo me tutam tempore præstat hiems.
Nuda quidem tunc sum, nudam tamen expedit esse:
Nec spolium de me, quod petat, hostis habet.
At simul induimus nostris sua munera ramis;
Saxa novos fructus grandine plura petunt.
Forsitan hic aliquis dicat, Quæ publica tangunt,
Carpere concessum est: hoc via juris habet.
Scilicet hoc; oleas distringite: cædite messes.
Improbe vicinum carpe, viator, olus.
(y) Intret & urbanas eadem petulantia portas;
Sitque (z) tuis muris, (a) Romule, (b) juris idem.
Quilibet argentum primæ de (c) fronte tabernæ
Tollat: & ad gemmas quilibet alter eat.
Auferat hic aurum, peregrinos ille lapillos;
Et quascunque potest tollere, tollat opes.
Sed neque tollantur: nec dum regit omnia Cæsar,
Incolumis tanto præside raptor erit.
At non ille (d) Deus pacem intra mœnia finit.
Auxilium toto spargit in orbe suum.
Quid tamen hoc prodest, media si luce palamque
Verberor, & tutæ non licet esse mihi?

INTERPRETATIO.

Et dum mundat agrum, & rejicit lapides collectos: via habent semper missilia parata in me. Ergo frigora odiosa aliis, juvant me solam: hiems me securam facit illa tempestate. Sum equidem tunc nuda; tamen juvat esse nudam; nec hostis habet prædam quam rapiat de me. At statim atque induimus sua dona nostris ramis; plures lapides grandine impetunt novos fructus. Forte hic aliquis dicat: licet sumere quæ extenduntur ad publica: via habet hoc juris. Si istud concessum, colligite olivas: sub secat messes; Viator proterve corripe olus vicinum. Eadem procacitas subeat etiam portas urbanas; & idem juris sit tuis mœnibus, Romule. Quilibet auferat argentum de fronte obviæ tabernæ: & quivis alius se conferat ad gemmas. Hic rapiat aurum, ille lapillos peregrinos; & auferat divitias quacumque potest auferre: sed neque auferuntur; nec dum Cæsar omnia administrat, prædator erit impunitus tanto præside. At ille Deus non claudit pacem intra muros. Diffundit opem suam toto orbe. Quid tamen hoc juvat si aperto die & palam percutior, & non licet esse securæ?

NOTÆ.

(y) *Intret*) Ut cuilibet impune licet quidvis de via furari & perdere. Quod si ridiculum; tale erit in me irruere.

(z) *Tuis muris*) Pro *in tuos muros* dixit.

(a) *Romule*) Romanos, suo Romæ conditoris nomine, compellat.

(b) *Juris idem*) Eadem impetendi licentia.

(c) *Fronte*) Ubi res venales exponuntur.

(c) *Deus*) Augusto, vivo etiam, templa posita, data thura, pace per totum mundum ab illo stabilita, veræ pacis, quam Dei filius in mundum attulit, symbolo,

Utve gravem *(k)* candens ubi tolli vacca securim,
  Aut ſtringi cultros in ſua colla videt.
Sæpe meas vento frondes tremuiſſe putaſtis:
  Sed metus in nobis cauſa tremoris erat.
Si merui, videorque nocens, imponite flammæ,
  Noſtraque fumoſis urite membra focis.
Si merui, videorque nocens, excidite ferro;
  Et liceat miſeræ dedecus eſſe *(l)* ſemel.
Si nec cur urar, nec cur excidar habetis;
  Parcite; ſic cœptum perficiatis iter.

INTERPRETATIO.

& ut vacca alba cum cernit ſecurim ponderoſam attolli, aut cultros nudari in ſua colla. Sæpe credidiſtis mea folia trepidaſſe aura: Sed timor erat in nobis cauſa trepidationis. Si merui, & ſons videor: immittite membra noſtra in ignem & cremate focis fumidis. Si merui & ſons videor: reſecate ferro; & concedatur infelici eſſe ſemel ignominiæ. Si nec habetis quamobrem incendar, nec quamobrem reſecer; ignoſcite: ſic abſoluatis iter inceptum.

NOTÆ.

(i) *Cum populus*) Seſſe perinde viatorum plagis, & fuſtibus eſſe dicit expoſitam, ut manicis palo alligatus reus, cui venientia tela, corporis motu aut fuga minime liceat effugere.

(k) *Candens*) *Alba*, qualem diis ſuperis mactare ſolebant.

(l) *Semel*) Non ſemper. Atque hoc maxime ad injuriæ deprecationem videtur conferre, quod ſponte potius morti certæ nux ſeſe objiciat, quam tot opprobrla pati ſuſtineat. Nec mihi certe ſatis emunctæ naris eſſe licuit, ut claris. juxtaque doctiſſimi Heinſii cenſuram: qua nihil ſani aut Latini leporis in hoc verſu eſſe affirmat, approbare potuerim.

FINIS.

OB-

OBSCŒNA QUÆDAM

In Primo hoc Tomo Operum Ovidii prætermissa, & in hunc locum rejecta.

In libro primo Amorum, pag. 253. post secundum versum qui incipit Exempli, *adde.*

SÆpe mihi dominæque meæ properata voluptas,
Veste sub injecta dulce peregit opus.

In eod. lib. pag. 254. post versum duodecimum qui incipit Dicitur, *adde;*

DIripui tunicam: nec multum rara nocebat:
Pugnabat tunica sed tamen illa tegi.
Cumque ita pugnaret, tanquam quæ vincere nollet,
Victa est non ægre proditione sua.
Ut stetit ante oculos posito velamine nostros,
In toto nusquam corpore menda fuit.
Quos humeros, quales vidi, tetigique lacertos!
Forma papillarum, quam fuit apta premi,
Quam castigato planus sub pectore venter.
Quantum & quale latus; quam juvenile femur?
Singula quid referam! nil non laudabile vidi:
Et nudam pressi corpus ad usque meum.
Cætera quis nescit? lassi requievimus ambo.
Proveniant medii sic mihi sæpe dies.

In libro secundo Amorum, pag. 332 post secundum versum qui incipit Damnaque, *adde.*

SED puto te nuda mea membra libidine surgent,
Et peraget partes annulus ipse viri.

In libro tertio Amorum, pag. 370. post finem Elegiæ sextæ, & ante octavam, adde totam Elegiam septimam, ut sequitur.

ELEGIA VII.

Quod ab amica receptus, cum ea coire non potuerit, conqueritur.

AUT non formosa est, aut non bene culta puella,
Aut puto non votis sæpe petita meis:
Hanc tamen in nullos tenui male languidus usus,
Sed jacui pigro crimen onusque toro.
Nec potui cupiens pariter cupiente puella
Inguinis effœti parte juvante frui.
Illa quidem nostro subjecit eburnea collo
Brachia, Sithonia condidiora nive:
Osculaque inseruit cupidæ luctantia linguæ:
Lascivum femori suppofuitque femur.

Et

Et mihi blanditias, dixit, dominumque vocavit:
  Et quæ præterea publica verba juvant.
Tacta tamen veluti gelida mea membra cicuta,
  Segnia propositum destituere suum.
Truncus iners jacui, species & inutile signum:
  Nec satis exactum est corpus, ad umbra forem.
Quæ mihi ventura est, siquidem ventura, senectus,
  Cum desit numeris ipsa juventa suis?
Ah pudet annorum; quo me juvenemque virumque
  Nec juvenem, nec me sensit amica virum?
Sic flammas aditura pias æterna sacerdos
  Surgit, & a charo fratre verenda soror.
At nuper, bis flava Chie, ter candida Pitho,
  Ter Libas officio continuata meo.
Exigere a nobis angusta nocte Corinnam,
  Me memini numeros sustinuisse novem.
Num mea Thessalico languent devota veneno
  Corpora? num misero carmen & herba nocent.
Sagave Phœnicea defixit nomina cera,
  Et medium tenues in jecur urget acus.
Carmine læsa Ceres, sterilem vanescit in herbam:
  Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Illicibus glandes, cantataque vitibus uva,
  Decidit: & nullo poma movente fluunt.
Quid vetat & nervos magicas torpere per artes?
  Forsitam impatiens sit latus inde meum.
Huc pudor accessit: facti pudor ipse nocebat.
  Ille fuit vitii causa secunda mei.
At qualem vidi qualem tetigique puellam,
  Sic etiam tunica tangitur illa sua.
Illius ad tactum Pylius juvenescere possit,
  Tithonusque armis fortior esse suis.
Hæc mihi contigerat; sed vir non contigit illi.
  Quas nunc concipiam per nova vota preces?
Credo etiam magnos, quo sum tam turpiter usus,
  Muneris oblati pœnituisse Deos.
Optabam certe recipi; sum nempe receptus:
  Oscula ferre; tuli: proximus esse; fui.
Quo mihi fortunæ tantum? quo regna sine usu?
  Quid nisi possedi dives avarus opes?
Sic aret mediis taciti vulgator in undis,
  Pomaque, quæ nullo tempore tangat, habet.
A tenera quisquam si surgit mane puella,
  Protinus ut sanctos possit adire Deos.

Sed

Sed puto non blanda est; non optima perdidit in me
  Oscula: non omni sollicitavit ope.
Illa graves potuit quercus, adamantaque durum,
  Surdaque blanditiis saxa movere suis.
Digna movere fuit certe vivosque, virosque.
  Sed neque tum vixi: nec vir, ut ante, fui.
Quid juvet ad surdas si cantet Phemius aures?
  Quid miserum Thamyram picta tabella juvat?
At quæ non tacita formavi gaudia mente,
  Quos ego non finxi dispoluique modos!
Nostra tamen jacuere velut præmortua membra.
  Turpiter hesterna languidoria rosa.
Quæ nunc ecce rigent intempestiva, valentque.
  Nuc opus, exposcunt, militiamque suam.
Quin istuc pudibunda jaces pars pessima nostri.
  Sic sum pollicitis captus & ante tuis.
Tu dominum fallis: per te deprensus inermis
  Tristia cum magno damna pudore tuli.
Hanc etiam non est mea dedignata puella
  Molliter admota sollicitare manu.
Sed postquam nullas consurgere posse per artes,
  Immemoremque sui procubuisse videt;
Quid me ludis, ait? Quis te male sani jubebat
  Invitum nostro ponere membra toro?
Ant te trajectis Alæa venefica lanis
  Devovet: aut alio lassus amore venis.
Nec mora desilvit tunica velata recincta:
  Et decuit nudos proripuisse pedes.
Neve suæ possent intactam scire ministræ;
  Dedecus hoc sumpta dissimulavit aqua;

In eodem libro tertio, pag. 392. post finem Elegiæ decimatertiæ, ante decimamquintam, adde totam Elegiam decimam quartam, ut sequitur.

ELEGIA XIV.

Ad amicam, si peccatura est, ut occulte peccet.

NON ego, ne pecces, cum sis formosa, recusem;
  Sed ne sit misero scire necesse mihi.

Ne

Nec te nostra jubet fieri censura pudicam:
  Sed tantum tentes dissimulare, rogat.
Non peccat, quæcunque potest peccasse negare.
  Solaque famosam culpa professa facit.
Quis furor est, quæ nocte latent, sub luce fateri?
  Et quæ clam facias; facta referre palmam?
Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti,
  Opposita populum submovet ante sera.
Tu tua prostitues famæ peccata sinistræ,
  Commissi perages indiciumque tui?
Sit tibi mens melior, saltemque imitere pudicas;
  Teque probam, quamvis non eris, esse putem:
Quæ facis, hæc facito: tantum fecisse negato;
  Nec pudeat coram verba modesta loqui.
Est qui nequitiam locus exigat, omnibus illum
  Deliciis imple. sit procul inde pudor.
Hinc simul exieris; lascivia protinus omnis
  Absit, & in lecto crimina pone tuo.
Illic nec tunicam tibi sit posuisse rubori,
  Nec femori impositum sustinuisse femur:
Illic purpureis condatur lingua labellis,
  Inque modos Venerem mille figuret amor.
Illic nec voces, nec verba juvantia cessent:
  Spondaque lasciva mobilitate tremat.
Indue cum tunicis metuentem crimina vultum:
  Et pudor obscœnum diffiteatur opus.
Da populo, da verba mihi: sine nescius errem,
  Et liceat stulta credulitate frui.
Cur toties video mitti recipique tabellas;
  Cur pressus prior est interiorque torus?
Cur plus, quam somno, turbatos esse capillos,
  Collaque conspicio dentis habere notam?
Tantum non oculos crimen deducis ad ipsos.
  Si dubitas famæ parcere; parce mihi.
Mens abit, & morior, quoties peccasse fateris:
  Perque meos artus frigida gutta fluit.
Tunc amo: tunc odi frustra, quod amare necesse est,
  Tunc ego, sed tecum mortuus esse velim.
Nil equidem inquiram: nec quæ celare parabis
  Insequar: & falsi criminis instar erit.
Si tamen in media deprensa tenebere culpa,
  Et fuerint oculis probra videnda meis;
Quæ bene visa mihi fuerint, bene visa negato:
  Concedent verbis lumina nostra tuis.

Pro.

Prona tibi vinci cupientem vincere palma est,
Sit modo, Non feci dicere lingua memor.
Cum tibi contingat verbis superare duobus;
Etsi non causa, judice vince tuo.

In lib. II. De Arte amandi pag. 467. post versum vigesimumsecundum qui incipit Et faciunt, *adde*;

Utque velis Venerem jungunt per mille figuras.
Inveniat plures nulla tabella modos.
Illis sentitur non irritata voluptas.
Quod juvet, ex æquo fœmina, virque ferant.
Odi concubitus, qui non utrumque resolvunt:
Hoc est, cur pueri tangar amore minus.
Odi quæ præbet, quasi sit præbere necesse,
Siccaque de lana cogitat ipsa sua.
Quæ datur officio, non est mihi grata voluptas
Officium faciat nulla puella mihi.
Me voces audire juvat sua gaudia fassas:
Utque morer memet sustineamque roget.
Aspiciam dominæ victos amentis ocellos.
Langueat; & tangi se vetet illa diu.
Hæc bona non primæ tribuit natura juventæ,
Quæ cito post septem lustra venire solent.
Qui properant, nova musta bibant. mihi fundat avitum
Consulibus priscis condita testa merum.
Nec platanus, nisi sera, potest obsistere Phœbo,
Et lædunt nudos prata novella pedes.
Scilicet Hermionem Helenæ præponere possis?
Et melior Gorge, quam sua mater erat?
At Venerem quicunque voles attingere seram;
Si modo duraris, præmia digna feres.
Conscius ecce duos accepit lectus amantes:
Ad thalami clausas Musa resiste fores.
Sponte sua sine te celeberrima verba loquentur;
Nec manus in lecto læva jacebit iners.
Invenient digiti quod agant in partibus illis.
In quibus occulte spicula figit amor.
Fecit in Andomache prius hoc fortissimus Hector;
Nec solum bellis utilis ille fuit:
Fecit & in capta Lyrneside magnus Achilles,
Cum premeret mollem lassus ab hoste torum.
Illic te tangi manibus Brisæi sinebas,
Imburæ Phrygia quæ nece semper erant.

An

An fuit hoc ipsum, quod te lasciva juvaret,
  Ad tua victrices membra venire manus?
Crede mihi, non est Veneris properanda voluptas;
  Sed sensim tarda prolicienda mora.
Cum loca repereris, quæ tangi fœmina gaudet;
  Non obstet, tangas quo minus illa, pudor.
Aspicies oculos tremulo fulgore micantes,
  Ut sol a liquida sæpe refulget aqua.
Accedent quæstus, accedet amabile murmur;
  Et dulces gemitus, aptaque verba jeco.
Sed neque tu dominam velis majoribus usus
  Desine, nec cursus ante eat illa tuos.
Ad metam properate simul. tum plena voluptas,
  Cum pariter victi fœmina virque jacent.
Hic tibi servandus tenor est: cum libera dantur
  Otia, furtivum nec timor urget opus.
Cum mora non tuta est; totis incumbere remis
  Utile, & admisso subdere calcar equo.

In lib. III. De arte amandi, pag. 508. initio, post hæc verba
Ulteriora pudet docuisse, *adde*;

————— Sed alma Dione,
  Præcipue nostrum est, quod pudet, inquit, opus.
Nota tibi sit quæque: modos a corpore certos
  Sumito. non omnes una figura decet.
Quæ facie præsignis eris, resupina jaceto.
  Spectetur tergo, cui sua terga placent.
Melanion humeris Atalantes crura ferebat.
  Si bona sunt, hoc sunt accipienda modo.
Parva vehatur equo: quod erat longissima, nunquam
  Thebais Hectoreo nupta resedit equo.
Strata premat genibus paulum cervice reflexa
  Fœmina per longum conspicienda latus.
Cui femur est juvenile, carent quoque pectora menda;
  Stet vir, in obliquo fusa sit ipsa toro.
Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylleia mater,
  Solvere: & effusis colla reflecte comis.
Tu quoque, cui rugis uterum Licina notavit.
  Ut celer aversis utere Parthus equis.
Mille modi Veneris. simplex, minimique laboris,
  Cum jacet in dextrum semisupina latus.
Sed neque Phœbei tripodes, ner corniger Ammon,
  Vera magis vobis, quam mea Musa canent.

Si

Si qua fides arti quam longo fecimus usu;
  Credite. præstabunt carmina nostra fidem.
Sentiat ex imis Venerem resoluta medullis
  Fœmina: & ex æquo res juvet una duos.
Nec blandæ voces jucundaque murmura cessent:
  Nec taceant mediis improba verba jocis.
Tu quoque, cui Veneris sensum natura negavit;
  Dulcia mendaci gaudia finge sono.
Infelix, cui torpet hebes locus ille, puella,
  Quo pariter debent fœmina virque frui.
Tantum, cum finges, ne sis manifesta caveto:
  Effice per motum luminaque ipsa fidem.
Quod juvat, & voces, & anhelitus arguat oris.
  Ah pudet, arcanas pars habet ista notas!
Gaudia post Veneris quæ poscet munus amantem,
  Ipsa suas nolit pondus habere preces.
Nec lucem in thalamos totis admitte fenestris.
  Aptius in vestro corpore multa latent.

In lib. de Remedio Amoris, pag. 527. post versum secundum qui incipit Fortius, *adde;*

Ergo ubi concubitus, & opus juvenile petetur,
  Et prope promissæ tempora noctis erunt;
Gaudia ne dominæ, pleno si pectore sumes,
  Te capiant; ineas quamlibet ante velim.
Quamlibet invenias, in qua tibi prima voluptas
  Desinat. a prima proxima segnis erit.
Sustentata Venus gratissima. frigore soles,
  Sole juvant umbræ: grata fit unda siti.
Et pudet, & dicam, Venerem quoque junge figura;
  Qua minime jungi quaque decere putes.



FINIS.



